Urraburu

INSTITUCIONES

PHILOSOPHICÆ

THEODICEÆ

2

B103
I5
v.8

009710

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leodensis

1080014375

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

QUAS ROMÆ

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

TRADIDERAT

P. JOANNES JOSEPHUS URRÁBURU S. J.

VOLUMEN OCTAVUM

THEODICEÆ

SECUNDUM

VALLISOLETI
TYPIS JOSEPH EMMANUEL A CUESTA

LUTETIÆ PARISIORUM
P. LETHIELLEUX
VIA DICTA CASSETTE, 10

ROMÆ
FRIDERICUS PUSTET
PIAZZA FONTANA DI TREVI
N.° 81-85.

1900

46172

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Tesis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria

B 103
I 5
v. 8



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FONDO FACTRIO
VALVERDE Y TELLEZ

Cum volumen octavum operis P. Joannis Josephi Urráburu e Soc. Jesu, cui titulus *Institutiones Philosophiæ*, nihil, juxta, censuram, contrarium fidei aut bonis moribus contineat, prelo committi, ac in lucem edi permittimus.

Vallisoleti 25 Octobris 1900.

† *Card. Archiep. Vallisoletanus.*

009718

INDEX

DISPUTATIONUM, CAPITUM ET ARTICULORUM

DISPUTATIO QUARTA.

DE ATTRIBUTIS DEI OPERATIVIS, ET PRIMO DE INTELLECTU ET SCIENTIA.

CAPUT I

DE NATURA SCIENTIÆ DIVINÆ.

	Pag.
ART. I. An et quali vita Deus vivat.	1
ART. II. Utrum in Deo detur scientia et intellectus.	9
§ I. *Asseritur Deo scientia perfectissima.*	10
§ II. *An et quo pacto sit in Deo intellectus sub ratione potentiæ atque actûs primi.*	28
ART. III. Quotuplex distinguatur scientia Dei	42
ART. IV. Qualis sit scientia Dei.	57
§ I. *An et quo pacto scientia Dei sit invariabilis.*	57
§ II. *An et qualis scientia Dei sit causa rerum.*	64
ART. V. An et qualenam sit quasi formale principium divinæ scientiæ.	91

CAPUT II

DE OBJECTO DIVINÆ SCIENTIÆ GENERATIM.

ART. I. Primarium objectum scientiæ divinæ, quod est ipsemet Deus.	104
§ I. *Utrum Deus se cognoscat tamquam primarium objectum.*	104
§ II. *Solvuntur difficultates.*	110
ART. II. Qualenam sit objectum adæquatum scientiæ divinæ, et utrum Deus cognoscat alia a se.	115
ART. III. An Deus cognoscat singularia et mala	120
§ I. *An Deus cognoscat singularia.*	120
§ II. *Utrum Deus cognoscat mala et negationes.*	131
ART. IV. An et quo pacto Deus videat infinita.	140

CAPUT III

DE SCIENTIA DIVINA SIMPLICIS NOTITIÆ VEL INTELLIGENTIÆ.

ART. I. Utrum Deus cognoscat omnia possibilia.	140
ART. II. In quo medio cognoscat Deus possibilia.	145
§ I. *Status quæstionis et variæ sententiæ.*	145
§ II. *Utrum Deus cognoscat possibilia in se ipso*	152

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

§ III. *Utrum Deus cognoscat etiam possibilia immediate in se ipsis.* 165
ART. III. Utrum Deus intrinsece connectatur cum interna rerum possibilitate. 181

CAPUT IV

DE SCIENTIA VISIONIS.

ART. I. Utrum Deus cognoscat existentia omnia in quavis temporis differentia, ac præsertim futura libera 201
§ I. *Utrum Deus præsentia cuncta cognoscat et præterita.* . . 201
§ II. *Utrum Deus cognoscat futura omnia libera.* 201
ART. II. Utrum futura contingentia determinatam habeant veritatem, vel utrum propositiones de futuro contingente sint determinate veræ vel falsæ. 225
ART. III. In quo medio cognoscat Deus futura contingentia. 261
§ I. *An Deus futura libera videat in suis ideis.* 267
§ II. *Utrum Deus futura contingentia cognoscat in æterno decreto suæ voluntatis.* 273
§ III. *An et quo sensu dici possit Deus videre futura in se ipso.* . 285
§ IV. *Utrum Deus futura cognoscat in causis eorum proximis.* . 287
§ V. *Utrum Deus futura contingentia cognoscat in se ipsis.* . . 299
ART. IV. Utrum omnia futura Deo in æternitate ita sint realiter præsentia, ut illi ab æterno coexistant. 304
§ I. *Exponuntur sententiæ.* 304
§ II. *An et qualis sit præsentia, quam res habent in divina æternitate.* 310
§ III. *Quænam sit mens S. Thomæ circa rerum futurarum præsentiam in æternitate.* 329
§ IV. *Solvuntur difficultates.* 342

CAPUT V

DE SCIENTIA MEDIA.

ART. I. Quodnam sit objectum scientiæ mediæ. 346
ART. II. Utrum contingentia futura sub conditione certo atque infallibiliter a Deo cognoscantur? 350
ART. III. In quo medio cognoscat Deus contingentia conditionate futura: et an admittenda sit scientia media. 377
ART. IV. Solvuntur difficultates adversus præcedentem doctrinam. . . . 389

CAPUT VI

DE IDEIS EXEMPLARIBUS DIVINIS.

ART. I. Utrum admittenda sit in Deo idea exemplaris. 417
ART. II. Utrum sit una, an vero plures in Deo ideæ exemplares. . . . 425
ART. III. Quarum rerum Deus habeat ideas. 432

DISPUTATIO QUINTA

DE DIVINA VOLUNTATE.

CAPUT I

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS VOLUNTATIS DIVINÆ.

Pag.

ART. I. Utrum admittenda sit in Deo veri nominis volitio et voluntas. . 440
§ I. *Ostenditur Deo convenire voluntatem.* 441
§ II. *Utrum detur in Deo voluntas per modum potentiæ vel actus primi.* 446
§ III. *Utrum conveniat Deo appetitus innatus.* 447
ART. II. Quotuplex sit voluntas Dei. 451
ART. III. De quibusdam divinæ voluntatis proprietatibus. 459
§ I. *Divinæ voluntatis immutabilitas et libertas.* 459
§ II. *Utrum voluntas divina sit causa rerum.* 459
§ III. *Utrum voluntatis divinæ possit dari causa vel ratio.* . . 462
§ IV. *An voluntas divina potuerit ab æterno manere omnino suspensa ergà res creatas, ita ut illas nec vellet, nec nollet actu positivo.* 470
§ V. *Utrum voluntas Dei semper impleatur.* 476
§ VI. *An voluntas Dei rebus imponat necessitatem.* 477

CAPUT II

DE OBJECTO DIVINÆ VOLUNTATIS.

ART. I. Utrum Deus velit se solum, an etiam alia, et quo pacto. . . . 480
§ I. *Ad quæ objecta se porrigat divina voluntas* 480
§ II. *Utrum Deus omnia necessario velit.* 484
§ III. *Utrum Deus saltem moraliter teneatur ad optimum.* . . . 486
ART. II. Quodnam sit objectum formale ac primarium voluntatis divinæ. 488
ART. III. De objecto secundario divinæ voluntatis. 496
§ I. *Utrum Deus velit, ametve omnes res creatas, sive præsentes, sive præteritas, sive futuras.* 497
§ II. *An et quo pacto Deus amet possibilia.* 499
§ III. *Utrum voluntas divina versetur circa impossibilia.* . . . 510
§ IV. *Utrum Deus velit mala, negationes et privationes.* . . . 511
§ V. *Utrum possit saltem Deus velle esse mala aut fieri.* . . . 522

CAPUT III

DE ACTIBUS ET VIRTUTIBUS DIVINÆ VOLUNTATIS.

ART. I. De actibus et affectibus divinæ voluntatis, et prius quidem de iis, qui respondent passionibus circa bonum. 527
§ I. *Amor utrum Deo conveniat proprie ac formaliter.* . . . 528
§ II. *Utrum Deo conveniat gaudium* 538

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

§ III. *Utrum Deo conveniat proprie desiderium.* 538
§ IV. *Utrum spes Deo conveniat.* 541
ART. II. Actus voluntatis respondentes passionibus circa malum. . . . 546
§ I. *Utrum odium tribui possit Deo.* 546
§ II. *Tristitia vel dolor utrum proprie Deo convenire possit.* . . 550
§ III. *Fuga utrum Deo conveniat.* 561
§ IV. *Timor utrum proprie de Deo prædicari valeat.* 561
§ V. *Quid dicendum de desperatione.* 562
§ VI. *Ira utrum Deo proprie, an solum metaphorice conveniat.* . 563
§ VII. *Quid dicendum de audacia.* 567
ART. III. Actus divinæ voluntatis respectu finis. 567
ART. IV. De virtutibus divinæ voluntatis generatim, ac de fortitudine, temperantia earumque partibus. 571
§ I. *De temperantia ejusque partibus.* 572
§ II. *De fortitudine illiusque partibus.* 574
ART. V. De justitiæ Dei partibus potentialibus. 577
§ I. *Quænam et quo pacto virtutes justitiæ annexæ conveniant Deo.* 578
§ II. *An et quo pacto juramentum Deo tribui possit.* 589
§ III. *Utrum ex promissione divina verum aliquod enascatur debitum fidelitatis.* 591
ART. VI. Utrum in Deo sit justitia. 601
§ I. *Utrum Deo proprie conveniat generalis ratio justitiæ.* . . 603
§ II. *Quid dicendum de legali justitia.* 605
§ III. *Quid dicendum de justitia vindicativa.* 612
§ IV. *Quid dicendum de justitia distributiva.* 617
§ V. *Quid dicendum de justitia commutativa.* 628
ART. VII. De divina misericordia. 636
§ I. *Asscribitur Deo misericordia.* 636
§ II. *Confertur misericordia cum justitia divina.* 638

DISPUTATIO SEXTA.

DE DIVINA OMNIPOTENTIA.

CAPUT I

REALITAS ET NATURA DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ.

ART. I. Utrum Deus sit omnipotens. 646
ART. II. Quotuplex sit potentia Dei, ubi de ordinaria et absoluta. . . 659
ART. III. An potentia Dei activa distinguatur ab scientia et voluntate. . 663
ART. IV. Utrum omnipotentia Dei intrinsece atque essentialiter connectatur cum possibilibus. 680
ART. V. An actio, qua Deus agit ad extra, sit ipsa ejus essentia. . . . 681

CAPUT II

DE OPERIBUS DIVINÆ PROVIDENTIÆ, AC PRIMO DE CREATIONE.

Pag.

ART. I. Utrum Deus solus possit creare saltem tamquam causa principalis. 689
ART. II. Utrum creatura possit esse saltem instrumentum creationis. . . 703

CAPUT III

DE CONSERVATIONE RERUM A DEO.

ART. I. Utrum omnis res creata indigeat, ut a Deo positive conservetur in *esse*. 707
§ I. *Utrum Deus reapse conservet positive res omnes in esse.* . 708
§ II. *Quo pacto Deus res cunctas conservet in esse.* 717
ART. II. De natura conservationis, ubi utrum eadem sit actio productio rei et conservatio. 720
ART. III. Utrum Deus possit aliquid in nihilum redigere. 736

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE CONCURSU DEI CUM CAUSIS SECUNDIS.

CAPUT I

NECESSITAS CONCURSUS DIVINI.

ART. I. Utrum Deus physice et immediate concurrat ad omnes prorsus actiones causarum secundarum. 744
ART. II. Quomodo comparetur in concursu divino actio Dei et actio creaturæ. 757
ART. III. Utrum Deus concurrens dicendus sit immediate agere immediatione suppositi, an vero solum immediatione virtutis. . . . 776

CAPUT II

MODUS DIVINI CONCURSUS, UBI PRIMUM PERPENDITUR SYSTEMA PRÆVIÆ MOTIONIS, QUAM PRÆMOTIONEM ET PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM DICUNT.

ART. I. Describitur prædeterminatio physica. 783
ART. II. Utrum admittenda sit prædeterminatio vel præmotio physica modo exposita ad actiones causarum naturalium. 791
ART. III. Utrum admittenda sit physica prædeterminatio in causis libere agentibus. 810
ART. IV. Solvuntur difficultates. 813
§ I. *Difficultates ex argumentis intrinsecis.* 813
§ II. *Difficultates ex auctoritate depromptæ.* 858
§ III. *Difficultates ex scriptoribus Societatis petitæ.* 873

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

ART. V. Quid dicendum de extrinseca prædeterminatione, ac de præmotione causarum liberarum indifferenti. 892
§ I. *Excluditur prædeterminatio extrinseca.* 832
§ II. *Utrum in agentibus liberis necessaria sit aliqua præmotio natura sua indifferens et cum possibilis cum voluntatis dissensu.* 894

CAPUT III

STATUITUR VERA SENTENTIA CIRCA DIVINUM CONCURSUM.

ART. I. Brevis declaratio simultanei concursus. 902
ART. II. Utrum causa prima conjungatur cum secunda ad operandum per decretum applicandi omnipotentiam suam in certa temporis differentia. 904
ART. III. Qualenam sit decretum applicans omnipotentiam divinam ad concurrendum. 922
ART. IV. Quale sit divinum decretum concurrendi ad actus malos. . . 942

CAPUT IV

DE MENTE S. THOMÆ CIRCA PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

ART. I. Quot modis ex doctrina Aquinatis operetur Deus in creaturis. . 960
ART. II. Utrum in hisce diversis modis operationis S. Thomas docuerit physicam præmotionem. 964
ART. III. Utrum ex eo quod S. Thomas docet omnia moveri a Deo, physica Thomistarum prædeterminatio consequatur. . . . 986
ART. IV. Utrum S. Thomas physicam præmotionem docuerit in causis ac potentiis necessariis. 996
ART. V. Utrum S. Thomas pro causis liberis physicam prædeterminationem necessariam docuerit. 1009
§ I. *An S. Thomas doceat Deum causas liberas prædeterminare ad actus liberos bonos ordinis naturalis.* 1001
§ II. *An S. Thomas docuerit prædeterminationem ad actus malos.* 1019
§ III. *Solvuntur difficultates.* 1026

DISPUTATIO OCTAVA

DE PROVIDENTIA DEI ET RERUM OMNIUM GUBERNATIONE AC DOMINIO.

CAPUT I

DE PROVIDENTIA DEI

ART. I. Quod sit providentia. 1040
§ I. *Descriptio providentiæ.* 1041
§ II. *In quo actu formaliter sita sit providentia.* 1046

Pag.

ART. II. An sit in Deo providentia, et quinam sit ejus ambitus. 1051
§ I. *Vindicatur in genere providentia Dei.* 1053
§ II. *Utrum providentia divina omnia prorsus regat creata.* . . 1057
§ III. *Utrum Deus hominem speciali providentia regat.* . . . 1073
ART. III. Qualis sit providentia Dei. 1082
§ I. *Utrum Deus immediate omnibus provideat, an vero mediate.* 1082
§ II. *Utrum providentia Dei rebus necessitatem imponat.* . . . 1085
§ III. *Utrum providentia sit Deo necessaria, an libera.* 1089

CAPUT II

DE DIVINA GUBERNATIONE

ART. I. An et a quo mundus gubernetur. 1091
§ I. *An mundus gubernetur.* 1091
§ II. *An mundus ab uno Deo gubernetur.* 1095
§ III. *Utrum finis ultimus gubernationis sit ipse Deus.* 1098
ART. II. Utrum omnia ita subdantur divinæ gubernationi, ut nihil præter ipsam contigere valeat. 1101
ART. III. Utrum Deus omnia immediate gubernet. 1104

CAPUT III

DE DOMINIO DEI.

ARTICULUS UNICUS. An et quale dominium compétat Deo. 1109

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISPUTATIO QUARTA

DE ATTRIBUTIS DEI OPERATIVIS, ET PRIMO DE INTELLECTU ET SCIENTIA

Tempus est, ut ad attributa divina, quæ superius vocavimus operativa, gradum faciamus: ea vero sunt perfectiones, quæ a nobis concipiuntur instar potentiarum operandi. Et quia operationes aliæ sunt immanentes, aliæ transeuntes in exteriorem materiam, immanentes autem in Deo nullæ fingi queunt, nisi quæ in vita intentionali consistunt; tria duntaxat distinguuntur istiusmodi attributa operativa, intellectus et scientia, voluntas, et omnipotentia, externorum operum effectiva. De quibus omnibus seorsim totidem disputationibus agendum est.

CAPUT I
DE NATURA
SCIENTIÆ DIVINÆ

Amplissima quidem de divina scientia rerum dicendarum seges occurrit; nam et natura illius exponenda est, et objectum investigandum, proprietates ac variæ rationes pertractandæ, de quibus plures instituere necesse erit quæstiones non parum salebrosas, nec sine animorum æstu in scholis agitatas. Prius autem nonnihil de vita divina dicendum est.

ARTICULUS I
An et quali vita Deus vivat.

Ratio difficultatis.

1. Quamquam vel ex ipso communi omnium sensu videatur quasi per se notum, quod Deus vivat, ea illico sese

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

offert difficultas, vitam in motu sitam esse, ut nos ipsi suo loco declaravimus (1). Cum ergo Deus nullatenus moveri queat, sed sit perfectissime immutabilis, alterutrum sequi videtur, aut Deum non vivere, aut certe nostrum vitæ conceptum corrigendum esse. Nihilominus sit certa et indubitabilis

PROPOSITIO. **Deus vita gaudet, eaque solum intentionali et nobilissima.**

Deus vita gaudet.

Prima pars: *Deus vita gaudet*, disertissime sexcentis locis sacrarum Litterarum traditur. **Vivit** *Dominus, et benedictus Deus meus, etc.* (2). *Qui* **vivit** *in æternum, creavit omnia simul* (3). *Sicut misit me* **vivens** *Pater, et ego (Christus Dominus)* **vivo** *propter Patrem* (4). *Horrendum est incidere in manus Dei* **viventis** (5). *Tu es Christus Filius Dei* **vivi** (6), etc., etc. Sensus vero communis omnium ita in hac attestanda veritate conspirat, ut incredibilius videatur cunctis Deum vita carere instar lapidis, quam nullum esse Deum. «Unde etiam de ignorantissimis gentibus, qui ligna et lapides tamquam Deos adorabant, ait D. Augustinus (7), eos non putasse esse sine aliquo vivo habitatore» (8). Ratione autem

Probatur 1.° a posteriori. Certum est Deum esse causam primam, a qua procedunt cunctæ res creatæ. Ergo necesse est, ut in se contineat, saltem eminenter, omnem perfectionem in creatis rebus relucentem. Atqui multa sunt creata, quæ vita gaudent. Ergo Deus etiam vivit.

Dices, hinc solum concludi, quod Deus sit saltem eminenter vivens, non autem quod sit proprie ac formaliter vivens. Sic enim α) etiam sol concurrit ad productionem viventium in terra, quamvis ipse sit inanimis. β) Quod

(1) Vide *Psycholog.* vol 1.um, num. 11, pag. 31.
(2) *Psalm.* 17, v. 47.
(3) *Eccl.* cap. 18, v. 1.
(4) *Joann.* cap. 6, v. 58.
(5) *Hebr.* cap. 10, v. 31.
(6) *Matth.* cap. 16, v. 16.
(7) S. August., serm. 2 in Psalm. 113.
(8) Suarez, *Metaph.* disp. 30, sect. 14.ª n. 3.

amplius confirmatur ex phænomenis generationis, quam *spontaneam* vocant, in qua viventia imperfectiora, nullo intervemente principio causave efficiente vitali, procedunt.

Resp., *neg.* assert. Certum enim est viventia non viventibus præstare in perfectione, gradumque constituere præstantiorem entitatis, quia sunt minus materialia et magis actualia nobiliorique modo operativa: quod dudum notaverat S. Augustinus (1). Atqui perfectior effectus sicut non potest produci adæquate ab imperfectiori causa, ita nec in eu contineri sive formaliter sive eminenter. Ergo Deus nisi vere vivat, impossibile erit, ut vel producat viventia, vel eminenter contineat in se ipso. Et contrarium asseri nequit nisi everso principio causalitatis (2) in absurdissimo commento evolutionisui, in quo perfectiores usque gradus entitatis proficisci dicuntur ex successiva evolutione imperfectioris materiæ: quod systema suo loco explosum est (3).

Probatio α) objecti argumenti nihil evincit, quia sol non concurrit ad productionem viventium ut causa adæquata, unde tota sufficientia producendi viventia oriatur; nihil autem vetat res imperfectiores ad perfectiorum productionem concurrere ceu causas inadæquatas et partiales. Deus vero est adæquata causa totius creationis, in qua est perfecta sufficientia cujuslibet rei creatæ ita, ut nec possit quidpiam esse absque illius causalitate, nec ulla alia res aliquid in mundo producere nisi virtute participata ex illo, ut evidenter eruitur ex ipsa demonstratione existentiæ causæ primæ atque entis a se. Ergo nisi Deus vivat, fieri nequit, ut ullum vivens in rerum natura existat. Nec amplius valet exemplum β) generationis spontaneæ, quia iam alibi fuse demonstratum reliquimus spontaneæ generationis absurditatem (4).

Probatur 2.° *a priori*. Deo infinite perfecto proprie ac formaliter asserenda est omnis perfectio pura vel simpliciter

(1) *De Civit. Dei*, lib. 11, cap. 16.
(2) *Ontolog.*, num. 385, pag. 1066-67.
(3) *Cosmolog.*, num. 51, 52, pag. 157-68 et seqq. *Psycholog.* vol. 1, num. 74 seqq., pag. 326 seqq., num. 93 seqq., pag. 349 seqq.; num. 101 seqq., pag. 439 seqq.
(4) *Psycholog.* vol. I, num. 81, 82 seqq., pag. 365, 376 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

simplex, talisve, quæ nullam in suo conceptu involvat imperfectionem, quemadmodum in superioribus adstruximus (1). Atqui ratio vitæ perfectio simpliciter simplex est, nullam in suo conceptu imperfectionem implicans. Ergo,...

Minor probatur, quia vita, si sumatur in actu primo, nihil est aliud, quam substantia vivens seu immanenter operans, vita vero in actu secundo actus vel operatio imminens, prout alibi prius declaratum est (2). Atqui nulla in hujusmodi notione latet imbibita imperfectio. Ergo...

Dices. α) Imperfectio latet in eo, quod vita sit in motu immanenti: est enim vivens, docente Aquinate, *quod potest se ipsum movere, secundum aliquam actionem* (3). Atqui motus essentialiter importat imperfectionem, si quidem motus est actus entis in potentia prout in potentia (4): unde etiam mutationem affert subjecto quod movetur, vel se ipsum movet. β) Sane motus videtur esse inseparabilis a potentialitate; nam eatenus se aliquid movet, quatenus transit de potentia ad actum, effundendo illum ex sua interna activitate, atque in se recipiendo. Idque manifeste patet tum in vita vegetativa, per quam nutritio peragitur; tum etiam in vita intentionali, sive cognitionis sive appetitionis, quæ est et ipsa quidam actus a potentia productus et in anima receptus.

Respondeo, *dist.* assert. Vita est in motu immanenti largissime accepto, quatenus sub se claudit quamcumque operationem immanentem subjecto, sive ea sit actus re distinctus ab illo, sive secus, *conc.* (5). Vita est in motu immanenti pressius accepto, et potissimum quatenus importat actum re distinctum a subjecto se movente vel immanenter operante, *subdist.*: vita creata, *trans.*; vita increata, *nego*. Vita ergo in genere spectata, prout præscindit a creata et increata, rationemque utrique competentem præ se fert,

(1) Vide volum. 1.um *Theodicem*, num. 69, pag. 231.
(2) *Psycholog.* vol. 2.º, num. 11, pag. 31 seqq., 36 seqq.
(3) S. Thom., 4.ª, dist. 40, quæst. 1, art. 2, solut. 3.
(4) Vide *Cosmolog.*, num. 278, pag. 1002 seqq.
(5) Vide *Cosmolog.*, num. 278, pag. 1002; *Psycholog.* vol. 1.º, num. 11, pag. 32. Cfr. supra in *Theodic.* num. 165, pag. 529, *Obj.* 8.ª

tantum exprimit actum vel operationem imminentem; quod vero ejusmodi actus conjunctus sit cum potentialitate ac distinctus a substantia subjecti, a quo et in quo est, non spectat ad ipsam rationem et conceptum abstractum et præcisivum vitæ, sed procedit ex subjecti natura et conditione. Ac propterea in Deo excludit omnem potentialitatem, estque purissime ac perfectissime ipsemet Deus, a quo et in quo est: quia in Deo nihil est, quod non sit ab ipso Deo et ipsemet Deus, ut constat ex dictis circa ejus simplicitatem. Non ergo abjicienda nec corrigenda nobis est suo loco tradita notio vitæ, ut ea Deo asseri queat, sed tantum recte intelligenda, et analogice duntaxat, non vero univoce, de Deo et creaturis interpretanda, quod etiam ibidem notatum reliqueramus (1). Hinc sponte corruunt adjectæ ab adversariis probationes. Nam

Ad argumentum α) respondetur, *distinguendo* Minor. Motus in latissima acceptione, in qua sumitur in definitione vitæ, importat imperfectionem, *nego*: in minus lata magisque vulgari acceptione, *conc.* Et simili modo distinguitur subnexa Minori ratiuncula (2).

Et **argumenti** β) eadem est solutio, quæ nullatenus impugnari potest exemplis ibidem adductis, ea enim petuntur ex viventibus aut corporeis aut certe creatis, in quibus profecto vita non quidem ex generali sua ratione, sed ex conditione ipsorum viventium, potentialitatem præ se fert et actum a subjecto realiter distinctum.

Secunda pars: *Deus vita gaudet intentionali*, nempe non vegetativa, quæ propria est corporeorum viventium, sed sita duntaxat in cognitione atque appetitione, utique spirituali, quæ propterea dicitur intentionalis, quod quidquid ad ordinem cognitionis et appetitionis pertinet, *intentionale* dici solet (3). Hæc porro vita intentionalis in Deo non est admixta cum physica productione actus vel termini realiter distincti, sicut in creatis viventibus, sed est purissime intentionalis (4). vaque intentionali

(1) *Psycholog.* vol. 1.º, num. 12, pag. 36, num. 15, pag. 40.—Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 14, num. 14.
(2) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 18, art. 3, ad 1.um
(3) *Psycholog.*, vol. 2, num. 40, pag. 174.
(4) Cfr. *Psycholog.* vol. 1.º, num. 15, pag. 51.

et nobilissima.

Tertia pars: *Vita Dei nobilissima est*, sponte fluit ex hactenus dictis. Nempe vita Dei nobilissima est, 1.º in ratione entis, quia est ipsamet substantia Dei, ac proinde infinita gaudet perfectione. 2.º Nobilissima est in ratione vitæ, quia est in supremo gradu perfectionis in genere vivendi constituta, quem attingere nequeunt viventia creata, quemadmodum alibi declaravimus ex S. Thoma (1). Sane in modo vitæ, quem creaturæ habent, duo considerare licet: unum, quod existentes in suo naturali statu sese actuant, vel aliquo modo se perficiendo, vel in se ipsis alia repræsentando per cognitionem, vel in ea tendendo per appetitum perfectum. Aliud est, quod hæc efficiunt per veram causalitatem et motionem, qua se ipsa movent, vel proprio motu, vel saltem mutatione perfectiva. Prius horum perfectionis est, et nullam includit, vel supponit imperfectionem, nisi quatenus includit posterius, id est, quatenus illud *actuare se* est per veram causalitatem. Hæc ergo imperfectio tollenda est a vita Dei, et solum id quod perfectionis est, illi est tribuendum; atque ita concipiendus est Deus ut actualissime habens totam illam perfectionem, quam habet vivens cum sese actuat intelligendo vel cognoscendo, seclusa illa imperfectione causalitatis et distinctionis inter actum et potentiam. Et simili ratione, quod in vita creata distinguatur in re ipsa vita in actu primo a vita in actu secundo, et quod illa sit principium hujus, hæc vero forma illius, non est perfectionis simpliciter, sed perfectionis imperfectioni admixtæ. Illud vero est in priori vita perfectionis simpliciter, quod nimirum est substantialis vita; in posteriori vero, quod est vita actualis: utrumque ergo horum unitissime et simpliciter conjungitur in vita Dei absque ulla imperfectione; nam per suammet substantiam actualissime vivit, et in ejus vita non est actus primus aut secundus, sed purissimus actus; et ideo non est ibi vita accidentalis, sed per essentiam; quapropter non solum est substantia vivens, sed ipsa substantialis vita» (2), vel ipsa vita subsistens. Ideo recte dicitur, vitam Dei analogice tantum convenire cum vita creata, quia modum vivendi habet infinite perfectiorem eminentioremque.

(1) Vide *Psycholog.* vol. 1.um, num. 15, pag. 48-51.
(2) Suarez, *Metaphys*, disp. 30, sect. 14, num. 7.

Et licet verissime, proprie ac formaliter vivit, modum tamen vivendi peculiarem creaturarum non formaliter, sed tantum eminenter continet, utpote qui essentialiter importat imperfectionem et potentialitatem; fere sicut superius docuimus, Deum quidem esse proprie ac formaliter bonum, sanctum, sapientem, justum, etc., quæ sunt perfectiones simpliciter simplices; non tamen formaliter, sed tantum eminenter ac virtualiter continere *creatam* bonitatem, sanctitatem, sapientiam, justitiam, etc., quia hæ perfectiones prout existentes in rebus creatis desinunt esse pure ac simpliciter perfectiones, sed essentialiter admixtam habent imperfectionem.

Omnia sunt in Deo vita.

Cæterum Deus non solum est vivens vita nobilissima, sed præterea omnia sunt in Deo vita. Quod ita probat Aquinas: *Vivere Dei est ejus intelligere. In Deo autem est idem intellectus, et quod intelligitur, et ipsum intelligere ejus: unde quidquid est in Deo, ut intellectum, est ipsum vivere vel vita ejus. Unde cum omnia quæ facta sunt a Deo, sint in ipso, ut intellecta, sequitur quod omnia in ipso sunt ipsa vita divina* (1). Verum hoc superius magis evolutum dedimus sub aliis terminis (2).

Quæ cum ita sint, ratio dubitandi, initio proposita, dissipata penitus manet.

Quædam objectiones solvuntur.

2. **Dices** 1.º Nulla datur vita sine aliquo vivendi principio. Atqui nullum assignari potest principium Deo, qui est rerum omnium principium. Ergo...

Resp., *dist.* Maj. Nulla datur vita creata sine principio vivendi, *conc.*; vita increata, *neg.*, vel *subdist.*; sine principio vivendi indistincto ab ipso vitæ actu, *conc.*; sine principio distincto, *neg.* Et *concessa* Min. *neg.* conseq. Sicut enim Deus est ipsum suum *esse*, ita et suum vivere; et sicut est a se, ita vivit purissime a se absque ullo principio extraneo suæ vitæ (3).

Dices 2.º Ubi non est terminus aut actus productus ac re distinctus, nulla exercetur activitas vitalis. Atqui vita in actu secundo implicat exercitium alicujus activitatis. Ergo

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 18, art. 4.
(2) Vide *Theodicea* vol. 1.um, num. 72, pag. 234 seqq.
(3) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 18, art. 3, ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aut dicendum est, vitam in actu secundo etiam in Deo importare veram productionem termini cujusdam immanentis, aut nullam reapse in Deo dari vitalem operationem.

Respondeo, *dist.* Major.; in creatis, *trans.*; in Deo, *neg.* *Dist.* etiam Minor. Vita in actu secundo implicat exercitium activitatis, quod non absolute atque essentialiter requirat transitum de potentia ad actum, *conc.*; quod absolute atque essentialiter requirat hujusmodi transitum, *subdist.* In creatis, *conc.*; in Deo, actu puro, *neg.* Et *neg.* conseq.

Dices 3.º Dici nequit in Deo dari vitam purissime intentionalem vel intellectualem absque ulla physica productione actus distincti. Nam non minus vita sensitiva supponit, vitam vegetativam, quam vita intellectualis vel intentionalis, vitam physicam seu productionem termini vitalis re distincti, siquidem eatenus inest menti repræsentatio idealis objectorum, in quo consistit intellectio, quatenus ea efficitur ab ipsa mente productione verbi.

Respondeo, *neg.* assertum, quantum attinet intellectionem et volitionem essentialem Dei; nam de intellectione ac volitione, quam Theologi notionalem dicunt, et vi cujus Persona Verbi ac Spiritus Sancti procedunt, nihil nobis dicendum est.

Ad probationem *neg.* paritatem. Vita quidem sensitiva necessario connexa est cum vegetativa, illamque supponit, quia est essentialiter organica, organica vero vita est corporea, quæ conservari nequit sine continua nutritione. Quod vero vita intellectualis exerceatur cum physica productione actus vel termini re distincti, non requiritur ex ipsa ejus natura et conditione, sed tantum ex conditione subjecti viventis. Et ideo quia vita intellectualis in creatis accidens est, et non ipsa eorum essentia, postulat actum physicum, qui procedat a subjecto vivente, in eoque maneat; verum Deo, qui actus purus est, omnemque respuit potentialitatem, vivere et intelligere est esse, esse autem est ipsa ejus essentia, quæ proinde non indiget, sicut creata, distincto actu immanente, ut dicatur, et sit reapse intellectio ac repræsentatio rerum omnium, quas cognoscit, quemadmodum satis eruitur ex demonstratis circa divinam simplicitatem et immutabilitatem, magisque constabit ex dicendis.

ARTICULUS II

Utrum in Deo detur scientia et intellectus.

Sententia quorumdam

3. Non defuerunt, qui assererent scientiam Deo proprie non convenire, sed tantum analogice ac metaphorice, contendentes, quotiescumque Deum scientem prædicamus, tantum significari, vel quod ille sit causa scientiæ in rebus creatis, vel quod simili modo se habeat, ac si proprie ac formaliter scientia gauderet, fere sicut ira vel alia passio Deo tribuitur; quemadmodum dicitur ideo Deus iratus, quia facit effectus similes effectibus hominis irati, puniendo aliquem, ita, inquiunt, denominatur sciens, quia facit opera similia operibus hominis scientis. *Sicut enim opera scientis procedunt ex determinatis principiis ad determinatos fines, ita opera naturæ, quæ divinitus fiunt* (1). Hæc tamen sententia deserta penitus manet communi omnium et doctorum et indoctorum consensu, nec forte manavit nisi ex eo, quod falso existimaretur scientiam non esse perfectionem puram, sed essentialiter imperfectioni admixtam (2). Alii quamvis Deo verum et proprium intellectum atque intellectionem assererent, scrupulo tamen præpediebantur, ne scientiam in proprio sensu concederent, rati voce ista cognitionem essentialiter discursivam implicari. Cum quibus non potest esse hic controversia nisi de nomine, quæ huc tandem revocaretur, utrum cognitio intellectualis, quæ Deo communiter tribuitur, scientia proprie appellanda sit. Denique quoniam scientia, et ipse quoque intellectus, in creatis bifariam considerari et existere potest, in actu primo vel in actu secundo, in habitu et potentia, vel in actu seu in actuali exercitio contemplationis; ea solet inter Doctores catholicos in controversiam adduci quæstio, utrum in Deo adsit scientia in actu primo, vel an et quomodo detur habitus, potentia aut virtus realis distincta ab ipsa intellectione et scientia.

communi omnium sensui

censura respuitur

aliorum modus loquendi.

(1) S. Thom., *de veritate*, quæst. 2, art. 1.
(2) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 2.

§ I.—ASSERITUR DEO SCIENTIA PERFECTISSIMA.

Ut certiora minus certis præmittantur, placet primum ipsam divinæ scientiæ atque intellectus vindicare existentiam, mox controversias quasdam inter Scholasticos agitari solitas breviter pertractare.

4. PROPOSITIO 1.ª **Datur in Deo intellectus et scientia, eaque veri ac proprii nominis et perfectissima.**

Asseritur Deo intellectus et scientia.

Prima pars: *Datur in Deo intellectus et scientia*, est fide divina certa ex infinitis locis sacrarum Litterarum. Nam *magnus Dominus noster et magna virtus ejus, et* **sapientiæ** *ejus non est numerus* (1). Et: *Mirabilis facta est* **scientia** *tua (Dei) ex me* (2). Item: *Numquid Deum docebit quispiam scientiam* (3). Adde: *Oculi*, nempe intellectus, *Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in abscondilas partes* (4). *Cognovit enim Dominus omnem* **scientiam**, etc. (5). Similiter: *O altitudo divitiarum* **sapientiæ** *et* **scientiæ** *Dei* (6). Denique: *In quo* (Christo) *sunt omnes thesauri* **sapientiæ** *et* **scientiæ** *abscondili* (7), etc., etc., etc. Patrum hac in re testimonia supervacaneum est producere, quia nihil frequentius occurrit in eorum operibus. Demum Vaticanum concilium rem luculentissime definivit, cum docuit, *Deum*... **intellectu** *ac voluntate omnique perfectione infinitum* (8).

Communis etiam omnium gentium persuasio exploratam habet eamdem veritatem, ut facilius invenias Deum inficiantes, quam Deo denegantes scientiam. Quod profecto manifeste confirmatur ex fusis precibus et sacrificiis numini

(1) *Psalm.* 96, vers. 5.
(2) *Psalm.* 138, vers. 6.
(3) *Job*, cap. 21, vers. 22. Et vide totum cap. 28.
(4) *Eccl.* cap. 23, vers. 28.
(5) *Eccl.* cap. 24, vers. 19.
(6) *Roman.* cap. 11, vers. 33.
(7) *Coloss.* cap. 2, vers. 3.
(8) Concil. Vatic., constit. *de fide catholica*, sess. 3, cap. 1.

oblatis; amens enim fuerit ac plane vesanus, qui eum exoret, vel sacrificiis placare satagat, a quo se non exaudiri nec intelligi posse arbitretur. Sed jam ratione

Probatur 1.ª a priori. Scientia generatim sumpta pro notitia intellectuali veritatis est perfectio puta simpliciter simplex. Ergo ea carere nequit ens infinitum (1).

Prob. 2.ª a posteriori. Deus est auctor entium intelligentium creatorum. Atqui auctor entium intelligentium intelligens sit, oportet. Nam cum effectus in causa vel formaliter vel eminenter contineatur; Deus ut auctor sit intelligentiæ, debet intelligentiam formaliter continere, non solum quia nullam hæc in suo conceptu generico involvit imperfectionem, sed quia nulla causa, quæ non sit intellectiva, potest eminenter seu nobiliori modo intelligentiam continere; siquidem perfectius est esse formaliter intelligens, quam non intelligens.

Prob. 3.ª etiam a posteriori ex pulchritudine atque ordine mundano, qui sapientissimum ordinatorem postulat. Quod argumentum, quia fuse inter demonstrandam divinam existentiam evolutum reliquimus, nova declaratione non indiget (2).

Prob. 4.ª a priori, celeberrimo argumento S. Thomæ. Radix cognitionis est immaterialitas substantiæ. Ergo quo substantia sit immaterialior, eo erit magis cognoscitiva. Atqui Deus est in summo gradu immaterialitatis. Ergo summe cognoscitivus debet esse, ac proinde perfectissima sapientia præditus.

Antecedens, alibi probatum manet (3). **Primum consequens** patet: **Minor** vero **subsumpta** sponte fluit ex demonstratis circa perfectionem, simplicitatem et spiritualitatem Dei (4).

(1) Cfr. S. Thom., *Cont. Gent.*, lib. 2, cap. 44, *Adhuc, Deo nulla perfectio...*
(2) Vide *Theodic.* vol 1.º, num. 37, pag. 125 seqq.
(3) Vide *Psycholog.*, vol. 2.um, num. 86, pag. 318 seqq.; num. 88, p. 324.
(4) Vide S. Thom, 1 p., quæst. 14, art. 1; 1.º *Cont gent.* cap. 44, *Item ex hoc.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De hoc argumento S. Thomæ non parum disceptatum est inter veteres Scholasticos, habeatne vim demonstrativam. Affirmant Thomistæ, ut Cajetanus, Ferrariensis, Bañez, Ripa, Nazarius, Joannes a S. Thoma (1), etc., Zumel et Salmanticenses Carmelitani, multique nostrates, ut Franciscus Suarez (2), Didacus Ruiz de Montoya (3), Deza (4), Arrubal, (5), Herize (6), Hieronymus Fassolus (7), Franciscus Amicus (8), Joannes Martinon (9), Franciscus Lugo (10), Gaspar Ribadeneira (11), Antonius Bernaldus de Quiros (12), etc. Alii negant, ut Arriaga (13) et Struggl (14), cum Gabriele et Ockam (15), Gregorio et Bassolis. Alii, sin minus demonstrativam, saltem probabilem vim asserunt huic argumento, in quorum numerum recenseri possunt Molina (16) et Christophorus Ortega (17). Nec solum circa vim argumenti demonstrativam dissidium est inter scriptores, sed etiam circa ejusdem interpretationem vel explicationem (18): quæ de re necesse non est longiorem disputationem instituere, sed satis fuerit in memoriam revocare, quæ in altero *Psychologiæ* volumine sunt scripta (19).

(1) *De Deo uno*, disp. 16, art. 1.
(2) *Metaphys.*, disp. 30, sect. 14; disp. 35, sect. 3, num. 18.
(3) *De scientia Dei*, disp. 1, sect. 3.
(4) In manuscriptis *de scientia Dei*, quæst. 14, art. 1; apud Ortega, *De Deo uno*, tom. 1, controv. 2, disp. 1, quæst. 3, certam. 1.
(5) In 1.am part., quæst. 14, art. 1.
(6) In 1.am part., disp. 1, cap. 3.
(7) In 1.am part., quæst. 1, art. 1, dub. 2.
(8) *De Deo*, disp. 12, num. 1.
(9) *De Deo*, disp. 9.
(10) *De Deo*, lib. 1, disp. 27, cap. 1.
(11) Disp. 1, cap. 2, paragr. 2.
(12) Tract. 4, disp. 34, sect. 2 et 3.
(13) Disp. 15, num. 15.
(14) Pars 1, tract. 1, disp. 4, quæst. 1, art. 1, num. 5.
(15) 1.a dist. 35, quæst. 1, art. 1.
(16) In 1.am part., quæst. 14, art. 1.
(17) Controv. 2, disp. 1, quæst. 3, cert. 2, num. 4.
(18) Quæ de re legi potest P. Ortega, *De Deo*; loc. nup. cit., et Quiros, citat. disp. 21, sect. 2 seqq.
(19) *Psycholog.* vol. 2, num. 86 seqq., pag. 318 seqq.

Dices 1. Sunt quædam immaterialia, quæ cognoscendi vi carent, ut v. g. voluntas, gratia, etc. Ergo dici nequit, immaterialitatem esse radicem cognitionis.

Respondeo, *dist.* anteced.: Sunt quædam immateralia, nempe accidentia, quæ cognoscendi virtute carent, *conc.*; quædam immaterialia, nempe substantiæ, *neg.*, et *neg. conseq.* Cum vero immaterialitas dicitur radix cognitionis, sermo est duntaxat de substantiis immaterialibus, non de accidentibus, prout suo loco notavimus.

Dices 2.º Non repugnat a Deo creari substantiam immaterialem, quæ non sit cognoscitiva. Ergo immaterialitas non est radix cognitionis.—**Respondeo**, *neg. anteced.*, quod vetitum nobis est docere in Societate Jesu (1). Alias difficultates solutas leges, si lubet, in *Psychologia* (2).

Secunda pars: *Datur in Deo scientia veri nominis vel proprie sumpta.* Deo vere ac proprie sine ulla metaphora asserenda est omnis perfectio pura vel simpliciter simplex, prout superius probatum est (3). Atqui talis perfectio est scientia, prout hic sumitur, nimirum pro notitia intellectuali veritatis, Ergo..... eaque propria

Major continet regulam a S. Augustino propositam ad dignoscendum, quænam perfectiones vocabulis nostris significatæ conveniunt Deo vere ac proprie: secundum quam omnis ratio, quæ, detractis per mentis abstractionem imperfectionibus, quibus permixta invenitur in creaturis, adhuc exhibeat puram aliquam perfectionem, proprie Deo asserenda est. Quare concludit S. Doctor ita de Deo prædicari scientiam. *Cum enim detraho de humana scientia mutabilitatem et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem, cum recolimus, ut cernamus animo, quod in contuitu ejus paulo ante non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus transilimus, unde etiam ex parte dicit esse Apostolus nostram scientiam; cum ergo hæc cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certæ atque inconcussæ veritatis una atque æterna contemplatione cuncta*

(1) Vide proposit. 53 inter damnatas a R. P. Piccolomini, et 43.am inter damnatas a R. P. Joanne Roothaan.
(2) *Psycholog.* vol. 2.º, num. 90, pag. 325 seqq.
(3) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 69, pag. 231.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria y Bellas

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

collustrantis (immo non reliquero, non enim hoc habet humana scientia, sed pro viribus cogitavero); insinuatur mihi utcumque scientia Dei, *quod tamen nomen*, ex eo quod sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei utrique commune (1).

Dices. Scientia in proprio sensu accipitur pro cognitione rei per suas causas, quæ profecto discursum importat et habitum intellectualem. Atqui hæc essentialem continet imperfectionem, quæ certe cadere in ens infinite perfectum non postest. Ergo...

Resp. *dist.* Maj.: in sensu strictissime proprio, *conc.*; in omni sensu proprio, quamvis non tam stricte, *neg*... Et *concessa* Minore, *nego*, vel *dist.* eodem modo consequens (2). Nam hujusmodi imperfectiones propriæ sunt scientiæ duntaxat humanæ vel creatæ, non vero pertinent ad ipsam illius formalem rationem abstractissime sumptam, prout præscindit a creata et increata, et solum exprimit claram et perfectam notitiam veritatis vel objecti scibilis, quæ ratio, ut vides, præscindit ab hoc, quod sit per discursum vel unico simplicissimo actu, per qualitatem aut habitum superadditum vel per substantiam, cum affectione ac receptione actus distincti, vel per identitatem cum essentia, quatenus sit scientia vel cognitio per se subsistens. Simili modo nec sumitur hic scientia, secundum quod contradistinguitur ab habitu principiorum, vel ab arte, prudentia et sapientia.

et perfectissima, sive in genere entis.

Tertia pars: *Dei scientia est perfectissima*, probatur (3). Et primo quidem 2) *est perfectissima in genere entis;* quia scientia in Deo non potest esse, sicut in nobis, accidens nec qualitas nec habitus, sed ipsa Dei essentia; quandoquidem Deus est actus purus, ideoque quidquid est, per essentiam suam est, quemadmodum in superioribus declaratum reliquimus (4). Ad rem Aquinas: «*Intelligere comparatur ad intellectum, sicut esse ad essentiam, sed esse divinum est ejus essentia, ut supra probatum est: ergo intelligere divinum est ejus intellectus: intellectus autem divinus est Dei essentia, alias esset accidens Deo: oportet igitur, quod intelligere divinum sit ejus essentia* (1).

(2) S. August., *Ad Simplician.*, lib. 2, quæst. 2.

(2) Conf. *Logic. Major*, num. 248, pag. 880.

(3) Vide de his P. Didacum Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 2; Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sec. 15, num. 16 seqq.– Cfr. *de Deo. De attributis Dei positivis*, cap. 1, num. 3 seqq.

(4) Vide vol. 1.um *Theodic.*, num. 311, 134 seqq., pag. 424 seqq.

Si quis porro quærat, utrum scientia vel intellectio Dei ita sit cum essentia Dei identificata, ut habenda sit tamquam metaphysicum constitutivum Dei, quæstio hæc soluta conseri debet ex dictis circa constitutivum divinæ naturæ (2). Ex quo etiam illud consequitur, scientiam divinam, quamvis sit perfectissime identificata cum essentia, ratione tamen ab illa distingui, sicut cætera atributa, prout non semel docuit S. Thomas (3).

sive in linea cognitionis,

β) *Est perfectissima in genere ac linea cognitionis*, ut magis patebit ex dicendis. Ratio vero est, 1.° quia Deus est infinitus in omni perfectione. Ergo etiam in gradu cognitionis. 2.° Cum cognitio specificetur ex objecto (4), perfectio illius taxanda est ex objecti primarii præstantia; primarium autem objectum divini intellectus et intellectionis est ipsemet Deus. 3.° Unde novum concluditur argumentum; nam cognitio divina identificatur cum ipso suo objecto et cum essentia cognoscente. Ergo eadem præstantissima perfectione gaudet cum sua essentia. 4.° Accedit, quod scientia Dei est et principium et fons omnis scientiæ creatæ, sive actualis sive possibilis; ipsa enim est scientia per essentiam, cæteræ per participationem. Et hæc quidem spectant ad perfectionem quasi substantialem Dei. Præterea

sive ratione suarum proprietatum,

γ) *Scientia Dei* est summe perfecta quasi accidentaliter seu in suis proprietatibus. Et primo quidem *extensive perfectissima* est, quia debet se porrigere ad omnem prorsus veritatem, ita ut nihil possit Deum latere. Deinde debet etiam esse *intensive perfectissima*, non quatenus gradualem intensionem

(1) S. Thom., *Contr. Gent.*, lib 1., cap. 45. *Præterea intelligere*... ubi plura, si lubet, require. Cfr. *Compend. Theolog.*, cap. 311 et 1. p., quæst. 14, art. 4.

(2) Vide vol. 1.um *Theodic.*, num. 82 seqq., pag. 270 seqq.

(3) Vide v. g. *de verit.*, quæst. 2, art. 1, ad 1.um; 1.° dist. 35, quæst. 1, art. 1, ad 2.um; 1. p., quæst. 26, art. 2; *ad Hannibald.*, 1.° dist. 35, quæst. 1, art. 1, et art. 2., ad 3.um

(4) Suarez, loc. cit., num. 17 fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

summam habeat, nam in simplicissima Dei entitate nulli gradus fingi possunt, sed quatenus omni possibili præstantia, ad summam scientiam requisita, gaudeat. Est itaque *clarissima et evidentissima, summe vera, certa* et *metaphysice infallibilis, itemque distinctissima*. Nam hæ omnes dotes sunt propriæ cognitionis perfectæ, quæ proinde in summo gradu insint cognitioni infinite perfectæ, necesse est. Simili modo est *invariabilis*, quia non potest in se recipere ereale augmentum nec diminutionem; immo neque, ut scientia est, varietatem recipit in respectibus rationis; nam ex arce æternitatis omnia immutabili intuitu videt, etiam illa, quæ in se variantur, et omnia respicit pro suis temporibus, et in illo respectu semper ac perpetuo permanet (1)». Qua de re paulo post plura dicentur.

sive quia simplicissimum et exactissimum de omnibus judicium absque discursu simplicive apprehensionis continet.

δ) *Scientia Dei non est simpliciter apprehensiva, sed perfectissime judicativa absque compositione vel discursu.* Et ratio est manifesta. Quia simplex apprehensio, ideo ita vocatur, quia caret judicio, quare importat essentialiter imperfectam ac deficientem cognitionem. Ableganda itaque est a Deo, in quo, quamvis detur reapse apprehensio, non tamen *simplex*, sed perfectissima apprehensio, plenissimum ac adæquatum ferens de rebus cunctis scibilibus judicium, illudque non diversos complexum actus, quale est nostrum judicium, sed quod sit purissimus et clarissimus intuitus, usque ad intima rerum penetralia pervadens, omniaque, prout sunt in se ipsis, enuntians. Ob eamdem rationem Deus formalem discursum habere nequit, quia formalis discursus necessario importat potentialitatem et progressionem ab una veritate cognita ad novam aliam cum priori connexam cognoscendam, atque adeo actuum multitudinem et imperfectionem, indignam sincerissima simplicitate ac perfectione Dei. Nihilominus intuetur Deus omnes connexiones rationum quarumcumque intelligibilium, et sic non solum cognoscit res in se ipsis, sed etiam per causas et principia sua, (illas nempe quæ causas habent et principia, nam se ipsum, quia est a se, non potest cognoscere per causas): unde in antecedentibus perspicit consequentia, in causis effectus et in principiis

(1) Suarez, loc. cit., num. 17 fin.

conclusiones omnes uno simplicissimo actu; id enim exigit comprehensiva, quam Deus habet, cunctarum rerum cognitio. Neque hoc est formaliter discurrere, cum non fiat successione actuum vel progressione ab una veritate ad aliam, sed unico simplicissimo intuitu, res quaquaversus penetrante tum secundum intrinsecam earumdem realitatem, tum secundum dependentiam et fluxum a suis causis et principiis. Itaque sicut cognoscere limitata esse illa, quæ talia sunt, non est per se ac formaliter limitate cognoscere, nec cognoscere objectum obscurum est cognoscere obscure, nec cognoscere opinabilia, est opinative cognoscere; ita etiam cognoscere res dependere aut fluere a causis vel inferri ex principiis, dummodo uno actu attingantur et effectus et causæ ac principia et eorumdem illatio vel connexio, non est formaliter cognoscere discursive seu illative, sed comprehensive. Quæ omnia probe distinguenda sunt, ut quidquid perfectionis est, Deo asseratur, et quidquid vel umbram imperfectionis vere involvat, removeatur. Nam

sive quia involvit quidquid perfectionis in qualibet genere actus et virtutis intellectualis, seclusis imperfectionibus, invenitur.

ε) *Ad cognitionem divinam pertinet quidquid perfectionis in qualibet genere actus et virtutis intellectualis, seclusis imperfectionibus, invenitur* (1). Id evidenter sequitur ex infinita Dei perfectione. Unde quamvis scientia divina non possit esse *simplex apprehensio*, nec *formalis discursus*, nec *judicium cum mentali compositione*, continet tamen et in se comprehendit in infinito gradu excellentiæ omnem perfectionem, quæ reperiri queat in hujusmodi actibus; quandoquidem est apprehensio et intuitio certissime enuntiativa cujuslibet veritatis cum omnibus suis rationibus et connexionibus illationibusque. Idemque constat de virtutibus intellectualibus, sive speculativis sive practicis, quæ quinque distingui solent ex doctrina Doctoris Angelici: *intellectus, sapientia, scientia, ars* et *prudentia* (2). Nempe cognitio divina continet perfectionem *intellectus* principiorum (3) propter intimam penetrationem principiorum; est *sapientia* propter comprehensivam contemplationem causæ primæ; *scientia* propter cognitionem omnium

unde divina cognitio et est *intellectus principiorum*, et *sapientia*, et *scientia*,

(1) Vide Ruiz de Montoya, disp. 2, sect. 5 et 6; Suarez, loc. cit., et num. 17.

(2) S. Thom. 1. 2., quæst. 57.

(3) Vide *Logic. Major.*, num. 190, seqq., pag. 779 seqq.

veritatum sive naturalium sive supernaturalium per suas causas et rationes, quamvis absque formali discursu; *ars* propter cognitionem factibilium omnium et modorum, quibus fieri possunt; *prudentia* propter rectum et infallibile judicium agendorum (1). Omnes autem istæ virtutes ac perfectiones cognoscendi sunt in Deo non distinctæ, sed unitæ, immo sunt ipsa simplicissima ejus essentia. Nam *ea, quæ sunt divisim et multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter et unite, ut supra dictum est* (quæst. III, a. 4). *Homo autem secundum diversa cognita habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere* **intelligentiam**; **scientiam** *vero, secundum quod cognoscit conclusiones;* **sapientiam**, *secundum quod cognoscit causam altissimam;* **consilium** *vel* **prudentiam**, *secundum quod cognoscit agibilia. Sed hæc omnia Deus una et simplici cognitione cognoscit, ut infra patebit. Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest, ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam prædicationem venit, excludatur quidquid imperfectionis est, et relinquatur quidquid perfectionis est. Et secundum hoc dicitur* (Job. XII, 13): **Apud ipsum est sapientia et fortitudo, et ipse habet consilium et intelligentiam** (2).

Ars et prudentia.

Nec cadere in Deum potest.

Ob oppositam rationem nec dubium, nec opinio, nec fides cadere in Deum possunt; quamvis enim Deus novit quæcumque sunt pro intellectu creato dubitabilia, opinabilia et credibilia, ipse tamen nec dubitare potest, nec opinari, nec credere. *Non dubitare*, quia dubium est suspensio assensus, quæ pugnat cum evidenti atque enuntiativa cognitione omnis veritatis (3). *Non opinari*, quia opinio essentialiter importat assensum incertum et formidolosum, Deo autem repugnat cognitio et assensus ejusmodi (4). *Non credere*, quia fides et obscura est, et excludit cognitionem quoad intrinsecas rei rationes, solumque continet assensum propter extrinsecum motivum auctoritatis (5). Atqui Deum

Dubium.

Nec opinio.

Nec fides.

(1) Vide *Logic. Major.*, num. 250, pag. 912 et 914.
(2) S. Thom. 1.ª p., quæst. 14, art. 1, *Ad secundum.*
(3) Cfr. *Log. Maj.*, num. 35, pag. 457; num. 78, seqq., pag. 521 seqq.
(4) Cfr. *Log. Maj.*, num. 37 seqq., pag. 458 seqq.
(5) Cfr. *Log. Maj.*, num. 120, pag. 601.

non decet imperfecta hujusmodi cognitio rem attingens obscure ac per extrinsecas duntaxat rationes. Deinde propter cujusnam, quæso, auctoritatem Deus aliquid crederet? Propter suam? At hoc ridiculum est, et supponeret jam prævíam cognitionem propriam rei, quam sibi revelaret. An propter auctoritatem alicujus creaturæ? Atqui hoc indignum est Deo, qui nequit assentiri auctoritati de se fallibili; ac prorsus inutile, quia quidquid creatura nosse potest, Deus ab æterno infinite perfectius cognoscit. Ergo impossibile est Deum quidpiam credere.

Quod si quæras, num. Deo convenire queat scientia *quia*, an vero solum scientia *propter quid* (1), dicendum videtur non posse Deo tribui formaliter scientiam *quia* seu a *posteriori*, «quia talis scientia tunc est, quando cognitio effectus inducit ad cognitionem causæ; unde oportet, ut cognitio effectus sit causa cognitionis causæ; non potest autem hæc causalitas intercedere ex parte objecti, ut ex ipsis terminis constat: ergo necesse est, ut sit ex parte cognoscentis; at hoc repugnat Deo, quia manifestam includit imperfectionem. Novit igitur Deus necessariam connexionem inter effectum et causam, prout in se est, novit etiam, eum, qui imperfecte cognoscat, posse ascendere ex cognitione effectus ad cognitionem causæ; ipse autem non ita ascendit, sed effectum potius in causa cognoscit, et ideo scientiam *quia* seu a posteriori non habet. Scientia autem *propter quid* formaliter ac proprie in Deo recte concipitur, quia illa dictio *propter quid*, non indicat causalitatem ex parte ipsius cognoscentis, ita ut cognitio causæ sit causa cognitionis effectus; sed dicit tantum causalitatem ex parte objecti, quæ per simplicissimam cognitionem videri potest, et hoc modo videt Deus, ex qua causa vel ex quibus sit unusquisque effectus, et ideo propriissime dicitur habere scientiam *propter quid*, præsertim respectu creaturarum, in quo sine causa formidavit Durandus in 1, distinct. 35, quæst. 4.ª (2). Advertit tamen ipse et alii communissime, scientiam Dei non habere rationem scientiæ

Nec scientia quia, sed solum propter quid.

(1) De hac scientiæ divisione vide *Log. Major.*, num. 250, pag. 884, num. 240, pag. 870.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

propter quid respectu suæ essentiæ, quia cum essentia divina nullam causam habeat, non potest cognosci per causam, sed per se ipsam duntaxat.

Utrum cognitio Dei habeat rationem scientiæ *propter quid* respectu divinorum attributorum.

Utrum autem cognitio Dei possit habere rationem scientiæ *propter quid* respectu attributorum, non omnino convenit apud omnes. Quidam negant, alii affirmant, et nescio, an non quæstio magis sit de voce, quam de re, saltem admissa, quam superius tuiti sumus, sententia negante Deum posse distinguere ratione suam essentiam ab attributis, quia omnes illius doctrinæ assertores fatentur in mente divina non dari, sicut in nostra, diversas rationes intelligibiles essentiæ atque attributorum. Equidem mallem dicere, scientiam, quam Deus habet suorum attributorum, non esse formaliter *propter quid*, quia una est reapse illorum et essentiæ ratio in divino intellectu; ac tantum dici posse quodammodo eminenter *propter quid*; «quia in simplicissima ratione sua cognoscit contineri rationes omnes, quæ aliquo modo a priori de attributis ejus reddi possunt» (1). Quæ cum ita sint,

Generalis regula adhibenda, quænam actus vel habitus intuitivos possint Deo tribui.

Ut generalis quædam regula detur ad dignoscendum, quænam virtutes vel habitus et actus intellectuales asseri Deo possint formaliter, (nempe ut perfectissime identificata cum ipsa ejus essentia), attente perpendendum est, utrum illa in suo conceptu præcisivo importent perfectionem simpliciter, an vero admixtam imperfectioni. Et priora quidem formaliter et proprie Deo tribuuntur, posteriora vero solum improprie ac metaphorice. Quare apprehensio et judicium, quia formaliter et absolute prolata, non aliud significant nisi repræsentare res intelligibiles et assentiri veritati, quod profecto pura perfectio est, Deo conveniunt proprie, ut jam declaravimus superius; secus vero simplex apprehensio, quia excludit judicium. Secus etiam *cogitatio* et *consilium* et *deliberatio*, etc., quia hæ voces videntur exprimere apprehensionem rei sine perfecto judicio, vel certe moram et difficultatem in perfecta rei assequenda cognitione. Secus item *recordatio*, quia proprie sumpta supponit oblivionem præcessisse in mente. «Cursus reperitur in nobis scientia intuitiva et abstractiva, quæ quatenus dicunt cognitionem rei existentis vel

Deo proprie non convenit cogitatio, consilium et deliberatio, nec recordatio.

Et quid dicendum de cognitione abstractiva?

(1) Suarez, loc. cit., sect. 15, num. 39 fin.

non existentis (1), nullam includunt imperfectionem in ipsa cognitione, et hoc modo tribui possunt Deo». «Et juxta hanc significationem data est illa celebris divisio Theologorum scientiæ divinæ in scientiam simplicis intelligentiæ et scientiam visionis: nam prior de se est tantum rerum possibilium ut sic et abstractiva, posterior vero dicitur de tota cognitione rerum, quæ existentiam habent, vel habituræ sunt in aliqua differentia temporis». De qua divisione inferius nobis agendum est. Quod si «cognitio abstractiva dicatur propter absentiam et distantiam localem vel temporalem ab objecto, sic includit imperfectionem et limitationem in tali cognitione, nimirum quod non possit ad omnia tempora vel ad omnia loca extendi; et hoc modo non reperitur in Deo formaliter» (2). Ex quibus judicandum est de reliquis omnibus.

Objectiones solvuntur.

5. **Objicies** 1.º Scientia est conclusionum. Ergo est quædam cognitio ab alio causata, nempe generata ex præmissarum cognitione (3). Atqui nihil causatum invenitur in Deo. Ergo non est in Deo scientia.

Respondeo, *dist.* antecedens: scientia in pressiori sensu intellecta, quatenus importat cognitionem per veri nominis demonstrationem comparatam, *conc.*; scientia minus presse, licet non improprie, sumpta pro præstantissima notitia veritatis, non exclusa etiam ea cognitione per causas, quæ habeatur absque formali discursu, qualem dari probavimus in Deo, *neg.* Simili modo *dist. conseq.* Scientia in pressiori acceptione est cognitio quædam ab alio causata, *conc.*; in minus pressa acceptione, in qua sumitur a nobis, *neg.* Et *concessa* Minori subsumpta, *neg. conseq.* (4).

Objic. 2.º Nihil quod imperfectionem sonat, Deo tribuendum est. Atqui scientia essentialiter sonat imperfectionem; nam est α) vel habitus quidam vel actus essentiæ superadditus: β) et important discursum et inquisitionem: γ) scientia demum supponit, alia aliis clarius et perfectius cognosci, siquidem proprium ejus est, minus notum per aliud notius cognoscere. Ergo...

(1) Vide *Psychol.* vol. 2, num. 55, pag. 203.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 40.
(3) Vide *Logic. Major.* num. 315, pag. 814.
(4) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 14, art. 1, ad 2.um

Respond. *conc.* Major., *neg.* Minor, vel, si mavis, *disting.*: scientia, prout reperitur in creatis, sonat imperfectionem, *conc.*; in sua præcisa et generali ratione, ac prout prædicatur de Deo, *nego*. Resque jam satis declarata est in demonstranda thesi: quare adjectæ probationes Minoris sponte sua corruunt. Ad rem Angelicus: *Quia perfectiones procedentes a Deo in creaturas aliter modo sunt in Deo, ut supra dictum est* (quæst. VI, art. 4), *oportet quod quandocumque nomen sumptum a quacumque perfectione creaturæ Deo attribuitur, reclutatur ab ejus significatione omne illud, quod pertinet ad imperfectum modum, qui competit creaturæ. Unde scientia non est qualitas in Deo vel habitus, sed substantia et actus purus* (1).

Objic. 3.° Ibi non est scientia, ubi non est intellectus. Sed nomen intellectus Deo proprie non convenit; immo dicitur in libro *de Causis* (prop. 6.ª), quod cum Deus dicitur intelligens, nominatur nomine effectus sui primi, qui est intelligentia, nempe angelus.

Respondeo, *dist.* Minor. Nomen intellectus, secundum quod in creaturis reperitur, Deo proprie non convenit, *conc.* Secundum præcisivum conceptum ejus, *neg.*; nam intellectus in generali acceptione non dicit nisi virtutem vel principium intelligendi, quod perfectio quædam pura est, prout magis apparebit ex dicendis (2).

Objic. 4.° Omnis scientia vel universalis vel singularis aut particularis est. Atqui scientia Dei non potest dici universalis nec particularis aut singularis. Ergo... Sane scientia dicitur universalis vel particularis tum ratione objecti cogniti, tum ratione medii cognoscendi, videlicet speciei, quæ vel solius naturæ universalis, vel etiam individuantium notarum sit repræsentativa. Jam vero tum objectum, saltem primarium, scientiæ divinæ, tum medium cognoscendi instar speciei intelligibilis est, ut ex dicendis patebit, ipsa Dei essentia. Atqui essentia Dei nec est universalis, nec proprie singularis. *Non universalis*, tum quia ad naturam universalem semper

(1) S. Thom., 1 part., quæst. 14, art. 1 ad 1.um Cfr. *de verit.*, quæst. 2, art. 1, ad 4.um, et ibid. ad 7.um et 12.um

(2) Vide S. Thom., 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 1 ad 1.um; *de veritate*, quæst. 2, art. 11, ad 1.um

aliquid addi potest, nempe differentia, per quam magis determinatur; tum quia universale est natura communis ita multis communicabilis, ut in singulis reperiatur multiplicata (1); divina vero essentia est in tribus Personis secundum unum idemque immultiplicabile *esse*. Non est etiam *singularis*, saltem eo modo, quo Logici loqui solent de singulari aut individua natura, quia natura individua non est pluribus communicabilis: at essentia divina tribus personis communicatur (2).

Respondeo, *dist.* Major. In aliquo sensu, *transeat*; præcise in sensu logico, *subdist.* Scientia humana debet esse vel universalis vel particularis, iterum *transeat*; omnis possibilis scientia, atque adeo divina, *nego*. Et *contradist.* Minor. Scientia Dei non potest dici universalis nec particularis in ullo sensu, *nego*; in sensu logico, *transeat*.

Scientia dicitur in sensu logico universalis vel particularis ex eo, quod rationes duntaxat universales consideret, vel solas individuales, non ascendendo ad universales. In qua vocum acceptione divina scientia, cum non possit esse præcisiva, sed complexiva rationum omnium intelligibilium cujuslibet entis, nec est universalis, nec particularis, sed eminentior, continens et universalem et particularem, utpote quæ ita repræsentat rationes universales, ut nullam individualem omittat, et ita rationes particulares aut singulares perfectissime consideret, ut universales omnes comprehensive penetret, et sic terminetur ad omne scibile (3). Vel etiam dici potest scientia Dei esse singularis entitative, sicut ipsa essentia, cum qua identificatur; objective autem vel repræsentative universalis simul et particularis aut singularis eminentius, quia uno simplicissimo intuitu complectitur omnes rationes rerum, sive universales, genericas aut specificas, sive singulares et individuas (4). Et similis esto responsio ad probationem Minoris. Natura enim divina nequit dici universalis, sed recte dicitur individua et singularis, quamvis nonnihil discrepet ab individuis naturis creatis: nimirum natura

(1) Vide *Logic. Major.*, num. 147, pag. 643 et 644.
(2) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 14, artic. 1, argum. 3.
(3) Cfr. S. Thom., loc. cit. ad 3.um
(4) Cfr. P. Ruiz de Montoya, disp. 2, sect. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divina non est communicabilis pluribus eo modo, quo creatæ solent pluribus individuis communicari, id est per multiplicationem sui *esse*; jam enim ostendimus naturam divinam ita esse unam individuam, ut metaphysice repugnet eam multiplicari. Hæc tamen unica immultiplicabilis natura est aliunde communicabilis personaliter, ut ita dicam, quatenus eadem in individuo possidetur triplici supposito, secus atque accidit in creatis, in quibus singulæ naturæ singulis terminatur subsistentiis.

Objicies 5.° Scientia est assimilatio scientis ad scitum; itemque habetur per receptionem scibilis in sciente, siquidem cognitio fit quatenus cognitum est in cognoscente (1). Ergo si Deus cognoscit se ipsum, sibi assimilabitur, et se recipiet. Atqui nihil potest sibi ipsi assimilari, et se ipsum recipere. Ergo (2)...

Respondeo, *disting.* anteced. Scientia per se subsistens est assimilatio scientis ad scitum, habeturque per receptionem scibilis in sciente, *nego;* scientia, quæ est actus re distinctus ab essentia rei scientis, produciturque per speciem impressam aliunde receptam, *conc.* Et *nego* primum et secundum consequens; quia Dei cognitio est ipsa ejus essentia. Cum cognitio dicitur esse assimilatio (nempe intentionalis) cognoscentis ad cognitum, vel fieri quatenus cognitum est in cognoscente (3), id intelligitur ratione speciei et actus distincti a cognoscente eliciti, vi cujus ille intentionaliter fit similis rei cognitæ; unde axiomata illa interpretanda sunt de cognoscente per actum superadditum, non vero de Deo cognoscente per essentiam, seu cujus essentia et *esse* est cognoscere; in quo proinde, sicut scientia non dicit actum distinctum, ita nec similitudinem intentionalem distinctam ab essentia (4). Cæterum hæc difficultas magis spectat ad quæstionem illam, inferius tractandam, utrum Deus se ipsum cognoscat.

(1) Vide *Psycholog.* vol. 2.um, num. 41, pag. 174 seqq.
(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 2, arg. 2; 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 1 ad 4.um; *de verit.* quæst. 2, art. 1, arg. 6.
(3) Cfr. *Psycholog.* vol. 2.um, num. 41, pag. 174 seqq.
(4) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 2, ad 2.um, 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 1, ad 4.um

Objicies 6.° Nihil, quod pluralitatem requirit, invenitur in eo, quod summe est unum. Sed scientia requirit pluralitatem quamdam, scilicet scientis, scientiæ et scibilis, aliud enim est sciens, et aliud ejus scientia scientiæque objectum. Ergo non datur in Deo scientia.

Respondeo, *conc.* Major, *disting.* Minor Scientia in creatis requirit pluralitatem, etc., *conc.;* in Deo, qui actus purus est, *subdist.;* pluralitatem aut realem distinctionem, *neg.;* pluralitatem quamdam rationum vel distinctionem virtualem cum perfectissima unitate reali, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam *quamvis ad rationem scientiæ exigantur scientia, sciens et scitum; non tamen exigitur* (generatim et absolute) *quod hæc tria differant secundum rem* (1), quemadmodum constat ex dictis, ac declarat S. Thomas (2). *Non enim potest vere dici, quod scientia in Deo significet aliam perfectionem, quam essentiam; sed quod significatur per modum alterius perfectionis, secundum quod intellectus noster ex diversis conceptionibus, quas de Deo habet, prædicta nomina imponit* (3).

Instabis. Impossibile est, scientiam Dei esse ejusdem essentiam vel substantiam. Nam α) intelligere est quædam operatio. Atqui operatio significat aliquid procedens ab operante; substantia autem vel essentia operantis non procedit a tali operante. Ergo intelligere vel scientia Dei non est ipsa ejus substantia. β) Si intelligere vel cognoscere Dei est ipsa ejus essentia; ergo quod Deus cognoscat suam essentiam perinde est, ac quod cognoscat suum cognoscere vel suum intelligere. Atqui hoc repugnat; quia cognoscere suum cognoscere vel intelligere non est magnum aliquid nec primarium objectum cognitionis; essentia vero Dei est summa res et primarium objectum divinæ scientiæ. Ergo intelligere vel scientia Dei nequit esse illius essentia. γ) Si intelligere est ipsa Dei essentia, quod Deus intelligat se, idem erit, ac quod Deus intelligat se intelligere, et se intelligere se ipsum, nempe se intelligere se intelligere, et ita porro in infinitum, quod absurdum videtur (4).

(1) S. Thom. 1.ª dist. 35, quæst. 1, artic. 1 ad 3.um
(2) S. Thomas 1.ª dist. 35, loco citat.
(3) S. Thom., *de veritate*, quæst. 2, art. 1, ad 2.um
(4) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 4, arg. 1.°, 2.° et 3.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Respondeo, *neg.* assert. Ad probationem α) *dist.* Major.: intelligere est quædam operatio transiens in exteriorem materiam, *neg.*; operatio immanens, et quidem ab ipso operante vel intelligente distincta, *subdist.*; in creatis, *conc.*; in Deo actu purissimo et omnis potentialitatis experte, *neg.* *Distinguo* etiam primam partem Minoris. Operatio significat aliquid procedens ab operante, in creatis, *conc.*: in Deo, *subdist.*: secundum nostrum modum concipiendi divina instar rerum humanarum, *conc.*; secundum rei veritatem, *neg.* Alteram Minoris partem *concedo*, et *disting.* consequens. Intelligere Dei non est ipsa ejus essentia secundum rationem *trans.*; secundum rem, *nego*.

Ad probationem β) *conc.* Major., *neg.* Minor., cujus probationem *disting.* Cognoscere suum cognoscere vel intelligere non est aliquid magnum, etc., si sermo sit de intellectione per se subsistenti, quale est divinum intelligere, *neg.*; si sermo sit de intellectione, quod sit actus accidentalis in intelligente receptus, *conc.* Tum *nego* consequens.

Ad probationem γ) *nego* ultimam sequelam, nempe de processu in infinitum. Nam intelligere divinum, quod est in seipso subsistens, est sui ipsius, et non alicujus alterius, ut sic oporteat procedere in infinitum (1).

Objicies 7.° Scientia omnis, quatenus vera, mensuratur ab objecto, siquidem eidem conformatur. Atqui absurdum est aliquid divinum, immo ipsum Deum, mensurari ab alio. Ergo non datur in Deo scientia.

Respondeo, *dist.* Major; scientia practica, *neg.*; speculativa *subdist.*: scientia creata, *conc.*; increata, iterum *dist.*; mensuratur proprie, *neg.*: impropriissime, id est objectum refert perfectissime, prout est in se, *conc.*

Et *contradist.* Minor., *nieg.* conseq.

Scientia Dei potest comparari vel respectu ipsius vel respectu aliorum objectorum. «Respectu sui non potest *secundum rem* habere mensuram, quia non distinguitur a se, seu a suo objecto: est ergo supra omnem mensuram et per seipsam vera, immo ipsa veritas. *Secundum rationem* autem ita

(1) S. Thom., loc cit., ad 3.um, Cfr. ibid. in respons. ad 1.um et 2.um

est, nam ideo Deus veram et adæquatam de se ipso scientiam habet, quia ita est in re, sicut seipsum cognoscit. Neque hoc est contra perfectionem aut immensitatem Dei, quia hoc non est esse mensurabilem proprie aut vere, sed est potius per seipsum esse talem, et esse sibi ipsi æqualem: sicut esse Deum comprehensibilem a se ipso non repugnat perfectioni ejus, sed ad majorem perfectionem pertinet.

«Si vero scientia illa comparetur ad res creatas, quatenus est scientia practica et causa illarum, prout existentes sunt, sic constat non mensurari ab illis, sed esse potius mensuram earum; et non habere ab eis veritatem, sed potius illas esse veras, quatenus conformes sunt divinis ideis... Considerando vero divinam scientiam, solum prout est simplex intelligentia creaturarum secundum *esse* essentiæ seu possibile, seu quatenus est intuitiva visio existentiæ, sic videtur sine inconveniente posse concedi etiam illius scientiæ veritatem consistere in conformitate ad illa objecta; nam secundum hanc præcisam considerationem non est causa talium objectorum, sed mera intuitio et quasi speculatio. Et ideo secundum eamdem considerationem non ideo res est talis essentiæ, quia talis a Deo cognoscitur; sed e converso talis cognoscitur, quia talis essentiæ est, neque aliter poterat vere cognosci.

«Ut autem proprie ac caste loquamur, dicere non debemus, divinam scientiam etiam sub his considerationibus mensurari ab his objectis, tum quia Deus ita habet scientiam horum objectorum, ut ab eis illam non accipiat, sed ex se illam habeat et ab intrinseco, et ex vi suæ essentialis perfectionis habeat omnem rectitudinem et infallibilitatem ejus; tum etiam quia scientia ita attingit hæc secundaria objecta, ut nullam veram relationem seu habitudinem realem habeat ad illa, sed eminentiori modo illa omnia attingit Deus per hoc, quod seipsum comprehendit. Quia ergo in ratione mensuræ et mensurati contrariæ imperfectiones indicari possunt; ideo dici non potest scientiam Dei mensurari ab his objectis, etiamsi vera non sit sine conformitate cum illis» (1).

Objicies 8.° Omnis scientia et cognitio importat relationem quamdam ad objectum cognitum. Atqui nulla Deo

(1) Suar. *Methaphys.* disp. 8, sect. 5, num. 5 et 6.

competere potest relatio saltem ad res creatas. Ergo saltem dari nequit in Deo scientia rerum creatarum.

Respondeo, *dist.* Major. Omnis scientia importat relationem vel realem vel rationis ac secundum modum nostrum concipiendi, *conc.*; præcise relationem realem, *subdist.*; in entibus creatis, *conc.*; in Deo, *nego*. Et *contradistincta* Minore, *nego*, conseq. Et vide quæ superius scripta reliquimus de relationibus in Deo (1).

Quædam aliæ difficultates solutæ videri queunt apud S. Thomam (2).

§ II.—An et quo pacto sit in Deo intellectus sub ratione potentiæ atque actus primi.

Status quæstionis

6. Hactenus ostensa est existentia perfectissimæ scientiæ atque intellectus divini; nunc breviter declarandum venit, quo pacto se habeant inter se intellectus et scientia vel intellectio divina, utrum nempe instar actus primi et instar actus secundi, vel instar potentiæ et actus aut operationis: qua de re multum disputant plures veteres Theologi, neque omnes fortasse satis distincte loquuntur. Ut ergo certiora ab incertioribus secernamus, et simul quæstionis sensus clarius appareat, inquiri posset primo, utrum intellectus re distinguatur ab intellectione, sicut actus primus et secundus in creatis; deinde utrum saltem ratione distinguatur, ac proinde utrum intellectus respectu intellectionis habendus sit instar potentiæ physicæ, an vero instar potentiæ tantum metaphysicæ vel solum logicæ. Nomine autem potentiæ physicæ intellectionis

Quid potentia physica et metaphysica

et logica intellectionis.

hic venit virtus aut principium realiter influens in intellectionem, sive ab illa realiter distinguatur, sive non; potentia metaphysica intelligitur virtus re non distincta nec realiter influens in intellectionem; potentia demum logica intellectionis importat non repugnantiam intellectionis. Et controversia, ut per se patet, est de intellectu respectu intellectionis communis tribus Personis divinis; non vero respectu intellectionis notionalis, de quo non potest Philosophus loqui.

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 80 seqq., pag. 250 seqq.
(2) *De verit.* quæst. 2, art. 15 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 1.

Non datur in Deo intellectus, qui sit potentia physica et re distincta ab intellectione.

Primum itaque a) certum esse debet intellectum divinum non posse dici respectu intellectionis actum primum vel potentiam physicam re distinctam ab illa. Nam duobus modis potest concipi, intellectum esse hoc pacto actum primum aut potentiam physicam, vel quatenus adsit in Deo potentia sciendi sine actuali scientia, vel quatenus adsit potentia cum actuali cognitione realiter distincta: quo modo Beati in cœlo habent potentiam videndi Deum, inseparabilem ab actuali visione, et similiter angeli per species rerum congenitas ac divinitus infusas habent actum primum distinctum quidem, sed constanter conjunctum cum actu secundo scientiæ illarum rerum, quas naturaliter scire possunt. Atqui repugnat utrolibet modo in Deo ponere actum primum et physicam potentiam scientiæ. Ergo.....

Minor quoad primam partem non eget probatione, quia potentia physica operandi et actus primus separatus ab actu secundo immanentis operationis, qualis est intellectio, manifeste involvit potentialitatem receptivam actus et carentiam ultimæ perfectionis, quæ per actum secundum advenit potentiæ immanenter operanti, et consequenter mutabilitatem et alias similes imperfectiones actui puro repugnantes (1).

Non minus patet Minor quoad alteram partem de physica potentia distincta et actu primo scientiæ conjuncto cum secundo. Nam actus primus ejusmodi respectu actualis scientiæ vel cognitionis intelligi potest vel per modum potentiæ passivæ recipientis ac sustentantis actualem scientiam, vel per modum activæ potentiæ producentis actum secundum scientiæ cognitionisve. Jam actus primus consideratus sub ratione potentiæ passivæ importat potentialitatem et imperfectionem; actus vero primus spectatus sub ratione potentiæ activæ non quidem importat in se ipsa ita præcisive imperfectionem, sed tamen necessario conjuncta est cum imperfectione ac potentialitate, quandoquidem operatio illa potentiæ activæ utpote immanens, non potest existere nisi in eodem principio, unde manat. Ergo actus primus et potentia physica intelligendi, re distincta ab actuali scientia, manifeste repugnat. Id quod vel ex eo patet, quod hujusmodi potentia

(1) Cr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 4.

necessario inducit in Deo compositionem, videlicet ex virtute ac principio intellectioni et ex ipsa intellectione eidem inhærente (1). Simplicitas ergo Dei vetat, ne intellectus ejus sit, neve concipi possit velut principium et potentia physica intellectionis realiter distincta.

Quamobrem nulla est paritas inter omnipotentiam Dei vel potentiam operandi ad extra (quæ physica et realis et ab operatione ipsa distincta dici potest, saltem probabiliter, nimirum secundum eorum sententiam, qui actiones Dei ad extra formaliter transeuntes esse docent), et potentiam intelligendi et generatim immanenter operandi; quia potentia Dei ad extra operatur absque ulla sui mutatione, facitque sine ullius actus in se receptione, ut effectus existat. Apposite S. Thomas: *Si aliquæ actiones Deo conveniant, quæ non in aliquod factum transeant, sed maneant in agente, respectu harum non dicitur in Deo potentia nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem* (videlicet potentia physica per modum actus primi realiter distincti). *Potentia igitur Dei, proprie loquendo, non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus. Intellectus igitur et voluntas in Deo non sunt ut potentiæ, sed solum ut actiones* (2). Et hactenus de his: nam convenit apud omnes, intellectum in Deo non posse se habere respectu scientiæ aut intellectionis ceu potentiam physicam re distinctam.

Utrum admitti possit in Deo intellectus ceu potentia quasi physica;

7. β) Dubitatur autem, utrum detur in Deo intellectus instar potentiæ quasi physicæ, aut actus primi non quidem ita ut adsit realis prioritas et productio, sed tantum formalis ex natura rei vel virtualis. Quid autem sit istiusmodi activitas, aut potentia quasi physica vel prioritas et productio formalis ex natura rei et virtualis, declarari solet ad modum distinctionis formalis et virtualis. Videlicet ea se habent sicut prius et posterius formaliter, vel sicut potentia quasi physica et productio formalis ex natura rei, quorum primum non quidem absolute et physice, bene tamen independenter a mentis consideratione productivum est alterius, alterum

(1) Cfr. Suarez, loc. sup. cit., num 8. Et lege P. Ruiz de Montoya, *de scientia Dei*, disp. 3.

(2) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 10; Cfr. 1 p., quæst. 18 art. 3 ad 2.um

autem productum a primo; fere sicut ea distinguuntur formaliter ex natura rei, quæ quamvis re idem sint, tamen independenter a mentis consideratione unum non est aliud (1). Ea vero se habent ceu prius et posterius virtualiter, vel sicut activitas aut potentia et productio virtualis, inter quæ nec activitas nec productio physica absolute adest, nec adesse potest, quæ tamen in ordine ad munus physicæ activitatis et productionis ita se gerunt, ac si alterum alterius productivum esset, alterum ab altero producibile vel productum (2). P. Arrubal post Magistrum Albelda apud P. Ortega (3) virtualem productionem intellectionis paulo aliter declarat, videlicet per modum productionis et activitatis conditionatæ, «quia potentia intellectiva Dei ejusmodi in se est, ut si a sua intellectione distingueretur re ipsa, re etiam ipsa illam produceret, ad eum nimirum modum, quo Dei omnipotentiam ad extra productivam dicimus, si creaturæ possibiles sint, ac non repugnent» (4). Potentiæ quasi physica vel prioritas intellectus ex natura rei respectu intellectionis Halensi et Scoto atque Scotistis tribuitur a P. Antonio Bernaldo de Quiros (5); activitas vero potentiæ vel prioritas virtualis intellectus respectu intellectionis propugnatur a multis patronis distinctionis virtualis intrinsecæ in divinis (6), potissimum respectu scientiæ liberæ aut cognitionis contingentium (7). Quæstio porro est de intellectu essentiali, communi tribus

(1) Vide *Ontolog.*, num. 117, pag. 362.

(2) Vide P. Herice, tract. *de volunt. Dei*, disp. 12, num. 1; Ortega, *De Deo* uno, contr. 2, disp. 2, quæst. 3, certam. 1, num. 2.

(3) Loc. cit. num. 3. Non multum differre videtur opinio Cardinalis Gotti, secundum quem intellectio divina habet intellectum pro causa virtuali proxima, cujus respectu ita se habet illa, aut si ab aliquo formaliter oriri posset, non ab alio oriretur, quam ab illo». *De Deo*, tract. 3, quæst. 1, dub. 1, paragr. 4, num. 19.

(4) Ortega loc. sup. cit., quæst. 3, certam. 1, num. 2; et vide ipsum Arrubal, in 1.am part., disp. 28, cap. 4, num. 11 et disp. 49, cap. 2, num. 6.

(5) *De Deo*, tract. 4, disp. 35, sect. 2, num. 3.

(6) Vide, v. g. Cardin. Gotti, *De Deo*, tract. 4, quæst. 1, dub. 1, paragr. 4, num. 17 seqq.

(7) Vide v. g. Struggl., tom. 1, tract. 1, disp. 4, quæst. 1, art. 1, *Quæres* 2.°

Personis divinis, quem unice nosse possunt Philosophi, non vero de intellectu *notionali*, de intellectu nempe prout est in Patre generante Verbum. Pater enim solus per intellectum generat Verbum, et sic habet rationem principii physici respectu Verbi generati, quin tamen physice producat ipsam activam generationem. Verum hæc ad Theologos spectant.

resolutio negativa.

8. *Videtur tamen non esse admittenda in divino intellectu ista prioritas* vel activitas aut potentia sive formalis ex natura rei, sive virtualis modo descripta respectu intellectionis vel scientiæ. Et in primis res facilius probatur de actu scientiæ divinæ necessariæ. Nam intelligi nequit veri nominis activitas aut productio physica et realis sine vera distinctione potentiæ ab actu vel termino producendo, utique proportionata ipsi reali activitati et productioni: nihil enim potest se ipsum vel aliquid a se ipso indistinctum producere. Atqui in divinis prædicatis communibus, saltem necessariis, nulla est distinctio formalis ex natura rei nec virtualis intrinseca unius respectu alterius. Ergo saltem respectu scientiæ necessariæ non datur in intellectu divino ulla prioritas vel realis activitas, sive virtualis sive formalis ex natura rei. **Minor constat**, quia jam superius exclusa est Scotistica distinctio formalis ex natura rei (1); quod autem virtualem intrinsecam attinet, eam non esse necessariam, sed sufficere extrinsecam vel solius rationis cum fundamento in re ad explicandam diversitatem prædicatorum communium necessariorum, satis eruitur ex aliis dictis (2).

Eodem fere modo res constat de actu scientiæ liberæ aut contingentis: primo quia nulla etiam est necessitas invehendæ distinctionis sive formalis ex natura rei, sive virtualis intrinsecæ inter prædicata Dei necessaria et contingentia, quemadmodum evinci potest ex aliis dictis circa ejusmodi distinctiones. Præterea eadem simplicissima realitas, quæ dicitur omniscentia, in Deo est cognitio sui ipsius et cognitio contingens rerum creatarum. Ergo potentia cognoscitiva eodem modo se habet reapse ante omnem mentis considerationem respectu utriuslibet cognitionis. Quare si respectu

(1) Vide Theodic. vol. 1.um, num. 76, pag. 302 seqq.
(2) Vide ibid., num. 100; et *Ontolog.* num. 106, p. 324-325.

scientiæ divinæ necessariæ non potest admitti in intellectu realis ratio prioritatis vel activitatis aut potentiæ sive formalis ex natura rei, sive virtualis intrinseca, idem erit dicendum de eodem intellectu respectu scientiæ contingentis. Resque confirmatur auctoritate S. Thomæ, cujus est hæc disertissima sententia: **Intelligere** *vel* **velle** *non sunt talia actus, qui designent processionem alicujus rei a Deo distinctæ vel essentialiter vel personaliter. Unde respectu horum actuum* **non potest** *salvari ratio potentiæ in Deo, nisi secundum modum intelligendi vel significandi tantum. prout diversimode significatur in Deo* **intellectus** *et* **intelligere**, *cum tamen ipsum* **intelligere** *Dei sit ejus essentia non habens principium* (1). Activitas vero, potentia vel prioritas sive formalis sive virtualis intrinseca non est tantum secundum modum intelligendi et significandi, sed antecedit a parte rei considerationem mentis.

Objectiones solvuntur.

9. **Dices 1.º** Cum Illmo. ac Rvmo. Petro Godoy, Paternitas in divinis est principium physicum generandi Filium, quin physice influat in generationem activam cum ipso identificatam. Ergo etiam pariter intellectus divinus, quamvis realiter identificatus cum intellectione, poterit esse principium physicum et realis potentia intellectionis.

Respondeo, *neg.* conseq. et paritatem, quia «Pater non est principium physicum generationis activæ, nimirum paternitatis cum ipsa identificatæ, sed generationis passivæ, nimirum filiationis distinctæ realiter a Patre. Intellectio vero non distinguitur realiter ab intellectu» (2). Paulo aliter respondent alii, *concedendo* vel *permittendo*, quod Pater sit principium physicum generationis activæ. Nam etiamsi admitteretur activitas notionalis physica atque activa processio secum realiter identificata, non respiceret illam tamquam terminum producendum, sed solum tamquam viam causalem, vel causalitatis seu originis, de cujus ratione non magis est a principio, quam a termino, re ipsa distingui, quamvis distinguatur modo nostro concipiendi, quia instar viæ inter Thebas et Athenas, ut ait Aristoteles cogitatur, quæ re ipsa diversa est ab utroque

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 41, art. 4, ad 3.um Cfr. *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 10.
(2) P. Joann. Baptist. Gormaz, *de Deo*, disp. 4, sect. 3, num. 228.

termino et extremo. Si autem respectu intellectionis et amoris communis, seu non notionalis, potentia physice activa daretur, hæc respiceret talem intellectionem et amorem non tamquam viam solum, sed tamquam terminum, quia nullus alius terminus reapse per intellectionem et amorem communem et essentialem seu non notionalem producitur; et sic istiusmodi potentia, utpote identificata cum sua intellectione vel amore, se ipsam produceret, quod profecto absurdum est (1).

Dices 2.º Intellectio divina est actus secundus vitalis et realis intelligendi. Sed omni actui secundo respondet suus actus primus. Ergo intellectus divinus est actus primus realis respectu intellectionis..... **Respondeo**, *dist.* Major.: indistinctus a primo, *trans.*; distinctus a primo antecedenter ad mentis operationem, *nego*. *Contradistinguo* Minor. In creatis, *conc.*; in Deo, *subdist.* Omni actui secundo respondet etiam in Deo actus primus re indistinctus et sola ratione distinctus, *trans.*; distinctus ante mentis considerationem, *nego*; et tum *nego* conseq.

Dices 3.º Plus operationis concipitur in Deo ut intelligente, quam in Deo ut æterno. Sed non ita se res haberet, si intellectio non esset realis operatio, ideoque intellectus potentia realis. Ergo..... **Respondeo**, *trans.* Major., *nego* Minor. Quod enim plus operationis concipiatur a nobis in Deo ut intelligente, quam in Deo ut æterno, nullatenus probat realem operationem intellectionis in Deo, physicamve potentiam aut activitatem, sed tantum majus fundamentum concipiendi intellectionem divinam instar operationis, non quidem intrinsecum et reale, sed extrinsecum ac ex modo nostro intelligendi derivatum; quia intellectio divina concipitur ut nostra, nostra vero est realis et physica operatio ab intellectu producta. At vero duratio creata, sive nostra sive aliorum entium, non est actus a nobis productus, sed tantum actio Dei conservantis: quare æternitas Dei non est cogitanda instar operationis vel processionis cujusdam, sed instar actus quiescentis et perenniter permanentis.

(1) Vide Ortega, *de Deo*, controv. 2, disp. 2, quæst. 2, certam. 2, num. 3.

Instabis. Intellectio ideo dicitur actus vitalis, quia est operatio realis, ac proinde profluens immanenter ab intellecta; e converso alia attributa, ut omnipotentia, æternitas, etc., ideo non sunt actus vitales, quia non sunt operationes ab intrinseco manantes. Ergo intellectio etiam in Deo est realis quædam operatio, respectu cujus intellectus habet rationem physicæ activitatis ac realis prioritatis.—**Respondeo**, *neg.*, anteced. Omnia in Deo sunt reapse vita et purissimus actus vitalis. Quod ergo intellectio, aut etiam volitio, dicatur vitalis actus, secus atque omnipotentia vel æternitas aliave id genus attributa, non oritur ex eo quod intellectio habeat rationem realis ac physicæ operationis, sed ex eo quod sit intentionalis tendentia in objectum cum perfectissima immanentia identitatis absque ullius termini vel actus distincti productione (1).

10. γ) *Restat, ut videamus utrum intellectus se habeat respectu intellectionis saltem per modum potentiæ logicæ et metaphysicæ.* Potentia logica intelligitur possibilitas intrinseca seu non repugnantia rei. Unde quærere, utrum in divino intellectu agnoscenda sit ratio potentiæ logicæ, perinde est, ac quærere, utrum intellectio sit in Deo possibilis vel non intrinsece repugnans. Qua de re non potest ulla esse disceptatio, quandoquidem ab *esse*, ut dicunt, ad *posse* valet consequentia (2). Ergo si existit in Deo intellectio vel scientia, quemadmodum probatum est, profecto potest existere vel possibilis est. Potentia intelligendi metaphysica in eo sita est, quod intellectus divinus recte concipiatur per modum virtutis aut potentiæ intelligendi, præscindendo, saltem expresse, ab ipsa intellectione actuali. Utrum autem admitti queat hoc pacto in divino intellectu potentia vel virtus intelligendi, vel utrum detur in Deo intellectus sub ratione potentiæ intellectivæ, an vero solum sub ratione actualis intellectionis, disputatur inter Theologos. Ipsi Thomistæ dissident inter se, prout monet Cardinalis Gotti; «qui enim constituunt divinam naturam in *intelligere* actualissimo (inter quos præcipui sunt PP. Salmanticenses Carmelitani, Gonet et alii) dicunt non

Utrum intellectus se habeat respectu intellectionis saltem per modum potentiæ metaphysicæ.

(1) Vide Ortega et Germar, loc. cit.
(2) Cfr. *Logic. Minor.* num. 144, pag. 321, Reg. 11.

dari in Deo intellectum per modum potentiæ adhuc virtualiter distinctæ ab actuali intellectione, sed in eo intellectum et actualem intellectionem realiter et virtualiter idem esse. Qui vero constituunt naturam divinam per intelligere radicale, ponunt in Deo intellectum per modum potentiæ proximæ virtualiter a radice intelligendi et ab actuali intellectione distinctæ (1). Intellectum etiam in Deo tamquam potentiam vel activitatem metaphysice distinctam negarunt Aureolus (2), Gabriel (3) et postea P. Valentinus Herice (4), Fassolus (5), Petrus Hurtado (6), etc., quos constitutivum divinæ naturæ in actuali intellectione reposuisse retulimus suo loco. Multo autem frequentior est opinio eorum, qui divinum intellectum admittunt tamquam potentiam metaphysicam vel ratione distinctam ab intellectione actuali. Quam tuentur multi Thomistæ atque e nostratibus PP. Molina (7), Suarez (8), Vazquez (9), Ruiz de Montoya (10), Christophorus Gillius (11), Granadus (12), Tanner (13) Alarcon (14), aliique.

Frequentiores ad quæstionis sententiam

Equidem nescio, annon sit aliqualis de voce, saltem inter nonnullos scriptores, lis; non enim desunt, qui ex eo impugnent potentiam intelligendi metaphysicam, quod omnis potentia, sive realis ac physica, sive etiam metaphysica et actu ratione sola distincta, debeat apprehendi ut objectum et susceptivum actus. Quod si verum foret, profecto non posset Deo asseri hujusmodi intellectus instar potentiæ

(1) Gotti, *De Deo*, tract. 3, quæst. 1, dub. 2, parag. 4, num. 19. Cfr. *Theodic.* vol. 1.ᵐ, num. 82, pag. 272.
(2) Apud Capreolum 1.ª, distict. 35, quæst. 1, art. 2.
(3) Dub. 2 et 3.
(4) *De Deo*, disp. 2, cap. 1 et 3.
(5) In primam partem, quæst. 14, art. 1, dub. 6.
(6) *Curs. Philos.*, *Metaphys.*, disp. 2, sect. 2, num. 22 seqq.
(7) In 1.ᵐ part., quæst. 14, art. 4. *Tota res.*, quæst. 27, art. 5, disp. 2.
(8) *Metaphys.*, disp. 30, sect. 15, num. 12 et 13.
(9) In 1.ᵐ part., disp. 60, cap. 1; disp. 102, cap. 1, num. 1; disp. 110, cap. 3.
(10) *De scientia Dei*, disp. 3, sect. 4.
(11) *De Deo*, part. 1, lib. 2, tract. 1, cap. 12; tract. 2, cap. 4.
(12) Controv. 2, tract. 1, disp. 1, num. 5 et 6; disp. 3, sect. 2.
(13) *De Deo*, disp. 2, quæst. 11, dub. 5.
(14) *De Deo*, sect. 2, disp. 1, cap. 1.

cujusdam metaphysicæ, quia nihil potest prædicari de Deo, quod imperfectionem essentialiter importet. Atqui ratio potentiæ receptivæ actus, licet solum virtualiter ac metaphysice ab illa distinctæ, imperfectionem importat.—Verum enimvero ad hoc ut intellectus divinus dici queat potentia quædam metaphysica, necesse non est, ut apprehendatur tamquam subjectum in se recipiens actum, sed tamquam virtus quædam operativa, quin in eo conceptu contineatur saltem expresse et explicite actus ipse vel operatio. Sicut etiam ut essentia divina metaphysice ac virtualiter distingui dicatur ab attributis, sufficit, ut *possit* præscindere ab illis saltem penes explicitum, ita ut possit ea concipi vel intelligi, quin explicite saltem alia concipiantur, nec est necesse, ut essentia *debeat* apprehendi instar substantiæ cujusdam per attributa tamquam per accidentia perficiendæ: quamvis enim hujusmodi apprehensiones naturam divinam per species rerum creatarum cogitanti occurrant, quemadmodum etiam occurrit v. g. cogitanti Deum species regis senisve venerandi, et cogitanti angelum species juvenis formosissimi; tamen formæ istiusmodi apprehensæ asseri Deo nequeunt per actum judicii, nec Deus proinde vere ac proprie apprehenditur, ceu senex venerabilis, cum nec sit homo nec senex. Aliud ergo est, quod intellectus haberi possit ut virtus vel potentia metaphysica respectu operationis, et aliud, quod apprehendatur ut subjectum actus aut operationis suæ receptivum. Hoc ergo supposito.

Admittendus in Deo intellectus per modum virtutis vel potentiæ metaphysicæ.

11. **Videtur dicendum cum secunda sententia dari in Deo intellectum per modum virtutis vel potentiæ metaphysicæ ab intellectione distinctæ. Probatur 1.ᵐ** Deus vere ac proprie dicitur *potens intelligere*, nec per hoc prædicatum a nobis idem mente exprimitur, ac per prædicatum *actu intelligens*. Atqui *potens intelligere* in sensu proprio non potest dici per ordinem ad solam possibilitatem seu non repugnantiam intellectionis, quam vocant potentiam logicam, sed per ordinem ad potentiam intellectivam. Ergo agnoscenda est in Deo potentia intellectiva, saltem metaphysica, seu ratione distincta ab intellectione actuali.

Major quoad primam partem constat ex communi loquendi modo; *quoad alteram* sequitur ex nostro modo concipiendi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per creatarum rerum species, unde sæpe præcisive intelligimus distinguendo per rationem etiam ea, quæ re unum sunt. Quia ergo in creatis aliud est potentia intelligendi, aliud actualis intellectio, fit, ut cum Deum potentem intelligere concipimus, expresse saltem atque explicite non apprehendamus ipsam actualem intellectionem, sed radicem et principium ac rationem sufficientem intellectionis.

Minor etiam patet, quia intellectio creata ex sua possibilitate non potest dici simpliciter potentia intellectiva, nec possibilitas intellectionis constituit *potentem intelligere*, sed tantum *possibilem* intellectionem vel potentiam logicam intellectionis. Atqui aliud profecto est ex communi concipiendi modo possibilis intellectio vel potentia logica intellectionis, et potentia intellectiva: potentia logica exprimit formam, quæ afficit intellectionem, potentia vero intellectiva subjectum intelligens.

Probatur 2. Quia prædicatum potentiæ intellectivæ est perfectio pura seu nulli admixta imperfectioni. Ergo Deo asserenda est. **Consequentia** bona est. **Probatur antecedens.** Nam prædicatum potentiæ intellectivæ ex duplici capite contrahere posset imperfectionem: α) ex eo quod potentia hujusmodi concipienda esset ceu superaddita naturæ ac essentiæ divinæ metaphysicæ, tanquam aliquid, quo natura egeat ad intellectionem actualem eliciendam: β) ex eo quod potentia intellectiva, etiam metaphysica, habenda sit instar principii operationem sibi immanentem efficientis. Atqui ex neutro capite prædicatum potentiæ intellectivæ metaphysicæ imperfectionem contrahit. Ergo...

Non ex primo capite α); quia ad sustinendam potentiam metaphysicam reapse non est necesse tenere distinctionem rationis intellectus divini ab essentia, sed tantum distinctionem ejusdem generis ab actuali intellectione; quare non desunt (1), qui potentiam intellectivam metaphysicam propugnantes, constitutivum essentiæ divinæ metaphysicæ in intellectivo radicali reponunt, qui proinde non admittunt potentiam intellectivam tamquam attributum essentiæ superadditum, sed tamquam ipsam Dei essentiam, quæ tamen concipiatur non

(1) Vide apud Ortega, controv. 2, disp. 2, quæst. 2, sect. 5, num. 1.

velut actualis intellectio, sed velut principium ab ea metaphysice distinctum. Ergo sententia hæc nostra non necessario supponere debet, divinum intellectum esse attributum essentiæ superadditum, sed bene cohæret adhuc cum opinione, divinam essentiam metaphysicam in ipso principio intelligendi seu intellectivo radicali constituente. Præterea etiamsi admitatur divinum intellectum esse potentiam vel attributum essentiæ superadditum, nullatenus exinde sequitur imperfectio illa primo loco notata; quia etiam in illa, quam tuiti sumus, sententia negante constitutivum divinæ naturæ reponendum esse in intellectivo, sive radicali sive actuali, potentia intellectiva essentiæ superaddita concipitur, non ex indigentia naturæ divinæ, quasi hæc indigeat forma vel principio superaddito ad intelligendum, ipsa enim per se ipsam est principium intelligens et intellectio per se subsistens; sed ex imperfectione intellectus nostri, qui cum divina nequeat percipere in hac vita nisi per species creatas, intelligens essentiam Dei, præscindit ab ejus intellectu et intellectione, sicut generatim a quolibet alio attributo. Sicut ergo ex virtuali aut rationis distinctione essentiæ divinæ ab attributis, nullatenus sequitur, illam indigere accidentibus proprietatibusve, quibus compleatur in sua perfectione; ita ex eo quod intellectus habeatur instar virtutis vel potentiæ metaphysicæ, nullatenus sequitur, essentiam reapse indigere, aut concipi debere tamquam indigentem aliqua forma superaddita ad intelligendum.—Verum nec timenda est imperfectio

Ex altero capite β). Nam in primis potentia etiam activa, in suo latissimo ac præcisivo conceptu, non importat essentialiter rationem subjecti recipientis in se operationem immanentem, quandoquidem datur potentia activa operationum transeuntium. Deinde nec est prorsus essentiale potentiæ intellectivæ generatim consideratæ, importare effectionem actus distincti, sed id proprium est tantum potentiæ intellectivæ creatæ. Ac ratio est, quia intellectio, *qua intellectio*, non est actio physica neque effectus productus, alioquin intellectio, *qua intellectio*, Deo repugnaret. Ergo nec potentia intellectiva, qua talis, physice activa est; siquidem potentia

(1) Vide P. Ortega, loc. sup. cit., num. 2.

activa physica essentialiter est ad physicam actionem vel effectum.

Objectiones

12. Adversus hanc sententiam tria opponit Aureolus (1): α) Primo quia nullam rationem debet intellectus noster Deo tribuere, quæ sonet imperfectionem... Sed ratio intellectus est imperfecta, cum sit potentialis. Igitur non debet resolvi divinum intelligere in intellectum et intelligere (seu intellectionem); immo erit ibi intelligere absque intellectu. β) Secundo nulla qualitas creata est magis pure intelligere, quam sit Deus; alioquin aliqua perfectio simpliciter esset intimior creaturæ, quam Deo, quod est omnino impossibile. Sed illa qualitas, quæ dicitur actualis intellectio, ita pure est intelligere, quod est irresolubilis in rationem intellectus et intellectionis. Ergo multo minus Deus. γ) Intellectus non potest alicui tribuere rationem sui oppositi sine falsitate; non enim potest resolvere albedinem in rationem albedinis et nigredinis. Sed actus purus et ratio potentiæ opponuntur. Ergo impossibile est, quod intellectus noster resolvat sine falsitate divinum intelligere, quod est actus purus, in rationem intellectus, potentiæ, et in rationem actus intelligendi. δ) Non minus repugnat Deo, quod ponatur in eo ratio potentiæ intellectivæ, quam ratio materiæ, quia intellectus est materia in genere intelligibilium» (2).

solutio.

Verum bene respondet Capreolus hisce argumentis non aliud probari, nisi «quod divinus intellectus non se habet ad suum intelligere, sicut potentia ad suum actum, et quod intellectus, qui hoc intelligit, falsus est»; sed non probatur, quod Deus non possit sine falsitate concipi et ut intellectus et ut intellectio. Nam ratio intellectivæ potentiæ duo comprehendit in creatis, perfectionem creaturæ, secundum quod importat virtutem et efficacitatem præstantissimam, et potentialitatem. Et hoc quidem postremum repugnat Deo, non autem primum; sicut etiam ipsa intellectio in creatis importat actualitatem ultimam et fluxum ac dependentiam ab actu primo, quorum prius convenit Deo, non vero secundum (3).

(1) Apud Capreol. 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 2.
(2) Vide Capreol., loc. cit.
(3) Vide Capreol., ibid.

Unde facile est respondere ad rationes Aureoli. Ad primum enim α) dicitur, quod potentia intellectiva non importat essentialiter in suo conceptu generalissimo imperfectionem, ut jam satis probatum manet, vel certe non solam importat imperfectionem, sed etiam præ se fert perfectionem, et ita possumus cogitare illam in Deo præscindendo ab imperfectione; sicut e converso divinam intellectionem cogitamus instar actus secundi præscindendo ab imperfectione, quam in creatis importat, emanationis ac dependentiæ a principio distincto. Ad secundum β) respondetur, in creatis nullam esse rationem vel fundamentum distinguendi in actuali intellectione perfectionem actus secundi et perfectionem actus primi seu principii ac virtutis, sicut est in intellectione increata; quia intellectio creata non includit in se ipsa perfectionem virtutis, quæ ad intelligendum requiritur. At vero divina intellectio, utpote infinita, omnem in se perfectionem complectitur, unde potest concipi vere, licet non adæquate, instar purissimæ et perfectissimæ virtutis. Quod spectat ad tertium γ), «duobus modis potest aliquid a nobis concipi per modum actus primi: uno modo ex parte objecti et positive tribuendo illi formalem rationem actus primi, et hoc modo non tribuitur Deo, ut recte probant argumenta facta. Alio modo ex parte intelligentis, præscindendo solum unam rationem ab alia; et hoc modo dicimur nos concipere in Deo aliquid per modum actus primi: concipimus enim in Deo esse vim intelligendi præscindendo ab actuali intellectione, et ab hoc quod illa vis sit activa vel ipsamet formalis actus. Et similiter concipitur esse in Deo sufficiens ratio ad repræsentandum intentionaliter objecta intelligibilia, præscindendo ab hoc, quod formaliter seu actualiter repræsentet. Atque hoc satis est, ut sine falsitate vel attributione imperfectionis dicatur aliquid concipi in Deo per modum actus primi (1). Ad quartum δ), negatur assertum. Plura qui velit, consulat priscos scriptores.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS III

Quotuplex distinguatur scientia Dei

13. Diximus scientiam vel cognitionem divinam ad omnem prorsus veritatem vel rationem quomodolibet cognoscibilem extendi, quemadmodum eruitur ex infinita illius perfectione ac præstantia. Et quamquam scientia hæc in se quidem una est ac simplicissima, potest tamen diversimode a nobis considerari per conceptus inadæquatos, atque adeo pro commodiore rei tractatione multipliciter dividi sive pro varietate objectorum, ad quæ terminatur, sive pro varietate modi, quo terminatur, sive pro muneribus, quæ circa res exercet. Et primo quidem scientia Dei alia est *necessaria*, alia *libera* vel *contingens*. Necessaria dicitur scientia divina respectu eorum, quæ ita mente repræsentantur, ut non potuerint aliter repræsentari: talis est cognitio, quam Deus habet, sui ipsius et possibilium omnium. Libera vel contingens dicitur respectu eorum, quæ ita repræsentantur, ut potuerint absolute aliter repræsentari; quia nimirum, quamvis de facto sunt certo modo, potuerunt tamen non esse, vel aliter esse, ac tunc aliter repræsentata fuissent in divina scientia: hujusmodi est scientia Dei circa mundi existentiam vel hanc meam scriptionem. Si enim Deus noluisset condere mundum, non ut actu existentem illum, sed ut pure possibilem nosset; et similiter nisi voluisset libere me creare, vel mecum ad scribendum concurrere, profecto non vidisset hanc scriptionem ut existentem pro hac temporis differentia.

Scientia Dei necessaria

et libera vel contingens

14. Secundo dividitur scientia Dei in scientiam *simplicis intelligentiæ* ac *visionis* (1), quam divisionem nostrates inadæquatam esse contendunt, tertiumque membrum addunt scientiæ *mediæ*. Scientia simplicis intelligentiæ, prout opponitur visioni (nam solet etiam dici, præsertim ab antiquis,

scientia simplicis intelligentiæ, visionis ac mediæ.

(1) Vide S. Thom. (1 p., quæst. 14, art. 9: 1.º *Contr. Gent.*, cap. 66, argum. 5; *de verit.* quæst. 2, art. 9, ad 2.um; 3.ª dist. 14, quæst. 1, art. 2, solut. 2.ª), S. Bonavent. (1.ª dist. 39, art. quæst. 3), Cajetan., Molin. et passim interpretes S. Thomæ, in 1.am part., quæst. 14, art. 6), Suarez (*De Deo*, lib. 3, cap. 2), etc.

per oppositionem ad scientiam approbationis), est ea quæ versatur circa res mere possibiles, vel certe circa quidditates abstractas ab omni existentia sive habita sive habenda (1). Scientia vero visionis est, qua Deus cognoscit res existentes prout tales: quo pacto intuetur non solum se ipsum, sed res omnes, quæcumque in quavis temporis differentia existent, sive quamdiu existunt in se ipsis, sive etiam quamdiu in se ipsis non existunt, atque adeo etiam præteritas ac futuras, quia divinæ intuitioni reapse nihil est præteritum aut futurum, sed omnia præsentia secundum illud tempus, in quo reali existentia potientur. Vocatur porro hæc scientia visionis mutuato nomine ex oculorum intuitu, qui nihil percipere possunt nisi existens in se a parte rei (2). Objectum itaque scientiæ simplicis intelligentiæ, sunt essentiæ rerum cum suis proprietatatibus ac prædicatis necessariis, et generatim propositiones simpliciter necessariæ atque æternæ veritatis, et propterea solet etiam ad illam revocari cognitio impossibilium et chimærarum, tum quia oppositorum eadem est ratio vel cognitio, tum quia hæc tandem important repugnantiam et incompossibilitatem necessariam quarumdam rationum vel quidditatum, quæ non potest latere intellectum divinum penetrantem ipsas quidditates. Similiter negationes, carentiæ ac mala contingentia ad objectum scientiæ visionis revocantur.

Cæterum quod voces attinet, notat P. Didacus Ruiz de Montoya, se apud Auctores Aquinate antiquiores non reperisse nomen *scientiæ visionis*, sed cognitionem actu existentium ab illis designari nomine *præscientiæ* (3), nomen vero *simplicis intelligentiæ* vel *notitiæ* usurpari ab iisdem in alio sensu longe diverso ad significandam cognitionem rei vel

alia simplicis intelligentiæ acceptio.

(1) Si rationem appellationis quæras, *simplex notitia dicitur*, inquit Angelicus, *non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admixtionem ejus quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas producendas, quem addit scientia approbationis; sicut etiam ignis dicitur corpus simplex, non ad excludendum partes essentiales ejus, sed commixtionem extraneæ. De verit.*, quæst. 3, art. 3 ad octavum.

(2) Cfr. S. Thom., 1 p., quæst. 14, art. 9, fin. corp.

(3) *De Scientia Dei*, disp. 17, sect. 4, num. 1.

actus, quæ non habeat ex parte voluntatis adjunctam approbationem vel beneplacitum: qua acceptione dicuntur peccata cognosci a Deo *simplici intelligentia* seu *notitia*, quia nimirum non possunt ab illo approbari (1). In hac significatione, ut vides, scientia *simplicis intelligentiæ* non *visionis*, sed *approbationis* duntaxat opponitur scientiæ, quæ est membrum alterius divisionis mox declarandæ.

Scientiæ *mediæ* inter simplicem intelligentiam et visionem, quam Thomistæ vehementer impugnant, nostrates pro virili defendunt, est cognitio conditionate futurorum, quæ profecto non considerantur ut pure possibilia nec ut actu et absolute existentia in aliquo tempore, sed ut exstitura vel non exstitura, si conditio aliqua poneretur, quæ tamen de facto non ponitur. Quapropter scientia ista objectum considerat in statu diverso a statu pure possibilitatis et actualis existentiæ, ac propterea tanquam membrum distinctum divisionis a nostris scriptoribus proponitur, ac *media* dicitur, quasi medium tenens inter scientiam simplicis intelligentiæ et visionis. Quia quamvis aliquid de utraque participare videatur, re tamen vera diversificatur. De scientia quidem simplicis intelligentiæ participat, quod tandem objecta conditionate tantum futura, nunquam absolute existunt, sed remanebunt pure possibilia, sed quia non considerantur præcise *ut possibilia*, sicut consideratur suum objectum a scientia simplicis intelligentiæ, sed ut exstitura, si conditio quædam poneretur; non possunt proprie ad hanc scientiam pertinere. De scientia etiam visionis nonnihil participat scientia conditionate futurorum, quia objectum considerat ut existens; sed differt ab illa, quia non respicit aliquid, quod absolute futurum est, sed tantum esset, si poneretur conditio. Verum hæc nunc delibasse sufficiat, quæ postea fuso calamo discutienda erunt.

Scientia abstractiva et intuitiva;

15 Affinis est huic secundæ divisioni illa alia in *abstractivam* et *intuitivam*. Intuitiva ex communi persuasione coincidit cum scientia visionis, quamquam nonnulli Patres sancti etiam pure possibilia interdum dicant Deum *intueri* vel *videre* (2), nimirum ad exprimendam claritatem divinæ

(1) Vide P. Ruiz de Montoya, ibid. num. 2 et 3.
(2) Vide Ruis de Montoya, disp. 17, sect. 4, num. 7-12.

cognitionis. Scientia vero abstractiva coincidit cum scientia simplicis intelligentiæ. Qua in re audiendi non sunt pauci quidam Doctores, qui vel etymon vocis vel alia non satis firma fundamenta respicientes, a communi sensu cæterorum recesserunt (1).

Diversitas membrorum duplicis hujus divisionis non est intrinseca, sed extrinseca.

Cæterum plane vides, diversitatem scientiarum duplicis hujus postremæ divisionis non esse intrinsecam et subjectivam, sed penitus extrinsecam ac mere desumptam ex diversa objectorum conditione (2). Ut enim scite observat P. Ludovicus de Molina, «neque ex eo quod objecta existant extra causas, scientiaque divina dicatur visionis comparatione eorum, ulla major evidentia, claritas aut perfectio advenit scientiæ divinæ, quæ æque clara et perfecta notitia esset eorumdem objectorum comparatione, esto nunquam futura essent. Quare distinctio hæc nihil omnino diversitatis facit ex parte scientiæ Dei, sed solum ex parte objectorum; cum tamen in nobis notitia intuitiva, quæ pendet ab existentia objecti, estque experimentalis notitia illius (ut quæst. 1, art. 2, disp. 4, explicatum est) distincta sit specie ab abstractiva; multumque illam evidentia ac perfectione superet» (3).

Scientia speculativa et practica;

16. Deinde dividi potest scientia Dei in *speculativam* et *practicam*. Speculativa sistit in mera rerum contemplatione, nec ulterius ordinatur ad dirigendam earum operationem: qualis est scientia, quam Deus habet, sui ipsius et mere possibilium (4). Practica est, quæ ad dirigendam operatio-

(1) Vide Ruis de Montoya, loc. cit., sect. 4 et 5, ubi fuse et egregie de his. Cfr. Suarez, *Metaphys.*, disp. 30, sect. 15, num. 19-40.
(2) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 9, ad 2.um
(3) Molina, in 1.am part., quæst. 14, art. 9 medio.
(4) Vide S. Thom. 1.ª p., quæst. 14, art. 16 corp.; 1.° Sententiar. in prologo; *de verit.* quæst. 3, art. 3; Albert. M. 1.ª Prim. part., quæst. 60, membr. 4, art. 2), Halens. (Prim. part., quæst. 23, membr. 1), Capreol. (1.° dist. 35, art. 2, concius. 1), Cajetan., Vasquez, Molina (in 1.am part. quæst. 14, art. 16), Suarez (*De Deo*, lib. 3, cap. 4, art. 2), Valentia (in 1.am part., disp. 1, quæst. 14, punct. 3, *Tertium attributum...*), Ruiz de Montoya (disp. 16, sect. 1), aliosque.

Nihilominus Scotus, licet concedit hoc esse probabile, arbitratur probabiliter quoque defendi posse, scientiam Dei circa se ipsum practicam esse. Sed Scotum fuse refutant Ruiz de Montoya et Suarez locis citatis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem ordinatur, Deus enim nihil temere efficit, sed prælucente, ac dirigente perfectissima notitia, quæ modum operandi convenientissimum demonstret. Notat porro S. Thomas (1) tripliciter dici posse scientiam aliquam speculativam et practicam. Speculativa dicitur α) *ex parte objecti*, quia nempe versatur circa objectum non operabile, saltem ab illo qui talem scientiam habet; qualis est scientia hominis de rebus naturalibus vel divinis. β) *Ex parti modi*, quia quamvis objectum sit operabile, scitur modo, qui non conducit ad operationem; ut si, v. g., cognoscatur domus secundum omnes partes ejus per definitiones ac divisiones ac prædicata universalia, cognitio reapse practica non est. γ) *Respectu finis*, quando videlicet, quamvis res sit operabilis, v. g. domus, et etiam operabili modo cognoscatur, intelligendo, quo pacto fieri debeat, tamen cognitio hæc non ordinatur hic et nunc ad operationem, ut si quis artem architectonicam addiscat solius cognitionis gratia. Cognitio itaque, quæ primo modo est speculativa, dicitur simpliciter speculativa; quæ vero est speculativa secundum modum et finem, dicitur speculativa secundum quid, et secundum quid practica. Et ex opposito scientia potest esse practica iisdem tribus modis: quæque est practica respectu finis, dicitur simpliciter practica, quia ejusmodi cognitio non potest etiam non esse practica ex parte ipsius objecti et modi. Unde jam clare patet, quomodo scientiam, quam Deus habet de se ipso, dicenda sit cum communi omnium sensu speculativa; scientia autem creaturarum respectu Dei sit practica, quemadmodum pariter docet communissima scriptorum sententia contra paucos veteres Scholasticos (2). Et ratio est, quia et ipsæ creaturæ sunt operabile quiddam, dirigibile ac regulabile per scientiam; modus item, quo cognoscuntur a Deo, practicus est seu operativus, quia monstrat, quo pacto producendæ sint; ac demum finis immediatus et proximus scientiæ divinæ sub hac præcisa ratione est dirigere productionem creaturarum, quamvis fatendum est non hunc esse supremum earumdem finem, utpote quæ ulterius

Quomodo sit scientia simpliciter speculativa,

et quomodo simpliciter practica.

(1) *De verit.*, quæst. 3, art. 3.
(2) Apud Ruiz de Montoya, disp. 16, sect. 3 et 4.

ordinantur ad gloriam extrinsecam Dei manifestando ejus attributa (1).

17. **Hic autem quæri posset** α) primo, darine possit scientia practica in Deo respectu suorum actuum. Quæ controversia ut melius capiatur, recolendum animo est, cognitionem bifariam esse posse practicam, per *modum prudentiæ* ac *per modum artis*. Prudentia dicitur recta ratio *agibilium*, ars vero recta ratio *factibilium* (2), sed quoniam discrimen inter *actionem* et *factionem* non uno modo explicatur, ut alibi docuimus (3), commodius videtur, ut nunc distinguamus prudentiam et artem per ordinem ad practicum morale et artificiale. Prudentia enim continet practicum morale, respicitque rectitudinem morum, docendo quo pacto actio exercenda sit secundum regulas honestatis; at vero ars importat practicum artificiale, ac docet, quo modo actiones fiant secundum regulas artis (4). Jam per modum artis facile intelligitur, divinam scientiam esse practicam in ordine ad operationes ad extra, «quia cognoscit, non solum quasi speculando et contemplando quidditatem et proprietates rerum, sed etiam cognoscendo modum, quo fieri debent, quod est proprium illius scientiæ practicæ, quam *factivam* vocant, et est propria et propriissima ars» (5). Et ita etiam in sacris Litteris divina sapientia dicitur *omnium artifex* (6); et alibi quæritur: *Quis illorum, quæ sunt, magis quam illa artifex?* (7).

An dari possit in Deo scientia practica respectu suorum actuum.

Sed quid dicendum de scientia practica per modum prudentiæ? Existimat Doctor Eximius, divinam scientiam posse considerari ut practicam hoc modo respectu ipsiusmet voluntatis divinæ quoad actus liberos ut sic seu quoad determinationem eorum. Quis enim negare potest, actus illos esse

(1) Vide Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 4, ubi et fusæ hæc demonstrantur et ab adversariorum telis vindicantur sect. 8 ejusdem disputationis.
(2) Vide Aristotel. *Ethicor*, lib. 6, cap. 4 et 5; *Politicor*, lib. 1, cap. 3.
(3) Vide *Logic. Major*, num. 258, pag. 909 seqq.
(4) Cfr. *Logic. Major*, num. 258, pag. 908.
(5) Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 4, num. 9.
(6) *Sapient.* cap. 7, vers. 21.
(7) *Sapient.* cap. 8, vers. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prudentissimos, et ut tales fuisse a Deo præcognitos et præjudicatos prius ratione, quam sint, secundum liberam determinationem? Nam quod illi actus sint honestissimi et conformes divinæ bonitati, manifestum est. Quod vero præjudicentur ut tales prius ratione, quam determinentur, etiam videtur clarum, quia scientia illa naturalis est, et naturalia sunt priora liberis. Ergo ante liberam determinationem antecedit in scientia Dei hoc judicium practicum: *Velle hoc vel illud rectum erit secundum prudentiam, liberalitatem vel justitiam.* Ergo tale judicium recte dicitur practicum et prudentiale» (1). Sic ergo licet scientia, quam Deus habet de se ipso deque his, quæ intra ipsum sunt necessario, practica esse non possit per modum artis, nihilominus videtur posse esse practica per modum prudentiæ comparatione actuum et determinationum liberarum.

Hanc tamen doctrinam non sine distinctione admittit P. Didacus Ruiz de Montoya ob eam rationem, quia volitiones liberæ Dei non sunt reapse dirigibiles secundum honestatem per scientiam suam, propter essentialem videlicet, qua informantur, honestatem, a qua metaphysice repugnat illas deflectere. Præterea quamvis volitiones creandi et gubernandi creaturas sint liberæ quantum ad harum productionem vel gubernationem, sed non sunt liberæ quantum ad honestatem intrinsecam. At nihil potest esse objectum scientiæ practicæ, nisi poterit aliter se habere. Quare concludit prædictus Auctor, divinam scientiam non esse practicam per modum ethicæ prudentiæ, quæ non alienas, sed proprias dirigit operationes ad honestatem (2).

Concedit tamen divinam scientiam practicam esse per modum prudentiæ, sive prout gubernat universum, sive prout dirigit angelos et homines, ut prudenter operentur, ac proinde considerari posse ceu prudentiam œconomicam vel domesticam et politicam aut civilem. «Deus enim per suam prudentiam, inquit, ad honestum bonum virtutis dirigit operationes suæ domus sive familiæ, quæ est Ecclesia, maxime vero pusilli gregis prædestinatorum. Et quantum ad

(1) Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 4, num. 7; ac lege etiam, num. 8.
(2) Vide Ruiz de Montoya, *De scient. Dei*, disp. 16, sect. 5, num. 5. Cfr. num. 9 et 10.

hoc divina scientia se habet per modum œconomicæ, quod nomen a Patribus frequenter tribuitur operibus providentiæ supernaturalis, potissimum Incarnationis» (1). «Per modum autem politicæ seu civilis prudentiæ practica est etiam divina scientia, quatenus universum mundum et homines, etiam externos Ecclesiæ infideles ac reprobos, quantum est ex parte suarum legum et auxiliorum dirigit ad bonum honestum et ad finem totius reipublicæ creatæ, qui est major Dei gloria per ostensionem attributorum et salutem prædestinatorum» (2).

Verum alii non admittunt hanc Ruizii de Montoya limitationem, ac nominatim qui negant ad praxim requiri, ut sit actus vel opus liberum, in quorum numero sunt inter alios PP. Ludovicus de Molina (3), Gabriel Vazquez (4), et Antonius Bernaldus de Quiros (5), Oviedo (6), Arriaga (7), Hurtado (8) et Soarez lusitanus (9). Hi enim non aliud in hac parte requirunt ad praxim vel cognitionem practicam, nisi ut sit actus vel opus vere dirigibile per imperium voluntatis (10), quamvis illud sit necessarium. Ex quo capite negant cognitionem, per quam procedit Verbum divinum a Patre, esse practicam, quia processio divinæ Personæ non dirigitur, nec imperatur a voluntate. Quidquid de hoc sit, ex alio capite posset forte melius impugnari limitatio a P. Didaco Ruiz de Montoya apposita; quia nimirum, quamvis verum sit, non esse in Deo libertatem contradictionis respectu actuum prudentiæ, quatenus nempe possint esse vel honesti et recti vel etiam non honesti nec recti, at videtur adesse omnino libertas specificationis aut contrarietatis, quandoquidem potest Deus circa idem objectum diversimode operari rectissime prudentissimeque, ut vere sit locus directioni atque electioni

(1) Id. ibid., num. 6. Cfr. disp. 2, sect. 5, num. 12, 13.
(2) Id. ibid., num. 7. Cfr. num. 8.
(3) In 1.am part., quæst. 1, art. 4, disp. 1.ª et 2.ª
(4) In 1.am part., disp. 8, cap. 5.
(5) *De Deo*, quæst. 14, art. 10, num. 128; et in *Curs. philos.*, disp. 13, sect. 3 et 4.
(6) *Logic.*, controv. 2, punct. 2, num. 10.
(7) *Logic.*, disp. 1, sect. 4, sub. sect. 3.
(8) *De anim.*, disp. 22, sect. 2.
(9) *Logic.* tract. 1, provenial., disp. 1, sect. 2, paragr. 3.
(10) Cfr. *Logica Major*, num. 255, pag. 903-904.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liberæ. Verum maneat de hisce judicium penes sapientiores.

Utrum scientia Dei possit esse practica, sive prout est simplicis intelligentiæ, sive prout est visionis.

18. Quæri potest β) secundo, utrum scientia Dei possit esse practica, sive prout est simplicis intelligentiæ, sive prout est visionis. Quæstio hæc arctissime connectitur cum illa alia inferius tractanda, an videlicet et qualis scientia Dei sit causa rerum. Quod ergo attinet scientiam simplicis intelligentiæ, tametsi ea sub uno respectu speculativa sit, quatenus nempe est notitia perfectissima essentiarum proprietatumque quorumlibet possibilium (1); sub alio autem respectu est practica, ut evidenter patet in illis possibilibus, quæ Deus creare decernit. Talis enim scientia est in primis de re operabili ab ipso sciente, et respicit objectum modo operabile, quia ostendit, quo pacto creandus et gobernandus erit mundus, ac tandem habet pro fine proximo possibilium ejusmodi creationem. Quare scientia, quam Deus habet possibilium, quæ creare decernit, simpliciter practica dicenda est, in quantum est de re operabili, et modo operabili et directa in operationem (2).

At vero scientia simplicis intelligentiæ respiciens pure possibilia est quidem practica ex parte objecti et modi, non autem ex parte finis; quapropter practica tantum dicenda est secundum quid. *De his, quæ potest quidem* (Deus) *facere*, inquit S. Thomas, *sed secundum nullum tempus facit, non habet practicam scientiam, secundum quod practica scientia dicitur a fine. Sic autem habet practicam scientiam de his, quæ secundum aliquod tempus facit* (3). Idemque omnino videtur expressisse, cum hæc alibi scripsit: *Eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum* (4). Nam ex mente Aquinatis illa est scientia *virtute* tantum practica seu operativa, quæ non est *actu* practica seu operativa, nimirum quæ non habet adjunctum decretum divinæ voluntatis, quo ad actualem operationem dirigatur. Cum

(1) Vide S. Thom., *de verit.* quæst. 3, art. 7 corp.
(2) Vide S. Thom., loc. sup. cit. corp. et ad 1.um, 2.um et 3.um.
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 16 corp.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 2.um Cfr. *de verit.* quæst. 3, art. 7 corp., et ad 2.um et 3.um

enim Deus libere operetur ad extra, sola ejus cognitio, quantumvis practica ex parte objecti et modi, non sufficit ad hoc ut determinet operationem, donec accedat actus voluntatis: unde in scientia possibilium adest totum illud, quod requiritur ex parte scientiæ ad productionem illorum, sed deest applicatio potentiæ ad causandum et efficiendum actu. Et hoc est, quod alii solent significare dicentes, scientiam possibilium per se esse remote duntaxat atque in actu primo practicam et operativam, fieri autem proxime atque in actu secundo operativam per decretum efficax divinæ voluntatis. Audiatur Angelicus: *Cognitio practica dicitur ex ordine ad opus: quod contingit dupliciter, quandoque* in actu, *quando scilicet ad aliquod opus* actu ordinatur, *sicut artifex, præconcepta forma,* proponit *illam in materiam inducere; et tunc est* actu practica *cognitio et cognitionis forma. Quandoque vero est quidem* ordinabilis *cognitio ad actum, non tamen* actu ordinatur, *sicut cum artifex excogitat formam artificii, et scit per modum operandi, non tamen operari* intendit; *et certum est, quod est practica* habitu *vel* virtute, non actu. *Quædam ergo cognoscit* (Deus) ordinando *ea ad hoc, quod sint secundum quodcumque tempus; et horum habet practicam cognitionem* in actu. *Quædam vero cognoscit, quæ nullo tempore facere* intendit, *scit enim ea, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt.....; et de his quidem habet* scientiam in actu, *non autem* actu practicam, *sed* virtute *tantum* (1).

Et quoniam scientia, quæ solum ex objecto vel ex modo est practica, est secundum quid speculativa et secundum quid practica; ut autem sit simpliciter practica, requiritur, ut ordinetur ad operationem, quemadmodum superius notavimus ex S. Thoma (2); plane constat, cur scientiam possibilium S. Doctor vocare sine contradictione potuerit *speculativam* (3), vel *aliquo modo speculativam* (4), intelligendo videlicet illam speculativam secundum quid, quia quamvis ordinabilis sit ad opus, non tamen actu ordinatur per voluntatis decretum.

(1) S. Thom., *De verit.* quæst. 3, art. 7 corp. Cfr. ad 6.um
(2) S. Thom., 1 p., quæst. 14, art. 16.
(3) *De verit.* quæst. 2, art. 8 corp.
(4) *De verit.* quæst. 3, art. 3, ad 1.um et 2.um Cfr. inferius dicenda de divinis ideis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Jam quod pertinet ad scientiam visionis, eam non esse per se practicam, docent communissime auctores nostri, et nos cum illis mox probabimus, cum inquirendum erit, *quænam scientia sit causa rerum;* nam perinde est investigare, an scientia visionis sit causa rerum, et an sit scientia practica.

19. Quæri potest γ) utrum cognitio malorum revocari possit ad scientiam practicam. Affirmative respondet S. Thomas, quia *mala licet ab eo* (Deo) *non sint operabilia, tamen sub cognitione practica ipsius cadunt, sicut et bona, in quantum permittit*, vel *impedit*, vel *ordinat ea; sicut et ægritudines cadunt sub practica scientia medici, in quantum per artem suam curat eas* (1). Quam doctrinam præclare exponit Didacus Ruiz de Montoya hisce verbis: «Non eodem modo practica est scientia Dei comparatione peccatorum, sicut comparatione bonarum operationum. De istis enim dictat, quomodo Deus possit esse causa illarum, prædefiniendo, excitando, cooperando. De peccatis autem dictat potius, Deum non posse causam et auctorem esse illorum..... Nihilominus Dei scientia dictat, quomodo possit concurrere ad materiales actiones peccatorum, ita ut ad eas non determinet creatam voluntatem, sed illi relinquat integram potestatem se continendi a talibus actionibus; insuper quales occasiones et exteriora objecta possit offerre. Tertio dictat eadem scientia, quomodo et propter quos fines sit permittenda malitia ex illis actionibus necessario consequens. Quarto dictat, quæ bona et quomodo possint ex peccatis elici. Quinto dictat, quomodo peccatorum inordinatio revocari possit ad ordinem per supplicium aut pœnitentiam» (2).

Scientia approbationis et simplicis notitiæ.

20. Quinto dividitur scientia divina in *scientiam approbationis* et *simplicis notitiæ*. Prima versatur circa bona, quæ non potest Deus non voluntate sua probare: quo pacto vidit Deus *cuncta; quæ fecerat, et erant valde bona* (3). Scientia simplicis notitiæ versatur circa ea, quæ Deus, licet cognoscat, non tamen probat, qualia sunt v. g. peccata. Quare scientia

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 16 fin. corp.
(2) Ruiz de Montoya, disp. 16, sect. 7, num. 1-2.
(3) *Genes.* cap. 1, vers. 31.

simplicis notitiæ dicitur notitia rerum non continens earumdem per divinam voluntatem approbationem; scientia vero approbationis est notitia rerum adjunctam habens earumdem complacentiam et approbationem, Siquidem, docente Aquinate, *scientia simplicis notitiæ communis est omnibus bonis et malis, scientia autem approbationis est bonorum tantum* (1): vel, ut scribit S. Bonaventura, *notitia approbationis connotat complacentiam voluntatis: hac non cognoscit Deus omnia, quia nec mala nec malos, sed tantum bona et bonos* (2). Et Magister Sententiarum: *Cognoscit ergo Deus*, inquit, *et bona et mala per scientiam; sed bona cognoscit etiam per approbationem et per beneplacitum, mala vero non. Unde Cassiodorus* (super Psalmo 16) *dicit:* **Peccata abscondita Deo sunt, quia non novit, id est, non approbat.** *Et ex eo sensu Augustinus dixit ea abscondita a lumine Dei. Qui etiam in libro ad Evodium* (al. *ad Elvidium*, epist. 102) *insinuat cognitionem Dei variis modis accipiendam, inquiens:* **Si ad scientiam referas, non ignorat Deus aliquos vel aliquas, qui tamen in judicio quibusdam dicet:** *Non novi vos* (*Matt.* cap. 7, vers. 23). **Sed eorum improbatio hoc verbo insinuata est.** *Ecce non cognoscere dicitur Deus, quæ non approbat, quæ ei non placent* (3).

Porro ea, quæ quamvis a Deo probe cognoscantur per simplicem notitiam, non possunt tamen approbari, *nescirí* dicuntur per metaphoram. Nam *nescire dicitur duplicitur: uno modo metaphorice*, ad similitudinem nescientis se habere. *Et sic ipsum reprobare Dei nescire dicitur, quia malos a gloria sua excludit, sicut aliquis ignotos a secretis suis excludit. Et per oppositum Deus dicitur scire, quæ approbat*, etc. (4). Quare scientia approbationis et simplicis notitiæ distinguuntur per connotationem vel non connotationem ad voluntatem Dei, quemadmodum patet ex præmissa declaratione, ac diserte docetur ab Angelico Magistro (5).

Utrum scientia approbationis

21. Quæri autem potest, utrum scientia approbationis identificetur cum scientia visionis, an vero sit ab illa distincta.

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 7, art. 8.
(2) 1.ª dist. 20, art. 1, quæst. 2 corp.
(3) Magist. Sentent. 1.ª dist. 16, paragr. *Post prædicta quæritur.*
(4) S. Thom. 1.ª, dist. 46, quæst. 1, art. 2 corp.
(5) *De verit.* quæst. 3, art. 3, ad 8.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Identificetur cum scientia visionis.

Qua de re P. Didacus Alvarez, e Sacro Prædicatorum Ordine, apud P. Didacum Ruiz de Montoya (1) existimavit scientiam approbationis non distingui a visionis scientia, sive ex parte scientis, sive etiam ex parte ipsius objecti cogniti, «unde neque mala neque peccata excipit a scientia approbationis, quoniam Deus videt illa de facto committi». Hæc autem sententia rejicienda prorsus videtur, quia Deus approbare nequit peccata, quæ tamen profecto videt, sed reprobat, atque abominatur, ut novimus ex Patribus sacrisque Litteris. Quare Magister sententiarum seu Petrus Lombardus, S. Thomas et S. Bonaventura in modo laudatis locis dicerte mala excludunt a scientia approbationis. Ergo mala actu existentia, licet sint objectum visionis divinæ, non terminant scientia approbationis, et consequenter nequeunt scientia visionis et approbationis objecto penitus convenire. Plane autem abuteretur vocabulis, qui ut defendat identitatem scientiæ visionis cum approbationis scientia, nomen *approbationis* extenderet ad quamlibet voluntatem efficacem Dei, quæ quidem respectu bonorum sit vera approbatio, qualem omnes intelligunt, at respectu malorum culpæ sit permissio, ita ut nominæ scientiæ approbationis significetur scientia habens adjunctam efficacitatem voluntatis, sive positive acdirecte decernentis, sive mere permittentis, quemadmodum loquitur Joannes a S. Thoma (2). Si ita res haberent, sola possibilia excluderentur a scientia approbationis.

Quænam comprehendantur scientia approbationis.

Secunda sententia est P. Didaci Ruiz de Montoya et aliorum, secundum quam «scientia approbationis non est scientia visionis, quantumcumque limitetur visio ad bona solummodo, quæ Deus fieri vult; sed approbationis scientia est simplex intelligentia, prout dictat, quomodo facienda sint talia bona, concurritque dirigendo decretum efficax illa producendi» (3). Vel, ut alii loquuntur, scientia approbationis est scientia possibilium practica et in actu secundo, quatenus nempe, accedente divino decreto, applicatur ad directionem operis boni faciendi, et sic redditur suo modo causa illius de facto

(1) *De scient. Dei*, disp. 18, sect. 3, ab initio.
(2) *Curs. Theolog.* tom. 1, *De Deo*, disp. 18, art. 3 init
(3) Ruiz de Montoya, loc. cit., num. 17 seqq.

in tali temporis differentia, pro qua dirigit potentiam exsequentem. Nam notitia possibilium, si spectetur prout idonea ad dirigendam operationem, qua creaturæ producantur, semper quidem est practica, sed, donec accedat decretum efficax de re facienda, solum est practica remote atque in actu primo. «At per decretum accedens fit, ut Deus quodammodo approbet suam illam scientiam, nolitque illam tantum esse in actu primo practicam et re ipsa infœcundum» (1). Et nescio, annon hæc fuerit opinio S. Thomæ, quando in hunc modum scripsit: *Manifestum est, quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere: unde necesse est, quod sua essentia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam*. **Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum consuevit nominari scientia approbationis** (2). Hæc ergo opinio sic explicata duo supponit; alterum, scientiam approbationis esse practicam seu causam rerum; alterum, scientiam, quæ est causa rerum, non esse scientiam visionis.

Tertia sententia est media, quam tuetur inter alios P. Franciscus Suarez, scientiam approbationis esse tum scientiam visionis, terminatam ad bona, in quibus Deus complacet, tum etiam scientiam possibilium, quatenus conjunctum habet aliquem actum approbationis ex parte voluntatis decernentis aliquid facere ex directione talis scientiæ possibilium, quemadmodum rem declarabat præcedens opinio (3).

Probatur hæc doctrina quoad primum partem ex testimoniis quorumdam Patrum et Scripturæ. Nam scientia approbationis procul dubio videtur indigitari testimonio illo *Genesis: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* (4). Atqui sermo ibi est de bonis actu existentibus. Unde scriptor antiquos: *Videre Dei*, inquit, *est actu bona approbare, sicut illud est in Genesi:* **Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona**, *id est, intelligentibus bona demonstravit.*

(1) P. Theophil. Raynaud., *Theologia*, dist. 8.ª, art. 4, num. 51.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 8 fin. corp.
(3) Vide Suarez, prologom. 2.º in tractat. *de Gratia*, cap. 10, num. 19. Cfr. *De Deo*, lib. 3, cap. 4, num. 11.
(4) *Genes.* cap. 1, vers. 31.

000718

Aliter videre Dei est mala hominum sciendo reprobare, sicut est illud in Isaia: **Et vidit Dominus, et apparuit malum in oculis ejus** (1). Nec aliter S. Augustinus: *Quid est aliud intelligendum in eo, quod per omnia dicitur:* **Vidit Deus, quia bonum est**, *nisi operis approbatio secundum artem facti, quæ sapientia Dei est?* (2) Idem etiam colligi videtur ex eo, quod plura ideo dicitur Deus ignorare, quia non approbat, etiamsi sermo sit de existentibus, ut patet ex illo testimonio Habacuc: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum* (3), quod, interprete S. Hieronymo, ideo dicitur ignorare, *quia non libenter videt illud*. Idemque exprimitur in eo loco S. Matthæi: *Nescio vos* (4), ubi pariter sermo est de malorum visione. Ergo e converso quæ Deus *videt*, libenter et complacendo in eis et approbando illa videt, nimirum scientia approbationis cognoscit.

Probatur alterum, quod opinio hæc sustinet, videlicet scientiam approbationis non esse restringendam ab bonorum duntaxat cognitionem, sed extendendam quoque esse ad possibilium notitiam, saltem practicam, qualenus annexum habet decretum efficax producendi ea secundum directionem prædictæ scientiæ. Nam possibilia, quorum inest Deo hujusmodi scientia, reapse talia sunt, quæ Deus approbet, complacendo in illis; immo Deus proprie non complacet nisi in iis, quæ ipse facere decrevit.—Sententia hæc satis rationabilis videtur.

Denique alia est opinio contendentium, divisionem scientiæ divinæ in scientiam simplicis notitiæ atque approbationis diminutam esse, nisi addatur tertium membrum, scientiæ nempe visionis. Arbitrantur nimirum scientiam simplicis notitiæ etiam in hac divisione æque valere ac scientiam possibilium, scientiam autem approbationis terminari ab bona duntaxat existentia: quare agnoscendam esse aliam scientiæ rationem, quæ terminetur ad mala existentia. Pro qua opinione citantur

(1) In libro *De essentia divinitatis*, paulo post medium inter opera S. Augustini.
(2) S. August., *De civit. Dei*, lib. 11, cap. 21 initio.
(3) *Habac.* cap. 1, vers. 13.
(4) *Matt.* cap. 25, vers. 12.

S. Bonaventura (1), Durandus (2) allique apud P. Didacum Ruiz de Montova (3). Verum si nomen scientiæ simplicis notitiæ sumamus hic non prout isti scriptores sumunt tamquam identicum scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ visioni opponitur secundum acceptionem vocis superius in secunda divisione declaratæ, sed in alio sensu, comprehendente quidquid Deus non approbat complacendo in illo, plane vides bimembrem divisionem in scientiam simplicis notitiæ atque approbationis rectam esse atque adæquatam.

ARTICULUS IV

Qualis sit scientia Dei.

Status quæstionis.

22. Hic difficiliores duntaxat divinæ scientiæ proprietates pertractare intendimus. Certitudinem summam atque infallibilitatem, claritatem, simplicitatem demum divinæ scientiæ, omnia uno actu cum essentia perfectissime identificato absque ulla compositione vel discursu comprehensive penetrantis, verissimeque judicantis, superius breviter declaravimus, cum perfectionem ejus enuclearemus (4): nec rem perspicuam necesse est iterum ad trutinam revocare. Duæ tamen sunt affectiones scientiæ Dei, quæ difficultate non vacant, invariabilitas vel immutabilitas et efficacitas: non enim tam perspicuum est, primum quo pacto scientia divina sit prorsus invariabilis, ac secundo an et quænam scientia sit causa rerum.

§ I.—AN ET QUO PACTO SCIENTIA DEI SIT INVARIABILIS.

Apertio rei difficultas.

Quæ supra nobis negotium facessit difficultas conciliandi libertatem divinam cum immutabilitate, eadem ferme statim occurrit cogitanti scientiam Dei liberam et contingentem. Si qua enim est scientia vere libera in Deo, ergo potuit non

(1) 1.ª dist. 39, art. 1, quæst. 3 in corp.
(2) 1.ª dist. 36, quæst. 1, num. 7.
(3) Disp. 18, sect. 3, num. 8
(4) Vide supra hujus voluminis num. 4, pag. 14 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse. Si autem potuit non esse in Deo cognitio aliqua, quomodo potest scientia Dei dici atque esse invariabilis, et quomodo ipsemet non mutatur? Nam scientia est prædicatum proprium et intrinsecum Dei, immo ipsa ejus essentia; quare si scientia rei alicujus potuit in Deo non esse, consequens est, ut aliter se habere potuerit essentia illius. Sit tamen certissima.

Scientia Dei est entitative atque in se invariabilis.

PROPOSITIO 1.ª **Scientia Dei est entitative atque in se ipsa prorsus invariabilis et immutabilis.**

Probatur 1.ª argumento S. Thomæ (1). Scientia Dei est ipsa ejus substantia. Atqui divina substantia est omnino immutabilis. Ergo... **Major** in altero hujus capitis articulo demonstrata est, **Minor** vero in præcedente volumine. Quare afferri ad hanc rem confirmandam possent omnia illa sacrarum Litterarum Patrumque testimonia, quibus Theologi solent divinam immutabilitatem demostrare.

Probatur 2.º cum eodem Aquinate. *Scientia cum sit medium inter cognoscentem et cognitum*, bifariam variari potest: α) *uno modo ex parte cognoscentis*. β) *alio modo ex parte rei cognitæ*. Atqui scientia ex neutro capite variari potest. α) *Non ex parte cognoscentis*. Nam variatio in Deo ex parte cognoscentis contingere fingi posset vel 1.º *per acquisitionem novæ scientiæ* vel *per amissionem prius habitæ*, et hoc impossibile est in ente infinito ac purissimo simplicissimoque actu: vel 2.º *per variationem actus* æterni ac permanentis, quæ tripliciter fieri posset: *uno modo ex eo quod divina scientia actu considerat, quod prius non considerabat; sicut dicimus illum variari, quando exit ab habitu in actum. Iste autem variationis modus in scientia Dei esse non potest; quia ipse non est sciens secundum habitum, sed solum secundum actum, quia non est in eo aliqua potentialitas sicut in habitu. Alio modo accidit variatio in actu sciendi ex hoc, quod modo considerat unum, modo aliud. Sed istud etiam non potest esse in divina cognitione, quia ipse per unam speciem suæ essentiæ omnia videt, et ideo omnia simul intuetur. Tertio modo ex hoc, quod aliquis in considerando discurrit de uno in aliud; quod etiam in Deo accidere non potest; quia cum discursus requirat duo, inter quæ sit, non potest dici*

(1) Vide 1 p., quæst. 14, art. 15.

discursus in scientia ex hoc, quod duo videat, si illa videt uno intuitu: quod accidit in divina cognitione vel scientia, per hoc quod omnia uno intuitu videt. 3.º Variatio in Deo ex parte cognoscentis accideret *ratione medii cognoscendi, qualenus videlicet aliquid Deus cognosceret limpidius vel perfectius... nunc, quam prius; quod quidem potest contingere ex duobus. Uno modo ex diversitate medii, per quod fit cognitio; sicut accidit in eo, qui prius scivit aliquid per medium probabile, et postea scit idem per medium necessarium; quod etiam in Deo accidere non potest, quia essentia sua, quæ est in eo medium cognoscendi, est invariabilis. Alio modo ex virtute intellectiva, secundum quod unus homo melioris ingenii acutius aliquid cognoscit, etiam per idem medium; quod etiam in Deo accidere non valet, quia virtus, qua cognoscit, sua essentia est, quæ invariabilis est. Ergo relinquitur, scientiam Dei omnino invariabilem esse* ex parte ipsius cognoscentis. Verum...

β) *Nec ex parte rei cognitæ* variabilis est. Variatio enim ex hac parte accideret *secundum veritatem et falsitatem; quia, eadem existimatione remanente, si res mutetur, erit existimatio falsa, quæ fuit prius vera; quod etiam in Deo non potest esse, quia intuitus divinæ cognitionis fertur ad rem, secundum quod est in sua præsentialitate, prout est jam determinata ad unum; et ulterius quantum ad hoc non potest variari. Si autem res ipsa aliam dispositionem accipiat, illa iterum erit eodem modo divinæ visioni subjecta; et sic scientia Dei nullo modo variabilis est* (1).

Objectionis solutæ.

23. **Objicies 1.º** Illa est scientia perfectissima, quæ rebus scitis perfectissime assimilatur. Atqui plurimæ res a Deo scitæ variabiles sunt. Ergo et ipsa Dei scientia variabilis sit, oportet (2).

Respondeo, *dist.* Major. Illa est scientia perfectissima, quæ rebus scitis perfectissime assimilatur secundum conformitatem naturæ, *neg.*; secundum repræsentationem, *conc.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Quænam enim repugnantia est in eo, quod res variabilis ipsæque variationes repræsententur invariabiliter? Sic etiam successiva et composita simul

(1) S. Thom., *De verit.*, quæst. 2, art. 13.
(2) Apud S. Thom., *De veritate*, quæst. 2, art. 14, arg. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et unico actu repræsentari queunt, ut modo vidimus ex S. Thoma.

Objicies 2.º «Scientia relative dicitur ad scibile. Sed ea, quæ important relationem ad creaturam, dicuntur de Deo in tempore, et variantur secundum variationem creaturarum, ut *Dominus*, *Creator* et hujusmodi. Ergo scientia Dei est variabilis secundum variationem creaturarum» (1).

Resp., *dist.* Minor. Quæ important relationem ad creaturas, dicuntur de Deo in tempore, si relatio illa fundetur in actione transeunte in exteriorem naturam, qualis est relatio *Creatoris*, etc., *conc.* Si relatio fundetur in actione immanente Dei, qualis est intellectio et volitio, *neg.* Tum *neg.* conseq. Legatur S. Thomas (2).

Objicies 3.º «Ablato uno relativorum, aufertur aliud. Ergo, variato uno, variatur reliquum. Sed scita in Deo sunt variabilia. Ergo scientia ejus variabilis» (3).

Resp., *dist.* Minor. subsumptam: prout substant divinæ scientiæ, *neg.*; absolute et in se ipsis, *conc.* Etenim *illud, ad quod refertur divina scientia, secundum quod substat divinæ scientiæ, est invariabile: unde et scientia invariabilis est quantum ad veritatem, quæ variari potest per mutationem relationis prædictæ* (4).

Objicies 4.º Scientia, quæ potest augeri vel minui, potest variari. Sed scientia Dei potest augeri et minui, quatenus possit plura vel pauciora scire, quam scit. Nam quidquid potest facere, potest scire. Sed potest facere plura, quam faciat, vel etiam pauciora. Ergo potest etiam plura vel pauciora scire, quam sciat, ac proinde scientia ejus potest augeri et minui (5).

Resp., *conc.* Major.; *neg.* Minor., et *distinguo* explicationem superadditam: potest scire plura vel pauciora, quam sciat, per scientiam simplicis intelligentiæ, *neg.*; per scientiam

(1) Apud S. Thom., 1. p., quæst. 14, art. 12.

(2) S. Thom., ibid. ad 1.um Cfr. scripta in præcedenti volumine de relationibus divinis.

(3) Apud S. Thom., *De verit.*, quæst. 2, art. 13, arg. 4.

(4) Id. ibid., ad 4.um

(5) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5, arg. 2; *De verit.*, quæst. 2, art. 13, arg. 5.

visionis, *subdist.*; ita ut Deus aliquid, quod prius nescierit possit incipere scire, vel e converso, *neg.*; ita ut plura, quæ nunc videt existentia, potuerit non videre existentia, et e converso, *conc.* Et ad probationem simili modo *dist.* conseq.

Deus scit etiam ea, quæ potest facere, et non facit (nempe scientia simplicis intelligentiæ). *Unde ex hoc quod potest plura facere, quam faciat, non sequitur, quod possit plura scire, quam sciat, nisi hoc referatur ad scientiam visionis, secundum quam dicitur scire ea, quæ sunt in actu secundum aliquod tempus. Ex hoc tamen quod scit, quod aliqua possunt esse, quæ non sunt, vel non esse, quæ sunt, non sequitur quod scientia sua sit variabilis, sed quod cognoscat rerum variabilitatem. Si tamen aliquid esset, quod prius Deus nescivisset, et postea sciret, esset ejus scientia variabilis. Sed hoc esse non potest; quia quidquid est, vel potest esse secundum aliquod tempus, Deus in æterno suo scit. Et ideo ex hoc quod ponitur aliquid esse secundum quodcumque tempus, oportet poni, quod ab æterno sit scitum a Deo. Et ideo non debet concedi, quod Deus possit plura scire, quam sciat, quia hæc propositio implicat, quod ante nesciverit, et postea sciat* (1).

Objicies 5.º «Deus scivit Christum nasciturum; nunc autem nescit Christum nasciturum, quia Christus nascturus non est. Ergo non quidquid Deus scivit scit; et ita scientia Dei videtur variabilis» (2).

Resp., *dist.* conseq. quoad primam partem: per mutationem intrinsecam scientiæ in mente divina, *neg.*; per mutationem ipsorum enuntiabilium, *conc.*, et *nego* alteram partem consequentis.

Concedendum est, quod hæc non est vera: **Quidquid Deus scivit, scit**, *si ad enuntiabilia referatur. Sed ex hoc non sequitur, quod Dei sit variabilis scientia. Sicut enim absque variatione divinæ scientiæ est, quod sciat unam et eamdem rem quandoque esse, et quandoque non esse; ita absque variatione divinæ*

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 15, ad 2.um. Cfr. *De verit.*, quæst. 2, art. 13, ad 6.um; et 1.ª dist. 39, quæst. 1, art. 1 corp. et ad 3.um; Suar. *Metaf.* lys. disp. 30, sect. 13, num. 18.

(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5, arg. 3.; *De verit.* quæst. 2, art. 13, arg. 7.

scientiæ est, quod scit aliquod enuntiabile quandoque esse verum, et quandoque esse falsum. Esset autem ex hoc scientia Dei variabilis, si enuntiabilia cognosceret per modum enuntiabilium componendo et dividendo, sicut accidit in intellectu nostro. Unde cognitio nostra variatur vel secundum veritatem et falsitatem, puta si, mutata re, eamdem opinionem de illa teneamus; vel secundum diversas opiniones, ut si primo opinemur aliquem sedere, et postea opinemur eum non sedere. Quorum neutrum potest esse in Deo (1).

Objicies 6.º «Sicut scientia Dei est ipse Deus, ita potentia Dei est ipse Deus. Sed a potentia Dei dicuntur res mutabiliter in *esse* productæ. Ergo eadem ratione a scientia Dei res mutabiliter cognoscuntur sine aliquo detrimento perfectionis divinæ» (2).

Resp., *neg.* conseq et paritatem. Nam *actus potentiæ terminatur extra agentem ad rem in propria natura, in qua res habet esse variabile. Et ideo conceditur ex parte rei productæ, quod producitur in esse mutabiliter. Sed scientia est de rebus, secundum quod res aliquo modo sunt in cognoscente; unde cum cognoscens sit invariabilis, invariabiliter res ab eo cognoscuntur* (3).

Objicies 7.º Scientia, quæ potest falli, variabilis est. Atqui divina scientia falli potest, saltem quæ est de contingentibus, utpote quæ possunt non esse (4).

Resp., *neg.* Minor. Nam licet contingens in se consideratum possit non esse vel aliter esse; supposito tamen, quod a Deo cognoscatur esse, vel certo aliquo modo esse, non potest non esse, vel aliter esse (5). Plura argumenta soluta vide apud S. Thomam (6).

Objicies 8.º Saltem scientia visionis potuit, absolute loquendo diversa esse, in hypotesi nempe, in qua Deus

(1) S. Thom. 1.ª p., quæst. 14, art. 15 ad 3.um Cfr. *De verit.*, quæst. 2, art. 13 ad 7.um; Valentia, In 1.am part., disp. 13 quæst. 14, punct. 8.
(2) Apud S. Thom., *De verit.*, quæst. 2, art. 13, arg. 10.
(3) S. Thom., *De verit.*, loc. cit. ad 10.um
(4) Cfr. apud S. Thom., ibid, arg. 2.
(5) Cfr. ibid., ad 2.um
(6) *De veritate*, quæst. 2, art. 13.

decrevisset alia facere, quam quæ fecit, vel nihil creare; tunc enim non hæc, sed illa alia vidisset. Quamvis ergo nunc de facto scientia Dei sit invariabilis, quia ab æterno videt omnia, quæcumque in quavis temporis differentia existant; absolute tamen potuit diversa esse.

Resp., *dist.* antec. Scientia visionis potuit, absolute loquendo, diversa esse pure terminative, *trans.*; subjective aut entitative, *neg.*, et *nego* conseq. Scientia enim visionis entitative non differt a scientia simplicis intelligentiæ: quare sicut hæc pro quavis hypothesi immutabilis est, ita et illa. Et ratio est similis illi, qua superius ostendimus immutabilitatem divinæ voluntatis etiam relate ad decreta et effectus liberos. Nam scientia divina est unius et purissimus actus plane identificatus re ipsa cum essentia, tantæque perfectionis, quæ determinata essentialiter sit ad omne scibile repræsentandum. Itaque ut scientia Dei dicatur, et sit visio rei existentis, non debet in se suscipere mutationem ullam vel additionem ad scientiam necessariam quidditatum essentiarum,ve, sed tantum requirit ex parte objecti tanquam conditionem existentiam ejusdem realem. Unde patet, invariabilitatem aut immutabilitatem scientiæ Dei facilius capi a nobis posse, quam immutabilitatem voluntatis; quandoquidem volitio Dei, quia secundum veriorem sententiam non constituitur ex ipso termino, qui libere amatus denominatur, sed illud antecedit, et infert, debet pro nutu suo illum respicere vel non respicere fundando relationem rationis absque ulla sui mutatione: quod quonam pacto fieri queat, nobis assequi mente non licet. At vero scientia Dei, quatenus est objecti visio, debet logice ac terminative præsupponere illud exisistens tamquam conditio, sine qua cognitio illius denominari non posset visio. Unde haud ægre intelligitur, Deum absque sui mutatione posse relationem videntis habere per solam objecti vel termini mutationem; quandoquidem ut in subjecto aliquo relatio concipiatur, necesse non est, ut illud in se ipso mutetur, sed sufficit, ut terminus aliter se habeat, quemadmodum patet etiam in relationibus *Creatoris, Redemptoris* aliisque, fundatis in actionibus divinis ad extra. Quod ergo Deus sit rem *videns*, vel *simpliciter* tantum *intelligens* potest fieri absque ulla Dei mutatione

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

per hoc solum, quod res ipsa in se aliquando extitura sit, vel non.

Dices. Si Deus potest denominari *videns* sine ulla mutatione facta supra perfectionem, quam importat sola notitia simplicis intelligentiæ, necesse non esset, ut Deus ab æterno res existentes videret, seu ab æterno denominaretur videns, sicut non ab æterno creat, nec ab æterno denominatur Creator.

Respondeo, *neg.* sequelam: tum quia secus Deus ab æterno denominandus esset nondum cognoscens actualem rerum existentiam, quod profecto ignorantiam et imperfectionem sonat; tum quia cum visio, sicut generatim cognitio, sit operatio immanens, denominatio videntis est Deo adæquate intrinseca, quin ad sui verificationem requirat actualem termini visi pro tota æternitate existentiam. Unde sufficit, ut res aliquando vel brevissimo tempore existat, ut illam Deus ab æterno et in æternum videat existentem pro ea temporis differentiæ, in qua reapse existet.

§ II.—AN ET QUALIS SCIENTIA DEI SIT CAUSA RERUM.

Status quæstionis aperitur.

24. Scientiam Dei esse causam rerum, prout scientia est ipsemet Deus, nemo est, qui non concedat. Sed quoniam in Deo sunt multa attributa perfectionesque ratione diversæ, fit, ut quod ratione unius attributi ei convenit, ratione alterius denegetur; quo pacto quamvis eadem res sit, et quæ punit, et quæ miseretur, nihilominus præcisive ac secundum nostros conceptus loquendo, Deus nequit dici punire per misericordiam, sed per justitiam, nec remittere per justitiam sed per misericordiam (1). Ita ergo nunc inquirimus, utrum Deus causet res formaliter quatenus sciens, ita ut perfectio hæc, quam sub scientiæ conceptu intelligimus in Deo, efficienter concurrat ad rerum productionem. Quæstio tamen hæc præscindit ab illa alia, utrum potentia productiva Dei ad extra identificetur, necne, cum ejus intellectione ac volitione, vel utrum scientia Dei sit ipsum immediatum principium operandi, an vero solum causa directiva ostendens modum operandi rem, quam Deus per voluntatem decernat facere, ac tandem

(1) Vide S. Thom. 1.ª, dist. 38, quæst. 1, art. 1.

per omnipotentiam ratione distinctam faciat (1). Utrolibet enim modo salvatur causalitas divinæ scientiæ in rerum effectione, ut per se patet.

Quamvis porro divina scientia sit una simplicissimaque in se ipsa, inadæquatis tamen conceptibus a nobis cognoscitur, et propterea illam multifariam dividi vidimus in præcedenti articulo. Inde vero lites oriuntur circa propositam controversiam. Nam omnes quidem in eo conveniunt, quod aliqua scientia Dei sit causa rerum; qualisnam autem scientia ejusmodi efficacitate potiatur, acriter disputari solet: nimirum controvertitur, utrum sit causa rerum scientia Dei secundum quod terminatur ad possibilia quidditativeque, ac dici solet scientia *simplicis intelligentiæ*, an vero potius scientia *visionis* seu scientia secundum quod terminatur ad ipsas res existentes. Qua de re

Sententia Thomistarum de scientia, quæ sit causa rerum.

Primo est sententia Zumelis, Cabreræ, Alvarezii, Cabezudi, Navarreti et Ledesmæ apud Didacum Ruiz de Montoya (2), eaque jam inde a tribus sæculis communis inter modernos Thomistas (3), scientiam Dei, quæ est causa rerum, esse scientiam visionis. Unde inferunt, ideo res esse futuras, quia præsciuntur scientia visionis. Hanc sententiam ut melius percipias, notare debes cum P. Dominico Viva, «Thomistas præter scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est causa rerum remota, et præter actum voluntatis, quo Deus efficaciter vult ponere aliquid ex iis objectis per scientiam simplicis intelligentiæ propositis, *admittere in intellectu divino alium actum, qui dicitur imperium et scientia practica:* hic enim actus supponit electionem liberam voluntatis, et imperat omnipotentiæ, dicendo: *Fac hoc*. Hanc scientiam recentiores Thomistæ dicunt esse causam proximam rerum; et quia est contingens, ideo est scientia visionis, unde scientia visionis

(1) Cfr. alibi dicta circa potentiam motivam animalem, *Psycholog.* vol. 1.º, num. 223, pag. 330 seqq.

(2) *De scientia Dei*, disp. 15, sect. 1, num. 1-2.

(3) Vide Gener. *Clypeus*, tom. 2, disp. 3, art. 2; Navarrete, *Controversiæ in Divi Thomæ ejusque scholæ defensionem*, tom. 1, controv. 39; Joann. a S. Thoma, In 1.ᵐ p., quæst. 14, dist. 18, art. 3; Cardin. Gotti, *Theolog. Scholast. Dogmat.*, tom. 1, tract. 4, quæst. 4, dub. 4; Billuart, *De Deo*, dissert. 5, art. 3; etc., etc.

dicitur causa rerum. Quomodo autem hujusmodi imperium dici possit scientia visionis, si præcedit, non consequitur, rem contingentem, explicat Lumbier, dicendo, solam scientiam visionis speculativam esse de rebus factis, et consequi ad res contingentes, scientiam vero visionis practicam esse de rebus faciendis, et antecedere res contingentes, illas enim intuetur ut existentes pro posteriori ad talem scientiam, quæ est earum factiva, et applicativa omnipotentiæ ad exsecutionem. Sicut cognitio, qua Verbum procedit a Patre, *intuetur ut existentem* Spiritum S., qui est in posteriori originis tum ad ipsam cognitionem, tum ad Verbum per ipsam productum. Quamvis enim in illo priori intueatur Spiritum S. ut existentem, non intuetur tamen ut existentem pro priori ad productionem Verbi» (1).

Alio exemplo rem eamdem explicat Rev. P. Joannes B. Gonet: «Sicut licet intellectio, inquit, et dictio sint unica actio intellectus (2), quæ simul est productio verbi et contemplatio illius; ea tamen quatenus est pura objecti contemplatio, et, ut loquuntur Philosophi, quatenus est in *esse* quieto, non est productiva verbi, sed supponit illud prius natura et ratione factum a seipsa, quatenus est dictio: ita quoque, etsi scientia approbationis et visionis unica sit scientia in Deo omnino distincta, quæ secundum diversos respectus, quos dicit, vel ad decretum, quod supponit, vel ad objectum, quod intuetur, diversa illa nomina sortitur. Ipsa tamen, quatenus formaliter visionis est, et prout consideratur formaliter ut pure intuitiva et contemplativa sui objecti, non est causa rerum, sed eas supponit in aliquo priori naturæ et rationis factas a seipsa, quatenus practica et approbationis. Causa vero rerum est eadem scientia visionis, quatenus est scientia approbationis et applicata per decretum efficax et absolutum divinæ voluntatis (3). Quare alii cum Joanne a S. Thoma tres actus distinguunt quoad hanc

(1) Viva, *Curs. Theolog.*, 1 part., disp. 3, quæst. 5, num. 111.

(2) Hoc assertum valde dubium esse constat ex traditis in *Psycholog.*, vol. 2.º, num. 68, pag. 258; et num. 83, pag. 314.

(3) *Manuale Thomistarum*, tom. 1, tract. 3.º, cap. 3.º, immediate ante solutio. difficult. vel in *Clypeo Theolog. Thomist.*, tom. 1, disp. 3, art. 2, paragr. 2, vers. fin.

rem in divina scientia: primus est actus simplicis intelligentiæ, cognoscentis et proponentis omnia creabilia vel amabilia; secundus voluntatis, eligentis unum, vel multa ex hujusmodi objectis per simplicem intelligentiam propositis; tertius est actus imperii (quod etiam spectare ad intellectum, non vero ad voluntatem ex Thomistarum sententia, alibi (1) vidimus), et hunc actum imperii supponentem liberam electionem voluntatis dicunt esse simul scientiam visionis et approbationis; visionis quidem, quia connotat futura, approbationis vero, quia fundatur in electione voluntatis. Hunc ergo actum scientiæ docent Thomistæ esse practicum et causam rei, quia dirigit, et applicat, vel movet ad exsecutionem atque effectionem rei (2). Et sic visio, non quatenus est mera objecti contemplatio, quo sensu est cognitio speculativa, sed quatenus imperans operis effectionem, est causa rei.

sententia contraria.

Secunda sententia docet, scientiam, quæ causa rerum est, non scientiam visionis esse, verum scientiam simplicis intelligentiæ. Unde asserunt relate ad scientiam visionis non ideo res futuras esse, quia Deus illas videt, sed e converso ideo videt, quia futuræ sunt. Hanc tenent communissime nostri auctores cum Suarez (3), Molina (4), Bellarmino (5), Vázquez (6), Valencia (7), Lessio (8), Albertino (9), Fonseca (10), Ruiz de Montoya (11), Arrubal (12), Tanner (13),

(1) *Psycholog.*, vol. 3.º, num. 173, pag. 181.

(2) Vide Joann. a S. Thoma, loc. cit.

(3) *De Deo*, lib. 1, cap. 4, num. 10; Proleg. 2, tract. *de Gratia*, cap. ultim.

(4) In 1.am p., quæst. 14, art. 8 et 13, disp. 17, *His ita explicatis*.

(5) *De Gratia et lib. arbitrio*, lib. 4, cap. 11, post med.

(6) In 1.am p., quæst. 14, art. 8, in commentar. et disp. 68, cap. 6; disp. 69, cap. 2.

(7) Comentar. In 1.am p., disp. 1.ª, quæst. 14, punct. 8, parag. *His tamen rationibus*.

(8) *De Gratia efficaci*, cap. 5, num. 24.

(9) *Corollaria*, etc., quæst. 1 theolog. ex 3.ª prim. philosoph. num. 9.

(10) *Metaphys.*, lib. 6, cap. 2, quæst. 4, sect. 12.

(11) Disp. 13, sect. 4 seqq.

(12) In 1.am p., quæst. 14, art. 8.

(13) In 1.am p., disp. 2, quæst. 8, dub. 10, num. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Arriaga (1), Carleton Compton (2) etc., etc. Eademque videtur colligi ex Capreolo (3), et Gregorio Ariminensi (4), Armacano (5) aliisque antiquis Scholasticis cum S. Thoma, ut probat Ruiz (6), quamvis illi non tractaverint hanc controversiam sub iis præcise terminis, sub quibus nunc agitari solet.

25. PROPOSITIO 2.ª **Scientia Dei est causa rerum; sed prout habet adjunctum liberum decretum divinæ voluntatis (7).**

Scientia Dei est causa rerum.

Probatur prima pars.: 1.º *Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas; sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis est causa artificiatorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum. Unde oportet, quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis* (8).

Prob. 2.º Deus operatur ad extra non ex necessitate naturæ suæ, sed ex libera voluntate. Quæ autem ex libera voluntate procedunt, prævium supponunt cognitionem proponentem operabilia modosque operandi, ut per voluntatis electionem ac determinationem possint in opus deduci. Ergo..... (9).

Cæterum veritatem hanc docet sacrosancta Fides nostra, prout sacri Libri Patresque testantur. *Dominus* sapientia fundavit *terram, et* stabilivit *cælos* prudentia (10). Et *omnia in* sapientia fecisti (11): item; *Qui* fecit *cælos* intellectu (12): et

(1) *De Deo*, disp. 18, sect. 1, num. 15.
(2) *De Deo*, disp. 22, sect. 14.
(3) 1.ª Dist. 35, quæst. 2, art. 2, paulo ante fin. in respons. ad argumenta contra S.mi conclusion.
(4) 1.ª Dist. 38, quæst. 2, art. 3, duabus postremis columnis.
(5) Lib. 10, *De quæstionib. armenor.*, cap. 3.
(6) Loc. cit. sect. 4, num. 3 seqq.
(7) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 8; *de verit.*, quæst. 2, art. 14; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 1.
(8) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 8.
(9) Vide S. Thom. 2.ª *Contr. Gent.*, cap. 24.
(10) *Proverb.* cap. 3, vers. 19.
(11) *Psalm.* 103, vers. 24.
(12) *Psalm.* 135, vers. 5.

alibi: *Omnium* artifex *docuit me* sapientia (1): *Qui* præparavit *orbem in* sapientia, *et* prudentia *sua* extendit *cælos* (2).

Quibus consonat doctrina S. Dionysii: *Hæc enim* (sapientia), *ut scripta divina* tradunt, *omnium est artifex, et semper omnia componit, estque causa indissolubilis cohærentiæ et ordinis omnium, finesque priorum cum sequentium principiis semper connectit, et unam universi conspirationem concentumque pulcherrime efficit* (3). Et S. Augustinus similiter scripsit: *Quæ futura erant per singula tempora, in Dei* sapientia causas efficientes *habent* (4). Et S. Anselmus: *Non immerito videri potest apud ipsam summam substantiam talem rerum* locutionem *et fuisse, antequam essent, ut per eam* fierent, *et esse, cum facta sunt, ut per eam sciantur* (5).

sed prout habet adjunctum decretum voluntatis.

Secunda pars etiam probatur ex Angelici doctrina, 1.º Quia forma non est principium actionis respectu subjecti, in quo est, ut v. g. calor respectu ignis, sed respectu exterioris objecti. Ergo indiget inclinatione aliqua, ut exterius feratur. Talis autem inclinatio in agente intellectuali est voluntas. Ergo scientia non est causa absque voluntate.

Prob. 2.º Quod est indifferens ad sic vel aliter operandum, seu ad operandum vel non operandum, indiget aliquo determinante ad opus. Atqui intellectus est indifferens, habetque se ad opposita, siquidem eadem est scientia oppositorum. Ergo indiget voluntate determinante (6).

Nempe esi sola scientia simplicis notitiæ absque decreto divinæ voluntatis sufficeret ad res omnes producendas, sequeretur omnes res possibiles esse de facto productas ab æterno: quoniam illarum omnium æqualis est scientia simplicis intelligentiæ, nec in illa præcise sumpta potest inveniri ratio, propter quam Adamus potius, quam alter homo, in tali

(1) *Sapient.* cap. 7, vers. 21. Cfr. vers. 24 seqq.
(2) *Hierem.* cap. 51, vers. 15.
(3) *De Divin. nomin.* cap. 7.
(4) S. August. tract. 104, *in Joann.* sub med. Cfr. *De Trinit.* lib. 6, cap. 10; lib. 11, cap. 12; lib. 15, cap. 13.
(5) *Monol.* cap. 9.
(6) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 8; *De verit.* quæst. 2, art. 14; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 1. Cfr. Tolet. 1 p., quæst. 14, art. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

instanti potius, quam mille retro annis, fuerit creatus» (1). Et propter hoc decretum voluntatis determinans cognitionem divinam, ut res causet, scientia Dei, quæ est causa rerum, vocatur, teste Angelico, *scientia approbationis: Unde necesse est*, sic concludit S. Doctor, *quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis* (2).

Nec desunt sacrarum Litterarum testimonia, quæ hanc etiam partem propositionis confirment: *Operatur* (Deus) *omnia* secundum consilium voluntatis suæ (3). *Tu creasti omnia, et propter* voluntatem tuam *erant, et facta sunt* (4). *Ipse dixit, et facta sunt; ipse* mandavit *et* creata *sunt* (5). Dixit *Deus:* fiat *lux, et* facta *est lux* (6).

Et ex hac secunda parte propositionis explicatur quædam sententia Aquinatis in speciem contraria primæ parti. *Sciendum est enim*, inquit, *quod scientia secundum rationem scientiæ non dicit aliquam causalitatem, alias omnis scientia causa esset* (7). Et alibi: *Sciendum tamen, quod scientia, in quantum scientia, non dicit causam activam, sicut nec forma, in quantum est forma* (8). Hæc enim verba non significant ex mente Aquinatis, divinam scientiam non concurrere per modum causæ ad rerum effectionem, sed tantum probant, vel quod scientia, prout est notitia, non est ipsa virtus effectiva rerum, vel quod indiget determinatione voluntatis, ut eas actu producat. Sic enim pergit post verba ultimo loco recitata: *Actio enim est, ut in exeundo aliquid ab agente; sed forma, in quantum hujusmodi, habet esse in perficiendo illud, in quo est, et quiescendo in ipso. Et ideo forma non est principium agendi nisi mediante virtute. Et in quibusdam quidem ipsa forma est virtus, sed non secundum rationem formæ; in quibusdam autem virtus*

(1) Ruiz de Montoya, disp. 15, sect. 1, num. 13.
(2) 1 p., quæst. 14, art. 8 fin. corp.
(3) *Ad Ephes.* cap. 1, vers. 11.
(4) *Apocal.* cap. 3, vers. 11.
(5) *Psalm.* 32, vers. 9.
(6) *Genes.* cap. 1, vers. 3.
(7) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 1.
(8) *De verit.*, quæst. 2, art. 14.

est aliud a forma substantiali rei, sicut videmus in omnibus rebus corporalibus, a quibus non progrediuntur actiones, nisi mediantibus aliquibus suis qualitatibus. Similiter etiam scientia significatur per hoc, quod est aliquid in sciente (nempe per modum formæ, non per modum virtutis), *non ex hoc quod aliquid sit a sciente: et ideo a scientia nunquam procedit effectus nisi mediante voluntate, quæ de sui ratione importat influxum quemdam in volita: sicut a substantia nunquam exit actio nisi mediante virtute, quamvis in quibusdam sit idem voluntas et scientia, ut in Deo; in quibusdam autem non, ut in aliis* (1).

Et in priori loco etiam explicat S. Doctor scientiam esse causam scitorum eo modo, quo scientia artificis operantis res habet rationem causæ respectu rei operatæ per artem. *Unde sicut est*, inquit, *causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione artificiali: primo scientia artificialis ostendit finem; secundo voluntas ejus intendit finem illum; tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scientia se habet ut ostendens finem, voluntas ut dirigens actum, et informans opus operatum* (2).

Quibus consona docuit alibi non semel: *Cum Deus sit agens per voluntatem et intellectum, oportet in ipso tria actionis principia considerare: et primo intellectum, secundo voluntatem, tertio potentiam naturæ. Intellectus ergo voluntatem dirigit, voluntas vero potentiæ imperat, quæ exsequitur* (3). Item: *Unius et ejusdem effectus etiam in nobis est causa scientia ut dirigens, qua concipitur forma operis, et voluntas ut imperans; quia forma, ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod sit vel non sit in effectu, nisi per voluntatem. Unde intellectus speculativus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exsequens, quia nominat immediatum principium operationis. Sed hæc omnia in Deo unum sunt* (4). Et iterum: *Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et*

(1) *De verit.*, quæst. 2, art. 14.
(2) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 1.
(3) *De potent.*, quæst. 1, art. 5, corp.
(4) 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 4.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem, in quantum scilicet potentia rationem principii exsequentis id quod voluntas imperat, et ad quod scientia dirigit: *quæ tria Deo secundum idem conveniunt. Vel dicendum* (1), *quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ. Unde consideratio scientiæ et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ, sicut causa præcedit operationem et effectum* (2). Et alibi: *Potentia... Dei, cum sit infinita, non magis determinatur ad hoc, quam ad illud... Unde oportet, quod supra rationem potentiæ sit aliquid aliud, per quod opus determinetur. Hoc autem fit per* scientiam, quæ propriam rationem rei cognoscit. *Sed quia scientia se habet ad opposita, est enim et bonorum et malorum, ideo oportet aliquid aliud addere, in quo perficiatur ratio causæ. Et hoc est voluntas, quæ determinate accipit unum ex duobus, quæ scit et potest* (3). Unde *in scientia non perficitur ratio causalitatis, ut dictum est, nisi adjuncta voluntate; ideo voluntas potius dicitur causa, quam scientia* (4). Et: *voluntas est principium operationis, ut primum imperans opus; sed potentia in his, quæ aguntur per voluntatem, est principium operis, ut exsequens. Et in hoc consistit ratio potentiæ, ut sit proximum principium operis, et non primum. Et sic voluntas Dei potius dicitur causa rerum, quam potentia* (5).

Hanc ipsam doctrinam distincte tradiderat prius Hugo Victorinus hisce verbis: *Hæc tria, potentia, sapientia, voluntas, ad omnem effectum concurrunt, nec absolvitur, nisi ista affuerint. Voluntas movet, scientia disponit, potestas operatur* (6). At quia modus proprius operationis divinæ est per intellectum et voluntatem non per purum exercitium activæ virtutis, quemadmodum operatur etiam natura brutat et quia magis tribuitur saltem moraliter operatio mandanti et dirigenti, ut homicidium magis tribuitur mandanti, quam exsequenti, et fabrica domus architecto formam præscribenti,

(1) Hæc absunt in multis codicibus.
(2) 1 p., quæst. 25, art. 1, ad 4.um
(3) 1.° dist. 45, quæst. 1, art. 3, corp.
(4) Ibid. ad 1.um
(5) Ibid., ad 2.um
(6) Hugo, *De Sacramentis*, lib. 1, p. 2, cap. 6.

opusque dirigenti, quam latomis cæterisque operariis formam illam materiæ imprimentibus; ideo sacræ Litteræ, ut vidimus, mundanæ machinæ fabricationem aut sapientiæ divinæ aut voluntati adscripserunt.

Utrum scientia Dei dicit positivam causam malorum culpæ, quæ Deus permittit

Quæret quispiam, num scientia Dei, quemadmodum est causa bonorum, ita etiam dicenda sit malorum causa, malorum nempe culpæ, quæ Deus velle positive non potest. **Responsio** facilis est: sicut Deus nequit esse proprie ac per se causa mali, sed illud duntaxat permittere, ita etiam scientia ejus non est proprie causa peccati. Nihilominus eadem scientia dirigit permissionem peccati et concursum divinum circa illud, ut convenienti modo adhibeatur (1).

Quodnam discrimen inter ideam et scientiam operatis faciendorum.

Cæterum illud etiam circa hanc primam propositionem notandum venit, aliter dirigi rerum productionem per scientiam, et aliter per ideam. «Idea quippe solummodo dirigit per modum exemplaris, tamquam objectum cognitum, ad cujus imitationem res sunt producendæ. Scientia vero dirigit tamquam ars ipsa, per quam formaliter Deus intuetur exemplar, et dirigit suam voluntatem et potentiam ad rerum productionem» (2).

26. PROPOSITIO 3.ª **Scientia, quæ est causa rerum, non est scientia visionis, sed scientia simplicis intelligentiæ.**

Notandum in antecessum est, hic sermonem esse de scientia visionis per se ac respectu sui objecti, non vero per accidens nec respectu alterius objecti vel actionis. Nam per accidens conducere potest scientia visionis ad praxim, quatenus quæ prævidentur esse futura quibusdam in rebus, possunt esse rationes aliter et aliter disponendi res alias (distinctas, quæ poterunt esse objectum alterius visionis), quemadmodum prævisus angelorum casus potuit esse ratio prædestinandi homines ad eorum reparationem; et prævisum originale peccatum potuit esse ratio decernendi unionem

(1) Vide P. Ruiz de Montoya, *de scientia Dei*, disp. 15, sect. 1, num. 16 seqq.
(2) Ruiz, ibid. sect. 1, num. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hypostaticam in carne passibili» (1). Sic ergo, id ultro concedimus; scientia visionis «in ordine ad prudentiam et ad judicium de agendis seu vitandis libere, potest suo modo conducere» fere, «sicut experientia et memoria vel præjudicium de futuris solet ad prudentiam conferre. Non tamen propterea talis scientia dici potest proprie practica, sed conditio quædam antecedens et necessaria ad prudentiam. Sic enim omnis notitia practica in aliqua speculativa fundatur vel secundum rem, ut in nobis, vel secundum rationem, ut in Deo» (2). Simili modo discurrendum videtur de scientia contingentium conditionata futurorum, quæ licet intrinsece ac per se sit speculativa per modum cujusdam intuitionis rei quæ existeret supposita conditione; nihilominus in sententia Societatis summopere confert ad praxim, prælucendo divinæ voluntati, ac dirigendo ejusdem decreta prædefinitionesque secundum rationes sapientissimæ, suavissimæ atque efficacissimæ providentiæ.

Scientia, quæ est causa rerum, non est scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ.

Prob. 1.º Scientia non causat res, nisi proponendo voluntati objectum, et ostendendo modum et convenientiam producendi illud: unde antecedit actum voluntatis libere decernentis producere id, quod proponitur. Atqui scientia hoc modo se habens est scientia simplicis intelligentiæ, non vero visionis, utpote quæ terminatur ad rem prout jam existentem ex decreto voluntatis divinæ. Ergo.....

Minor patet: **Major** autem continet expressam doctrinam S. Thomæ contentam in pluribus locis laudatis in probatione secundæ partis propositionis præcedentis; et videtur negari non posse, nisi forte quis contendat scientiam causare etiam per modum imperii applicantis, tum scientiam simplicis intelligentiæ ad dirigendum, tum omnipotentiam ad exsequendum id, quod voluntas decreverit. Id tamen excluditur primo a) quia superfluum est. Sane supposito actu divinæ voluntatis eligentis hoc potius, quam illud operabile inter ea, quæ proponebantur a scientia simplicis intelligentiæ, jam sufficienter applicata concipitur omnipotentia ad operandum, et

(1) Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 16, sect. 6, num. 2. Cfr. Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 4, num. 13.

(2) Suarez, loc. cap. cit.

ipsa simplex intelligentia ad opus dirigendum. Quid ergo necesse est alium novum actum fingere, per modum imperii intimantem: *Fac hoc*. 3) Deinde etiamsi daretur hujusmodi imperium ex parte intellectus distinctum a simplici intelligentia, et subsequens determinationem voluntatis; adhuc præcederet scientiam visionis; quia visio præsupponit rem, quæ videatur, res vero imperium illud subsequeretur, sicut subsequitur scientiam simplicis intelligentiæ ac decretum divinæ voluntatis tamquam causas suas. Ac proinde etiamsi admitteretur imperium illud, foret aliquid a visione distinctum. Id quod patet etiam ex ipso sensu communi omnium; aliud enim est videre rem aliquam, et aliud est imperare, ut sit. Præterea visio divina est etiam malorum, imperium autem non potest esse: itemque Deus videt sua decreta libera, nec tamen imperat. Ergo imperium illud, licet quis velit admittere in Deo tanquam scientiam practicam et causam rerum, ut dicunt adversarii, distinctum esset omnino a visione, non minus quam a decreto voluntatis. Ergo adhuc dato illo imperio, falsum est, quod scientia visionis sit causa rerum.

Prob. 2.º Si scientia visionis foret causa rerum, intelligi non posset, quomodo, stante Dei æterna visione, liberi manerent actus nostræ voluntatis. Nam scientia visionis omnino determinata est ad unum, non vero indifferens, cum repræsentet determinate unum de contradictoriis vel contrariis. Si ergo prædicta scientia est causa eorum ipsorum, quæ videt, antecedit illa, et sic futura libera antequam fiant, ex parte causæ ipsorum jam sunt determinata ad unum. Atqui quæ in signo priori ad existentiam ex parte causæ sunt ad unum determinata, nullam amplius servant libertatem. E converso si dicatur visio non causare rem visam, sed præsupponere ipsam jam existentem in virtute aliarum causarum, nullam tribuit illi rei determinationem ac necessitatem. Sic visio mea currentis equi vel hominis nullam imponit determinationem aut necessitatem currendi, quia non causat, sed præsupponit cursum; neque enim ideo currit homo vel equus, quia ego video illos currere, sed e converso ideo video illos currentes, quia currunt. At si ideo currerent, quia illos currerentes video, stante visione tali, quæ causa foret cursus, adesset

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

antecedens determinatio ad cursum, quæ pugnat cum libertate currendi. Libertas enim non subsistit, ubi in *quocumque signo priori* ad ipsum actum secundum, non adest potentia agendi vel non agendi, ut suo loco demonstratum est (1).

Prob. 3.ª ex communissima doctrina Patrum et Scholasticorum. a) Docent enim Patres, non ideo res futuras esse, quia Deus præscivit, aut vidit illas, sed e converso ideo illas videre aut præscire, quia futuræ sunt. Atqui doctrina hæc aperte pugnat cum sententia, quæ tenet scientiam visionis esse causam rerum. Ergo.....

Major supponenda nobis est hic ex Theologia dogmatica, viderique potest fuse probata a P. Suarez (2), Ruiz de Montoya (3), Molina (4), Vazquez (5), Petavio (6) et novissime a Cardinali Francelin (7), apud quos perspicue videri possunt Origenis, Athanasii, Joannis Chrysostomi, Hieronymi, Cyrilli Alexandrini, Gaudentii Brixiani, Joannis Damasceni, Venerabilis Bedæ, auctoris antiqui *Quæstionum ad Orthodoxos*, Augustini, Epiphanii, Leonis M. Anselmi aliorumque testimonia. Et similiter locuti sunt Hugo a S. Victore (8), Carthusianus (9), Adam (10) et Abulensis (11).

Nec dicas 1.º SS. Patres doctrinam eam tradidisse loquentes de peccatis, ideoque applicasse ad visionem duntaxat illorum. **Nam plures expresse extendunt** doctrinam illam ad bona etiam opera, et præterea iis rationibus eamdem

(1) Vide *Psycholog.* vol. 3.º, num. 129 seqq., pag. 396 seqq.

(2) Proleg. 2. tract. *de grat.*, cap. 10; lib. 7, *de auxiliis grat.* cap. 13; *Metaphys.* disp. 8, sect. 5, num. 5.

(3) *De scientia Dei*, disp. 11, sect. 4.

(4) In 1.ᵐ p., quæst. 14, art. 13, disp. 17.

(5) In 1.ᵐ p., disp. 68, cap. 6.

(6) *Theologicor. Dogmat.*, tom. 1, lib. 4, cap. 7, num. 6.

(7) *De Deo uno*, thesi 42.

(8) Lib. 1.º *de Sacram.*, part. 2, cap. 21.

(9) 1.ª dist. 38, quæst. 1.

(10) 3.ª dist. 14, quæst. 2, conclus. 3-6-7, et quæst. 3, ante dub. 1, et dub. 1.

(11) *In Josue*, cap. 11, a quæst. 75 ad 78, licet ibi nonnulla etiam reperiuntur corrigenda, quæ tamen non spectant ad hanc quæstionem, ut notat Ruiz, disp. 31, sect. 9, num. 4. Cfr Albert M., 1 p., quæst. 61, memb. 3; Alexand. Halens., 1 p., quæst. 24.

explicant, quæ generatim valent pro omnibus actibus etiam bonis.

Dices 2.º S. Augustinum sæpe (1), S. Gregorium M. (2), Boetium (3), aliosque, ex opposito docere ideo res esse, quia Deus videt illas, non vero ideo Deum illas videre, quia sunt. **Sed doctrina ista Patrum facile explicari potest**, dicendo, illos, quando scribunt ideo res esse, quia Deus illas videt, aut præscit, loqui de scientia simplicis intelligentiæ, quæ certe causa est futurorum, licet eam minus proprie vocaverint nomine visionis: quando vero negarunt ideo Deum scire res, quia sunt, vel futuræ sunt, solum excludere voluisse, quod scientia Dei causetur a rebus, qui videtur esse manifestus sensus Boetii in locis objectis. Neque enim nos, quando dicimus cum Patribus, ideo Deum res videre, quia sunt, ullam admittere possumus causalitatem hujusmodi, sed merum ordinem logicum, vi cujus ad visionem Dei præsupponi debet terminus ejus. Et id puto voluisse S. Thomam, cum sic explicavit Origenis verba: *Quod dicit, ideo præscire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiæ, non secundum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea præscierit; non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus sciat* (4). Verbo: Patres in objectione allegati duo distincte asseruerunt, primo scientiam Dei non *causari* a rebus; secundo scientiam Dei esse causam rerum: quæ duo nos ultro concedimus. Id tantum addimus, scientiam illam, quam Patres dicunt esse causam rerum, intelligendam esse non visionis, sed simplicis intelligentiæ; quam certe interpretationem non invite patiuntur illorum testimonia.

3) Docent Patres et Scholastici necessitatem, quæ inest futuris liberis, ut sint, supposita æterna eorumdem visione in mente divina, esse pure consequentem, non vero

(1) Lib. 13 *Confession.*, cap. 38; *de Trinit.*, lib. 6, cap. 10; lib. 15, cap. 13; *de civit. Dei*, lib. 5, cap. 9; lib. 11, cap. 10, etc.

(2) *Moralium*, lib. 20, cap. 23 (alias 24).

(3) *De Consol. philosoph.*, lib. 5.

(4) 1. p., quæst. 14, art. 8 ad 1.ᵐ. Vide de hac re P. Suarez, *Proleg.* 2, tract. *de gratia*, cap. 10, num. 29 seqq. et num. 33; Ruiz, disp. 15, sect. 6, num. 4 et 5 seqq.

antecedentem. Atqui si scientia visionis est causa rerum, necessitas exinde adveniens futuris, non est consequens, sed antecedens, quæ perimit libertatem. Ergo...

Minor per se manifesta est, quoad primum membrum; quod alterum vero alibi probata est (1), magisque patebit inferius, cum demonstrabitur physicam prædeterminationem pugnare cum libertate creata. Cæterum necessitatem antecedentem inimicam esse libertatis diserte docent cum S. Anselmo (2), Albertus M. (3), Alexander Halensis (4), Richardus (5), Dionysius Carthusianus (6), Bernardus de Gannaco (7), Capreolus (8), Gregorius Arminensis (9) et Waldensis (10) apud Ruiz de Montoya (11).

Major patet ex S. Anselmo (12), qui expresse id asserit, ut etiam Albertus M., Alexander Halensis, Richardus, aliique (13). Multi etiam Patres idem significarunt diversis loquendi formis et exemplis: ut cum, ad conciliandam divinam præscientiam futurorum cum libertate eorumdem et contingentia, usi sunt comparatione memoriæ humanæ (14) aut etiam visionis (15), quæ nullam imponunt rebus memoratis

(1) Vide *Psycholog.*, vol. 2.º, num. 132, pag. 403 seqq.

(2) Lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18; lib. *de Concord. lib. arbitr. cum prædestin.*, cap. 1.

(3) 1 p., quæst. 61, membr. 8.

(4) 1 p., quæst. 22, membr. 5.

(5) 1.º dist. 39, art. unic., quæst. 6.

(6) 2.º dist. 1, quæst. 2, art. 1.

(7) 3 p., *Summæ contr. Pelag.*, cap. 3 in 2.º arg. princip.

(8) 1.º dist. 45, quæst. unic., art. 2, in respons. ad 2.um et 3.um arg., contr. 2.am part. conclus. 5.ª

(9) 1.º dist. 38, quæst. 2, art. 3 a medio.

(10) Lib. 1.º *doctrinalis fidei*, cap. 25 et 26.

(11) *De scientia Dei*, disp. 33, sect. 9.

(12) *Libr. de Concordia, etc.*, cap. 2.

(13) Locis citatis.

(14) Ita S. August. lib. 3.º *de Libero arb.*, cap. 4. Cfr. *contra Faustum*, lib. 26, cap. 1.

(15) Ita inter alios S. Athanasius (*Serm. de passione et cruce Domini*, ante med.), Eusebius (*De præpar. evangel.*, lib. 5, cap. 4), Boëtius (*De consolat. Philos.*, lib. 5, prop. 6), Beda (*Variar. quæst.*, quæst. 13), Theodoret. (*Epist. ad Roman.*, cap. 8, super illud, *Quos autem prædestinavit.*), Origen. (apud Euseb., loc. tit.), Damascen. (*Dialog. adv. Manichæos*).

vel visis necessitatem, cum tamen hæ, supposito quod videantur, aut memorentur, aliter esse non possint. In qua doctrina, ut per se patet, asseritur rebus futuris ex visione Dei necessitas pure consequens vel suppositionis et negatur necessitas antecedens et absoluta. Hunc modum libertatem creatam conciliandi cum æterna futurorum præscientia adhibuit sæpe S. Thomas, ut jam vidimus agentes de futurorum contingentium cognitione (1), quem sequuntur magistrum Capreolus (2), Deza (3), Cajetanus (4) et Ferrariensis (5). In ejusdem doctrinæ confirmationem adduci possunt Vincentius Bellovacensis (6), Carthusianus (7), Marsilius (8), Henricus Gandavensis (9), Durandus (10), Gabriel (11) et alii apud Ruiz de Montoya (12); qui omnes, tum adhibito exemplo intuitionis, qua nos res præsentes videmus, quin ullam eisdem imponamus necessitatem, tum aliis modis loquendi luculenter ostendunt, rebus futuris nullam antecedentem necessitatem derivari ex æterna Dei præscientia, sed solum sequentem vel hypotheticam vel ex suppositione.

7) Idem colligitur etiam ex eo, quod non pauci Scholastici docent, inter scientiam Dei, quæ est causa rerum, et

(1) Vide inter alia loca *Periherm.*, lib. 1, lect. 14, paragr. fin.; *De verit.*, quæst. 2, art. 12, corp., et ad 2.um, 3.um et 7.um; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5, corp. et ad 3.um et 4.tum; 1 p., quæst. 14, art. 13, ad 2.um; *de malo*, quæst. 16, art. 7, ad 15; 1.ª *contr. Gent.*, cap. 67, *Præterea*, in fin. capitis illius.

(2) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 2, primis 4 conclusionibus et concl. 7.ª dist. 40, art. 3, concl. 1.ª

(3) Apud Ruiz, dist. 13, sect. 7, num. 11.

(4) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Adverte hic*, et *ad secundam probat.*; et in fine quæstionum, quas tractat circa solution. ad 1.um

(5) Lib. 1.º, *contr. Gent.*, cap. 67.

(6) Tom. 1, lib. 29, cap. 62 et 65.

(7) 1.ª dist. 38, quæst. 1.

(8) 1.ª quæst. 49.

(9) *Quodlib.* 4.º, quæst. 18.

(10) 1.ª dist. 38, quæst. 3, art. 3, num. 22, 24 et 25; dist. 39, q. 1, num. 10.

(11) 1.ª dist. 38, quæst. unic., art. 2.

(12) Disp. 33, sect. 8 et 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

effectus ab ea causatos, *mediare* voluntatem Dei (1). Atqui nulla voluntas Dei mediat inter scientiam visionis et effectum, siquidem scientia visionis præsupponit voluntatem Dei. Ergo iterum ex ea assertione patet, quinam fuerit hac in re sensus antiquorum Scholasticorum.

Mens S. Thomæ expenditur.

Prob. 4.ª speciatim ex auctoritate S. Thomæ. α) S. Thomas non semel docet, eam scientiam, quæ est causa rerum, se habere ad oppositu, ideoque non posse producere determinatum effectum, nisi determinetur ad unum per voluntatem. Atqui scientia visionis non est indifferens, sed est determinata ad unum, nec proinde indiget determinari per accedentem actum voluntatis, sed illum præsupponit. Ergo ex mente Aquinatis scientia, quæ est causa rerum, non est scientia visionis.

Major continet expressam doctrinam traditam ab Angelico in locis præcedenti propositione allegatis. *Forma intelligibilis non nominat principium actionis, secundum quod est tantum in intelligente, nisi* adjungatur ei inclinatio ad effectum, *quæ est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis* ad opposita se habeat, cum sit eadem scientia oppositorum, non produceret, determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum, *ut dicitur in* 9.º Metaphys (text. 10). *Manifestum est autem, quod Deus per suum intellectum causat res, cum suum esse sit suum intelligere: unde necesse est, quod* sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis (2).

β) Ex S. Thoma scientia Dei, quæ est causa rerum, habet rationem artis. Atqui scientia, quæ habet rationem artis Deo naturalis est ac necessaria; scientia vero visionis est libera. Ergo.....

(1) Ita expresse S. Thomas, *De verit.*, quæst. 2, art. 14, post med.—Adde Ægidium (1.º dist. 38, quæst. unic., art. 1), Argentin. (ibid.), Durand. (1.º dist. 38, quæst. 1, num. 7), Richard., (ibid art. 1, quæst. 2).

(2) 1 p. quæst. 14, art. 8. Adde 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 3.um; 1.º dist. 45, quæst 1, art. 3, corp. et ad 1.um

Major patet. *Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis est causa artificiatorum* (1). Et alibi: *Scientia secundum rationem scientiæ* (nempe secundum præcisam rationem notitiæ in mente relucentis) *non dicit aliquam causalitatem, alias omnis scientia causa esset; sed in quantum est scientia artificis operantis res, sic habet rationem causæ respectu rei operatæ per artem. Unde sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ* (2).

Minor etiam patet., quia scire res operabiles, secundum quod sunt operabiles, et modos omnes, secundum quos sunt operabiles, in quo scientia et ratio artis consistit, spectat ad perfectionem simpliciter simplicem.

Hinc præcise ex ratione artis desumit S. Doctor argumentum ad asserendam Deo etiam scientiam possibilium seu non entium. *Cognitio divini intellectus*, inquit, *comparatur ad res alias, sicut cognitio artificis ad artificiata, cum per suam scientiam sit causa rerum. Artifex autem suæ artis cognitione etiam ea, quæ nondum sunt artificiata, cognoscit. Formæ enim artis ex ejus scientia effluunt in exteriorem materiam ad artificiatorum constitutionem: unde nihil prohibet in scientia artificis esse formas, quæ nondum exterius prodierunt. Sic igitur nihil prohibet Deum eorum, quæ non sunt, notitiam habere* (3). Enimvero quis dubitet, quominus Deus, etiamsi nihil creasset, perfectissimam artem habiturum fuisset?

γ) Ex doctrina S. Thomæ scientia Dei causat per modum dirigentis duntaxat operationem; unde adjungenda est præterea potentia seu virtus ipsa effectiva et imperium voluntatis applicans potentiam ad exsecutionem ex præscripto ac directione scientiæ. Atqui scientia visionis, utpote quæ determinatur ad rem jam factam et existentem, non potest esse illa, quæ dirigat effectionem ejusdem. Ergo.....

Major constat ex quæstione prima *de Potentia*, ubi hæc habentur: *Cum Deus... sit agens per voluntatem et intellectum..., oportet in ipso* tria *actionis principia considerare:*

(1) 1 p., quæst. 14, art. 8.

(2) 1.º dist. 38, quæst. 1, art. 1. Cfr. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 66, *Item*, argum. 2.º

(3) *Contr. Gent.* cap. 66, *Item*, arg. 2.º

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et primo intellectum, *secundo* voluntatem, *tertio* potentiam *naturæ. Intellectus ergo voluntatem* dirigit, *voluntas vero potentiæ* imperat, *quæ* exsequitur (1).

δ) Scientia, quæ est causa rerum, ex S. Thoma non causat nisi mediante voluntate. Atqui hoc de scientia visionis dici non potest, utpote quæ nullum post se actum voluntatis habet, quo mediante rem operetur, sed præsupponit totum id, quod ex parte voluntatis ad effectionem rei visæ necessarium est. Ergo...

Major patet. Nam *scientia*, inquit Angelicus, *significatur per hoc, quod est aliquid in sciente, non ex hoc quod aliquid sit a sciente; et ideo a sciente* nunquam *procedit effectus nisi* mediante voluntate, *quæ de sui ratione importat influxum quemdam in volita; sicut ex substantia nunquam exit actio nisi mediante virtute* (2).

ε) Illa scientia est causa rerum, quæ est, ac dicitur practica. Atqui scientia visionis non est practica ex mente S. Thomæ. Nam scientia potest intelligi practica secundum modum loquendi Aquinatis vel actu vel solum virtute seu habitu. Scientia practica solum virtute et habitu est scientia pure possibilium, docente Angelico, ac proinde non est scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ. Sed neque scientia actu practica est scientia visionis; quia scientia actu practica a scientia, quæ solum sit virtute practica, non distinguitur nisi per hoc, quod scientia ordinabilis ad opus *actu* dirigatur per decretum voluntatis, ac proinde distinguitur scientia actu practica ab scientia virtute practica non in ratione scientiæ, sed solum in adjuncto decreto scientiam illam ordinante ad operis directionem. Atqui scientia visionis non est hujusmodi (3). Ergo...

«Confirmatur, quia si hæc scientia (visionis) esset causa, a qua habet res contingens, ut sit futura, non oportuisset

(1) *De potent.*, quæst. 1, art. 3 corp. Adde 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 4.um; quæst. 25, art. 1, ad 4.um; 1.° dist. 38, art. 1.

(2) *De verit.*, quæst. 2, art. 14 corp. Cfr. 1.ª dist. 38, art. 1; *De potent.*, quæst. 1, art. 3; 1 p., quæst. 25, art. 1, ad 4.um

(3) Vide S. Tom., *de verit.*, quæst. 1, art. 3, corp., ad 6.um Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 16; 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 2.um; *de verit.*, quæst. 3, art. 6, corp. et ad 3.um et 4.um; *de potent.*, quæst. 1, art. 3, ad 11.um

D. Thomam adeo laborare in explicanda ratione ex parte objecti, qua possint hæc futura cognosci; unica enim esset ratio, scilicet efficacia ipsiusmet scientiæ, quæ facit, ut futura, licet contingentia, infallibiliter eveniant. Si enim ego efficacia meæ visionis possem facere præsentem rem, quæ Romæ existit, facile esset reddere rationem, cur ego hic existens possem videre rem Romæ existentem, nimirum quia ut illam ego hic videam, non est necesse, ut supponatur hic præsens, quia ego visione mea, possum illam facere præsentem. Ita ergo ratiocinandum esset in Deo. At vero nec D. Thomas, nec fere ullus antiquorum hanc causam reddidit, ob quam Deus præsciat futura. Et re vera non satis concipitur, quomodo visio intuitiva faciat objectum suum esse» (1).

Dices. Docente S. Thoma, imperium ad intellectum spectat, ut ipsemet resolvit ex professo hanc pertractans quæstionem. *Imperare*, inquit, *est quidem essentialiter actus rationis; imperans enim ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando. Sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis, est rationis. Sed ratio potest aliquid intimare vel denuntiare dupliciter: uno modo, absolute, quæ quidem intimatio exprimitur per verbum indicativi modi, sicut si aliquis alicui dicit:* Hoc est tibi faciendum. *Aliquando autem ratio intimat aliquid alicui, movendo ipsum ad hoc; et talis intimatio exprimitur per verbum imperativi modi, puta cum alicui dicitur:* Fac hoc. *Primum autem movens in viribus animæ ad exercitium actus est voluntas, ut supra dictum est* (1. 2.ª quæst. 9, art. 1). *Cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur, quod hoc ipsum, quod ratio movet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Unde relinquitur, quod imperare est actus rationis, præsupposito actu voluntatis, in cujus virtute ratio movet per imperium ad exercitium actus* (2). Hæc doctrina, quæ videtur omnino eadem cum opinione Thomistarum, traditur ab Angelico aliis etiam locis (3): ex qua colligitur, rationem scientiæ res causantis

(1) Suarez. *Prolog.* 2 ic tract. *de Grat.*, cap. 10, num. 22.

(2) S. Thom. 1. 2.ª quæst. 17, art. 1.

(3) Vide 1. 2., quæst. 60, art. 1 fin. corp.; 2. 2.ª quæst. 47, art. 8 et quæst. 83, art. 1 corp. et art. 10; 4.° dist. 15, quæst. 4, art. 1, solut. 1.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consistere in prædicto imperio intellectus. Atqui imperium hujusmodi, quod est actus intellectus, est visio quædam rei fiendæ. Ergo ex mente D. Thomæ datur quædam scientia visionis practica, quæ est causa rerum.

Respondeo. Fateor ex doctrina Aquinatis *imperium* spectare et ad intellectum et ad voluntatem, propter duo illa, quæ imperium continet, nempe ordinationem seu dispositionem mediorum ad finem vel intimationem operis faciendi, et motionem: primum enim horum est rationis, alterum est voluntatis, cujus est movere et seipsam et cæteras potentias per modum agentis vel efficientis, et non solum per modum proponentis bonum, sicut movet intellectus ipsam voluntatem (1). Fateor etiam ex eodem S. Doctore in nobis actum intellectus et præcedere et sequi actum voluntatis; præcedere quidem consiliando, quid per voluntatem eligere oporteat, sequi vero, per imperium ordinando instrumenta potentiarum vel aliarum personarum, per quas exsecutioni mandandum sit voluntatis decretum (2).

Nihilominus responderi potest difficultati. 1.° Probabiliter ex mente S. Thomæ doctrina hæc locum non habent in Deo. Secus enim intelligi nequit, cur nunquam imperii intellectualis meminerit, cum de causalitate Dei per suam scientiam et voluntatem loqueretur (3); immo vero cur imperium in hac materia constanter attribuat soli voluntati, ut modo vidimus in probanda secunda parte præcedentis propositionis (4). Nec intelligitur, cur S. Thomas præter *directionem* scientiæ divinæ, proponentis res operabiles modosque operandi, *imperium* voluntatis, seligentis ac decernentis et *exsecutionem* potentiæ, nihil aliud requisierit ad explicandam

(1) Vide S. Thom. in loc. nuper cit; et *de verit.* quæst. 22, art. 2 ad 4.um et *Quodlibet.* 9, art. 12.

(2) Vide S. Thom. 4.° dist. 15, quæst. 4, art. 1, solut. 1 corp. et ad 4.um Cfr. omnino Suarez, *De actibus humanis.*

(3) Vide loes paulo superius a nobis citata in probanda 2.ª parte præcedentis propositionis.

(4) 1.° dist. 38; art. 1; *de potent* quæst. 1, art. 5; 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 4.um; quæst. 25, art. 1, ad 4.um; 1.° dist. 45, quæst. 1, art. 3 corp. et ad 2.um

effectionem operum divinorum (1), et cur denique scripserit scientiam Dei operari mediante voluntate (2). Adde, quod rationes, ob quas in nobis præter ac post electionem decretumque voluntatis adsit imperium rationis, forte non æque valent pro Deo. Verum hisce omissis,

Respondeo 2.° Licet imperium hujusmodi, quod sit actus rationis, ponatur in Deo, non aliud erit nisi applicatio, per quam voluntas determinat ad opus scientiam et artem divinam, quæ de se indifferens est, ac non necessario operatur extrinsecus. Nam imperium hujusmodi est actus intellectus dictans et ostendens decretum voluntatis hoc modo: *Volo, ut hoc opus fiat tali tempore modoque*, vel: *Volo talem concursum indifferentem offerre ad talem actum liberum.* Unde patet, actum illum imperii, licet posteriorem decreto voluntatis, illudque manifestantem, esse applicationem duntaxat, per quam voluntas determinat scientiam et omnipotentiam ad opus. Atqui scientia visionis non est applicatio hujusmodi divinæ artis ad opus, nisi velimus abuti vocabulis, sed est contemplatio operis jam effecti secundum artem divinam. Ergo etiamsi concedatur, S. Thomam agnovisse imperium intellectus in Deo posterius decreto, non exinde sequitur, illum scientiæ visionis tribuisse causalitatem et efficientiam rerum.

Confirmatur. Quia quotlescumque loquitur S. Thomas de visione actuum liberorum, docet illos videri a Deo in se ipsis, prout jam egressis extra causas, seu prout sunt in sua præsentialitate, negatque illos videri in causis suis, vel prout adhuc futuras: ex qua doctrina etiam conciliat libertatem actuum futurorum cum infallibilitate visionis divinæ. Jam vero si imperium illud rationis esset formaliter visio, in qua Deus videt futura libera, non foret vera hæc doctrina; siquidem imperium illud est causa futurorum, nec proinde potest illa respicere ut jam facta et præsentia, sed ut adhuc futura et fienda. Unde virtute divini imperii, si sermo sit de futuris

(1) *De potent.*, quæst. 1, art. 5; 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 4.um; quæst. 25, art. 1, ad 4.um; 1.° dist. 45, quæst. 1, art. 3, ad 2.um

(2) *De verit.* quæst. 3, art. 14 corp. Cfr. 1.° dist. 38, art. 1; *de potent.* quæst. 1, art. 5; 1 p., quæst. 25, art. 1, ad 4.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contingentibus a creata libertate dependentibus, solum scitur offerendum esse concursum tantæ virtutis, et temperandum esse per talem indifferentiam, ut salva remaneret libertas causæ creatæ; futura vero ipsa non videntur determinate ac certo, donec supponatur jam in sua præsentialitate extra omnes suas causas.

Relate autem ad ea, quæ Deus ipse solus operaturus est independenter a causis creatis, quamvis cognoscat illa determinate ac certo in imperio sui intellectus, non sequitur scientiam visionis esse causam rerum ex mente Angelici, nisi ostendatur secundum S. Doctorem imperium illud esse ipsam visionem divinorum operum (1).

Objectiones solvuntur.

27. **Objicies 1.º** Scientia, quæ est causa rerum, debet esse libera, nam potuit non causare, siquidem creatio libera est. Ergo supponit liberum decretum Dei. Sed non est in Deo alia scientia libera et præsupponens decretum divinæ voluntatis. Ergo...

Respondeo, *neg.* anteced. Nam, ut jam notavimus superius, scientia, qua Deus operatur ad extra, necessaria est, cum repugnet Deum ignorare res omnes operabiles modosque illas producendi. Nihilominus libertas creationis divinæ procedit ex decreto voluntatis, quod necessarium est, ut scientia Dei applicetur, ac determinetur ad actualem operationem. E converso si scientia visionis foret causa rerum, non posset satis intelligi libertas actuum contigentium creaturæ; quia cum visio Dei repræsentet res jam determinatas ad unum, nempe ad *esse*, si est causa illarum, talis est causa, qua posita, repugnat res aliter esse.

Objicies 2.º Scientia, quæ est causa rerum, est scientia approbationis seu beneplaciti, ut docent communissime Scholastici cum S. Thoma (2). Sed scientia approbationis est quædam scientia visionis, addita libera volitione. Ergo...

Respondeo, *dist.* Minor.: est sola scientia visionis, ita ut nulla scientia simplicis intelligentiæ sit scientia approbationis,

(1) Vide de hac materia Suarez, Prolegom. 2 tract. *de Grat.*, cap. 10: Ruiz, disp. 15, sect. 5: Viva, *Curs. Theolog.*, tom. 1, p. 1.ª, disp. 3, quæst. 5, etc., etc....

(2) 1. p., quæst. 14, art. 8 fin. corp.

neg.; datur etiam quædam scientia visionis, quæ vocari possit approbationis, *subdist.*; illa quæ supponat rem bonam jam factam, quæque proinde non est causa illius, *conc.*; aliter, *neg.*

Jam vidimus cum Suarezio scientiam quoque visionis vocari posse approbationis, visionem videlicet bonorum, in quibus Deus complacet; *vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona* (1). At, *quid est aliud intelligendum in eo quod per omnia dicitur:* Vidit Deus, quia bonum est, *nisi operis* approbatio *secundum artem facti, quæ sapientia Dei est?* inquit Augustinus (2). In qua acceptione scientia approbationis causa non est, cum supponat rem factam, in cujus bonitate complacet Deus. Quando vero de scientia approbationis, quæ causa sit rerum, loquitur S. Thomas aliique prisci auctores, iis describunt illam coloribus, qui scientiam possibilium designent, cui decretum efficax accedat talem scientiam ad operis directionem determinandi (3).

Objicies 3.º Scientia, quæ est causa rerum, est scientia practica. Atqui sola visionis scientia est practica, siquidem scientia simplicis intelligentiæ non ordinatur ad opus, ideoque est pure speculativa. Ergo...

Respondeo. *neg.* Minor., et rationem additam *distinguo*.: non ordinatur ad opus in actu primo, id est, non est ordinabilis, si accedat decretum voluntatis, *neg.*; non ordinatur ad opus in actu secundo, *subdist.*; respectu eorum, quæ Deus decernit facere, *neg.*; respectu aliorum, iterum *distinguo*.: ex defectu scientiæ vel artis divinæ, *neg.*; ex eo quod Deus pro sua libertate non vult uti arte sua in producendis mere possibilibus, *conc.* Et *neg.* conseq. Immo patet ex dictis scientiam visionis esse non posse practicam, nisi ad summum per modum prudentiæ, quatenus visio unius rei possit dirigere Deum ad alia diversa regulanda.

Objicies 4.º Deus α) non ideo vult futuras res, quia futuræ sunt, sed ideo futuræ sunt, quia vult Deus. Item β) Deus non ideo novit possibilia, quia possibilia sunt, sed e

(1) *Genes.* cap. 1, vers. 31.

(2) *De Civit. Dei.* lib. 11, cap. 21 initio.

(3) Vide Ruiz, disp. 15, sect. 6, num. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

converso possibilia sunt, quia Deus illa novit scientia simplicis intelligentiæ. Denique γ) conditionaliter futura propterea sunt talia, quia Deus videt illa scientia conditionata, et non vice versa. Ergo a pari ideo res sunt absolute futuræ, quia Deus illas novit scientia visionis.

Respondeo ad 2) *conc.* assertum, et *neg.* conseq. Nam res non sunt, nisi quia Deus vult eas esse, cum voluntas sit causa rerum, nec sit ulla in rebus bonitas, quæ alliciat Deum ad volendum illas. Quæ ratio etiam proportionali modo valet respectu scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ pariter est causa rerum, cum nihil possit fieri a Deo sine illius directione ac dictamine; non autem respectu visionis, ut jam probatum est. Sicut etiam ipse actus divinæ voluntatis, complacentis in bonitate operis sui, præsupponit illud, et potest dici ideo dari in Deo, quia res bona existit.

Ad β) *nego* **assertum.** Nam licet ratio formalis, unde possibilia Deus cognoscit, non sit ipsa possibilium natura, sed essentia divina; nihilominus res non ideo sunt formaliter possibiles, quia intelliguntur a Deo, sed præsupponuntur possibiles, ante intellectionem ex eo quod non implicent contradictionem, sed præ se ferunt terminos imitationis essentiæ divinæ, ut explicatum est in *Ontologia* (1).

Ad γ) negatur pariter assertum ob similem rationem (2).

Objicies 5.° Sientia simplicis intelligentiæ per se indifferens est ad producendum, vel non producendum mundum, vel ad hunc vel alium producendum. Ergo eget ab alio prius determinari. Atqui sola scientia visionis, quatenus est actus intellectus imperantis hoc esse faciendum, potest determinare indifferentiam illam scientiæ. Nam scientia, qua Deus operatur ad extra, est scientia, quæ terminatur ad rem ut aliquando existentem, non vero ad rem ut possibilem. Atqui sola scientia visionis terminatur ad rem ut existentem, scientia vero simplicis intelligentiæ terminatur ad possibilia.

Respondeo 1.° *neg.* Minor. subsumpt.; nam actus divinæ voluntatis sufficienter determinare potest tum scientiam simplicis intelligentiæ tum omnipotentiam ad operis exsecutionem.

(1) Vide *Ontolog.*, num. 243 seqq., pag. 681 seqq.
(2) Vide Ruiz, disp. 15, sect. 3, 6.

Respondeo 2.° *dist.* Minor.: et actus ille intellectualis imperii, si datur, est vera scientia visionis, *neg.*; non est scientia visionis, *conc.*

Probationem Minoris subsumptæ pariter *dist.* Scientia, qua Deus operatur ad extra, est scientia, quæ terminatur ad rem ut natura posterius existentem per causalitatem prædictæ scientiæ, *conc.*; quæ terminatur ad rem ut jam existentem *neg.* Et *contradist.* primam partem Minoris.

Alteram partem Minoris *distinguo.* Ita tamen ut scientia illa simplicis intelligentiæ, accedente decreto Dei, applicari possit ad directionem operis efficiendi, ac proinde sub hoc respectu terminari possit ad illud, tamquam causa ad effectum ab ea directive causatum, licet non repræsentet illud ut jam existens pro illo signo, *conc.*; aliter, *neg.* (1). Nam ipsa scientia simplicis intelligentiæ, quæ prout est repræsentatio et notitia, terminatur ad possibilia, prout est causa directiva operis efficiendi, terminatur ad effectionem, ac proinde ad existentiam illius, sicut ipsa voluntas divina et omnipotentia hoc modo, in ratione nimirum causæ, terminatur ad rem existentem per suam causalitatem. Et idipsum dici debet de imperio illo intellectus, si datur in Deo.

Objicies 6.° Decretum liberum Dei est causa rerum. Sed scientia visionis idem est cum decreto libero, sicut scientia simplicis intelligentiæ idem est, atque actus divina voluntatis necessarius. Ergo.....

Respondeo. *neg.* Minor. Vel enim sermo est de futuris, dependenter a causa libera, vel de futuris, quæ sola Dei actione existentiam sortientur. Et decreta divina conferendi causis liberis creatis concursum indifferentem ex sententia Societatis, inferius probanda, talia sunt, quæ non solum distinguantur a visione, verum nec possint esse medium infallibile visionis, saltem si sola spectentur et præcisa a scientia media. Decreta vero, quæ Deus habet pro rebus a se solo producendis, utpote prorsus infrustrabilia, sunt quidem medium infallibile visionis, non tamen ipsa visio. Visio enim, ut iterum id repetamus, supponit rem existentem, et decretum, cum sit causa rei ipsius, debet quoque visionem antecedere.

(1) Cfr. Viva, loc. cit. paragr. V et VI.

Objicies 7.° Scientia, quæ est causa rerum, debet esse libera. Atqui sola scientia visionis libera est. Ergo...

Respondeo, *dist.* Major. Debet esse libera in essendo, *neg.*; in operando, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Licet enim scientia simplicis intelligentiæ sit entitative necessaria, sed in operando libera est; non quidem ratione sui, verum etiam decreti divini, sine cujus determinatione non potest illa effectum causare.

Objicies 8.° Licet formalitas visionis, ut visio est, et formalitas causalitatis diversæ sint ex genere suo, et separatim aliquando inveniantur, sicut Deus videt se, et non causat, et nos videmus multa, quæ visione nostra non causantur; nihilominus visio divina creaturarum utramque *debet* habere formalitatem, alteram in altera fundatam, quatenus respicit res creatas ut existentes *ex vi talis scientiæ*, ac proinde non per existentiam præsuppositam, sed a se derivatam. In quo nulla ostendi potest repugnantia. Nam sic etiam «generatio, qua Pater Æternus generat Filium, est visio illius intuitiva, et tamen respicit illum ut procedentem a se, quia essentialiter est visio generativa.» Sic ergo «visio creaturarum est visio creativa, quia efficax est suo dicto et imperio producere et dare existentiam». *Ipse enim dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (Ps. 148). Et sufficit ad hoc, ut aliqua cognitio sit intuitiva, quod in eadem durationé et instanti, quo terminatur, sit res illi coexistens, licet secundum aliquam prioritatem naturæ et causalitatis cognitio antecedat objectum» (1).

Respondeo, *nego* assertum et ejus probationem, ut patet ex præmissis superius probationibus.

Ad exemplum adductum ab adversario respondeo non esse rectum modum argumentandi eum, qui res faciliores implicat, et obscurat per mysteria Fidei. Si enim Theologi «mirum in modum laborant in explicando, quomodo possit Verbum ex scientia intuitiva sui ipsius produci, et solum propter altitudinem mysterii, et quia productio illa ineffabilis est, credendo magis, quam intelligendo, illam admittunt: quomodo credibile est per scientiam visionis, per quam rem sibi præsentem intuetur, Deum facere illam sibi præsentem, ut eam intueatur? Vel quid est, quod nos in has angustias cogat, cum sit in Deo alia scientia, per quam intelligimus rem fieri, et deinde sic factam, per scientiam visionis videre? (1).

Et simili modo respondetur ad aliud exemplum, quod initio articuli hujus retulimus ex Goneto ad sententiam adversariorum illustrandam, ex his quæ in *Psychologia* docuimus circa productionem Verbi.

(1) Ita Joannes a S. Thoma, *Curs. theolog.*, tom. 1, disp. 18, art. 3, in respons. ad *Secundo arguitur*.

ARTICULUS V

An et qualenam sit quasi formale principium divinæ scientiæ.

Status quæstionis declaratur.

28. Quoniam cognitio in nobis peragitur ex concursu potentiæ cognoscitivæ atque objecti (2), quod sive per se ipsum immediate, sive plerumque media specie informat, ac determinat potentiam ad actum cognitionis; ad melius declarandam naturam divinæ scientiæ necesse est inquirere, an Deus quoque utatur specie aliqua et quasi principio formali, quo fœcundetur, ut sic dicam, ad diversa intelligenda objecta. Et quamquam non desint, qui contendant, Deum ratione infiniti sui luminis intellectivi non egere specie aut concursu objectivo ullius generis; nihilominus communissime contrarium ex eo tenetur, quod species in creato intellectu non requiritur præcise, ut augeat ipsam virtutem intellectivam in ratione principii cognoscitivi, sed ut suppleat concursum objecti necessarium, ut cognitio dari queat secundum illud proloquium: *Ex objecto et potentia paritur notitia*. Unde quamquam Deus sit infinitum lumen intellectivum, adhuc locus est dubitandi, utrum præter suam infinitam vim

(1) Suarez. *Proleg.* 2, tract. *de Grat.*, cap. 10, num. 23.

(2) Vide *Psycholog.* vol. 2.um, num. 91 seqq., pag. 328 seqq. Cfr. loca, ubi pro singulis potentiis cognoscitivis tractatur necessitas specierum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

intelligendi egeat etiam concursu aliquo objectivo, quod se habeat, ut dici solet, instar principii formalis vel motivi cognitionis.

magisque definitur.

Potest tamen, opinor, in asserendo vel negando principio formali divinæ cognitionis, lis fieri duntaxat de verbo, quæ diligenter vitanda est. Potest enim principium formale cognitionis accipi vel in sensu proprio et positive vel in sensu minus proprio ac negative. In sensu proprio ac positive accipitur principium formale, si intelligatur aliquid, quod vel physice causet intellectionem in Deo, vel etiam quod concipi queat quasi aliquid essentiam et intellectum divinum fœcundans ad eliciendam intellectionem. Qui in hoc sensu principium formale acciperet in Deo, sicut omnes accipiunt in creatis, cum sermo est de specie impressa, sive sensibili sive intelligibili, perperam sentiret: quapropter nullum ejusmodi principium asserendum est Deo non solum realiter, verum ne ratione quidem distinctum. Quia qui Deo asserit positivam perfectionem etiam ratione distinctam, quæ respectu essentiæ divinæ se habeat instar speciei fœcundantis illam, reapse imperfectionem Deo attribuit, concipiendo illum ut ex sese nondum determinatum, sed superaddita egentem determinatione ad intelligendum. Præterea illa perfectio se haberet, vel concipienda foret quasi principium efficiens intellectionis. Atqui nihil potest esse vere nec concipi tamquam principium efficiens intellectionem absolutam et communem Dei, utpote quæ est ipsa ejus essentia.

In sensu minus proprio et negative accipi potest principium formale in Deo, quatenus hoc nomine intelligatur perfecta sufficientia intelligendi quidquid est intelligibile, ita ut in divina substantia eminentissime cumulatissimeque adsit totum illud, quod requiri potest ad perfectissimum actum intellectionis, sive ex parte luminis intellectualis, sive ex parte objectivi concursus. Si nihil aliud significatur nomine principii formalis, cum de divina cognitione prædicatur; quamvis appellatio non sit propria, non apparet ratio, cur negandum illud sit, cum potissimum asseratur a tot tantisque antiquitatis scriptoribus, qui rem certissimam appellatione illa declaratam voluerunt. Non enim minus in Deo, quam in creaturis, necesse est agnoscere

plenum rationem sufficientem intellectionis: adjumentum vero extrinsecum, nimirum ex objecto accedens in creatis ad ejusmodi rationem sufficientem complendam, nullum potest dari in Deo, quia totam sufficientiæ plenitudinem habet in sua essentia, in qua proinde una reperitur intinite perfectius et absque ulla imperfectione, quidquid in ordine ad intellectionem necessarium fingi potest, ac præstare in creatis solet sive virtus intellectus sive objectum cum suo concursu, ita ut sicut essentia Dei est ipsa virtus intelligendi, ita ex se sit plena sufficientia intelligendi, quin debeat aliunde vel objectivum complementum accipere. Simili modo Deus dicitur, et est verissime ens *a se*, negative, modo superius explicato, non quia ipse sibi tribuat *esse*, verum quia ipse sibi est perfectissima sufficientia essendi, nec potest aliunde *esse* accipere. Ut doctrina hæc probetur, sit

29. PROPOSITIO 1.ª **Non datur in Deo propria species intelligibilis, quæ per modum actus primi suppleat vicem et concursum objecti ad intellectionem; sed ipsa divina essentia se habet loco speciei intelligibilis, quatenus ex se ipsa determinata est ad actu repræsentandum quidquid cognoscibile est.**

Non datur in Deo propria species intelligibilis, quæ per modum actus primi suppleat vicem et concursum objectivum ad intellectionem; sed ipsa divina essentia se habet loco speciei intelligibilis, quatenus ex se ipsa determinata est ad actu representandum quidquid cognoscibile est.

Prob. 1.ª *Species enim intelligibilis principium formale est intellectualis operationis... Divina autem operatio intellectualis est ejusdem essentiæ... Esset igitur aliquid aliud divinæ essentiæ principium et causa, si alia intelligibili specie, quam sua essentia, intellectus divinus intelligeret: quod supra ostensis repugnat* (1).

Prob. 2.ª *Per speciem intelligibilem fit intellectus intelligens actu, sicut per speciem sensibilem sensus est actu sentiens. Comparatur igitur species intelligibilis ad intellectum, sicut actus ad potentiam. Si igitur intellectus divinus aliquo alio specie intelligibili intelligeret quam se ipso, esset in potentia respectu alicujus: quod esse non potest, ut supra ostensum est* (cap. 16 et 17) (2).

(1) S. Thom. lib. 1, *Contr. Gent.*, cap. 46.

(2) Id. ibid. Cfr. *Comp. Theolog.*, cap. 30 et 1. p., quæst. 14, art. 2.

Prob. 3.º *Species intelligibilis in intellectu præter essentiam ejus existens, esse accidentale habet, ratione cujus scientia nostra inter accidentia computatur. In Deo autem non potest esse ullum accidens* (1).

Prob 4.ª In tantum egeret Deus intelligibili specie ac determinatione aliunde adveniente, in quantum non haberet in sua essentia totam actualitatem in quacumque linea perfectionis. Atqui certissime habet in se ipsa et ex se ipsa totam actualitatem possibilem, cum sit actus purus, fons et principium omnis entitatis ac virtutis. Ergo Deus ratione suæ essentiæ habet in se, non solum quidquid per modum virtutis et efficacitatis intellectivæ concipitur, sed etiam quidquid objectivi juvaminis intellectui creato advenit ex speciebus intelligibilibus. Et sic quemadmodum Deus ex sua essentia est perfectissime *intellectivus*, ita etiam *ex sua essentia* fiunt eidem omnia *intelligibilia* (2).

Apposite Aquinas. *Est... proprium objectum intellectus ens intelligibile, quod quidem comprehendit omnes differentias et species entis possibiles: quidquid enim esse potest, intelligi potest. Quum autem omnis cognitio fiat per modum similitudinis, non potest totaliter suum objectum intellectus cognoscere, nisi habeat in se similitudinem totius entis et omnium differentiarum ejus. Talis autem similitudo totius entis esse non potest nisi natura infinita, quæ non determinatur ad aliquam speciem vel genus entis, sed est universale principium et virtus activa totius entis, qualis est sola natura divina, ut ostensum est* (lib. 1, cap. 25 et 43). *Omnis autem alia natura, cum sit terminata ad aliquod genus et speciem entis, non potest esse universalis similitudo totius entis. Relinquitur ergo, quod solus Deus per suam essentiam omnia cognoscat.....* (3).

Sic ergo divina essentia quodammodo se habet instar speciei intelligibilis vel principii formalis pro scientia et intellectione non in sensu proprio, quia hæc nec distinguitur ab illa, nec procedit ab ea, nec proinde potest ad eamdem

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, loc. cit.
(2) Fuse de his P. Didacus R. de Montoya, *De scient. Dei*, disp. 4.
(3) S. Thomas., 2.ª *Contr. Gent.* cap. 98, *Hoc autem sic manifestum.....*

comparari, sicut ad suum principium, sed quia essentia Dei est per se ipsam plenissime sufficiens ad repræsentanda omnia, quin debeat per ullam speciem aut extraneum complementum actuari, vel determinari ad quidpiam intelligendum. Disputari autem solet, utrum sola essentia, an vero etiam attributa divina se habeant instar speciei ad cognitionem peraugendam. Thomistæ communiter et Cornejo ac Salmanticenses alique cum illustrissimo Petro Godoy (1) et multi ex nostris cum Suarez (2), Vazquez (3) stant pro sola essentia; Albelda autem, Molina et Ruiz de Montoya (4) pro essentia cum attributis. Quam controversiam non magni esse momenti crediderunt, supposita perfectissima identitate attributorum cum essentia divinæ.

Utrum sola essentia, an vero etiam attributa Dei se habeant instar speciei ad cognitionem peragendam.

Ea tamen hic occurrit haud sane levis difficultas. Deus enim et se et reliqua omnia cognoscere debet. Ergo una ejus essentia foret ratio et quasi formale principium ad diversissima cognoscenda. Atqui hoc arduum captu est, ne dicam impossibile. Nam sicut una eademque perfectio non potest esse similis diversis, quatenus diversa sunt; ita etiam una eademque ratio intelligibilis videtur esse non posse similitudo intentionalis apta ad cognoscenda diversa prout talia seu secundum proprias ac distinctas formas. Dicendum ergo erit divinam essentiam non posse esse rationem cognoscendi alia nisi secundum communissimos eorum gradus perfectionis, secundum quos inter se conveniunt: quamobrem scripsit Commentator (5), Deum non habere cognitionem de rebus aliis, nisi in quantum sunt entia (6). Verum et hoc ipsum ex eo statim apparet absurdissimum esse, quia tunc cognitio divina esset confusa et universalis, non vero distincta et propria, rem quamlibet secundum peculiaria lineamenta repræsentans. Ergo vel negandum est, divinam essentiam esse

Difficultas adversus stabilitam doctrinam.

Opinio Averrois, Deos tribuentis solam universalem notitiam rerum aliarum

(1) *De Deo*, quæst. 16.
(2) *De Deo et attrib. divin.* lib. 3, cap. 1 et 2.
(3) In 1.ª part., disp. 142.
(4) Apud P. Joann. Maria, *Theolog. specul. et moral.*, tom. 1, tract. 1, disp. 3, sect. 4, num. 24.
(5) Lib. 2.º *Metaphysicor.*, text. 51.
(6) Apud S. Thom. 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rationem intelligibilem et quasi formale principium ad omnia intelligenda, ideoque indigere propriis rerum quarumlibet speciebus, vel asserenda confusa duntaxat et communis illarum cognitio (1). Nodum hunc solvere aliquo modo intendit sequens

30. PROPOSITIO 2.ª **Licet Deus per essentiam suam sine ulla alia specie intelligat omnia, nihilominus scientia ejus distinctissima est.**

Licet Deus per suam essentiam intelligat omnia, scientia tamen ejus distinctissima est.

Prob. 1.ª In primis etiamsi a nobis nullo modo capi posset, quomodo duo hæc simul stare possint, demonstratur a priori, quod ita se necessario res habeat. Nam cognitio confusa et solum in communi rem repræsentans imperfecta est. Atqui cognitio divina, utpote cognitio entis perfectissimi, identificata cum ipsa essentia infinita, perfectissima sit, oportet. Ergo repugnat cognitionem Dei esse confusam, et non distinctissimum et propriam (2).

Prob. 2.ª Præterea objecta omnia cognoscibilia sunt vel ipse Deus vel alia entia. Jam se ipsum, utique distincte cognoscere potuit per suam essentiam. At etiam alia a se necessario cognoscere debet distinctissime. Nam omnis artifex cognoscit proprie ac distincte opus suum. Atqui omnia entia præter Deum aut sunt creata, aut certe creabilia, ab ipso supremo artifice. Ergo...

Prob. 3.ª Proprium opus Dei est efficere et ordinare omnia in fines suos. *Cum enim ea, quæ agunt ex necessitate naturæ, naturaliter tendant in finem aliquem, oportet, quod ab aliquo cognoscente ordinentur in finem illum. Hoc autem est impossibile, nisi ille cognoscens cognoscat rem illam et operationem ejus, et ad quod ordinatur. Sicut faber non posset facere securim, nisi cognoscat actum incisionis et ea, quæ incidenda sunt, ut materiam convenientem inveniat, et formam imprimat. Et ita oportet, quod Deus cognoscat ea, quæ ad*

(1) Vide S. Thom. 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 54 initio; 1 p., quæst. 14, art. 6 in argumentis seu objectionibus; et *de verit.*, quæst. 2, art. 4 in argumentis.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 14, art. 6 in corp.

ipsum ordinantur, quia sicut esse ab ipso habent, ita et ordinem naturalem in finem (1).

Prob. 4.ª Quoniam essentia divina infinita est, continet in se eminentius totam perfectionem quarumcumque specierum intelligibilium quorumlibet objectorum in tota latitudine entis, ut intellectus divinus per suam essentiam habeat totam actuationem, quæ ex quibuscumque speciebus advenire fingatur. Atqui si intellectus aliquis supponeretur instructus speciebus intelligibilibus quorumlibet objectorum, illa perfectissime distincteque intelligeret. Ergo Deus per solam essentiam suam distinctissime omnia cognoscit (2).

Vel aliter, si vis: essentia Dei comparatur ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, sed sicut actus perfectus ad imperfectos in illo contentos. Atqui species, quæ sit similitudo et repræsentatio actus perfecti, sufficit ad distincte repræsentandos actus imperfectos in perfecto contentos. Sicut v. g. species ac similitudo hominis ad repræsentandum animal, vivens, etc. Ergo (3).

(1) S. Thom. 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 2 corp. Cfr. ibid. art. 3.

(2) Cfr. apud S. Thom. 1.ª dist. 35, art. 1 corp., exemplum hominis habentis habitum unum Grammaticæ, Geometriæ et Philosophiæ, qui uno illo habitu sciret tantumdem, quantum tres homines, qui singulos habitus earumdem scientiarum possiderent.

(3) Hæc ratio sic præclare evolvitur ab Angelico Doctore: *Quidam volentes ostendere, quod Deus per unum cognoscit multa, utuntur quibusdam exemplis; ut puta, quod si centrum cognosceret seipsum, cognosceret omnes lineas progredientes a centro, vel lux, si cognosceret se ipsam, cognosceret omnes colores. Sed hæc exempla, licet quantum ad aliquid similia sint, scilicet quantum ad universalem causalitatem, tamen deficiunt quantum ad hoc, quod multitudo et diversitas non causantur ab illo uno principio universali quantum ad id, quod principium distinctionis est, sed solum quantum ad id, in quo communicant. Non enim diversa coloratio causatur ex luce solum, sed ex diversa dispositione diaphani recipientis; et similiter diversitas linearum ex diverso situ. Et inde est, quod hujusmodi diversitas et multitudo non potest cognosci in suo principio secundum propriam cognitionem, sed solum in communi. Sed in Deo non sic est; supra enim ostensum est, quod quidquid perfectionis est in quacumque creatura, totum præexistit, et continetur in Deo secundum modum excellentem. Non solum autem id, in quo creaturæ communicant, scilicet ipsum esse, ad perfectionem pertinet, sed etiam ea, per quæ creaturæ ad invicem distinguuntur, sicut*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

31. **Objicies 1.°** «Per medium universale non potest haberi propria cognitio de aliquo particulari, sicut per animal non potest haberi propria cognitio de homine. Sed essentia divina est medium maxime universale, quia communiter se habet ad omnia cognoscenda. Ergo Deus per essentiam non potest habere propriam cognitionem de creaturis» (1).

Respondeo, *dist.* Major.: per medium universale, quod sit quasi forma universalis ac ulterius determinabilis, *conc.*; quod sit quasi causa universalis et actus perfectus, *nego*.

Essentia divina est universale

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam *essentia divina non est universale medium quasi universalis forma, sed quasi*

vivere et intelligere, et hujusmodi, quibus viventia a non viventibus, et intelligentia a non intelligentibus distinguuntur. Et omnis forma, per quam quælibet res in propria specie constituitur, perfectio quædam est. Et sic omnia in Deo præexistunt, non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quæ res distinguuntur.

Et sic, cum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros, vel centrum ad lineas, sed sicut perfectus actus ad imperfectos; ut si dicerem, homo ad animal, vel senarius, qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem, quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti non solum in communi, sed etiam propria cognitione; sicut qui cognoscit hominem, cognoscit animal propria cognitione, et qui cognoscit senarium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cujuscumque rei alterius, et adhuc amplius; Deus in se ipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Propria enim natura unicuiusque consistit, secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat. Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio, nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi. Unde manifestum est, quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum quod ab aliis distinguuntur. 1 p., quæst. 14, art. 6. Cfr. *de veritate*, quæst. 2, art. 4, ad 7.um, ubi et alio modo res explicatur.

(1) Apud S. Thom., *de verit.*, quæst. 2, art. 4, arg. 7.

universalis causa. Alio autem modo se habet ad faciendam cognitionem rerum causa universalis, et forma universalis: in forma enim universali est effectus in potentia quasi materiali; sicut differentiæ sunt in genere secundum proportionem, qua formæ sunt in materia, ut Porphyrius dicit: sed effectus sunt in causa in potentia activa, sicut domus est in mente artificis ut in potentia activa, et quia unumquodque cognoscitur secundum quod est in actu, et non secundum quod est in potentia, ideo hoc quod differentiæ specificantes genus sunt in genere in potentia, non sufficit ad hoc, quod per formam generis habeatur propria cognitio de specie; sed ex hoc quod propria alicujus rei sunt in aliqua causa activa, sufficit ut per causam illam habeatur cognitio de illa re; unde per ligna et lapides non cognoscitur domus, sicut cognoscitur per formam suam, quæ est in artifice. Et quia in Deo sunt propriæ cognitiones uniuscujusque sicut in causa activa; ideo, quamvis sit universale medium, potest propriam cognitionem facere de unaquaque re (1).

medium cognoscendi non fuit forma universalis, sed instar causæ universalis.

Objicies 2.° Una eademque forma nequit esse similitudo et propria ratio plurium ac diversorum, secundum quod diversa sunt. Ergo essentia divina nequit comparari tamquam species et principium formale pro distincta et propria repræsentatione.

Respondeo, *dist.* Major. Una eademque forma nequit esse similitudo plurium ac diversorum, per modum adæquationis, ita ut totaliter seu ad plenum exprimatur ab illis, *conc.*; si non totaliter, sed diversimode atque inæqualiter et per modum deficientissimæ imitationis, *nego*. Rem egregie declarat S. Thomas: *Deus cognoscit omnia uno, quod est ratio plurium, scilicet essentia sua, quæ est similitudo rerum omnium. Et quia essentia sua est propria ratio uniuscujusque rei, ideo de unoquoque propriam cognitionem habet. Qualiter autem unum possit esse multorum ratio propria et communis, sic considerari potest. Essentia enim divina secundum hoc est ratio alicujus rei, secundum quod res divinam essentiam imitatur. Nulla autem res imitatio divinam essentiam ad plenum, sic enim non posset esse nisi una imitatio ipsius, nec sua essentia esset per modum istum nisi unius propria ratio, sicut una sola est imago*

(1) S. Thom. *de verit.* ibid. ad 7.um

Patris perfecte eum imitans, scilicet Filius. Sed quia res creata imperfecte imitatur divinam essentiam, contingit esse diversas res diversimode imitantes; in quarum nulla est aliquid, quod non deducatur a similitudine divinæ essentiæ. Et ideo illud, quod est proprium unicuique rei, habet in divina essentia, quod imitetur. Et secundum hoc divina essentia est similitudo rei quantum ad proprium ipsius rei, et sic est propria ipsius ratio. Et eadem ratione est propria alterius et omnium aliorum. Est igitur communis omnium ratio, in quantum est res ipsa una, quam omnia imitantur. Sed est propria hujus ratio vel illius, secundum quod res eam diversimode imitantur. Es sic propriam cognitionem divina essentia facit de unaquaque re, in quantum est propria ratio uniuscujusque (1).

Objicies 3.° «Quantum distat essentia creaturæ ab essentia divina, tantum distat essentia divina ab essentia creaturæ. Sed per essentiam creaturæ non potest cognosci essentia divinæ. Ergo nec per essentiam divinam potest cognosci essentia creaturæ» (2).

Respondeo, *dist.* Major. Ita tamen ut ratio distantiæ diversissima sit ex parte Dei et creaturæ, *conc.*; ita ut sit eadem, *nego. Nam essentia creaturæ comparatur ad essentiam Dei, ut actus imperfectus ad perfectum. Et ideo essentia creaturæ non sufficienter ducit in cognitionem essentiæ divinæ, sed e converso* (3).

Objic. 4.° «Propria cognitio de re aliqua haberi non potest nisi per speciem, quæ nihil majus vel minus concipiat, quam in re sit. Sicut enim viridis color imperfecte cognosceretur per speciem deficientem ab ipso, scilicet nigri, ita imperfecte cognosceretur per speciem superexcedentem, scilicet albi, in quo perfectissime natura coloris invenitur... Sed quantum essentia divina superat creaturam, tantum creatura deficit a Deo. Cum ergo divina essentia nullo modo proprie et complete possit cognosci mediante creatura, nec creatura poterit cognosci proprie mediante essentia divina» (4).

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 4, ad 2.um Cfr. 1.° dist. 35, art. 3, ad 3.um

(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 6, arg. 2.°

(3) S. Thom. 1., quæst. 14, art. 6, ad 2.um

(4) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 4, arg. 4.°

Respondeo, *dist.* Majorem: propria cognitio de re haberi nequit, nisi per speciem, quæ nihil amplius contineat, quam res intelligenda, per modum potentiæ vel actus imperfecti, *conc.*; per modum actus perfecti, *nego*. Quod species excedat rem ipsam cognoscendam, bifariam contingere potest, primo per modum actus imperfecti ac potentiæ determinabilis et actuabilis: quo modo species generalis v. g. excedit, et continet amplius, quam ratio specifica, nempe secundum extensionem et prædicabilitatem, quia intellectio inde procedens exhibebit rationem prædicabilem de multis speciebus sub genere illo contentis. Nec species illa varias naturas specificas sub genere contentas repræsentare poterit, nisi aliquid aliud superaddatur. Et species hoc modo excedens rem ipsam cognoscendam, nequit illam proprie ac distincte repræsentare, quia re vera defficiens est, utpote quæ dum amplius continet secundum extensionem, minus continet secundum comprehensionem et actum perfectum. Alio modo species excedere potest rem cognoscendam, nempe instar actus perfecti vel causæ universalis, quatenus actu continet efficacitatem non solum ad rem illam repræsentandam, sed etiam ad alias; sicut species hominis excedit animal. Et excessus hujusmodi non impedit repræsentationem propriam et distinctam rei. Unde exemplum allatum nihil valet (1).

Objic. 5.° «Sicut Deus est causa rerum, eo quod eis *esse* influit, ita ignis est causa calidorum, ex hoc quod eis calorem influit. Sed si ignis se ipsum cognosceret, cognoscendo calorem suum, non cognosceret alia, nisi in quantum sunt calida. Ergo Deus cognoscendo essentiam suam, non cognoscit alia nisi in quantum sunt entia», ac proinde in universali duntaxat et confuse (2).

Respondeo, *nego* paritatem. Quia ignis non est causa calidorum, nisi in quantum sunt calida, Deus vero sic causat in rebus *esse*, ut causet etiam quidquid in illis est (3).

(1) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 4, ad 4.um

(2) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 4, arg. 3.°

(3) Cfr. S. Thom. ibid.; et 1 p., quæst. 14, art. 6 in corp.; et *de verit.* quæst. 2, art. 4 corp.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 6.° Nemo in primis principiis et causis remotis potest cognoscere perfecte res. Atqui Deus est primum principium et causa remotissima omnium. Ergo... (1).

Respondeo, *nego* conseq. Et ratio disparitatis est hæc, quam Doctor Angelicus assignat: *Nullius scientiæ certitudo potest esse nisi per reductionem in prima sua principia. Sed quod primum principium in geometricis non sufficit ad certam cognitionem eorum, quæ consequuntur, hoc est, quia ipsum non est tota causa eorum. Unde oportet, quod adjunctis omnibus aliis in eorum notitiam veniatur. Sed ipse Deus est perfecta causa omnium, quæ ab ipso sunt, cum nihil possit accipi, quod ab ipso non sit. Et ideo ipse per essentiam suam omnia perfecte cognoscit* (2).

Objic. 7.° Nequit haberi cognitio perfecta de rebus nisi per medium ejusdem rationis. Atqui essentia divina non est ejusdem rationis cum aliis rebus. Ergo per essentiam non potest Deus cætera omnia cognoscere distincte et proprie ac perfecte (3).

Respondeo, *dist.* Major.: nisi medium illud sit perfectius, *conc.*; si sit perfectius, *nego.*

Et *contradist.* Minore, *nego* conseq. *Esse divinum non negatur ejusdem rationis esse cum* esse *nostro, quia deficiat a ratione nostri* esse, *sed quia excedit. Quanto autem medium perfectius est, tanto in eo res perfectius cognoscitur. Et ideo quanto* esse *suum excedit nostrum, tanto scientia sua de* esse *rei, quod cognoscit per* esse *suum, excedit scientiam nostram, quæ est de* esse *rei accepta ab ipsa re* (4).

Objic. 8.° Omne medium, quod facit propriam cognitionem de re, potest assumi ut medium demonstrationis ad concludendum illud. Sed essentia divina non hoc modo se habet ad creaturam; alias creaturæ essent, quandocumque fuit essentia divina. Ergo Deus cognoscens creaturas per essentiam suam, non habet propriam cognitionem de rebus (5).

(1) Cfr. S. Thom. 1.° dist. 35, art. 3, arg. 2.°
(2) S. Thomas ibid. ad 2.um
(3) Cfr. apud S. Thom. 1.° dist. 35, art. 3, arg. 1.°
(4) S. Thom., 1.° dist. 35, art. 3, ad 1.um
(5) Apud S. Thom. *de verit.* quæst. 2, art. 4, arg. 5.

Respondeo, *dist.* Major.; si sit medium ducens in cognitionem alterius ope discursus, *trans.*; secus, *nego. Demonstratio est species argumentationis, quæ quodam discursu intellectus perficitur. Unde intellectus divinus, qui sine discursu est, non cognoscit per essentiam suam effectus, quasi demonstrando; etsi certiorem cognitionem habeat de rebus per essentiam suam, quam demonstrator per demonstrationem. Si quis etiam ejus essentiam comprehenderet, certius per eam singulorum naturam cognosceret, quam per medium demonstrationis conclusio cognoscatur. Nec tamen sequitur, quod effectus Dei sint ab æterno, propter hoc quod essentia ejus est æterna: quia effectus non sunt hoc modo in ejus essentia, ut semper in se ipsis sint, sed ut quandoque sint, quando scilicet divina sapientia determinavit* (1).

Objic. 9.° «Proprium et commune ad invicem opponuntur. Ergo non potest esse, ut idem sit forma communis et propria» (2).

Respondeo, *dist.* conseq. Idem secundum idem nequit esse forma communis et propria, *conc.*; secundum diversa, *nego* (3).

CAPUT II

DE OBJECTO DIVINÆ SCIENTIÆ GENERATIM

Quamquam in præmissa superius generali descriptione divinæ scientiæ certissimo argumento probatum sit, simplicissimum intellectus divini intuitum immutabiliter ad omne scibile determinari; plenior tamen rei declaratio peculiarem exposcit tractationem cum de objecto generatim cognitionis Dei, tum de quibusdam objectorum generibus, quæ et gravissimas præ se ferunt difficultates, et haud ignobilem suppeditant rerum tractandarum segetem. Objectum porro scientiæ duplex esse potest, alterum primarium et principale, alterum secundarium et minus principale. Primarium dicitur

Objectum primarium ac principale et secundarium ac minus principale.

(1) Id. ibid. ad 5.um Cfr. 1.° dist. 35, art. 3 ad 4.um
(2) Apud S. Thom. *de verit.* quæst. 2, art. 5, arg. 9.
(3) S. Thom. ibid. ad 9.um

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illud, quod primo et per se terminat cognitionem, ita ut non cognoscatur ratione alterius, sed ipsa sit ratio determinans cognitionem aliorum. Secundarium autem est, quod non primo nec per se cognoscitur, verum ratione alterius. Et ex utroque coalescit adæquatum objectum scientiæ. Cæterum distinctio duplicis hujusce objecti non importat duplicem cognitionem, potissimum in Deo; cum enim primarium objectum sit ratio attingendi cætera, nullatenus deest unio illa et ordo, in sententia multorum requisitus, ut multa uno actu cognoscantur (1).

ARTICULUS I

Primarium objectum scientiae divinae, quod est ipsemet Deus.

32. Duo in hoc articulo præstare oportet: primo demonstrandum est primarium objectum scientiæ divinæ, secundo, inquirendum, quanta Deus perfectione se ipsum intelligat.

§ I. UTRUM DEUS SE COGNOSCAT TAMQUAM PRIMARIUM OBJECTUM.

Sententia Durandi circa primarium objectum scientiæ divinæ, cui opponitur communis Theologorum sensus.

Duæ de hac re possunt opiniones referri, altera Durandi existimantis, ens ut sic, prout analogice commune increato et creato enti, esse primarium et formale objectum divinæ scientiæ; altera communis Theologorum et Philosophorum, qui docent Deum solum esse objectum hujusmodi primarium. Postea vero in duas alteras sese scindunt sententias, cum inquirunt, utrum sola Dei essentia, ut præcisa ab attributis, an vero etiam attributa, sive absoluta sive relativa, constituant primarium objectum.

Objectum formale ac motivum et variæ harum vocum acceptiones.

Cæterum primarium objectum scientiæ divinæ solebat etiam designari apud veteres nomine objecti formalis et motivi, quæ voces varie interdum declarabantur, et non-nullis etiam ansam præbere poterant quæstionibus, quas superius præoccupavimus agentes de potentia activa intelligendi in Deo. Objectum enim formale dividebant in physice

(1) Cfr. *Psycholog.* vol. 2.um, num. 269, pag. 907.

et solum intentionaliter motivum. Physice motivum stricte ac proprie influxum physicum et actionem importat, cujusmodi objectum formale in divino intellectu nullum dari potest; physice motivum improprie dictum importat influxum virtualem, quem non pauci admittebant, nos vero negandum esse duximus in præcedenti capite (1). Intentionaliter motivum est objectum formale, quod est ratio tantum objectiva ipsius actus, quam nempe redderet ipsemet intelligens, si interrogaretur, cur præstet assensum. Hujusmodi objectum motivum vocatur etiam determinativum. Multi etiam distinguunt præterea objectum formale pure terminativum, illud videlicet quod terminat quidem cognitionem, sed non est ejusdem motivum. Verum quamvis lites de voce amovendæ sunt, objectum istud, cum sit pure terminativum, nullatenus dici deberet formale, sed tantum materiale (2). Quæ cum ita sint, malo controversiam sub terminis in capite articuli propositis agitare.

33. PROPOSITIO 1.ª **Deus se ipsum perfectissime intelligit, et comprehendit.**

Deus se ipsum perfectissime intelligit.

Prima pars: *Deus se ipse intelligit.* **Prob. 1.º** Ens summe intelligens nequit cognitione entis summe intelligibilis carere. Atqui Deus est summe perfectissimeque intelligens, itemque summe ac perfectissime intelligibile. Ergo...

Major manifeste est per se. **Minor** quoad primum probatum est in superiori capite: quoad alterum vero facile convincitur, tum quia Deus est ens summe immateriale, unumquodque autem eatenus est intelligibile, quatenus immateriale et intelligenti unitum est; tum etiam quia intelligibilitas certe perfectio quædam est, ac proinde enti summe perfecto in summo gradu convenire debet (3).

Prob. 2.º Deo asserenda est omnis perfectio simpliciter simplex. Atqui talis est cognitio Dei. Ergo... (4).

(1) Vid. num. 7, pag. 72 seqq.

(2) Vide P. Joann. Mario, *Theolog. speculat. et moral.*, tom. 1, tract. 1, disp. 3, sect. 4 et 5; Quiros, *De Deo*, tract. 4, disp. 37; Camargo, *Curs. Theolog.*, tom. 1, disp. 5, etc.

(3) Cfr. S. Thom., 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 47. Cfr. *de verit.* quæst. 2, art. 2.

(4) Cfr. S. Thom., 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 47.

Prob. 3.° Cum intellectio specificetur ex objecto, ea præstantissima est cognitio, quæ circa nobilissimum objectum versatur. Atqui Deo præstantissima intellectio convenit, objectum vero nobilissimum est ipse Deus. Ergo.....

Prob. 4.° Deus est intelligens et ipsa intellectio purissima. Ergo vel se ipsum, vel alia a se, vel et se et alia intelligat, necesse est. Atqui alia intelligere, se autem ignorare summa miseria est. Ergo.....

Prob. 5.° Deus beatissimus est. Atqui nullius entis intelligentis beatitudo consistere valet sine cognitione summi entis Dei, ut constat ex Philosophia Morali. Ergo.....

et comprehendit.

Secunda pars: *Deus se ipsum comprehendit*, probatur. Tunc dicitur aliquid cognitione comprehendi, cum cognoscitur tam perfecte, quantum cognoscibile est. Atqui Deus se ipsum cognoscit tam perfecte, quantum cognoscibilis est. Nam Deus est substantia infinite cognoscitiva. Non autem foret talis, si esset cognoscibilis magis ac perfectius, quam a se cognoscatur. Ergo cognoscibilitas Dei non potest superare virtutem cognoscitivam et cognitionem ipsius, sed eidem perfectissime adæquatur (1).

Hinc Deus se se cognoscit, quam perfectissime cognoscibilis est tum ex parte notitiæ ipsius, tum ex parte objecti, secundum ea quæ agentes de comprehensione innuimus. Ex parte quidem objecti, quia nihil est in Deo quomodocumque, quod non intelligatur, et sic *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei* (2). Ex parte vero notitiæ, quia totum cognoscitur quam perfectissime per notitiam substantialem, qua nulla perfectior cogitari potest.

34. PROPOSITIO 2.ª **Deus se ipsum intelligit ceu objectum primarium et principale.**

Deus se ipsum intelligit ceu objectum primarium et principale.

In primis quod Deus sit suæ scientiæ objectum primarium primitate dignitatis vel nobilitatis, probatione non egel; quia nullum est possibile objectum præstantius Deo, ut per se patet. Probandum est autem, quod Deus sit etiam suæ scientiæ objectum primarium primitate virtutis, quatenus

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 3.
(2) 1 Cor. cap. 2, vers. 10.

nempe Deus sit id, quod per se primo cognoscitur ab ipso, et cætera per ipsum.

Prob. 1.° *Illa enim sola res est prima et per se ab intellectu cognita, cujus specie intelligit; operatio enim, formæ, quæ est operationis principium proportionatur. Sed id, quo Deus intelligit, nihil est aliud, quam sua essentia, ut probatum est* (cap. 46): *igitur intellectum ab ipso primo et per se nihil est aliud, quam ipsemet* (1).

Hinc... *patet... quod intellectus intelligens et id, quod intelligitur* (videlicet primo et per se) *et species intelligibilis et ipsum intelligere sunt omnino unum et idem* (2) in Deo.

Prob. 2.° Intellectus perfectissimus, qualis est divinus, eo ordine singula intelligit, quo intelligibilia sunt. Atqui essentia Dei est summe intelligibilis, quia et summe intelligibilis est, et summe perfecta summeque unita, nempe identificata, sibi. Ergo.....

Prob. 3.° *Operatio intellectualis speciem et nobilitatem habet secundum id, quod est per se et primo intellectum, cum hoc sit ejus objectum. Si igitur Deus aliud a se intelligeret quasi per se et primo intellectum, ejus operatio intellectualis speciem et nobilitatem haberet secundum id, quod est aliud ab ipso. Hoc autem est impossibile, cum sua operatio sit ejus essentia, ut ostensum est* (cap. 45). *Sic igitur impossibile est, quod intellectum a Deo primo et per se sit aliud ab ipso* (3).

Nec refert, quod Deus etiam videat se quodammodo in creaturis, nimirum deprehendens in illis suam similitudinem. Licet enim non sit in divina cognitione discursus, *quasi per notum in ignotum deveniat, nihilominus tamen ex parte cognoscibilium potest quidam circuitus in ejus cognitione inveniri, dum scilicet cognoscens essentiam suam, alias res intuetur, in quibus suæ essentiæ similitudinem videt: et sic quodammodo ad essentiam suam redit, non quasi suam essentiam ex rebus aliis cognoscens, sicut in anima nostra* (4) accidit, quæ ex

(1) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 48 initio. Cfr. 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 2.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 4 corp. fin.
(3) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 48 fin.
(4) S. Thom. *de verit.* quæst. 2, art. 2, ad 2.um Cfr. 1.ª dist. 32, quæst. 2, art. 1, ad 4.um

actuum suorum cognitione per discursum intelligit potentias et essentiam suam (1). Id, inquam, non refert, quia hujusmodi cognitio non est prima, ut ita dicam, et directa in Deo, sed reflexa, quæ supponit aliquo modo primam cognitionem directam, quæ refert Deum in se et per se, ac cætera etiam secundum proprias rationes.

Sub qua ratione Deus sit primarium objectum suæ scientiæ, utrum sub ratione essentiæ præcise sumptæ, an sub ratione essentiæ includentis attributa.

35. Si jam quæras, sub qua ratione Deus sit primarium objectum suæ scientiæ, utrum sub ratione esentiæ præcise sumptæ, an potius sub ratione essentiæ includentis etiam attributa; non una est Theologorum opinio, quemadmodum initio præmonuimus. Nam Thomistæ communius (2) et quidam Scotistæ cum Scoto (3) et Smising (4), atque e nostratibus Suarez (5), Vazquez (6) et Fassolus (7) arbitrantur, solam divinam essentiam ut formaliter vel virtualiter distinctam ab attributis, potissimum relativis, et actibus liberis, esse motivum adæquatum scientiæ Dei, ac proinde constituere objectum illius primarium. Alii vero Thomistæ, ut Magister Albelda, (8), Joannes a S. Thoma (9), card. Gotti (10), et ex nostris Didacus Ruiz de Montoya (11), Quiros (12), Marin (13) aliique volunt in primario objecto comprehendi etiam attributa relativa, immo vero nonnulli, ut P. Ruiz de Montoya et Quiros, ipsos quoque actus liberos Dei ad objectum primarium pertinere contendunt. In hac controversia, quæ non sane magni est momenti, tractataque fusius apud laudatos auctores videri potest, ea mihi videtur

(1) Vide S. Thom. *de verit.* quæst. nup. cit., et quæst. 10 art. 5; et 1 p., quæst. 87. Et lege *Psycholog.* vol. 2, num. 235-237 seqq., pag. 820-825 seqq.
(2) Vide Godoy, vol. 1, quæst. 16, tract. 3, disp. 21.
(3) 1.ª distinct. 10.
(4) Tract. 3, disp. 2, quæst. 2, num. 20 seqq.
(5) De *Trinit.*, lib. 9, cap. 5.
(6) In 1.um part., disp. 149, cap. 2.
(7) In 1.am part., quæst. 14, art. 2, dub. 2.
(8) In 1.am part., quæst. 14, art. 2, disp. 35, conclus. 2.
(9) *De Deo*, disp. 17, art. 1, diffic. 2.
(10) *De Deo*, tract. 4, quæst. 1, dub 2.
(11) *De scientia Dei*, disp. 5, sect. 5.
(12) *De Deo*, tract. 4, disp. 37, sect. 3.
(13) *Theolog. speculat. et moral.*, tom. 1, tract. 1, disp. 3, sect. 4, paragr. 1.

verissima juxta et ad dissidentes componendos aptissima ratio dicendi, quam probat P. Renatus Billuart. Nempe «si attendatur modus, quo Deum imperfecte cognoscimus per analogiam ad res creatas, secundum quem distinguitur essentia ab atributis ut ratio primaria a secundaria, objectum formale et primarium cognitionis divinæ est essentia divina ut virtualiter distincta ab atributis et relationibus; ita tamen quod attributa et relationes non sint objecta secundaria et materialia, sed modi intrinseci objecti primarii. Si vero attendatur modus, quo Deus seipsum revera cognoscit, objectum formale et primarium divinæ cognitionis est ens divinum complectens essentiam, attributa et relationes (1).

Sunt etiam nonnulli, ut Gormaz (2), Marin (3) et alii apud ipsum (4), qui contendunt creaturas, ac potissimum actus liberos, etiam esse formale objectum divinæ cognitionis, ea inducti ratione, quod essentia divina, sicut per se non connectitur necessario cum existentia rerum creatarum et liberorum actuum, sed est indifferens ut illa detur, vel non detur, ita etiam intellectus Dei de se indifferens est, ut cognoscat eam dari vel non dari, determinatur autem per hoc, quod reapse detur. Hæc tamen sententia videtur communissime rejici, et merito quidem, quia quamvis scientia divina visionis rerum creatarum quodammodo supponat illas existentes, neque enim ideo existunt, quia cognoscuntur existere, sed e converso; et in hoc sensu dici utcumque possit scientia Dei determinari per existentiam rerum creatarum: verum hujusmodi determinatio non est per modum objectivi motivi, nec etiam per modum impressæ speciei complentis et fœcundantis intellectum ad cognoscendum, sed per modum puræ conditionis ac termini logici requisiti ad veritatem repræsentationis intellectualis. Essentia enim et intellectus divinus ex sese completus et determinatus est ad vere cognoscendum ac representandum, prout est in se, quidquid cognoscibile

(1) Billuart, *De Deo*, dissert. 5, art. 2, paragr. 2, ubi probationes, si lubet, require.
(2) *De Deo*, disp. 5, sect. 5, num. 282.
(3) *Theolog. speculat. et moral.*, loc. nup. cit., sect. 5.
(4) Ibid., sect. 4, num. 40.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est, etiam res et actus libere existentes, supposito quod aliquando existentiam sortientur. Cæterum etiam admissa ista sententia, quæ rebus creatis actibusque liberis tribuit rationem objecti formalis respectu divinæ cognitionis, dici non posset creaturas et actus earum liberos pertinere ad objectum primarium Dei. Ex quo iterum vides, cur satius sit præsentem controversiam tractare sub terminis *objecti primi, rii*, quam sub terminis *objecti formalis* aut *motivi*, utpote quæ saltem in quorumdam opinione, latius patent, quam primarium objectum.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

36. **Objic. 1.°** Scientia importat relationem et respectum ad suum objectum. Ergo scientia realis relationem realem. Atqui impossibile est, ut scientia Dei realem importet relationem ad se ipsum, quandoquidem relatio realis exposcit realem distinctionem inter subjectum ac terminum relatum. Ergo nec poterit Deus se ipsum cognoscere vel scire.

Respondeo, *dist.* conseq. Scientia realis importat relationem realem, si serventur conditiones omnes ad realem relationem requisitæ, ac nominatim realis distinctio inter subjectum et terminum relatum, *trans.*; si non serventur, *neg.* Et *concessa* Minore subsumpta, *neg.* ultim. conseq.

Objic. 2.° Cognitio, qua nihil aliud cognoscatur præter ipsammet cognitionem, inutilis aut certe parvi momenti dicenda est. Atqui talis est cognitio divina, utpote plane identificata cum suo objecto, quod est ipsa Dei essentia. Ergo inutilis, aut certe parvi momenti, est cognitio, quam Deus habet sui ipsius. Atqui nihil inutile ac parvi momenti asserendum est Deo. Ergo Deus non cognoscit se ipsum.

Respondeo, *dist.* Major. Cognitio, qua nihil aliud cognoscitur præter ipsammet cognitionem, si sermo sit de cognitione accidentali, *trans.*, quamvis etiam *negari* posset. Si sermo sit de cognitione substantiali, quæ est ipsamet infinita essentia, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* primum et alterum consequens.

Objic. 3.° Sicut dicitur in libro de Causis (1), «*omnis sciens essentiam suam, est rediens ad essentiam suam reditione completa*. Sed Deus non redit ad essentiam suam, cum nunquam ab essentia sua egrediatur, nec possit esse reditus ubi non præcessit discessus. Ergo Deus non cognoscit essentiam suam» (1).

(1) Prop. 15.

Respondeo, *dist.* Major. Omnis sciens essentiam suam, si essentiam suam per se ipsam ac primo cognoscat, est rediens, etc., *neg.*; si cognoscat illam secundario et ex actibus suis, *trans.* Et *transmissa* Minore, *neg.* conseq. Locutio illa, qua sciens seipsum dicitur in se redire reditione completa, metaphorica est, siquidem in cognitione proprie nec est recessus nec reditus; *sed pro tanto dicitur ibi esse processus vel motus, in quantum ex uno cognoscibili pervenitur ad aliud, et in nobis fit per quemdam discursum, secundum quem est exitus et reditus in animam nostram, dum cognoscit se ipsam. Primo enim actus ab ipsa exiens terminatur ad objectum, et reflectitur super actum, et deinde super potentiam et essentiam, secundum quod actus cognoscuntur ex objectis, et potentiæ per actus. Sed in divina cognitione non est aliquis discursus, ut prius dictum est, quasi per notum in ignotum deveniat. Nihilominus tamen ex parte cognoscibilium potest quidam circuitus in ejus cognitione inveniri, dum scilicet cognoscens essentiam suam alias res intuetur, in quibus suæ essentiæ similitudinem videt. Et sic quodammodo ad suam essentiam redit, non quasi suam essentiam ex rebus aliis cognoscens, sicut in nostra anima accidebat.* Cæterum *reditio ad essentiam suam in libro de* Causis, *nihil aliud dicitur, nisi subsistentia rei in seipsa. Formæ enim in se non subsistentes sunt super aliud effusæ, et nullatenus ad se ipsas colliectæ. Sed formæ in se subsistentes ita ad res alias effunduntur eas perficiendo, vel eis influendo, quod in se ipsis per se manent. Et secundum hunc modum Deus maxime ad essentiam suam redit, quia omnibus providens, ac per hoc quodammodo in omnia exiens et procedens, in se ipso fixus et immistus permanet* (2).

Objic. 4.° Scientia Dei est ipsa divina essentia. Ergo dicere, quod essentia divina sit primum objectum scientiæ

(1) Apud S. Thom. *de verit.* quæst. 2, art. 2, arg. 2; 1 p., quæst. 14, art. 2, arg. 1.

(2) S. Thom. *de verit.*, loc. cit. ad 2.um. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 2, ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dei, perinde est ac dicere primum objectum scientiæ divinæ esse ipsam scientiam. Atqui hoc non videtur dici posse. Nam scientia cum sit actus immanens, directe tendere debet in aliquod objectum prius, quam in se ipsam intelligatur reflexe tendere. Confirmatur ex S. Thomæ doctrina, qui sic habet: *Sicut impossibile est, quod primum visibile sit ipsum videre, quia omne videre est alicujus objecti visibilis; ita impossibile est, quod primum appetibile, quod est finis, sit ipsum velle* (1). *Atqui eadem* est ratio pro intellectione. Et sic videmus locum habere in omni intellectione creata (2).

Respondeo, *conc.* antec., *neg.* conseq. Ad probationem, *distinguo*. Major: in actu scientiæ creato, *conc.*; in scientia divina, *neg.* Et similis distinctio valeat pro confirmatione.

Objectio verum habet in «intellectionibus et volitionibus creatis..., quia sunt actus aliquo modo effecti vel causati ab ipsis objectis, et ad ea dicunt trascendentalem habitudinem: unde necesse est, ut ab ipsis ex natura rei distinguantur. Item reddi potest alia ratio, quia actus creatus non est ita immaterialis et purus, ut possit secundum se totum, ut ita dicam, esse reflexivus in se ipsum. Oportet ergo, ut sit tamquam motus directe tendens in aliquem terminum a se distinctum. At vero utraque ratio cessat in divina scientia, quia non est causata, sed per se primo et ex se talis est: deinde immaterialissima et purissima, et ideo se ipsa est contenta et sibi sufficiens sub omni ratione tam formali, quam objectiva. Ex quo obiter intelligitur, divinam scientiam eminentissimo modo esse simul directam et reflexam: quod est necessarium in illa, hoc ipso quod prima et perfectissima est. Nam ex eo quod est perfectissima, non potest esse ignorata ab ipso sciente, quia ille perfecte scit, qui scit se scire. Ex eo vero quod est prima, non potest esse scita per aliam scientiam, quia alias etiam illa esset scita per aliam scientiam, et sic procederetur in infinitum, quod cum fieri non possit, sistendum est in scientia divina tamquam in prima, quæ se ipsam tamquam proprium et

Scientia divina directa simul est et reflexa eminentissimo modo.

(1) 1. 2., quæst. 1, art. 1, ad 2.um; Cfr. *de verit.*, quæst. 10, art. 9.

(2) Apud Suar., *Metaphys.* disp. 30, sect 15, num. 20.

primarium objectum intuetur. Neque hoc est adeo difficile intellectu, cum illa scientia sit subsistens et substantia intelligens perfectissima» (1).

Objectio itaque istæc tangit controversiam illam, an scientia, qua Deus se cognoscit, se ipsam cognoscat, ac proinde sit directa simul et reflexa. Affirmantem Doctoris Eximii sententiam tuentur Albiz, Herice, Martinon, Hemelmam, Alarcon aliique (2), sicut etiam Izquierdo (3) et Joannes Marin (4). Alii putant scientiam directam, qua Deus se cognoscit, cognosci per aliam rationem nostra distinctam, nec verentur concedere infinitas reflexiones hujusmodi secundum nostram rationem. P. Didacus Ruiz de Montoya admittit quidem scientiam reflexam ratione distinctam a directa; sed una reflexione contentus est (5). Sed tenenda potius videtur Suarezii sententia.

Vide aliam difficultatem superius solutam in hanc rem (6).

Objic. 5.° Teste Augustino (7), «id quod comprehendit se, finitum est sibi. Sed Deus est omnibus modis infinitus. Ergo non comprehendit se» (8).

Respondeo, *dist.* Major.; finitum est sibi in sensu negativo, quaterus nempe *totum* intelligitur, et nihil jam amplius restat intelligendum de eo, *conc.*; in sensu positivo, quatenus limites accipiat, ex eo quod comprehendatur, *subdist.*; si sermo esset de objecto, quod mente creata comprehendatur, *trans.*; si sermo sit de objecto, quod comprehendatur mente divina, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. (9). *Comprehendere, si proprie accipiatur, significat aliquid habens et includens alterum, et sic oportet, quod omne comprehensum*

(1) Suarez, loc. cit., num. 21.

(2) Apud P. Ribadeneira, *De Deo*, dist. 4. num. 14.

(3) *De Deo*, disp. 24, num. 7.

(4) Loco cit., tract. 1, disp. 3, sect. 3.

(5) Vide Marin, loc. sup. cit.

(6) Vide supra, num. 5, pag. 96, *Ad probationem* 7.

(7) Lib. 83 *Quæstionum*, quæst. 14.

(8) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 3, arg. 1. Cfr. *de verit.*, quæst. 2, art. 2, arg. 5.°

(9) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 2, ad 5.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sit infinitum, sicut omne inclusum. Non sic autem comprehendi dicitur Deus a se ipso, ut intellectus suus sit aliud, quam ipse, et capiat illum, et includat. Sed hujusmodi locutiones per negationem sunt exponendæ. Sicut enim Deus dicitur esse in seipso, quia a nullo exteriori continetur; ita dicitur comprehendi a se ipso, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. Dicit enim Augustinus in libro de Videndo Deum (1), *quod* totum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem (2).

Objic. 6.ª «Infinitum dicitur aliquid, secundum quod est impertransibile, et finitum, secundum quod pertransibile. Sed, sicut probatum est in 6.º *Physicor.*, infinitum non potest pertransiri neque a finito neque ab infinito. Ergo Deus, cum sit infinitus, non potest sibi ipsi esse finitus», sicut foret si a se ipso comprehenderetur (3).

Respondeo, *dist.* Major. Infinitum privative acceptum dicitur aliquid, secundum quod est impertransibile, *trans.*; infinitum negative sumptum, *subdist.*; est impertransibile per partes distinctus successive acceptas, iterum *transeat*; est impertransibile etiam, quatenus nec totum simul unico actu apprehendi valeat, *nego*.

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq. *Si vis fiat in verbo, Deus, proprie loquendo, nec aliis nec sibi finitus est, Sed pro tanto dicitur finitus, quia hoc modo a se ipso cognoscitur, sicut aliquid finitum ab intellectu finite. Sicut enim intellectus finitus potest pervenire ad finem cognitionis in re finita, ita intellectus ejus pervenit ad finem sui ipsius. Illa tamen ratio infiniti, qua dicitur intransibile, est ratio infiniti privative accepti de quo nihil ad propositum* (4). Deus enim est infinitus negative, quia excludit omnem limitem perfectionis in essentia.

Plura dabit S. Thomas (5).

(1) Epist. 112 ad Paulin., cap. 9.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 7, ad 2.um
(3) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 2, arg. 7.
(4) S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 2, ad 7.um
(5) Ibid.

ARTICULUS II

Qualenam sit objectum adæquatum scientiæ divinæ, et utrum Deus cognoscat alia a se.

37. Objectum adæquatum scientiæ complectitur ea omnia, ad quæ illa se extendit, vel extendere potest. Quæritur ergo, utrum intra immensum ambitum divinæ scientiæ contineantur alia præter ipsum Deum, saltem tamquam objectum secundarium, et quidem distincte ac proprie. Arbitratus enim est Aureolus (1), Deum non ita cognoscere creaturas, ut hæ *formaliter* et in se terminent intuitum Dei, sed solum *denominative*, propterea videlicet quod videt essentiam suam, in qua eminenter illæ continentur. Erravit quoque hac in re Commentator Averroes, cujus ea fuit opinio, Deum non cognoscere singularia secundum existentias eorum, sed solum in confuso, nimirum *in quantum sunt entia* (2). Eamdemque opinionem tribuit Avicennæ idem Averroes (3). Errarunt denique aliquo modo Gabriel et Ockamus, cum negarunt evidenter probari posse naturali rationis lumine, quod Deus alia a se distincte cognoscat et in particulari (4). Verum hos errores partim hic, partim in sequentibus rejicere oportet.

Error Aureoli

et Averrois,

Gabrielis et Ockami,

PROPOSITIO. **Deus omnia alia a se perfectissime, distinctissime ac comprehensive, in quantum cognoscibilia sunt, cognoscit tamquam objectum secundarium: unde objectum adæquatum divinæ scientiæ est omne intelligibile.**

Deus omnia alia a se cognoscit perfectissime

Prima pars: *Deus omnia alia a se cognoscit perfectissime*, etc., continetur in sacris Litteris; dicitur, enim apud

(1) Apud Capreol, 1.º dist. 35, quæst. 2.
(2) Commentator, lib. 12 *Metaphysicor.*, comment. 5.
(3) In opere, cui titulus *Destructio destructionum*, disp. 13, dub. 2. Cfr. Suarez, *Metaphysic.* disp. 30, sect. 15, num. 41.
(4) Vide Ockam 1.º dist. 35, quæst. 2, art. 1.; Gabriel 1.º dist. 35, quæst. 2, art. 2. conclus. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Esther: *Domine, qui habes omnium scientiam* (1). Et alibi: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus* (2). Item: *Domino enim, antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia* (3), etc.

Prob. 1.ª Intellectus divinus, utpote infinite perfectus, est summe cognoscitivus. Sed intellectus summe cognoscitivus debet cognoscere omnia perfectissime, distinctissime, comprehensive ac quantum cognoscibilia sunt; secus enim esset ignorantiæ capax, ideoque desineret esse summe cognoscitivus. Ergo necesse est, ut Deus alia omnia a se perfectissime, distinctissime, comprehensive ac quantum sunt cognoscibilia, reapse cognoscat.

Prob. 2.ª cum S. Thoma. *Effectus... cognitio sufficienter habetur per cognitionem suæ causæ: unde et scire dicimus unumquodque, cum causam ejus cognoscimus. Ipse autem Deus est per essentiam suam causa essendi aliis. Cum igitur suam essentiam plenissime agnoscat, oportet ponere, quod etiam alia cognoscat* (4).

Prob. 3.ª «Omnes creaturæ sunt in *esse* divino, ut in sua causa. Sed *esse* divinum est intelligere divinum. Ergo etiam sunt creaturæ in *esse* divino tamquam in intelligente. Et confirmatur hoc ipsum ex eo, quod quæ sunt in alio, sunt in eo per modum ipsius» (5).

Prob. 4.ª «Deus cognoscit perfecte virtutem suam, cum cognoscat perfecte se ipsum. Ergo etiam cognoscit effectus suos. Antecedens inde etiam probatur, quod si imperfecte se ipsum et virtutem suam cognosceret, esset ipse imperfectus; quandoquidem *esse* et intelligere in illo sunt unum et idem» (6). Hanc probationem sic egregie evolvit Angelicus

(1) *Esther*. cap. 14, vers. 14.

(2) *Hebr*. cap. 4, vers. 13.

(3) *Eccli*. cap. 23, vers. 29. Cfr. *Psalm*. 138, vers. 3; *Baruch* cap. 3, vers. 32; *Eccli*. cap. 1, vers. 1-8.

(4) S. Thom., 1.ª *Contr. Gent*., cap. 40, initio.

(5) P. Gregorius de Valentia (In 1.ª part., disp. 1, quæst. 14, *punct*. 1, initio) ex S. Thoma (*Contr. Gent*., lib. 1, cap. 49, *Adhuc omnis effectus*. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 5; *de verit*., quæst. 2, art. 3.)

(6) Valentia, ibid. ex S. Thom. *Contr. Gent*., lib. 1, cap. 49, *Amplius quicumque...*

Doctor: *Manifestum est... quod* (Deus) *seipsum perfecte intelligit; alioquin suum* esse *non esset perfectum, cum suum* esse *sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est, quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus autem alicujus rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, ut ex supra dictis patet* (quæst. 2, art. 3), *necesse est, quod Deus alia a se cognoscat* (1).

Prob. 5.ª ex causa finali rerum naturalium. *Omne enim quod naturaliter in alterum tendit, oportet, quod hoc habeat ex aliquo dirigente ipsum in finem; alias casu in illud tenderet. In rebus autem naturalibus invenimus naturalem appetitum, quo unaquæque res in finem suum tendit. Unde oportet supra omnes res naturales ponere aliquem intellectum, qui res naturales ad suum finem ordinaverit, et eis naturalem inclinationem sive appetitum indiderit. Sed res non potest ordinari ad finem aliquem, nisi res ipsa cognoscatur simul cum fine, ad quem ordinanda est. Unde oportet, quod in intellectu divino, a quo rerum naturæ origo provenit et naturalis ordo in rebus, sit naturalium rerum cognitio. Et hanc probationem innuit Psalmus 93.ºs cum dixit:* Qui finxit oculum, non considerat? *ut Rabbi Moyses dicit, quod idem est, ac si diceretur:* Qui oculum fecit sic proportionatum ad suum finem, qui est ejus actus, scilicet visio, nonne considerat oculi naturam? (2).

Nec vero res solum majores et perfectiores novit Deus, sed etiam vilissimas, itemque secreta cordium et peccata et mala, quamvis de horum quibusdam mox speciatim est agendum. Nam pro omnibus eædem vigent rationes, ut considerantí patebit. Quod ipsæ sacræ litteræ passim testantur (3).

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5.

(2) S. Thom. *de verit*., quæst. 2, art. 3. Cfr. 1.ª dist. 35, art. 2 et 3. Legé S. Thom. *opusc. de substantiis separatis*, cap. 13. Cfr. Molina (In 1.ª part., quæst. 14, art. 5 et 6, disp. unic.), Valentia (ibid., quæst. 14, punct. 3), etc., etc.

(3) Vide v. g. *Eccli*. cap. 1, vers. 2-8; *Matth*. cap. 10, vers. 29. *Paralip*. cap. 28, vers. 9; *Psalm*. 7, vers. 10; *Psalm*. 138, vers. 3; *Hebr*. cap. 4, vers. 12; *Genes*. cap. 6, vers. 5; *Proverb*. cap. 15, vers. 3; *Psalm*. 68, vers. 6, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamquam objectum secundarium.

Secunda pars: *Deus alia a se cognoscit tamquam objectum secundarium* tum ratione nobilitatis, quia res aliæ infinite distant a Deo; tum ratione virtuus, quia jam in præcedenti articulo est ostensum, Deum se solum primario et per se intelligere. Idque intendit S. Thomas, quando sæpe docuit, Deum omnia videre in seipso (1). Idemque exprimunt etiam illi, qui dicunt solum Deum esse objectum proprium et specificativum et formale suæ scientiæ, alia vero pertinere ad objectum terminativum.

unde objectum adæquatum scientiæ divinæ est omne intelligibile.

Tertia pars: *Objectum adæquatum divinæ scientiæ est omne intelligibile*, non eget probatione, sed eruitur ex hactenus probatis. Nam 1.º, objectum adæquatum comprehendit totum illud, ad quod sive tamquam ad objectum primarium vel specificativun vel proprium, sive tamquam ad objectum secundarium vel terminativum extenditur, scientia. Atqui objectum ejusmodi adæquatum est omne intelligibile respectu divinæ scientiæ, utpote quæ et Deum et alia omnia præter Deum attingit. 2.º si quid Deus non cognosceret, vel esset ex defectu cognoscibilitatis in objecto, vel ex defectu aut debilitate virtutis intellectivæ in Deo. Primum est contra hypothesim, quia objectum carens cognoscibilitate, nec est objectum nec intelligibile, siquidem omne ens quantum habet de entitate aut realitate, tantum habet de intelligibilitate. Alterum vero Deo infinitam virtutem detrahit, quod absurdum est.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

38. **Objic 1.º** Quæcumque sunt alia a Deo, sunt extra ipsum. Sed Augustinus dicit in libro 83 *Quæstionum* (quæst. 46 post medium), quod *neque quidquam Deus extra seipsum intuetur*. Ergo non cognoscit alia a se (2).

Respondeo, *dist.* Minor. Si illud *extra* referatur ad medium cognoscendi, quatenus nempe Deus nihil cognoscat per medium cognoscendi diversum, *conc.*; si *extra* referatur ad rem

(1) 1 p., quæst. 14, art. 5 fin.; 1.ª *Contr. Gent.* cap. 49; 1.ª dist. 35, art. 2.

(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5, argum. 1.º Cfr. *de verit.* quæst. 2, art. 3, arg. 10.º

ipsam, quasi Deus nihil diversum a se intueatur, *neg.* Nam *cum dicitur Deus:* **Nihil extra se intuetur**, *intelligendum est, sicut* in quo *intuetur, non sicut* quod *intuetur. Illud enim*, in quo *omnia intuetur, in ipso est* (1).

Objic. 2.º «Intellectum est perfectio intelligentis. Si ergo Deus intelligat alia a se, aliquid aliud erit perfectio Dei et nobilius ipso, quod est impossibile» (2). Confirmatur, quia «secundum ordinem nobilitatis objectorum est ordo nobilitatis in operationibus: unde dicit Philosophus (10.º *Ethicorum*), quod perfecta operatio felicitatis est respectu nobilissimi objecti. Sed quiquid est aliud a Deo, est vilius et imperfectius eo. Si igitur intelligeret aliud a se, hoc vergeret in imperfectionem et vilitatem operationis ipsius» (3).

Respondeo, *dist.* antec.: secundum suam substantiam, *neg.*; ratione speciei intelligibilis, *conc. Dist. consq.* Si Deus alia a se intelligeret per species illorum, *conc.*; si omnia intelligat per suam essentiam, *neg.* (4). Ad confirmationem egregie respondet S. Thomas. *Tripliciter intellectus divinus posset vilificari, si intelligeret vilia: uno modo si informaretur similitudine illius vilis; secundo si simul cum illo vili non posset intelligere nobile: tertio si alia operatione intelligeret et vilius et nobilius. Sed hæc omnia remota sunt ab ipso; unde sua operatio est perfectissima, quæ una et eadem existens, talis est, quod per eam ipse se ipsum cognoscit et omnia alia* (5).

Objic. 3.º «Intelligere speciem sumit ab intelligibili, sicut et omnis alius actus a suo objecto: unde et ipsum intelligere tanto est nobilius, quanto etiam nobilius est ipsum, quod intelligitur. Sed Deus est ipsum suum intelligere. Si igitur Deus intelligit aliquid aliud a se, ipse Deus specificatur per aliquid aliud a se, quod est impossibile. Non igitur intelligit alia a se» (6).

(1) S. Thom. *de verit.*, loc. cit. ad 10.um Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 5, ad 1.um

(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, loc. cit. arg. 2.º Cfr. *de verit.* quæst. 2, art. 3, arg. 1.º; dist. 35, art. 2, arg. 1.º

(3) Vide S. Thom., 1.ª dist. 35, art. 2, arg. 2.

(4) Vide S. Thom. locis nuper citatis.

(5) S. Thom., 1.ª dist. 35, art. 2, ad 2.um

(6) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 14, art. 5, arg. 3.º

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Respondeo, *dist.* Major. Speciem sumit ab intelligibili primario, quodque per suam propriam speciem cognoscitur, *conc.*; a secundario, quodque per alterius speciem cognoscitur, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. *Ipsum intelligere non specificatur per id, quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. In tantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, in quantum forma intelligibilis* (species) *est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis, sicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu. Et hæc est species principalis intellectus, quæ in Deo nihil est aliud, quam essentia sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur. Unde non oportet, quod ipsum intelligere divinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliud, quam per essentiam suam* (1).

Objic. 4.º «Creatura non est unum cum Deo, nisi secundum quod est in eo. Si ergo Deus non cognoscit creaturam, nisi secundum quod est unum cum eo, non cognoscit creaturam, nisi secundum quod est in eo, et ita non cognoscit eam in propria natura» (2).

Respondeo, *dist.* conseq.: non cognoscit creaturam, nisi secundum quod est in eo, si per hæc verba exprimatur principium cognitionis divinæ seu species, per quam res omnes a Deo cognoscuntur, *conc.*; si exprimatur terminus ipse cognitus, *nego*. Nam *Deus non cognoscit alia, secundum quod in ipso sunt, si ly* secundum quod *referatur ad cognitionem ex parte cogniti, quia non cognoscit in rebus solum esse, quod habent in ipso, secundum quod sunt unum cum eo, sed etiam esse quod habent extra ipsum, secundum quod diversificantur ab eo. Si autem ly* secundum quod *determinat cognitionem ex parte cognoscentis, sic verum est, quod Deus non cognoscit res, nisi secundum quod sunt in ipso, quia ex similitudine rei, quæ est idem cum ipso existens* (3). Et sic etiam dici solet *Deum*

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5, ad 3.um

(2) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 3, arg. 2. Cfr. ibid. art. 4, arg. 6.º; 1 p., quæst. 14, art. 6, arg. 1.º

(3) S. Thom., ibid. ad 2.um

cognoscere res in Idea, id est, per ideam, quæ est similitudo omnium, quæ sunt in re et accidentalium et essentialium; quamvis ipsa non sit accidens rei neque essentia ejus, sicut et similitudo rei in intellectu nostro non est essentialis vel accidentalis ipsi rei, sed similitudo vel essentiæ vel accidentis (1).

Instabis 1.º cum Averroe. Deus est causa universalissima in se continens omnia distincte et confuse. Atqui non cognoscit alia, nisi secundum quod sunt, vel continentur in se ipso. Ergo non potest alia cognoscere distincte, sed confuse ac secundum universales rationes. Sicut enim ignis, qui causa est calidorum, si cognosceret se ipsum, cognosceret etiam alia tantum quatenus calida; ita Deus cognoscendo suam essentiam, quæ est causa essendi pro cunctis entibus, cognosceret quidem illa quatenus entia, non tamen secundum inferiores rationes specificas et individuales.

Respondeo, *neg.* Minor. Deus enim cognoscit res non solum secundum *esse*, quod habent in se ipso, in quo sunt ipsa Dei creatrix essentia, sed etiam secundum *esse*, quod habebunt in se ipsis, quando creabuntur. Cum enim tota ratio essendi entium creatorum quoad totam realitatem ac prædicata eorumdem in Deo eminenter et virtualiter contineatur, habet Deus in sua essentia rationem et medium cognoscendi omnia alia distinctissime secundum totum eorumdem *esse*. Exemplum vero ignis non habet paritatem, quia ignis supponitur causa calidorum, solum quatenus sunt calida: sed Deus est causa aliorum, non solum quatenus sunt entia, sed etiam secundum omnes inferiores et peculiares rationes.

Instabis 2.º cum Aureolo. Qui se videt in speculo, non videt duo, se nimirum et imaginem, sed solum videt formaliter imaginem, quæ terminat visionem, et ratione imaginis formaliter visæ, videre se quoque dicitur videlicet denominative, quia se non reapse videt. Ita ergo Deus, videndo se, videre dicendus est alia denominative duntaxat, quia videt illa in se tamquam in imagine.

Respondeo, *neg.* conseq. et parit.; quia Deus non videt alia in se solum ut in speculo, quemadmodum inferius

(1) Cfr. S. Thom. loc. cit. art. 4, ad 6.um

UNIVERSIDAD AVE... DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicetur, quia cum Deus se suamque virtutem comprehendat, non potest non attingere omnia secundum proprias earum rationes et prædicata omnia, prout in essentia et virtute Dei continentur.

Objic. 5.º Si Deus cognoscit alia per essentiam suam, cum essentia sua sit aliud a creatura, sequeretur quod ex uno cognosceret aliud. Atqui cognitio unum ex alio cognoscens importat discursum et ratiocinium. Ergo si Deus per essentiam suam cognoscat alia, discurret, quod nefas est dicere (1).

Respondeo, *dist.* Major.: ita ut ex una cognitione transeat in alium distinctum actum cognitionis, *neg.*; ita ut per essentiam, tamquam medium quo, cognoscat alia eodem ipso actu, per quem seipsum cognoscit, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. *Tunc enim dicitur solum intellectus de uno in aliud discurrere, quando diversa apprehensione utrumque apprehendit, sicut intellectus noster alio actu apprehendit causam et effectum. Et ideo effectum per causas cognoscens dicitur discurrere in effectum. Quando vero non alio actu fertur potentia cognoscitiva in medium, quo cognoscit, et in rem cognitam, tunc non est aliquis discursus in cognitione; sicut visus cognoscens lapidem per speciem lapidis in ipso existentem, vel rem, quæ resultat in speculo per speculum, non dicitur discurrere, quia idem est ferri in similitudinem rei, et in rem, quæ per talem similitudinem cognoscitur. Hoc modo autem Deus per essentiam suam effectus suos cognoscit*, etc. (2).

Objic. 6.º Si Deus cognoscit alia, cognoscendo se ipsum, vel cognoscit illa eadem ratione, qua se, vel diversa. Si eadem, ergo sicut se cognoscit per essentiam suam, ita illa cognoscet per essentiam eorum. Si autem alia ratione, ergo in divina cognitione aderit multiplicitas rationum: id quod repugnat simplicitati Dei (3).

Respondeo: *Si ratio cognitionis accipiatur ex parte cognoscentis, Deus eadem ratione cognoscit se et alia, quia et idem cognoscens, et idem cognitionis actus, et idem medium est cognoscendi. Si autem accipiatur ratio ex parte rei cognitæ, sic non eadem ratione se cognoscit et alia, quia non est eadem habitudo sui et aliorum ad medium, quo cognoscit, quia ipse illi medio est idem per essentiam, res autem aliæ per assimilationem. Et ideo se ipsum cognoscit per essentiam, alia vero per similitudinem: idem tamen est, quod ejus est essentia et aliorum similitudo* (1).

(1) Cfr. S. Thom. loc. cit. art. 4, arg. 3.º; 1 p., quæst. 14, art. 6, ad 1.um
(2) S. Thom. ibid., art. 4, ad 3.um. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 7.
(3) Cfr. Thom. *de verit.* loc. cit., arg. 6.º

Objic. 7.º «Magis distat creatura a Deo, quam distat persona Patris a natura divinitatis. Sed Deus non eodem cognoscit se esse Deum et se esse Patrem: quia in hoc quod dicitur: *Cognoscit se esse Patrem*, includitur notio Patris, quæ non includitur, cum dicitur: *Cognoscit se esse Deum*. Ergo multo fortius si creaturam cognoscit, alia ratione se ipsum cognoscit, et alia ratione creaturam; quod absurdum» (2).

Respondeo. *Ex parte cognoscentis omnino eadem cognitione cognoscit se esse Deum et se esse Patrem. Sed non est idem, quo cognoscit ex parte cogniti. Cognoscit enim se esse Deum, deitate; et se esse Patrem, paternitate, quæ secundum modum intelligendi non idem est, quod deitas, quamvis realiter unum sit* (3).

Objic. 8.º «Eadem sunt principia essendi et cognoscendi. Sed non eodem Pater est Pater et Deus, ut dicit Augustinus (4). Ergo non eodem cognoscit Pater se esse Patrem, et se esse Deum. Et multo fortius non eodem cognoscit Pater se esse, et creaturam, si creaturam cognoscit» (5).

Respondeo. *Illud, quod est principium essendi, etiam est principium cognoscendi, ex parte rei cognitæ, quia per sua principia res cognoscibilis est. Sed illud, quo cognoscitur, ex parte cognoscentis est similitudo rei vel principium ejus, quæ non est principium essendi ipsius rei, nisi forte in practica cognitione* (6).

(1) S. Thom. ibid., ad 6.um
(2) Apud S. Thom. ibid., arg. 7.º
(3) S. Thom. ibid., ad 7.um
(4) Libr. 83 *Quæstion.* quæst. 46, a medio.
(5) S. Thom. *de verit.* ibid., arg. 8.º
(6) S. Thom. ibid., ad 8.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 9.º «Scientia est assimilatio scientis ad scitum. Sed inter Deum et creaturam est minima assimilatio, cum sit ibi maxima distantia. Ergo Deus minimam cognitionem vel nullam de creaturis habet» (1).

Respondeo, *dist.* Major. Et assimilatio secundum convenientiam in natura, *nego;* secundum repræsentationem, *conc.* Et *contradist.* Minore, *nego* conseq. (2).

Objic. 10.º Creatura se habet ad Deum, sicut punctum ad lineam. Sed lineæ nihil deperit de ejus quantitate, si punctum ab ea separetur. Ergo nihil etiam deperit perfectioni divinæ, si ei cognitio creaturæ denegetur (3).

Respondeo. *Quamvis a linea, si diminuatur punctum, in actu nihil depereat de lineæ quantitate; si tamen diminuatur a linea, quod non sit ad punctum terminabilis, peribit lineæ substantia. Similiter etiam est de Deo. Non enim aliquid Deo deperit, si ejusmodi creatura ponatur non esse: deperit tamen perfectioni ipsius, si auferatur ab eo potestas producendi creaturam. Non autem cognoscit res solum secundum quod sunt in actu, sed etiam secundum quod sunt in potentia ejus* (4).

Objic. 11.º «Res præcipue cognoscuntur per suas causas, et maxime per causas, quæ sunt causæ esse rei. Sed inter quatuor causas, efficiens et finalis sunt causæ *fieri*, non *esse* rei; forma autem et materia sunt causæ essendi rerum, quia intrant ejus constitutionem. Deus autem non est causa rerum, nisi efficiens et finalis. Ergo minimum est, quod de creaturis cognoscit» (5).

Respondeo. *Quamvis agens naturale, ut Avicena dicit* (6), *non sit causa nisi fiendi, cujus signum est, quod, eo destructo, non cessat esse rei, sed fieri solum; agens tamen divinum, quod est influens* esse *rebus, est causa essendi, quamvis rerum constitutionem non intret* (7). *Et tamen est similitudo principiorum essentialium, quæ intrant rei constitutionem: et ideo non solum*

(1) Apud S. Thom. ibid., arg. 9.º
(2) Cfr. S. Thom., ibid.
(3) Cfr. S. Thom. ibid., arg. 11.º
(4) S. Thom. ibid., ad 11.um
(5) Apud S. Thom. ibid., arg. 20.º
(6) Lib. 6 *Metaphysic.* cap. 2.
(7) Id ostendetur, cum sermo erit de conservatione rerum.

cognoscit fieri rei, sed esse *ejus et principia essentialia ipsius* (1).

Objic. 12.º Scientia importat relationem realem ac dependentiam a re scita. Ergo si Deus alia a se cognosceret, dependeret ab illis, et realem haberet ad illa relationem, quod profecto repugnat.

Respondeo, *dist.* antec. In creatis, in quibus scientia accipitur a rebus, *trans.*; in Deo, qui omnia intelligit per suam essentiam, *nego*, et *neg.* conseq. (2) Nam scientia in Deo solam importat relationem rationis, ut suo loco docuimus agentes de communi Dei relatione; cum enim nesciamus, quomodo se habeat notitia rerum aliarum in Deo, eam instar cujusdam relationis concipimus, sicut creatam cognitionem. Quare «per hoc quod entitas divina est etiam cognitio creaturarum; solum illi additur relatio quædam rationis ad creaturas. Quo fit, ut etiamsi creaturæ non essent, neque divina illa entitas esset cognitio earum, nihilominus illa eadem entitas divina immutata consisteret; sicut etiam eadem et immutata consisteret, si, non existentibus unquam creaturis, divina illa entitas non esset productio earum», nimirum secundum sententiam identificantem divinam etiam operationem ad extra cum ipsa Dei essentia. «Quare patet, cognitionem illam divinam non pendere quoad entitatem suam a creaturis per illam cognitis» (3).

Objic. 13.º Essentia divina habet infinitam intelligibilitatem, ac proinde ipsa sola intelligentiæ Dei adæquatur. Ergo intelligentia Dei nihil præter suam essentiam poterit intelligere.

Respondeo, *dist.* antec. quoad primum membrum. Essentia divina habet infinitam intelligibilitatem tum pro se, tum pro aliis quibuscumque ita, ut dum se intelligendum præbet, faciat etiam quævis alia cognoscere, *conc.*; habet infinitam intelligibilitatem pro se sola, ita ut nequeat se extendere ad alia intelligenda, *nego*.

Distinguo etiam alterum membrum antecedentis. Divina essentia ipsa sola intelligentiæ Dei adæquatur tamquam

(1) S. Thom. *de verit.* quæst. 2, art. 3, ad 20.um
(2) Vide S. Thom. *de verit.* quæst. 2, art. 3, ad 16.um
(3) Valentia, in 1.am part., tom. 1, disp. 1, punt. 7 fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

objectum primarium, *conc.*; tanquam objectum secundarium, *neg.* Et consequens distingui potest secundum hujus alterius membri distinctionem.

Plura qui velit, adeat S. Thomam (1).

Objic. 14.º S. Hieronymus super illud: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum* (2), ita scribit: *Cæterum absurdum est, ad hoc Dei ducere majestatem, ut sciat ad momenta singula, quot nascantur pulices, quove moriantur: quæ cimicum et muscarum multitudo in terra, quanti pisces in aqua natent, etc.* Chrysostomus etiam scribit, *Deum humano more capillos non numerare* (3). Ergo videntur hi sapientissimi Patres negasse Deo rerum vilíorum notitiam.

Respondeo, *dist.* conseq. Patres negarunt Deo notitiam qualemcumque rerum viliorum, *neg.*; notitiam providam, *subdist.*, conjunctam cum peculiari providentia et studioso affectu, qualem habet respectu hominis, aut etiam anxiam et sollicitam qualem solent homines habere de rebus suis, *conc.*; convenientem rerum ipsarum conditioni, omnisque imperfectionis expertem, *neg.* Quamquam P. Vazquez (4) crediderit S. Hieronymum excusari non posse; mens tamen S. Doctoris manifesta est, primo quia verbis objectis hæc alia præmiserat: *Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei curvit providentia*, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem *et ordinem cursumque rerum intelligere possumus*. Et paulo post hæc alia in eodem loco adjunxit. *Non sumus tam fatui, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus* eamdem rationabilium, quam irrationabilium, providentiam *esse dicentes*. Unde patet S. Hieronymum solam voluisse excludere peculiarem rationabiliumque propriam providentiam: quo sensu prius scripserat ipsemet S. Paulus: *Numquid de bobus cura est Deo?* (5), nempe specialis providentia. Accedit, quod idem S. Hieronymus alibi miretur Creatoris solertiam *in minutis*

(1) *De verit.*, quæst. 2, art. 3-4 et 5; 1.ª dist. 35, art. 2.
(2) *Habac.* cap. 1, vers. 13.
(3) S. Joann. Chrysost. homil. 35 (al. 34), num. 2 in *Matth.* cap. 10, vers. 30.
(4) In 1.am part., quæst. 14, art. 6, in nota.
(5) 1 *Corinth.*, cap. 9, vers. 9.

quoque animalibus, formica, culice, muscis, vermiculis et istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora, quam nomina (1).

Facilior adhuc est explicatio testimonii ex S. Joanne Chrysostomo objecti, tum quia qui negat tantum *Deum humano more capillos numerare*, profecto non eo ipso convincitur negare omnem cognitionem capillorum, sed humanam duntaxat et imperfectam; tum quia ibidem S. Doctor hæc addit: *Quid vilius passeribus? Et tamen nunquam, ignorante Deo, capiuntur.* Unde patet sanctissimum scriptorem nullatenus eripuisse Deo vilium rerum notitiam.

Objic. 15.º Sacræ Litteræ narrant tentuse Deum fidem Abrahæ, imperata Isaaci filii morte (2), innuuntque illam facto ipso comperisse, cum ita alloquentem inducunt: *Nun extendas manum tuam super puerum...: nunc cognovi, quod times Deum*, etc. (3). Alibi hæc verba tribuuntur Deo: *Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, compleverint, an non est ita, sciam* (4). Ergo nec latens in animo Abrahæ fides, nec peccata Sodomitarum prius Deo videntur innotuisse.

Respondeo, *neg.* conseq. Deus enim in prædictis locis more quodam humano loquens inducitur. In priori quidem loco Deus ita agit, non quia ipse ignoret Abrahami animum, quem penitus apertum divinis oculis antea fuisse et ratio demonstrat, et sacræ Litteræ nos edocent (5); sed quia voluit, ut posteris omnibus facto ipso eluceret mirabilis tanti Patriarchæ obedientia. Sodomitarum quoque scelera Deo prius innotuisse immediate ante objecta verba, refert sacer liber *Genesis* (6); in quo scite notant Patres (7), ideo

(1) S. Hieronym. epist. 3 (al. 60), num. 12. S. Hieronymum fuse vindicat cl. P. Ludovicus de San (*De Deo*, num. 320, pag. 305). Cfr. Suarez (*De Deo*, lib. 3, cap. 3, num. 3 seqq.; *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 43). Valentia (In 1.am part., disp. 1, quæst. 14, punct. 4), etc., etc.
(2) *Genes.* cap. 22, vers. 1.
(3) Ibid. vers. 12.
(4) Ibid. cap. 18, vers. 21.
(5) *Genes.* cap. 18, vers. 19.
(6) Cap. 18, vers. 20.
(7) Vide S. Chrysost. (*In Genes.*, homil. 42, num. 3), et S. Gregor. M. (*Moral.* libr. 19, cap. 14).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

metaphoricam illa loquendi rationem adhibitam esse, ut edocerentur humani judices, quanta opus sit circumspectione, quamque accurata delictorum inquisitione, antequam pœnæ male agentibus decernantur.

Objic. 16.° Aristoteles videtur Deo denegasse notitiam aliarum rerum. Nam alicubi scribit Deum ideo non intelligere alia a se, sed tantum semetipsum, quia si quid diversum a se intelligeret, illud esse honorabilius, quam ipse, et quia quædam sunt tam vilia et abjecta, ut melius sit ea ignorare (1). Unde etiam Clemens Alexandrinus (2), S. Epiphanius (3), S. Gregorius Nazianzenus (4), S. Ambrosius (5), Eusebius (6), Theodoretus (7) aliique PP. (8) hunc errorem Philosopho adscripserunt.

Respondeo 1.° *trans.* antecedens, *neg.* conseq. Tanta enim est evidentia rationum demonstrantium veram doctrinam, ut nulla pollere posset auctoritate Stagirita, etiamsi aperte contrarium docuisset. Verum

Respondeo 2.° *negando* antecedens. Circa sententiam Aristotelis hac super re duæ exstant opiniones. Prima, quam tuentur Patres modo laudati, et Averrois seu Commentatoris (9), Gregorii Arminensis (10), Gabrielis Vazquez (11), Petavii (12) et aliorum, qui arbitrantur docuisse Aristotelem, quod Deus extra se aut nihil prorsus cognoscat, aut certe non distincte, clare atque in particulari. Probabilior tamen

(1) Vide Aristot., *Metaphys.* lib. 12 (al. 11), text. 51). Quædam alia loca Aristotelis refert P. Vazquez (In 1.am part., disp. 87, cap. 1), quæ tamen non continent hunc errorem.
(2) *Stromat.* lib. 5.
(3) *De hæres.*, hæres. ultim.
(4) Orat. 1.ª theologic.
(5) *De Officiis*, lib. 1, cap. 13.
(6) *De præparat. evangel.*, lib. 15, cap. 4.
(7) *De curandis græcan. affection.*, lib. 12.
(8) Apud Suarez (*Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 4); Valentia (In primam part., disp. 1, quæst. 14, punct. 3). Cfr. el P. de Sun (loc. cit. num. 647).
(9) *Metaphysic.* lib. 12, comment. 51.
(10) 1.ª dist. 35, quæst. 1.
(11) In 1.am part., disp. 87, cap. 1.
(12) *De Deo* lib. 4, cap. 3.

et frequentior est aliorum sententia, qui cum S. Thoma (1) Capreolo (2), Francisco Suarez (3) allisque Stagiritam hac in re ab errore vindicant, testimonium vero illius ita interpretantur, ut velint illum exclusisse creaturas a divina scientia solum tamquam objectum principale ac primarium, quin tamen negaret distinctam et perfectam earumdem cognitionem (4).

ARTICULUS III

An Deus cognoscat singularia et mala.

39. Duo genera objectorum restant, de quibus aliqua inesse potest difficultas, cum sermo est de objecto divinæ cognitionis generatim spectato, singularia videlicet et mala, de quibus breviter agendum est.

§ I. AN DEUS COGNOSCAT SINGULARIA.

Non defuerunt, qui negarent, Deum, quemadmodum refert S. Thomas (5), *singularia cognoscere, nisi forte in universali, volentes naturam intellectus divini ad mensuram nostri intellectus coarctare... Alii vero dixerunt, ut Avicenna et sequaces ejus, quod Deus unumquodque singularium cognoscit quasi in universali, dum cognoscit omnes causas universales, ex quibus singulare producitur; sicut si quis astrologus cognosceret omnes motus cœli et distantias cœlestium corporum, cognosceret unamquamque eclipsim quæ futura est usque ad centum annos; non tamen cognosceret eam, in quantum est singulare quoddam, ut sciret eam nunc esse vel non esse, sicut rusticus cognoscit, dum eam videt; et hoc modo ponunt, Deum*

(1) 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 2; *Metaphys.* lib. 12, sect. 11.
(2) In 1.um *Sentent.* dist. 35.
(3) *Metaphys.* disp. 30, sect. 15.
(4) Qua de re, quæ non multum ad nostrum institutum refert, videri possunt inter alios P. Franciscus Suarez et P. Ludovicus de San, locis citatis.
(5) S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 5. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 11; 1.ª dist. 36, quæst. 1, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

singularia cognoscere, non quasi singularem naturam eorum inspiciat, sed per positionem causarum universalium. Verum enimvero hoc perinde est, ac singularia reapse non cognoscere. *Quia ex causis universalibus non consequuntur nisi formæ universales, si non sit aliquid, per quod formæ individuentur. Ex formis autem universalibus congregatis, quotcumque, fuerint, non constituitur aliquid singulare; quia adhuc collectio illarum formarum potest intelligi in pluribus esse: et ideo, si aliquis modo supradicto per causas universales eclipsin cognosceret, nihil singulare, sed universale cognosceret tantum. Universalis enim effectus proportionatur causæ universali, particularis autem particulari; et sic remanet prædictum inconveniens, quod Deus singulare ignoraret* (1). Sit itaque

40. PROPOSITIO. **Deus singularia omnia cognoscit secundum propriam et individuam uniuscujusque naturam.**

Deus singularia omnia cognovit secundum propriam et individuam uniuscujusque naturam.

Prob. 1.º Deus cum per scientiam suam operetur, debet cognoscere quidquid operatur. Atqui omnes effectus, quos Deus operatur, singulares sunt, nam universalia non existunt per se, sed tantum in singularibus. Ergo... (2).

Prob. 2.º Cum scientia Dei sit ejus essentia, oportet, ut intelligat omnia, quæcumque in sua essentia continentur tamquam in prima omnium origine et causa exemplari. Atqui singularia omnia in divina essentia continentur. Ergo... (3).

Prob. 3.º *Omnes perfectiones in creaturis inventæ in Deo præexistunt secundum altiorem modum, ut ex dictis patet* (1 p., quæst. 4, art. 2). *Cognoscere autem singularia pertinet ad perfectionem nostram. Unde necesse est, quod Deus singularia cognoscat...* (4).

Hinc Philosophus cum videret repugnare, ut quidquam a nobis cognoscatur, quod ignoretur a Deo, contra Empedoclem arguit (5), Deum insipientissimum fore, si discordiam

(1) S. Thom. *de verit.*, loc. cit. Cfr. 1.ª dist. 36, quæst. 1, art. 1.
(2) Cfr. S. Thom. 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 65, initio; 1 p., quæst. 14, art. 11.
(3) Cfr. S. Thom. 1.º *Contr. Gent.*, cap. 65, *Item...*
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5. Cfr. 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 65, *Adhuc* et *Præterea*.
(5) Lib. 1.º *de Anim.*, text. 80; et lib. 3 *Metaphys.*, text. 15.

ignoraret. Atqui idem contingeret, si Deum laterent singularia, quæ per sensus apprehenduntur (1).

Objectiones solutæ.

41. **Objic. 1.º** «Intellectus divinus immaterialior est, quam intellectus humanus. Sed intellectus humanus propter suam immaterialitatem non cognoscit singularia; sed, sicut dicitur in 2.º *de Anima* (text. 60), ratio est universalium, sensus vero particularium. Ergo Deus non cognoscit singularia» (2).

Respondeo, *dist.* Major.: et præterea talis est, ut non abstrahat species a sensibilibus, sed per suam essentiam omnia intelligat, *conc.*; talis est, qui abstrahat species a sensibilibus, sicut humanus intellectus, *neg.*

Trans. Minor., et *neg.* conseq. Ratio, cur negari solet, in sententia S. Thomæ, intellectum humanun singularia cognoscere directe et primo est, quia intellectus cum sit immaterialis, specie quoque immateriali uti debet. Cum ergo phantasma sit materiale, abstrahenda est species depurata a materialitate atque ab omnibus conditionibus individuantibus. Quæ ratio, ut patet, locum non habet in Deo, qui nihil intelligit, nisi per suam essentiam (3).

Objic. 2.º «Illæ solæ virtutes in nobis sunt singularium cognoscitivæ, quæ recipiunt species non abstractas a materialibus conditionibus. Sed res in Deo sunt maxime abstractæ ab omni materialitate. Ergo Deus non cognoscit singularia» (4).

Respondeo, *Quamvis species intellectus divini secundum esse suum non habeat conditiones materiales, sicut species receptæ in imaginatione et sensu; tamen virtute se extendit ad immaterialia* (5). Id vero dici nequit de humano intellectu, qui eget speciebus intelligibilibus abstractis a sensibilibus. Et quoniam in sententia Aquinatis, species immaterialis esse non potest,

(1) 1 p., quæst. 14, art. 5; *de verit.*, 1.ª *Contr. Gent.*, loc. cit.
(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 11, arg. 1. Cfr. 1.ª dist. 36, quæst. 1, art. 1; *de verit.*, quæst. 2, art. 3.
(3) Cfr. S. Thom., loc. cit.
(4) Apud S. Thom. 1. p., quæst. 14, art. 11, arg. 2.º Cfr. *de verit.*, quæst. 2, art. 5, arg. 2.º et 3.
(5) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 11, ad 2.um Cfr. *de verit.*, loc. cit., ad 2.um et 3.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nisi depurata sit ab omni materialitate et conditione individuante, nec recipi in intellectu potest nisi species immaterialis; ideo intellectus humanus nequit intelligere directe singularia, quia non habet species repræsentativas nisi rationum universalium.

Objic. 3.° «Omnis cognitio est per aliquam similitudinem. Sed similitudo singularium, in quantum sunt singularia, non videtur esse in Deo, quia principium singularitatis est materia; quæ cum sit ens in potentia tantum, omnino est dissimilis Deo, qui est actus purus. Non ergo Deus potest cognoscere singularia» (1).

Respondeo, *dist.* Major.: per similitudinem conformitatis in natura, *nego*; per similitudinem repræsentationis, *conc.*

Et *contradist.* Minor. Ad probation., *trans.* antec., et *nego*, quod materia sit penitus dissimilis Deo; cum enim sit *aliquid*, utcumque imperfectissimum, necessario imitatur, et exprimit aliquo modo divinam similitudinem. Nam *materia, licet recedat a Dei similitudine secundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet, similitudinem quamdam retinet divini esse* (2). Hinc cum cognitio importet similitudinem duntaxat secundum repræsentationem, potest profecto essentia divina esse repræsentatrix omnium eorum, quæ ipsam utcumque imitantur (3).

Objic. 4.° Essentia divina, per quam Deus omnia cognoscit, est causa universalis omnium. Atqui effectus singulares non possunt cognosci secundum propriam naturam ac singularitatem in causis universalibus. Nam nihil cognoscitur, nisi secundum quod cognitum est actu in cognoscente. Sed effectus in causa universali sunt tantum in potentia. Ergo... (4).

Respondeo, *dist.* Major. Essentia divina est causa universalis omnium, ita ut sit causa omnium secundum totam eorum entitatem, *conc.*, secus, *nego*.

(1) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 11, arg. 3. Cfr. 1.°, dist. 36, quæst. 1, art. 1, arg. 3.°; *de verit.*, quæst. 2, art. 5, arg. 5.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 11, ad 3.um
(3) Cfr. *de verit.*, et 1.°, dist. 36, locis citatis.
(4) Cfr. S. Thom., 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 1, arg. 2.°

Contradist. Minor. Effectus singulares nequeunt cognosci in causis universalibus, quæ non sint causæ totius entitatis, quæ est in singularibus, *conc.*; quæ sint causæ etiam ipsius singularitatis, *neg.* Et simili modo distingue rationem superadditam. Nam *Deus est causa omnium universalis ita, quod est perfecta causa uniuscujusque. Et ideo se cognoscens, omnia perfecte cognoscit* (1).

Objic. 5.° «Sicut dicit Dionysius (2.° cap. *de Divin. Nomin.*), eodem modo creaturæ participant, quamvis sint diversæ, unam Dei bonitatem, sicut plures lineæ egrediuntur ab uno centro, et plures figurationes fiunt ab uno sigillo. Sed qui cognoscit centrum, non ex hoc cognoscit lineas productas a centro, in quantum est hæc et illa, sed in communi tantum, et similiter est in alio exemplo inducto. Ergo videtur, quod Deus cognoscendo seipsum, non cognoscat singularia, in quantum hujusmodi» (2).

Respondeo. *Omnia exempla, quæ adducuntur a creaturis, deficientia sunt, ut idem Dionysius dicit. Non enim invenitur in creaturis aliqua causa communis, quæ sit causa totius, quod est in re; sicut sigillum est causa figuræ in cera, et non ipsius ceræ. Et ideo per cognitionem sigilli non potest cognosci figura impressa, in quantum est hæc vel illa, quia hæc habet ex materia* (3).

Plura, si vacat, quære apud Aquinatem (4).

§ II. UTRUM DEUS COGNOSCAT MALA ET NEGATIONES.

Status quæstionis.

42. Hoc interest inter mala et negationes, quod mala præter negationem perfectionis connotent in subjecto aptitudinem, aut potius exigentiam, illius perfectionis, ac proinde importent privationem ejusdem (5). Porro nos cum negationes privationesque aut mala cognoscimus, entia rationis procudimus apprehendendo instar entium ea, quæ nulla

(1) S. Thom. 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 1, ad 2.um
(2) Apud S. Thom. ibid. arg. 4.°
(3) S. Thom., 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 1, ad 4.um Cfr. *de verit.* quæst. 2, art. 4, in corp.
(4) *De verit.* quæst. 2, art. 5.
(5) Vide *Ontolog.* nom. 147, pag. 437.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gaudent entitate, sed tantum entitatis carentiam involvunt: unde alias docuimus cum communi sententia, negationem et privationem, itemque relationem rationis, esse species, in quas ens rationis dividitur (1). Videamus ergo, an et quo pacto Deus mala et negationes cognoscat.

43. PROPOSITIO 2.ª **Deus cognoscit negationes ac privationes et mala omnia, sicut etiam impossibilia et chimæras, non ita tamen ut ens aliquod rationis fabricetur.**

Deus cognoscit negationes ac privationes et mala, itemque impossibilia et chimæras.

Prima pars: *Deus cognoscit negationes ac privationes et mala, itemque impossibilia et chimæras,* probatur generatim; quia hæc omnia cognoscibilia sunt aliquo modo, et a nobis quoque cognoscuntur. Ergo ignorari nequeunt ab ente perfectissime omniscio. Porro speciatim quoad mala

Prob. 1.º propositio, quia *quicumque perfecte cognoscit aliquid, oportet, quod cognoscat omnia, quæ possunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, ut per mala corrumpantur: unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala* (2).

Prob. 2.º Mala vel sunt physica pœnæ, vel moralia et culpæ. Atqui utraque Deus debet necessario cognoscere. *Mala quidem pœnæ,* quia ipsemet illorum est auctor secundum illud: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (3). Quidquid autem a Deo fit, ab ipso cognosci necesse est. Sub malis autem pœnæ comprehendimus etiam mala, quæ dicuntur peccata naturæ, nam par est omnium ratio. Mala autem culpæ licet non faciat Deus, tamen et permittit illa, et punit, vel remittit: unde necesse est, ut illa videat. Et ideo dicitur apud Job: *Ipse enim novit hominum vanitatem, et videns iniquitatem nonne considerat?* (4). Et alibi: *Malum coram te feci* (5).

(1) Vide *Ontolog.* num. 36-37, pag. 94 seqq.; num. 38, pagina 99.

(2) S. Thom. 1. p., quæst. 14, art. 10. Et lege, si vis, fuse de hac re disputantem lib. 1.º *Contr. Gent.*, cap. 71.

(3) *Amos*, cap. 3, vers. 6.

(4) *Job*, cap. 11, vers. 11.

(5) *Psalm.* 9, 50, vers.

Hoc tamen interest inter mala pœnæ et mala culpæ, «quod priora scit Deus non tantum cognoscendo, sed etiam approbando, et ideo dicitur ea scire non tantum scientia simplicis notitiæ, sed etiam scientia approbationis. Mala autem culpæ tantum priori scientia novit; et ideo interdum in Scriptura dicitur ea nescire, non quia illa ignoret, sed quia non approbat: quo modo dicitur apud Habacuc: *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum* (1), supple approbando. Nullum ergo malum fit, quod Deum lateat» (2).

non ita tamen, ut entia rationis fabricetur.

Secunda pars: *Deus non cognoscit negationes privationesque ac mala, fabricando ens aliquod rationis,* manifesta est. Nam ens rationis importat fictionem seu cognitionem non entium per analogiam et proportionem ad ea, quæ sunt, ac repræsentando illa instar entium quorumdam. Atqui divina mens nihil fingere potest, sed unumquodque cognoscit, prout se habet a parte rei. Ergo.....

Potest nihilominus Deus entia rationis, quæ intellectus humanus fingit, cognoscere, prout objective sunt in illo. Id enim spectat ad comprehensionem, quam Deus habet, omnium rerum creatarum, cognoscendo quidquid est in potentia creaturæ, *sive in potentia activa, sive in passiva, sive in potentia opinandi vel imaginandi, vel quocumque modo significandi,* quemadmodum loquitur Angelicus (3).

Quo pacto Deus negationes privationesque cognoscat.

44. Cæterum modus cognoscendi negationes ac privationes hic esse potest in Deo, ut intuendo res creatas, judicet, quibus illæ perfectionibus careant. Nam hominem videndo, non potest non cognoscere totam in eo contentam perfectionem, quam profecto judicat non esse infinitam, nec ad angeli perfectionem pertingere. Itemque cognoscendo hominem, videbit procul dubio certam aliquam perfectionem ejusdem propriam, puta, visum, auditum, loquelam, etc., non reperiri in Petro vel in Paulo.

et similiter impossibilia et chimæras.

Impossibilia etiam et chimæras cognoscere potest, quin fingat ullum ens rationis, intelligendo gradus essendi oppositos ac diversos, et judicando simplicissime illos stare

(1) *Habac.*, cap. 1, vers. 11.

(2) Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 4, num. 9.

(3) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

simul in eodem subjecto non posse: quo pacto intelligendo circulum et quadratum, judicat unum non posse esse aliud, et hominem intelligendo atque asinum, judicat utriusque rationes in idem subjectum coire non posse (1).

Deus mala intelligit intelligendo bona.

Atque id est, quod generatim dici solet, nempe Deum mala intelligere, intelligendo bona. Etenim *sic... est cognoscibile unumquodque, secundum quod est: unde cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Unde dicit Dionysius (cap. 7 de div. nom.), quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras, quam a lumine* (2). Re sane vera, si malum formaliter consistit in privatione debitæ perfectionis, vel, si sermo sit de malo morali, in carentia rectitudinis debitæ, ut ex tradita in *Ontologia* doctrina innotescit; cognoscendo subjectum et omnem positivam capacitatem ejus omnemque perfectionem ac rectitudinem illi debitam et absentiam ejus, eo ipso manet cognitum malum (3).

Utrum Deus cognoscat mala illius mi immediate, suam ipsius bonitatem cognoscendo, an potius mediate cognoscendo bonitatem actus vel formæ creatæ oppositæ.

45. Age vero quoniam bonum et est contra creatam bonitatem, qua privat subjectum, et etiam contra divinam bonitatem, quam nullatenus participat, nec repræsentat; quæri solet, utrum Deus cognoscat malitiam rei vel actus cognoscendo suam ipsius bonitatem, an potius immediate cognoscendo bonitatem actus aut formæ oppositæ. Qua in re licet Ægidius apud card. Toletum (4) existimaverit, Deum immediate per cognitionem essentiæ suæ cognoscere omnia mala, quæ sunt obliquitates et recessus a regula suæ artis; at vero sententia communior docet cum S. Thoma (5), malum proxime et immediate cognosci per cognitionem illius formalis bonitatis creatæ, cujus importat privationem, et nonnisi mediate ac remote vel radicaliter per essentiam ac bonitatem ipsius Dei, quippe qui in sua essentia et bonitate

(1) Cfr. Suarez, *De Deo* etc., lib. 3, num. 7-8.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10.
(3) Cfr. Suarez, loc. sup. cit.
(4) In 1.am part., quæst. 14, art. 10: *Quæstio unica...., adverte....*
(5) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10 corp., et ad 3.um; *Quodlib.* 11, quæst. 3; 1.ª dist. 36, quæst. 1, art. 2.

videt bona alia creata et participata, et per hæc malorum habet cognitionem. Et ratio est, quia malum est privatio bonitatis ac perfectionis debitæ, ideoque cognosci nequit, donec intelligatur debita perfectio aut rectitudo, in cujus privatione consistit. Cognoscibilitas ergo ejus proxime procedit ex cognitione oppositæ formæ; verum quia hæc ipsa forma positiva cognoscitur a Deo per suam essentiam et bonitatem, cognoscibilitas malorum tandem radicaliter a cognitione divinæ essentiæ dependet. Quod ex eo amplius declaratur, quod, quamvis Deus omnia cognoscat per suam essentiam, «nihilominus per eamdem nostro modo intelligendi immediatius cognoscit essentiam hominis, quam passiones (proprietates) ejus, quas per hominis essentiam proxime cognoscit» (1).

Rem *eleganter* explicat Angelicus: *Deus novit et bona et mala, cognoscendo essentiam suam, sicut tenebræ cognoscuntur per cognitionem lucis, ut dicit Dionysius* (7 cap. *de divin. Nom.*). *Sed sciendum est, quod privatio non cognoscitur nisi per habitum oppositum: nec habitui opponitur privatio, nisi circa idem subjectum considerata. Cum autem lucem divinæ essentiæ impossibile sit deficere, non opponitur sibi privatio aliqua. Unde malum non opponitur bono, prout in Deo est determinate; sed forte opponitur sibi secundum communem intentionem boni. Opponitur autem determinate bono, quod est participatum in creaturis, cui potest admisceri defectus. Unde per hoc quod Deus cognoscit essentiam suam, cognoscit ea, quæ ab ipso sunt, et per ea cognoscit defectus ipsorum. Si autem essentiam suam cognosceret tantum, nullum malum vel privationem cognosceret nisi in communi* (2). Et paulo inferius hæc addit: *Malum non cognoscitur a Deo per similitudinem suam, sed per similitudinem boni: secundum enim quod Deus cognoscit essentiam suam, cognoscit unamquamque rem, quantum de sua bonitate participat, et in quo deficiat; et ita cognoscit malum, cum in defectu ratio mali consistat* (3).

(1) Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 7, num. 11. Et lege Toletum, loc. cit.
(2) S. Thom. 1.ª dist. 36, quæst. 1, art. 2.
(3) S. Thom., ibid. ad 3.um. Cfr. lib. 1.us *Contr. Gent.* cap. 71, finem versus, paragr. *Rursus sciendum...*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deus etiam cognoscit falsitatem.

«Et juxta hæc possumus cum proportione inferre, Deum non solum cognoscere veritatem, sed etiam falsitatem; nam sicut cognoscit peccatum voluntatis, ita etiam errores intellectus et falsas opiniones hominum. Unde necesse est, ut falsitatem agnoscat, licet falsitatem in se habere non possit; sicut cognoscit mala, licet non possit in se habere malitiam. Licet ergo in divino intellectu formaliter non sit falsitas, sed tantum veritas, objective autem cadit suo modo sub scientiam Dei» (1).

Objectiones solutæ.

46. Objic. 1.° Ex Philosopho (2): «intellectus, qui non est potentia, non cognoscit privationem. Sed malum est privatio boni... Igitur cum intellectus Dei nunquam sit in potentia, sed semper actu, videtur, quod Deus non cognoscat mala» (3).

Respondeo, *dist.* Major. Non cognoscit privationem in se existentem, *conc.*; per bonum oppositum, *neg.* Et *concessa* Minore, *dist.* conseq. eodem modo (4). Si vero non posset hoc modo intelligi commode Aristoteles, vel si omnino mens illius foret stabilitæ doctrinæ contraria, deserendus esset. Lege S. Thomam (5).

Objic. 2.° «Omnis scientia vel est causa sciti, vel causatur ab eo. Sed scientia Dei non est causa mali, nec causatur a malo. Ergo scientia Dei non est malorum» (6).

Respondeo, *dist.* Major. Scientia rei, quæ per se ac ratione sui cognoscitur, vel est causa illius, vel ab ea causatur, *trans.*; scientia rei, quæ per se non cognoscitur, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° «Scientia est assimilatio scientis ad rem scitam». Sed malum, in quantum hujusmodi, non assimilatur Deo, immo est ipse recessus a similitudine Dei. Ergo non cognoscitur a Deo (7).

(1) Suarez, *de Deo*, loc. cit., num. 12.
(2) *De anim.*, lib. 3, text. 25.
(3) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10, arg. 1.° Cfr. 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 1.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10, ad 1.um
(5) *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 71, *Sciendum autem...*
(6) Apud S. Thom. 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 2.°
(7) Apud S. Thom. dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 3. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 10, arg. 3; *Quodlib.* 11, art. 2, arg. 5.

Respondeo, *dist.* Major. Scientia rei, quæ per se ipsam cognoscitur, *conc.*; quæ per aliud cognoscitur, *subdist.*; si positive cognoscatur, *conc.*; si negative, *neg.* (1)

Instabis. Quod tantum per aliud cognoscitur, imperfecte cognoscitur. Sed repugnat Deo imperfecta cognitio. Ergo Deus vel non cognoscit mala, vel cognoscit illa per se (2).

Respondeo, *dist.* Major. Si sit per se ac positive cognoscibile, *trans.*; secus *nego* (3).

Plura videri queunt apud S. Thomam (4).

ARTICULUS IV

An et quo pacto Deus videat infinita.

47. Ex dictis hactenus et ex dicendis in primo articulo insequentis capitis plane sequitur, Deum cognoscere infinita. Cognoscit enim non solum ea omnia, quæ actu aliquando erunt per totam æternitatem, sed præterea etiam possibilia omnia; hæc autem fine carent et numero. Illud vero magis arduum est definire, utrum infinita hæc, quæ Deus cognoscit, categorematice infinita sint dicenda, an solum syncategorematice. Sed quia tota hæc controversia alibi fuit fuse pertractata, non est hic iterum in quæstionem vocanda (5).

CAPUT III

DE SCIENTIA DIVINA SIMPLICIS NOTITIÆ VEL INTELLIGENTIÆ

Post tractatum generatim objectum divinæ scientiæ, oportet gradum facere ad tria illa peculiaria capita objectorum, ex quibus petitur, ut supra vidimus, divisio scientiæ

(1) Vide S. Thom., locis citat.
(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10, arg. 4.°; 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 4.°; *Quodlib.* 11, art. 2, arg. 2.°
(3) Cfr. S. Thom., locis citat.
(4) 1 p., quæst. 14, art. 9; *Quodlib.* 11, art. 2; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 71 fin.
(5) Vide *Cosmolog.* num. 216, 217 seqq., pag. 802 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deus etiam cognoscit falsitatem.

«Et juxta hæc possumus cum proportione inferre, Deum non solum cognoscere veritatem, sed etiam falsitatem; nam sicut cognoscit peccatum voluntatis, ita etiam errores intellectus et falsas opiniones hominum. Unde necesse est, ut falsitatem agnoscat, licet falsitatem in se habere non possit; sicut cognoscit mala, licet non possit in se habere malitiam. Licet ergo in divino intellectu formaliter non sit falsitas, sed tantum veritas, objective autem cadit suo modo sub scientiam Dei» (1).

Objectiones solutæ.

46. Objic. 1.° Ex Philosopho (2): «intellectus, qui non est potentia, non cognoscit privationem. Sed malum est privatio boni... Igitur cum intellectus Dei nunquam sit in potentia, sed semper actu, videtur, quod Deus non cognoscat mala» (3).

Respondeo, *dist.* Major. Non cognoscit privationem in se existentem, *conc.*; per bonum oppositum, *neg.* Et *concessa* Minore, *dist.* conseq. eodem modo (4). Si vero non posset hoc modo intelligi commode Aristoteles, vel si omnino mens illius foret stabilitæ doctrinæ contraria, deserendus esset. Lege S. Thomam (5).

Objic. 2.° «Omnis scientia vel est causa sciti, vel causatur ab eo. Sed scientia Dei non est causa mali, nec causatur a malo. Ergo scientia Dei non est malorum» (6).

Respondeo, *dist.* Major. Scientia rei, quæ per se ac ratione sui cognoscitur, vel est causa illius, vel ab ea causatur, *trans.*; scientia rei, quæ per se non cognoscitur, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° «Scientia est assimilatio scientis ad rem scitam». Sed malum, in quantum hujusmodi, non assimilatur Deo, immo est ipse recessus a similitudine Dei. Ergo non cognoscitur a Deo (7).

(1) Suarez, *de Deo*, loc. cit., num. 12.
(2) *De anim.*, lib. 3, text. 25.
(3) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10, arg. 1.° Cfr. 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 1.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10, ad 1.um
(5) *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 71, *Sciendum autem...*
(6) Apud S. Thom. 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 2.°
(7) Apud S. Thom. dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 3. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 10, arg. 3; *Quodlib.* 11, art. 2, arg. 5.

Respondeo, *dist.* Major. Scientia rei, quæ per se ipsam cognoscitur, *conc.*; quæ per aliud cognoscitur, *subdist.*; si positive cognoscatur, *conc.*; si negative, *neg.* (1)

Instabis. Quod tantum per aliud cognoscitur, imperfecte cognoscitur. Sed repugnat Deo imperfecta cognitio. Ergo Deus vel non cognoscit mala, vel cognoscit illa per se (2).

Respondeo, *dist.* Major. Si sit per se ac positive cognoscibile, *trans.*; secus *nego* (3).

Plura videri queunt apud S. Thomam (4).

ARTICULUS IV

An et quo pacto Deus videat infinita.

47. Ex dictis hactenus et ex dicendis in primo articulo insequentis capitis plane sequitur, Deum cognoscere infinita. Cognoscit enim non solum ea omnia, quæ actu aliquando erunt per totam æternitatem, sed præterea etiam possibilia omnia; hæc autem fine carent et numero. Illud vero magis arduum est definire, utrum infinita hæc, quæ Deus cognoscit, categorematice infinita sint dicenda, an solum syncategorematice. Sed quia tota hæc controversia alibi fuit fuse pertractata, non est hic iterum in quæstionem vocanda (5).

CAPUT III

DE SCIENTIA DIVINA SIMPLICIS NOTITIÆ VEL INTELLIGENTIÆ

Post tractatum generatim objectum divinæ scientiæ, oportet gradum facere ad tria illa peculiaria capita objectorum, ex quibus petitur, ut supra vidimus, divisio scientiæ

(1) Vide S. Thom., locis citat.
(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 10, arg. 4.°; 1.° dist. 36, quæst. 1, art. 2, arg. 4.°; *Quodlib.* 11, art. 2, arg. 2.°
(3) Cfr. S. Thom., locis citat.
(4) 1 p., quæst. 14, art. 9; *Quodlib.* 11, art. 2; *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 71 fin.
(5) Vide *Cosmolog.* num. 216, 217 seqq., pag. 802 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dei in scientiam simplicis intelligentiæ, visionis et mediam. Scientia simplicis intelligentiæ vel notitiæ est illa, quæ terminatur ad essentias rerum. Et quoniam essentiæ rerum prout existentes objectum continent scientiæ, quam vocant visionis, agendum hic nobis est de essentiis cunctarum rerum possibilium, de quibus duo præcipue veniunt in controversiam: primum, utrum Deus noverit omnia possibilia; alterum, quo pacto illa cognoscat.

ARTICULUS I

Utrum Deus cognoscat omnia possibilia

Status quæstionis.

48. Nomine possibilium veniunt hic pure possibilia, quæ videlicet nec habent, nec habuerunt, nec unquam habebunt existentiam; siquidem quæ aliquando existentiam sortiuntur, licet pro aliis temporis differentiis possibilia dici queant, a Deo tamen nunquamnon ut existentia videntur pro illo tempore, in quo reapse existunt, per scientiam visionis (1).

PROPOSITIO. **Deus cognoscit omnia possibilia.**

Deus cuncta possibilia cognoscit.

Probatur 1.º Deus est summe et infinite intellectivus. Ergo habet virtutem intelligendi, ac porro intelligit, quidquid aliquo modo cognoscibile est. Atqui possibilia sunt aliquo modo intelligibilia; nam sunt aliquo modo entia, nempe entia possibilia, et unumquodque sicut est ens, ita est intelligibile. Ergo..... (2).

Prob. 2.º Deus perfectissime cognoscit, et comprehendit suam essentiam et activam potentiam. Comprehendendo autem suam essentiam et potentiam, fieri nequit ut non cognoscat quidquid in illa eminenter ac virtualiter continetur, ac proinde quidquid imitari ac participare divinam essentiam, et quidquid effici ab omnipotentia Dei potest. Ergo..... (3). Ad rem Angelicus: *Quicumque cognoscit perfecte aliquid, cognoscit omnia, quæ sunt in illo. Sed Deus cognoscit se ipsum*

(1) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 9.
(2) Vide Suarez, *Metaphysic*, disp. 30, sect. 15, num. 22.
(3) Id., ibid.

perfecte. Ergo cognoscit omnia, quæ sunt in ipso secundum potentiam activam. Sed omnia secundum proprias formas sunt in ipso secundum potentiam activam, cum sit omnis entis principium. Ipse igitur habet cognitionem propriam de omnibus rebus (1).

Prob. 3.º Deus cognoscere potest, immo debet, quidquid creabile vel factibile est. Atqui talia sunt possibilia. Ergo.....

Major patet. Nihil enim Deus operatur nisi ut agens intellectuale (2); tum quia id postulat ejus perfectio, tum quia libere operatur, tum denique quia cum infinita sint possibilia, potentia divina nequit esse ex se determinata ad omnia producenda, nec etiam ad unum præ alio eligendum nisi per intellectum et voluntatem: *Cognitio divini intellectus*, inquit S. Thomas, *comparatur ad res alias, sicut cognitio artificis ad artificiata, cum per suam scientiam sit causa rerum. Artifex autem suæ artis cognitione etiam ea, quæ nondum sunt artificiata, cognoscit. Formæ enim artis ex ejus scientia effluunt in exteriorem materiam ad artificiorum constitutionem. Unde nihil prohibet in scientia artificis esse formas, quæ nondum exterius prodierunt. Sic igitur nihil prohibet Deum earum, quæ non sunt, notitiam habere* (3).

Confirmatur ex eo, quod etiam nos plura possibilia cognoscimus. Ergo Deus potest omnia cognoscere. Nam respectu infiniti intellectus nulla potest esse major difficultas in cognoscendis omnibus, quam in uno duntaxat. Itaque si non repugnat aliquod cognoscibile cognosci, omnia, necesse est, ut a Deo cognoscantur. Concludendum ergo est cum Aquinate: *Deus scit omnia, quæcumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet ea, quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quæ actu sunt ea vero, quæ non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei vel creaturæ, sive in potentia activa, sive in passiva, sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quæcumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus,*

(1) S. Thom. 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 50, *Præterea*..... Cfr. ibid. cap 66. *Præterea* et *Adhuc*.....
(2) Vide S. Thom. lib. 2. *Contr. Gent.*; cap. 23, 24.
(3) *Contra. Gent.*, cap. 6º, *Item*. Cfr. *de verit.* quæst. 2, art. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiamsi actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam (1).

Deus cognoscit etiam enuntiabilia omnia.

49. Hinc vero sponte sequitur, Deum cognoscere etiam enuntiabilia omnia, nimirum quidquid de quavis essentia et entitate valet enuntiari. Idque bifariam intelligi, ac declarari potest, objective ac subjective. Objective quidem, quia cum Deus comprehensive cognoscat essentias omnes, non potest non cognoscere etiam attributa et prædicata unicuique convenientia, quæ sunt totidem enuntiabilia. Subjective autem, quia Deus cognoscit omnia, quæcumque continentur in potentia aut sua aut creaturæ. Ergo cognoscit etiam omnia, quæ vel a se ipso enuntiantur, vel enuntiari a quovis creato intellectu queunt. Cæterum enuntiabilia cognoscit Deus, non componendo et dividendo, sicut nos, sed per simplicissimum intuitum. Quæ est diserta doctrina Aquinatis: *Cum formare enuntiabilia sit in potestate intellectus nostri, Deus autem sciat quidquid est in potentia sua vel creaturæ, necesse est, quod Deus sciat omnia enuntiabilia, quæ formari possunt. Sed, sicut scit materialia immaterialiter, et composita simpliciter, ita scit enuntiabilia non per modum enuntiabilium, quasi scilicet in intellectu ejus sit compositio vel divisio enuntiabilium; sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam uniuscujusque; sicut si nos hoc ipso quod intelligimus, quid est homo, intelligeremus omnia, quæ de homine prædicari possunt. Quod quidem in intellectu nostro non contingit, qui de uno in aliud discurrit, propter hoc quod species intelligibilis sic repræsentat unum, quod non repræsentat aliud*, etc. (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

50. **Objic. 1.°** Cognitio Dei non est nisi verorum. Sed possibilia veritatem non habent. Nam possibilia non sunt entia; verum autem et ens convertuntur. Ergo... (3).

Respondeo, *conc.* Major., *neg.* Minor.

(1) 1 p., quæst. 14, art. 9. Cfr. 1.°, dist. 38, art. 4.

(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 14.

(3) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 9, arg. 1; 1.° dist. 38, quæst. unic., arg. 2.°; *de verit.*, quæst. 2, art. 8, arg. 5.°

Ad probationem, *dist.* Major. Id est, possibilia non sunt entia actualia, quatenus actu non sunt in se ipsis, *conc.*; non sunt entia in potentia, quatenus nec sunt in potentia causarum, *neg.* Nam possibilia *secundum hoc habent veritatem, secundum quod habent esse, prout scilicet in suo principio activo vel finali sunt, et sic etiam cognoscuntur a Deo* (1). Nam Deus scit omnia, quæcumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet, *ea, quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt, quæ actu sunt; ea vero, quæ non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei vel creaturæ* (2).

Dices. *Esse*, quod possibilia habent in causa, non aliud est præter ipsum *esse* causæ. Ergo si cognosci dicuntur ex eo, quod sunt in potentia causæ, re vera non cognoscitur nisi ipsa potentia causæ.

Respondeo, *dist.* antec.: quod actu habent, *conc.*, quod habent virtute ac potentia, *nego*. Quia licet actu possibilia non habent aliud *esse* distinctum ab *esse* potentiæ causæque suæ, habere tamen possunt per virtutem causæ, et ideo *esse* proprium ac distinctum talium possibilium dicitur esse in potentia causæ, ac proinde hanc comprehendendo repugnat non perfecte cognosci et illud. Itaque necesse non est fingere in possibilibus ullum *esse quiddilatis* vel *essentiæ* æternum, in quo Deus illa cognoscat, quemadmodum alibi probatum est (3).

Objic. 2.° Scientia importat similitudinem scientis cum scito. Sed ea, quæ non sunt, non habent ullam similitudinem cum Deo, qui est ipsum *esse*. Ergo .. (4).

Respond., dist. Minor.; actualem, *conc.*; possibilem, *neg.* Nam *cognitio, quæ accipitur a rebus cognitis, consistit in assimilatione passiva, per quam cognoscens assimilatur rebus cognitis prius existentibus. Sed cognitio, quæ est causa rerum, consistit in assimilatione activa, per quam cognoscens assimilat sibi cognitum. Et quia Deus potest sibi assimilare illud,*

(1) S. Thom., *de verit.*, loc. cit. Cfr. in aliis etiam locis.

(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 9 corp.

(3) Vide *Ontolog.*, num. 236, pag. 634 seqq.

(4) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 9 arg. 2.°; *de verit.* quæst. 2, art. 8, arg. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod nondum est sibi assimilatum, ideo potest etiam non entis cognitionem habere (1).

Objic. 3.º Cognitio Dei de rebus est per ideas. Sed pure possibilium non datur idea, cum idea importet cognitionem, operis faciendi directricem. Ergo... (2).

Respondeo *dist.* Major.: per ideas est cognitio omnis, si nomen ideæ accipiatur pro cognitione sive speculativa sive practica *conc.*; si præcise pro practica, *subdist.*: cognitio de rebus fiendis habetur per ideas, *conc.*; de pure possibilibus, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. (3).

Objic. 4.º Quidquid Deus cognoscit, est in Verbo. Sed, teste S. Anselmo, (4) eorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non est aliquod Verbum. Ergo... (5).

Respondeo. S. Anselmus in objecto loco Verbum intelligit potentiam operativam Patris; quare in hoc sensu ad ea tantum se extendit verbum, ad quæ se extendit divina operatio (6).

Objic. 5.º Scientia importat relationem ad scibile. Sed ea, quæ relationem important ad creaturas, non prædicantur de Deo, nisi existentibus creaturis, ut patet in denominatione Domini, Creatoris, etc. Ergo Deus nequit cognoscere res non existentes (7).

Respondeo, *dist.* Minor. Quæ important relationem fundatam in aliqua operatione divina ad extra, *conc.*; super operatione immanente, *nego* ex dictis in præcedenti volumine (8).

(1) S. Thom. *de verit.*, loc. cit., ad 2.um
(2) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 8, arg. 3.º
(3) S. Thom., ibid. ad 3.um
(4) *Monolog.* cap. 30 ante med.
(5) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 8, arg. 4.º
(6) S. Thom. ibid. ad 4.um
(7) Apud S. Thom. 1.ª dist. 38, art. 4, arg. 1.º
(8) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 81, pag. 250.

ARTICULUS II

In quo medio cognoscat Deus possibilia.

51. Medium cognitionis divinæ respectu diversorum objectorum diversas præ se fert difficultates, quæ, quia tractari perspicue non possunt in communi, singillatim aggrediendæ sunt circa singula objecta triplicis scientiæ, videlicet, simplicis notitiæ, visionis ac mediæ, ad contemplandum proposita.

§ I. STATUS QUÆSTIONIS ET VARIÆ SENTENTIÆ.

Medium cognitionis duplex, quo et in quo

Ut ergo in salebrosa quæstione clarius procedamus, ante omnia notare oportet, medium cognitionis duplex distingui, medium *quo* et medium *in quo*. Medium *quo* est species, qua informata potentia cognoscit objectum, quemadmodum in *Psycologiæ* altero volumine docuimus. Medium *in quo* est id, cujus inspectione aliud simul cognoscitur: quo pacto in speculo v. g. videntur alia. Conveniunt, ergo hæc duo media in eo, quod utrumque facit cognoscere aliquid diversum a se; differunt autem in eo, quod medium *quo* non cognoscitur ante rem, quam demonstrat, secus ac medium *in quo* (1).

Cognitio rei in se et in alio

Res ergo aliqua bifarium cognosci potest, in se ipsa, et in alio. In se cognosci dicitur aliquid, vel quia cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili (2), vel, quod præcipue ad nostram controversiam attinet, quia directe terminat cognitionem, nempe excludendo medium *in quo*. In alio autem cognosci dicitur id, quod cognoscitur per medium *in quo*, licet alias etiam dicitur in alio videri id, quod non cognoscitur per speciem propriam, sed per speciem alterius. Duplex hic modus exponendi cognitionem rei in se et in alio probe notandus est, quia serviet ad controversias inferius agitandas.

(1) Cfr. S. Thom. *Quodlib.* 7, art. 1.
(2) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et ex alio.

Illud quoque animadverte, non esse confundendum medium *in quo* cum medio *ex quo*, nec perinde esse rem cognoscere in alio, et ex alio, si proprie loqui velimus. *Differt*, inquit S. Thomas, *cognoscere aliquid* in aliquo *et aliquid* ex aliquo. *Quando enim aliquid in aliquo cognoscitur, uno motu* (actu) *fertur cognoscens in utrumque... et talis cognitio non est discursiva, nec differt quantum ad hoc, utrum aliquid videatur in propria specie vel in specie aliena... Sed tum dicitur aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud: unde hic est quidam discursus, sicut patet in demonstrationibus* (1).

Quid requiratur, ut unum in alio proprie cognoscatur.

Maneat ergo, cognitionem rei *in alio* semper importare notitiam duplicis objecti habitam per unum duntaxat actum, et medii *in quo* res alia cernitur, et rei quæ dicitur in medio cognosci. Ne tamen arbitreris sufficere quamlibet cognitionem duorum objectorum uno actu habitam, ut unum in alio videri dicatur. Neque enim si quis duos vel plures canes aut equos uno obtutu aspiciat, unum in alio videt. Cur ita? Quia videlicet in hujusmodi objectis, quæ simul ex parte cognoscentis percipiuntur, nullus adest nexus objectivus. Sed neque sufficit quævis connexio plurium objectiva, quæ simul videantur, ad hoc ut unum dicatur in alio videri. Nam id etiam proprium est relativorum, quæ talem inter se habitudinem præ se ferunt, ut simul sint natura et cognitione, quemadmodum docent Logici; et nihilominus non magis enum est medium cognoscendi alterum, quam e converso, sed utrumque simul et *ex æquo et immediate* apprehenditur.

Ut ergo unum cognosci in alio dicatur, non sufficit, ut qualicumque objectiva connexione conjungantur illa inter sese, verum debent insuper ordinem prioris et posterioris servare, quatenus nempe alterum sit ratio et medium, cujus inspectione cognoscatur alterum. Hoc modo res videtur in speculo, et angeli dicuntur uno actu effectus cernere in causa, et proprietates in natura, conclusionesque in principiis, quia sic penetrant vim principiorum, ut cognitio repræsentans illa simul terminetur etiam consequenter et quasi per resultantiam

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 8, art. 15. Cfr. 3.ª *Contr. Gent.*, cap. 49 initio.

ad conclusiones. Quare quod unum videatur in alio tamquam in medio, non significat, quod non videatur secundum proprium *esse* formale primamve naturam ac velut lineamenta, ut patet in re, quæ cernitur in speculo, sed quod non videatur nisi transeundo per aliud. Et ideo hujusmodi cognitio rei in alio non est immediata, sed mediata, quia licet utrumque exhibeatur uno simplici actu, tamen hic actus non repræsentat duo illa objecta sine ordine prioris et posterioris, sed propterea repræsentat rem, quia repræsentat medium, et non e converso, quia medium est ratio, cur cognitio illa terminetur etiam ad aliam rem in illo contentam aliquo modo: quapropter plena medii cognoscibilitas ducit in cognitionem alterius rei. Videri de hac re potest Eximius Doctor (1).

Perficitur expositio cognitionis per medium in quo.

Hisce prænotatis, convenit apud omnes in hac materia, quod Deus non accipiat scientiam suam ab aliis, nec indigeat extraneo principio seu specie, ut illa cognoscat, sed per suam essentiam sufficientissimus sit ad quævis intelligibilia perfectissime intelligenda; et controvertitur, utrum Deus non solum se ipsum, sed possibilia etiam videat immediate in se ipsis, an vero omnia illa videat in se ipso, ideoque se solum immediate, illa vero mediate. Variæque sententiæ ad tres revocari possunt, quarum duæ sunt extremæ, tertia mediam tenet viam. Opinio enim Aureoli, negantis Deum alia cognoscere, nisi secundum quod in se ipso eminenter existunt, jam in antecessum profligata est. Fertur enim Aureolus opinatus fuisse scientiam Dei adæquate terminari ad essentiam suam ita, ut alia ne mediate quidem repræsentet secundum *esse* quod habent in se ipsis vel secundum proprias naturas et perfectiones, per quas invicem distinguuntur, sed solum secundum *esse* eminentiale, quod habent omnia in Deo (2). Hæc vero sententia evertit distinctissimam illam rerum omnium notitiam, quam supra vindicavimus ex

Quid conveniat apud omnes.

et quid in controversiam adducatur.

Opinio Aureoli deseritur.

(1) *De Deo*, lib. 2, cap. 25, num. 3-6. Cfr. Theophil. Raynaud., *Theolog. naturalis*, dissert. 8, art. 1; Joann. a S. Thom., *Curs. Theolog.* tom. 1, *De Deo*, disp. 15, art. 3, *Suppono secundo*...

(2) Vide apud Capreol. 1.º dist. 35, quæst. 2; Bañez in 1 p., quæst. 14, art. 6 et alios.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

communi omnium catholicorum doctrina. Nam creaturæ, prout sunt in Deo, non sunt creaturæ, sed *ipsa creatrix essentia* (1), nec *esse* illud eminentiale, quod in Deo habent creaturæ, est aliud præter ipsum *esse* ineffabile divinum. Quare si solum cognoscit Deus *esse* eminentiale, quod creaturæ habent in eo, revera illas non cognosceret, nec proinde divina scientia juvaret ad creationem ipsam rerum exsequendam, neque enim res creantur secundum *esse* eminentiale, quod habent in Deo, sed secundum proprium et distinctum cujusque *esse* specificum.

Itaque *Deus per hoc quod videt se, cognoscit esse rerum, quod habent in propria natura*, sicut angeli ac beati videndo Verbum, *non cognoscunt solum illud* esse *rerum, quod habent in Verbo, sed illud* esse, *quod habent in propria natura* (2). Deus ergo certissime cognoscit possibilia et res cunctas non solum secundum *esse* eminentiale, quod habent in infinita sua essentia, sed etiam secundum *esse* illud specificum et individuale, quo gaudent, vel gauderent, si crearentur. Et si nihil aliud significaretur dicendo, quod Deus possibilia cognoscat in se ipsis, procul dubio ita esset asserendum ex communi sententia.

Quamobrem omissa hac, quæ Aureolo tribui solet, opinione, prima est sententia S. Thomæ (3), Capreoli (4), Halensis, Ægidii, Henrici Gandavensis et Durandi (5), Cajetani (6), Ferrariensis (7), Bañez (8), Joannis a S. Thoma (9) cæterorumque Thomistarum (10), Suarezii (11), Molinæ (12).

Prima sententia.

(1) S. Anselm. *Monol.* cap. 35.
(2) S. Thom. 1.ª p., quæst. 58, art. 2.
(3) Vide 1.ª p., quæst. 14, art. 6; *de verit.*, quæst. 2, art. 3; 1.º *Cont. Gent.* cap. 49 seqq.; et alibi sæpe.
(4) 1.ª dist. 35, quæst. 2.
(5) Apud Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 2, num. 3.
(6) In 1.ª p., quæst. 14, art. 5.
(7) In 1.um *Cont. Gent.* cap. 49.
(8) In 1.am p., quæst. 14, art. 5.
(9) *De Deo*, disp. 17, art. 2.
(10) Vide v. g. Godoy, Gonet, Gotti, Billuart, etc.
(11) *De Deo*, lib. 3, cap. 2, num. 3 seqq.; *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 24 seqq.
(12) In 1.am p., quæst. 14, art. 5-6, disp. unic.

P. Jacobi Granado (1), Tanneri (2), Valentiæ (3), Theophili Raynaudi (4), Francisci Sylvii (5), Didaci Ruiz de Montoya (6) aliorumque plurimorum, inter quos numerandus est nostris diebus P. Ludovicus De San (7): qui omnes docent Deum non posse alia cognoscere immediate in se ipsis, sed omnia cognoscere in se tamquam in causa, ita ut essentia divina habeat rationem medii cogniti, in quo reliqua cognoscantur. Unde actus divinæ cognitionis unicus et simplicissimus et ad essentiam suam et alia omnia secundum proprias cujusque naturas et perfectiones terminatur, diverso tamen modo; ad suam essentiam immediate ac tamquam ad objectum primarium, ad alia vero mediate duntaxat et secundario tamquam ad objecta eminenter contenta in sua essentia, quæ proinde est ratio cognoscendi illa. Et sic secundum hos scriptores cognitio, quam Deus habet, possibilium non est directa, sed indirecta, quia non terminatur ad illa nisi transeundo per essentiam suam.

Altera sententia extreme opposita est eorum, qui opinantur, divinam cognitionem ad omnia terminari immediate in se ipsis, nec posse illa cognosci in divina essentia, quia non habet hæc rationem medii, cujus inspectione reliqua cognoscantur tamquam in eorum causa, sed tantum considerari potest tamquam species intelligibilis tum sui tum aliorum omnium immediate repræsentatrix; ex quo inferunt intuitum divinum directe ferri et in essentiam suam et in possibilia resque creatas. Ita opinati sunt Nominales, Gabriel (8), Ockam (9) alique. Eademque sententia tribuitur a quibusdam (10)

Secunda.

(1) *De scientia Dei*, tract. 2, disp. 3.
(2) *De Deo*, disp. 2, quæst. 8, dub. 3.
(3) *Commentar.* tom. 1, disp. 1, quæst. 14, punct. 3.
(4) *Theol. natur.* dist. 8, art. 1.
(5) In 1.am p., quæst. 14, art. 5.
(6) *De scientia Dei*, disp. 10.
(7) *De Deo*, num. 159.
(8) 1.ª dist. 35, art. 1, conclus. 2.
(9) 1.ª dist. 35, quæst. 3.
(10) Vide Suarez (*De Deo*, lib. 3, cap. 2, num. 14), Vasquez (In 1.ª p., disp. 60, cap. 1), et Scotistam Vulpem (disp. 37, art. 4, conclus. ultim.).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scoto (1), quem tamen pro priori sententia stetisse contendunt multi cum pluribus Scotistis (2), idemque fuse probat cl. P. Ludovicus de San (3). A sententia Nominalium parum discrepat hac in re P. Gabriel Vazquez, qui existimat, Deum alia a se cognoscere immediate in se ipsis, non vero in essentia sua, quatenus est essentia et causa creaturarum, sed tantum quatenus est verbum vel species expressa (4). P. Vazquezium sequuntur P. Martinus Becanus (5), Alarcon, (6) Amicus (7) et quidam alii.

tertia. Tertia demum sententia tenet Deum cognoscere alia tum in se tum in se ipsis, ita ut cognoscat «unica cognitione *cuncta bis*, et in sua essentia ut objecto, et in se ipsis per

(1) 1.ª dist. 15, quæst. unic. Cfr. Toletus, In 1.am p., quæst. 14, art. 5.

(2) Vide Mayronis, Bassolis, Roda, Smising, Brancasium, Pontium, Herinx et Mastrium apud cl. P. da San (*De Deo*, num. 153).

(3) *De Deo*, num. 153, pag. 369 in nota (Lovanii 1804).

(4) P. Gabriel Vazquez mentem suam explicat, dicens: «Deus in se ipso tamquam in *specie expressa et verbo* intueri creaturas» quod est, eas videre in se ipso tamquam in speculo, quia in eo repræsentantur veluti in verbo. Nam essentia divina sic comparatur cum Deo, ut ipsa non solum sit essentia, qua Deus est, sed etiam sui ipsius cognitio. Sic ergo non solum Deum constituit in ratione Dei, sed etiam ipsum reddit intelligentem sui ipsius; unde et sibi est veluti species *expressa* et verbum sui, et est objectum cognitum. Præterea repræsentat creaturas actu, et eat earum cognitio: quare illis comparatur ut verbum earum. Hoc igitur ratione Deus creaturas cognoscit *in se ipso prius cognito, non quidem prius cognito solum tamquam objecto primario et causa, sed tamquam verbo, quod est etiam creaturarum verbum eas representans*. Et quamvis *essentia non ducat Deum in cognitionem creaturarum*, quatenus ab ipso Deo solum cognita est; ex eo tamen quod primum constituit Deum sui intelligentem, constituit deinde intelligentem creaturarum, atque hoc posterius ita ex priori pendet, ut per locum intrinsecum recte sequatur, si essentia Dei non faceret Deum sui intelligentem, non faceret intelligentem creaturarum, non tamen contra si non faceret intelligentem creaturarum, non faceret sui intelligentem.» Vazquez, in 1.am part., disp. 60, cap. 3, num. 10.

(5) *De Deo*, cap. 10, quæst. 4.

(6) *De scientia Dei*, disp. 2, cap. 3.

(7) *De Deo*, disp. 12, sect. 2.

essentiam suam» tamquam per speciem. Ita cardin. Toletus (1), et eadem videtur esse mens P. Valentini Herice (2), ac postea evasit non parum frequens inter Nostrates, in quibus recensentur præterea Arriaga (3), Martinon (4), Philippus Moncæus (5), cardin de Lugo (6), Izquierdo (7), Ribadeneira (8), Quiros (9) Marin (10), Carleton Compton (11), Nicolaus Martinez (12), Dominicus Viva (13) Wirceburgenses, (14) aliique, quos sequuntur plures recentiores, ut PP. Vander Aa (15) et Mendive (16). Idem tenent alii, ut P. Marcus Struggl, ex sacro Ordine Servorum B. Mariæ Virginis, qui circa medium elapsi sæculi scribebat, hanc opinionem esse communem inter Scotistas et recentiores, et P. Nicolaus Martinez etiam scripsit, «cognitionem creaturarum tam possibilium, quam futurarum in se ipsis concesisse Deo multos ex Doctoribus antiquis, scilicet Nominales, et hodie id concedere omnes Scotistas cum Scoto» (17).

(1) In 1.am p., quæst. 14, art. 5, *Tertia conclusio*. Cfr. apud Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 2, num. 15.

(2) *De Scient. Dei*, tract. 1, disp. 5, cap. 4, apud Joannem a S. Thoma, loc. cit., disp. 17, art. 2, *Secunda difficultas... In primis*. Cfr. Cajetan. in 1 p., quæst. 14, art. 5, *Ad cujus evidentiam*.

(3) Disp. 19, sect. 4.

(4) Disp. 10, sect. 1.

(5) *Selectarum* disp. 3, cap. 11, *Quod ergo*.

(6) In manuscriptis in 1.am p., disp. 4, sect. 2.; apud Quiros, *De scientia Dei*, disp. 44, sect. 1, num. 10.

(7) *De Deo*, disp. 25, num. 4.

(8) Disp. 9, cap. 2.

(9) *De Deo*, disp. 44, sect. 2.

(10) *Theolog. speculat. et moral.*, tom. 1, tract. 1, disp. 5.

(11) *De Deo*, disp. 22, sect. 5.

(12) *Deus scitus*, disp. 6, sect. 1 et disp. 7.

(13) *De Deo*, disp. 5, quæst. 3.

(14) Nempe P. Kilber, *De Deo uno et trino*, disp. 3, art. 3.

(15) *Theologia naturalis*, propos. 42 et 43.

(16) *De Deo uno*, dissert. 3, cap. 1, art. 2, num. 145.

(17) *Deus scitus, sive de scientia Dei*, controv. 2, disp. 7, sect. 2, paulo post initium. Cujus operis habeo exemplar typis excussum Venetiis anno 1738.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ II.—UTRUM DEUS COGNOSCAT POSSIBILIA IN SE IPSO.

52. Expositis sententiis ad solvendam controversiam gradum facimus. Et primo inquirimus, utrum Deus cognoscat possibilia omnia in se ipso; quæstio vero, ut vides, non est exclusiva, sed tantum positiva. Nimirum non investigatur, utrum Deus in se ipso duntaxat cognoscat possibilia, sed utrum ea in se reapse cognoscat, ac proinde utrum falsa sit opinio Nominalium aliorumque negantium, Deum in se cognoscere possibilia.

PROPOSITIO 1.ª **Deus possibilia omnia cognoscit in se ipso.**

Deus possibilia omnia cognoscit in se ipso.

Hæc est expressa doctrina S. Dionysii, cujus en luculentissimum testimonium: *Divina mens omnia continet, ab omnibus segregata cognitione* secundum causam in se ipso omnium scientiam præaccipiens. *Non enim ex existentibus existentia discens, novit divina mens, sed* in se *et ex se ipsa* secundum causam omnium scientiam *præhabet, et præaccipit, non secundum visionem singulis se immittens, sed* secundum unam causæ complexionem omnia sciens *et continens... Igitur se ipsam divina sapientia cognoscens, cognoscit omnia immaterialiter materialia et indivisibiliter divisibilia, et multa unitive in ipso uno omnia et cognoscens et producens*, etc. (1). Quæ verba licet de rebus existentibus scripta sint, non minori vi applicantur ad possibilia, prout magis patebit ex dicendis (2). Quare frustra P. Vazquez (3) illorum efficacitatem eludere conatur (4); quia sanctus Scriptor non solum docet, Deum non uti speciebus

(1) S. Dionys. *De divin. nomin.*, cap. 7. Et lege commentarium S. Thomæ in hoc opusculum, lect. 2.

(2) Legantur interpretationes prædicti loci Dionysiani datas a S. Thoma (loc. supp. cit.) et lib. 1.º *Contr. Gent.* cap. 49; *de verit.*, quæst. 2, art 4, fin. corp.), a Cyparissiota, S. Maximo aliisque apud P. Theophil. Raynaudum (loc. cit.). Cfr. Suarez, *De Deo*, lib. 2, cap 25, num. 20.

(3) In 1.am part., disp. 60, cap. 4.

(4) Cfr. P. Joannes a S. Thoma, *De Deo*, disp. 15, art. 3, *Respondent auctores oppositi*.

rerum creatarum ad alia cognoscenda, sed præterea iterum et sæpius tradit illum ea cognoscere, quia causa est (vel actu, si sermo sit de creatis, vel potentia, si de possibilibus); et se cognoscendo aliorum quoque notitiam habere.

S. Thomas etiam multis in locis tradit hanc sententiam, cum rationem, cur Deus omnia alia distincte cognoscat, ex eo passim repetit, quod Deus sit causa, omnium in se perfectiones possidens. *Effectus enim*, inquit, *cognitio sufficienter habetur per cognitionem suæ causæ. Unde et scire dicimur unumquodque, cum causam ejus cognoscimus, ipse autem Deus est per suam essentiam causa essendi aliis. Cum igitur suam essentiam plenissime cognoscat, oportet ponere, quod et etiam alia cognoscat* (1). Et paulo post: *Quicumque cognoscit perfecte rem aliquam, cognoscit omnia, quæ de re illa vere possunt dici, et quæ ei conveniunt secundum suam naturam. Deo autem secundum suam naturam convenit, quod sit aliorum causa. Cum igitur perfecte se ipsum cognoscat, cognoscit se esse causam, quod esse non potest, nisi cognoscat aliqualiter causatum, quod est aliud ab ipso, nihil enim sui ipsius causa est* (2). Tum pergit sic: *Colligentes igitur has duas conclusiones, apparet Deum cognoscere se ipsum, quasi primo et per se notum, alia vero sicut in essentia sua visa: quam quidem veritatem expresse Dionysius tradit in VII, cap. de divinis nominibus, dicens: non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia. Et infra: Divina sapientia se ipsam cognoscens, scit aliam. Cui etiam sententiæ attestari videtur Scripturæ sacræ auctoritas, nam in psal. CI* (v. 20), *de Deo dicitur:* **Prospexit de excelso sancto suo**, *quasi de seipso excelso alia videns* (3). Quæ doctrina sæpe alias inculcatur a S. Doctore (4), qui etiam aliquando ex hoc eodem principio

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap 49 initio. Cfr. ibid. cap 66. *Adhuc effectus.....*

(2) S. Thom., *Contr. Gent.*, ibid. cap. 49, *Amplius....*

(3) S. Thom., ibid. Cfr. 1.ª dist. 35, art. 1, ad 2.um

(4) Vide v. g. 1 p., quæst. 14, art. 5 et 6, in corp. et ad 1.um; et art. 11, corp.; 1.ª *Contr. Gent.*, cap 50; *de verit.*, quæst. 2, art. 3, corp. et ad 3.um; art 4, corp. et ad 7.um; et art. 5. Cfr. 1.ª, dist. 35, art. 2, ad 3.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

concludit, divinam cognitionem non esse discursivam, quia videlicet *effectus suos in se ipso videt sicut in causa* (1). Non est autem omittendus locus ille, in quo S. Doctor declarandum sibi assumit modum, secundum quem divina essentia, una existens, est propria similitudo et ratio omnium intelligendorum: *Intellectus id, quod plura complectitur, potest accipere ut propriam rationem plurimorum, apprehendendo aliqua illorum absque aliis, potest enim accipere denarium ut propriam rationem novenarii, una unitate subtracta, et similiter ut propriam rationem singulorum numerorum infra inclusorum. Similiter etiam et in homine accipere potest proprium exemplar animalis irrationalis, in quantum hujusmodi, et singularum specierum ejus, nisi aliquas differentias adderet positivas. Propter hoc quidam philosophus, Clemens nomine, dicit, quod nobiliora in entibus sunt minus nobilium exemplaria. Divina autem essentia in se nobilitates omnium entium comprehendit; non quidem per modum compositionis, sed per modum perfectionis, ut supra ostensum est. Forma autem omnis tam propria, quam communis, secundum illud quod aliquid ponit, perfectio quædam est, non autem imperfectionem includit, nisi secundum quod deficit a vero esse. Intellectus igitur divinus id, quod est proprium unicuiusque, in essentia sua comprehendere potest, intelligendo, in quo ejus essentiam imitatur, et in quo ab ejus perfectione deficit unumquodque, utpote intelligendo essentiam suam ut imitabilem per modum vitæ, et non cognitionis, accipit propriam formam plantæ: si verò ut imitabilem per modum cognitionis, et non intellectus, propriam formam animalis, et sic de aliis. Sic igitur patet, quod essentia divina, in quantum est absolute perfecta, potest accipi ut propria ratio singulorum, unde per eam Deus propriam cognitionem de omnibus habere potest* (2).

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 7, fin. corp.; *de verit.*, quæst. 2, art. 3 ad 3.um Cfr. lib. 1 *Contr. Gent.*, cap. 55, *Item, vis cognoscitiva*...

(2) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 54. Cfr. ibid. cap. 67, *Per has igitur rationes*...; et 1 p., quæst. 14, art. 5, ad 6.um; art. 11, corp. prope fin.; quæst. 15, art. 3, prop. fin.; quæst. 12, art. 3.

Quam ad rem legi quoque possunt S. Bonaventura (1); Albertus M., Alexander Halensis aliique antiquiores Scholastici (2).

Prima pars: *Deus possibilia omnia cognoscit in se ipso*, probatur duplici argumento, quod ex allatis S. Thomæ testimoniis desumitur. 1.° Deus ratione suæ omnipotentiæ est virtus sufficientissima ad producenda possibilia omnia, et omnipotentem hanc suam virtutem perfectissime comprehendit. Atqui impossibile est causam aut virtutem aliquam perfectissime comprehendere, quin cognoscantur effectus, qui ab illa profluere queunt. Ergo...

Consequentia bona est, et **Major** patet quoad utramque partem; quoad primam quidem ex inferius dicendis, quia omnipotentia est virtus infinita, quæ, cum nullis claudatur limitibus, potest extendere sese ad omne intrinsece possibile; quoad alteram vero ex supra demonstratis de perfectione divinæ intellectionis. **Minor** etiam demonstrata manet in primo *Theodiceæ* volumine, cum ratio comprehensionis declararetur (3).

Prob. 2.° Simili modo instituitur altera probatio. Causa exemplaris nequit perfecte comprehendi, nisi cognoscantur omnia exemplata, quæ illius imitationem similitudinemque referant. Atqui essentia divina est exemplar omnium possibilium, possibilia vero sunt naturæ ac rationes, quæ divinam essentiam imitari valent. Ergo impossibile est, ut Deus suam videat essentiam, quin cognoscat in ea possibilia omnia.

Prob. 3.° Verbum divinum, ut docent communissime Theologi, procedit ex cognitione omnium possibilium, ideoque sicut est substantialis imago divinitatis, ita etiam est repræsentativum cunctorum possibilium. Ergo fieri nequit, ut Deus Verbum videns, in illo non cognoscat etiam possibilia.

Huc quoque recidit illa probatio, qua Deus dicitur videre possibilia in scientia sua. Certum quippe est, Deum

(1) 1.ª dist. 30, art. 1, quæst. 1.

(2) Apud P. Didacum Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 10, sect. 6, num. 2.

(3) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 206, pag. 659 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cognoscere possibilia, prout in præcedenti articulo demonstratum reliquimus. Certum pariter est, scientiam divinam esse ipsam essentiam Dei. Ergo cum Deus cognoscat suam essentiam, non solum quatenus natura quædam est, sed etiam quatenus est scientia vel cognitio rerum omnium, non potest se ipsum intueri, quatenus est scientia, quin videat simul possibilia omnia in se ipso clarissime perfectissimeque repræsentata.

Dices, hinc solum sequi, possibilia cognosci a Deo in sua essentia repræsentata, ex quo tamen formaliter, non constat illa vere esse possibilia: sola enim repræsentatio mentalis non est certum indicium veritatis objectivæ rei repræsentatæ. **Verum difficultas hæc**, quæ vim habere potest in creato intellectu, qui sæpe vanis illuditur rerum imaginibus, nihil valet in intellectu infinito, cui repugnat metaphysice omnis intentionalis repræsentatio, quæ non verissime fidelissimeque referat reale objectum.

Prob. 4.ª Quia possunt angeli et Beati videre possibilia in essentia divina, itemque in omnipotentia et in Verbo, quemadmodum docent Theologi cum multis Patribus: quam ad rem revocari in memoriam potest distinctio angelicæ cognitionis in matutinam et vespertinam a S. Augustino invecta ad designandam notitiam illam, per quam angeli vident res in Verbo, et aliam, per quam easdem contemplantur per naturales species secundum proprias naturas, quarum primam dixit S. Doctor matutinam, alteram vespertinam (1). Ergo a fortiori Deus poterit cognoscere possibilia in se ipso,

Deus tripliciter cognoscit possibilia in se ipso; tamquam in exemplari,

tamquam in omnipotentia vel in essentia, prout est virtus,

et tamquam in Verbo.

Quæ quum ita sint, tripliciter vel potius quadrupliciter potest Deus possibilia cognoscere in se ipso tamquam in medio: α) in sua essentia tamquam in exemplari secundum infinitam possibilium varietatem imitabili; β) in sua omnipotentia vel in essentia, quatenus est virtus terminabilis ad possibilia, producendo illa. Et hæc duo media indigitantur, quando veteres cum S. Thoma solent dicere, Deum cognoscere alia in se tamquam in earum causa. γ) In Verbo

(1) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 58, art. 6; *de verit.*, quæst. 8 art. 16.

tanquam in notionali termino producto per cognitionem substantiæ divinæ ac possibilium omnium. Ac demum in substantiali et communi cognitione Dei, quatenus est species expressa omnium rerum ab eo cognitarum.

Cæterum secundum ea, quæ initio notavimus de iis, quæ in alio tamquam in medio cognoscuntur, Deus cum se ipsum et possibilia in se cognoscit, non duos elicit actus, sed unum duntaxat terminatum ad diversa objecta ita inter se connexa secundum cognoscibilitatem, ut cognitio unius, nempe Dei, secum ferat ex merito et exigentiæ suæ perfectæ cognoscibilitatis cognitionem aliorum, videlicet possibilium, quæ in eo tamquam medio cognoscuntur.

Cum unum in alio cognoscitur, non duo, sed unus duntaxat elicitur actus, ad diversa objecta terminatus.

Probe autem notat P. Franciscus Suarez, modum hunc cognoscendi possibilia in se tamquam in Verbo, vel idea, vel expressa specie, non posse esse primum, sed quasi secundarium ac reflexum. Et ratio est, quia ut Deus alia videat in sua essentia tamquam in Verbo, prius ratione supponendum est essentiam suam esse Verbum; est autem Verbum, quatenus cognoscit, seu idealiter exprimit objectum. Cognitio ergo referens res in Verbo præsupponit aliam cognitionem, ad quam comparatur sicut actus reflexus ad directum: ac proinde prima ac directa cognitio rerum in Deo non potest esse cognitio in Verbo (1).

Cognitio possibilium in verbo est cognitio quasi secundaria et reflexa.

Probatur secunda pars: *Deus cognoscit possibilia in se tamquam in causa efficiente et exemplari, non vero tamquam in speculo*, sequitur ex dictis; estque contra quosdam veteres, qui, ut refert S. Thomas (2), opinabantur *ipsam mentem divinam, in qua omnes rerum rationes relucent, esse speculum quoddam; et dici æternitatis speculum ex hoc quod est æternum, quasi æternitatem habens. Dicunt igitur, quod istud speculum videri potest dupliciter. Vel per essentiam suam, secundum quod est beatitudinis objectum; et sic non videtur nisi a beatis, vel simpliciter; vel secundum quid, sicut in raptu; vel prout in eo resultant rerum similitudines, et sic proprie videtur ut speculum. Et hoc modo dicunt speculum æternitatis visum ab Angelis ante suam beatitudinem, et a Prophetis.* Hæc tamen

(1) Suarez, *de Deo*, lib. 3, cap. 2, num. 20.
(2) S. Thom. *de verit.*, quæst. 12, art. 6.

opinio, quamvis et ipse S. Thomas non semel (1) et alii soleant interdum divinam essentiam comparare speculo, in quo aliæ res relucent; communissime deseritur a Philosophis ac Theologis. Utque ratio melius percipiatur, notandum est cum ipso S. Doctore, quod *speculum, proprie loquendo, non invenitur nisi in rebus materialibus, sed in rebus spiritualibus per quamdam transumptionem dicitur per similitudinem acceptam a speculo materiali; ut scilicet in rebus spiritualibus dicatur esse speculum id, in quo alia repræsentantur, sicut in speculo materiali apparent formæ rerum visibilium* (2).

Probatur jam assertum. Duo spectant ad rationem speculi proprie sumpti, quatenus est medium, in quo res aliæ videntur: primum, quod in eo resultent species ex rebus ipsis repræsentatis, illæ enim non aliter percipiuntur nisi quia radii lucis in ejus superficie reflexi ad oculos pervehuntur: alterum, quod imagines rerum sunt in speculo distinctæ invicem secundum propias formas et rationes. Atqui nihil horum convenire potest essentiæ divinæ, quatenus est medium, in quo possibilia cognoscuntur. Ergo...

Consequentia bona est, et Major patet; Minor vero vix eget probatione. Namque primo Deus ut videat alias res in sua essentia, non debet, nec potest accipere ullas species in essentia sua resultantes; sed sola sua essentia vices gerit pro qualibet re cognoscenda, quemadmodum superius probatum reliquimus. Deinde, quia in essentia divina non sunt aliæ res quasi depictæ secundum distinctas ac peculiares earum formas et lineamenta, sed omnia continentur unitæ indivisibiliter eo pacto, quo effectus continentur in causa, et exemplata in exemplari eminentiori. *Res non sunt in essentia divina*, inquit Angelicus, *sicut actu distinctæ, sed magis in eo omnia sunt unum, ut Dionysius dicit* (cap. V de divin. Nomin. parum ante med.), *per modum quo multi effectus uniuntur in una causa. Imagines autem in speculo resultantes sunt ibi in actu distinctæ; et ideo modus, quo res omnes sunt in essentia divina, similior est modo quo sunt effectus in causa, quam modo*

(1) Vide v. g. 1 p., quæst. 12, art. 8, ad 2.um; quæst. 14, art. 5; 3.ª, dist. 14, quæst. 1, art. 1, solut. 4, ad 1.um

(2) S. Thom. *De verit.*, loc. cit.

quo sunt imagines in speculo. Non est autem necessarium, quod quicumque cognoscit causam, cognoscat omnes effectus, qui possunt ex ipsa produci, nisi comprehendat ipsam; quod non contingit alicui intellectui creato, respectu divinæ essentiæ. Unde in solo Deo necesse est, ut ex hoc quod per essentiam suam videt, omnia cognoscat, quæ facere potest. Unde et eorum effectuum, qui ex ipsa producti sunt, tanto aliquis plures cognoscit videndo essentiam Dei, quanto plenius eam videt; et ideo animæ Christi, quæ super omnes creaturas perfectius videt Deum, attribuitur, quod omnia cognoscat, præsentia, præterita et futura; aliis autem non, sed unusquisque per mensuram, qua videt Deum, videt plures vel pauciores effectus ex ipso (1).

(1) S. Thom., *De verit.* quæst. 8, art. 4. Præclare etiam alibi: *Hæc opinio* (asserens res a Deo videri in se tamquam in speculo) *non videtur ... rationabilis, propter duo. Primo, quia ipsæ species rerum in mente divina resultantes non sunt aliud secundum rem ab ipsa essentia divina; sed hujusmodi species vel rationes distinguuntur in ipsa secundum diversos ejus respectus ad creaturas diversas. Cognoscere igitur divinam essentiam et species in ipsa resultantes, nihil est aliud, quam cognoscere ipsam in se et relatam ad aliud. Prius est autem cognoscere aliquid in se, quam prout est ad aliud comparatum: unde visio, qua Deus videtur, ut est rerum species, præsupponit illam, qua videtur, ut est in se essentia quædam, secundum quod est objectum beatitudinis. Unde impossibile est, quod aliquis videat eum, secundum quod est species rerum, et non videat eum secundum quod est beatitudinis objectum. Secundo, quia species alicujus rei invenitur in alio dupliciter: uno modo sicut præexistens ante rem, cujus est species, alio modo sicut a se ipsa resultans. Illud igitur, in quo apparent species rerum ut præexistentes ad rem, non potest proprie speculum dici, sed magis exemplar. Illud autem speculum potest dici, in quo rerum similitudines a rebus ipsis resultant. Quia vero in Deo sunt species vel rationes rerum non resultantes a creaturis, nusquam invenitur dictum a Sanctis, quod Deus sit rerum speculum, sed magis quod ipse res creatæ sunt speculum Dei, prout dicitur 1 Corinth., XIII, 12:* Videmus nunc per speculum in ænigmate; *et sic etiam Filius dicitur esse speculum Patris, prout a Patre in ipso species Divinitatis recipitur, secundum quod habetur, Sap. VII, 26:* Speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius. *Quod autem a Magistris dicitur, Prophetas in speculo æternitatis videre, non sic intelligendum est, quasi ipsum Deum æternum videant, prout est speculum rerum; sed quia aliquid creatum intuentur, in quo ipsa æternitas Dei repræsentatur; ut sic speculum æternitatis intelligatur, non quod est æternum, sed quod est æternitatem repræsentans.* S. Thom., *de verit.*, quæst. 12, art. 6.

Quando ergo visio rerum in essentia comparatur visioni in speculo, comparatio in hoc duntaxat tenet, quod, sicut speculum est medium, in quo alia videntur, ita ut quicumque speculum intueatur, videat beneficio speculi res ibi relucentes, ita etiam essentia divina est medium, in quo Deus cæterea cognoscit, ita ut nequeat se videre, quin videat omnia contenta in virtute omnipotentiæ suæ, ac possibiles omnes participationes imitationesque essentiæ illius infinitæ, quæ omnium creabilium est exemplar inexhaustum (1).

Objectiones solutæ.

53. **Objic. 1.º** Ut Deus videat in sua essentia possibilia, debet cum illis necessario connecti. Atqui non potest dari connexio necessaria inter divinam essentiam et creaturas. Ergo Deus non potest in sua essentia cognoscere possibilia. Major patet ex prænotatis in limine hujuscere quæstionis; jam enim prænotatimus, ut aliquid in alio tamquam in medio videatur, necesse esse, ut objectivam cum illo connexionem habeat, et sic ex vi illius cognoscatur. Minor vero probatur, quia magis necessarium non potest necessario connecti cum minus necessario. Atqui essentia divina est summe ac magis necessaria, quam possibilia, utpote quæ totam suam necessitatem participant a Deo. Ergo Deus non potest necessariam habere connexionem cum possibilibus. Hæc est una ex rationibus Patris Vazquez aliorumque.

Respondeo, *conc.* Major., *neg.* Minor; quamvis enim multi opinantur cum Scoto, Deum non connecti necessario cum possibilibus, at contrarium verosimilius est, ut probabitur in sequenti articulo. Atque hæc responsio præferenda videtur illorum solutioni, qui contendunt, etiamsi essentia divina non connecteretur cum possibilibus, adhuc posse Deum in illa cognoscere ista, quia in ea aliquo modo continentur.

(1) Cir. Ferrariensis (In lib. 1.ᵐⁱ *Contr. Gent.*, cap. 49, *Ad hujus evidentiam...*) Cajetan. (In 1 p., quæst. 12, art 8, *Ad evidentiam hujus...*; et quæst. 14, art. 5, *Ad evidentiam hujus difficultatis...*), Suarez (*De Deo*, lib. 2, cap. 25, num. 44), Valentia (In 1 p., disp. 3, quæst. 12, punct. 6, *Hinc patet primo...*), Ruiz de Montoya (*De scient. Dei*, disp 10, sect. 7, num 2), Nicolaus Martinez (*Deus sciens*, controv. 2. disp 6, sect. 1, ab init.)

Ad Minoris probationem non eadem est omnium scriptorum responsio propter diversitatem opinionum circa veritatem illius asserti: *Magis necessarium connecti non potest cum minus necessario*. P. Suarez aliique multi concedunt assertum, ideoque solvunt prædictam probationem *negando* Minorem, videlicet *negando* Deum esse magis necessarium possibilibus eorumve possibilitate. Thomistæ, ut Joannes a S. Thoma (1), cardin. Gotti (2), Billuart (3) et plures etiam e nostris, ut P. Jacobus Granado (4), negant prædictum assertum; alii, ut P. Nicolaus Martinez (5), utramque sententiam, optimo sane consilio, componere nituntur nam distincta duplici necessitate, intrinseca altera, altera extrinseca, statuunt magis necessarium non posse connecti cum eo, quod est minus necessarium, sive intrinsece sive extrinsece; posse tamen cum minus necessario intrinsece, dummodo reddat illud æque necessarium extrinsece. Intrinseca necessitas est illa, quæ nascitur ex ipsa rei natura; extrinseca vero illa, quæ derivatur ex principio aliquo sibi extrinseco. Et negari nequit sæpe res in se absolute non necessarias, sed prorsus contingentes atque indifferentes, necessarias reddi extrinsece, nimirum ex principio aliquo sibi prorsus extrinseco, ratione cujus, quamvis in se ipsis non fuerint mutatæ, non possunt tamen aliter esse. Sic si Deus promittat aliquid, illud jam necessarium redditur propter divinam fidelitatem atque infallibilitatem; simili modo licet contingens sit in se, Petrum salvari, tamen si Deus id decernat, jam salus Petri, non quidem intrinsece, sed extrinsece necessaria est; itemque infinita facta futura in se contingentia, necessaria fiunt necessitate extrinseca et suppositionis ac consequentiæ. Hæc ergo tertia sententia concordat cum secunda in asserendo magis necessarium connecti posse cum minus necessario intrinsece, sed contendit, eo ipso refundere in illud suam necessitatem, ut denominetur, et sit æque necessarium extrinsece propter connexionem cum magis

Quænam intrinseca, quænam extrinseca necessitas

(1) In 1.ᵐᵃᵐ partem, quæst. 12, disp. 15, art. 3 in solution. argumentor., paragr. *Deinde respondetur*.

(2) *De Deo*, tract. 4, quæst, 3, dub. 3, paragr. 2, num. 7.

(3) *De Deo*, dissert. 5, art. 4 in responsion. ad *Obj.* 1.ᵐ

(4) *De scientia Dei*, disp. 1.

(5) *Deus sciens*, controv. 2, disp. 4, sect. 3; et disp. 6, sect. 2 fin.

necessario. Quare secunda et tertia sententia non videntur re discrepare, sed tantum in modo loquendi, et utramlibet priori equidem præferendam esse arbitror. Et sic

Ad Minoris probationem responderi potest in forma, *negando* Majorem, vel *distinguendo* secundum declaratam duplicis necessitatis distinctionem. Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Concedendum enim est minorem esse necessitate Dei necessitatem possibilium, utpote participatam ac derivatam ex illa. Nec mirum absurdumve videri debet magis necessarium cum intrinsece minus necessario connecti, cum plura suppetant hujuscemodi connexionis exempla. Namque essentia rei magis necessaria est, quam proprietates et nihilominus cum iisdem necessario connectitur; principia etiam magis necessaria sunt conclusione, cum qua tamen connectuntur, secus enim non liceret in bona consequentia ex principiis inferre conclusionem. Ratio vero est, ut argumentatur P. Nicolaus Martinez, quia «ideo causa magis necessaria in existendo non posset connecti cum effectu minus necessario, quia effectus minus necessarius refunderet suum defectum necessitatis in causam. Atqui hoc est falsum, ut probatum est, siquidem causa magis necessaria communicat excessum suæ necessitatis effectui. Non enim negari potest, quod effectus; est magis necessarius, quo causam habet in se magis necessariam intrinsece, si causa est connexa cum effectu; et nunquam auditum est, quod causæ necessitas in existendo et in causando minuatur ex contingentia intrinseca effectus secundum se considerati. Confirmatur, quod lux sit oritura crastina die in nostro hemisphærio, si secundum se intrinsece consideretur, est contingens pure, et nullam necessitatem habens; at si consideretur in sole et motu solis tamquam in causa, eamdem necessitatem habet, ac habet sol in suo motu et vi causativa lucis; nec potest dici, quod contingentia et indeterminatio effectus refundatur in solem aut motum solis, potest tamen dici, quod necessitas solis quoad motum et vim productivam refundatur in lucem, et participetur a luce, quapropter eadem necessitate, qua necessarium est, solem moveri, et causare lucem, eadem prorsus est necessarium, effectum futurum. Ergo universaliter loquendo necessitas causæ refunditur in effectum, et

participatur extrinsece ab effectu, contingentia vero effectus secundum se et intrinsece considerati non præjudicat necessitati causæ; ergo major necessitas causæ communicatur effectui, cum quo causa connectitur, minor vero necessitas effectus, cum quo causa connectitur, in nullo præjudicat majori necessitati causæ» (1). Verum hæc clariora fient, cum probanda erit in proxime insequenti articulo connexio Dei cum possibilibus.

Dices. Ens supremum et absolutum non potest dependere ab alio. Atqui unum necessario connecti cum alio perinde est, atque dependens reddi ab illo. Ergo impossibile est, ut Deus cum possibilibus connectatur.

Respondeo, *neg.* Minor. Aliud enim est connecti cum alio, et aliud dependere ab illo. Quamvis enim omnis dependentia importet connexionem, non tamen vicissim omnis connexio importat dependentiam saltem mutuam in utroque extremo. «Sic essentia connectitur cum proprietatibus, signatum cum signo, scitum cum sciente: et tamen nec essentiam dicit ordinem ad suas proprietates, nec dependet ab illis, nec signatum ad signum, neque scitum ad scientem refertur, aut dependentiam dicit, sed e contra. Similiter pater connectitur, in quantum pater, cum filio, et tamen pater non dependet a filio, neque filius, ut talis a patre, quia relativa sunt simul natura. Connexio igitur ex propria ratione formali solum dicit, quod si unum est, debeat esse et aliud, seu unum esse non posse sine alio: quod ex terminis non dependentiam dicit neque respectum, saltem ex parte utriusque extremi, sed necessariam coexistentiam» (2).

Objic. 2.º cum eodem P. Vazquez. Non ideo Deus omnia scit, quia est omnipotens, sed potius e converso, ideo est omnipotens, quia scit omnia; namque scientia nostro modo concipiendi præcedit omnipotentiam. Atqui si Deus in sua omnipotentia cognoscit possibilia, ideo scit omnia, quia est omnipotens. Confirmatur, quia etiamsi per impossibile Deus non esset omnipotens, profecto cognosceret possibilia.

(1) P. Nicolaus Martinez, loc. cit., *Sit tertia conclusio...* apud, quem plura, si vis, in hanc rem require.

(2) Cardin. Gotti, loc. cit., num. IX.

Respondeo, *neg*. Majorem relate ad cognitionem omnipotentiæ ac possibilium. Nam certum est, divinam scientiam terminari quoque ad cognitionem omnipotentiæ, ac negari nequit, quin Deus ideo sciat se omnipotentem, quia est omnipotens, non vero e converso ideo sit omnipotens, quia scit se omnipotentem; sicut ideo scit Deus se immensum esse atque æternum, quia est reapse immensus et æternus. Ergo simili modo, quoniam jam ostendimus in omnipotentia cognosci posse possibilia, ideo dicendus est Deus ea cognoscere in omnipotentia, quia omnipotens est, non autem e converso. Ad probationem autem respondeo, scientiam quidem, nostro modo concipiendi, priorem esse in ordine ad operationem actualem, supposita distinctione scientiæ ab omnipotentia, quia non potest hæc prodire ad actualem operationem nisi prælucente ac dirigente scientia; ac in ordine ad cognitionem, de qua nostra versatur controversia, non præcedit scientia omnipotentiam, saltem universaliter, quia ut jam notavimus non ideo est Deus omnipotens, quia est sciens aut cognoscens, sed certissime ideo est sciens, omnipotentiam (et quidquid cum ea connectitur), quia est re vera omnipotens.

Ad confirmationem respondeo, exinde solum sequi, quod divina omnipotentia non sit unicum medium cognoscendi possibilia. Et jam vidimus, hæc posse cognosci etiam in divina essentia, quatenus est exemplar in infinitum imitabile secundum inexhaustam varietatem specierum atque individuorum possibilium.

Objic. 3.ª cum eodem. Nihil esse potest medium cognoscendi alia, nisi contineat illa, vel certe nisi sit ejusdem cum illis rationis. Atqui essentia divina non est ejusdem rationis cum possibilibus. Ergo..... Et confirmatur, quia simile simili cognoscitur. Ergo dissimile non potest esse medium cognoscendi rem dissimilem.

Respondeo ad primam partem Majoris, *distinguendo*: nihil esse potest medium cognoscendi alia, nisi contineat illa vel formaliter vel eminenter ac virtualiter, *conc.*; nisi contineat illa formaliter, *neg*. Et alteram partem Majoris *nego*. Et *concessa* Minore, *nego* consequentiam. Cæterum *instari* posset argumentum contra ipsum Patrem Vazquez,

qui concedit, ut supra retulimus, Deum cognoscere possibilia in verbo suo, vel in sua essentia, quatenus est cognitio et species expressa eorumdem; et nihilominus non, puto, concedet verbum esse ejusdem rationis cum possibilibus.

Confirmationis antecedens *distinguo*. Simile simili cognoscitur in cognitione directa et immediata, *trans.*; in cognitione indirecta et mediata, *subdist.*: simile cognoscitur perfecte et univoce simile, *nego*; simile cognoscitur saltem imperfecte atque analogice simili, *conc. Distinguo* etiam consequens: dissimile non cognoscitur omnino dissimili, *trans.*; dissimile non cognoscitur dissimili, quod sit simul analogice simile, cum excessu perfectionis, *nego* (1). Et insuper noto, si objectio quidpiam valeret, æque probaturam esse, quod nequeat Deus alia videre per suam essentiam instar speciei vel medii *quo*, nam etiam respectu speciei æque valet proloquium illud, secundum quod simile cognoscitur simili.

Objic. 4.º Cognoscere rem in causa est cognoscere illam discursive. Atqui repugnat Deo discursiva cognitio. Ergo neque potest quidpiam cognoscere in causa: quo pacto cognosceret profecto possibilia, si in se ipso illa cognosceret.

Respondeo, *dist*. Major. Cognoscere aliquid in causa diversis cognitionis actibus, unum ex alio inferendo, *conc.*; uno eodemque actu attingente causam et effectum propter mutuam connexionem, *neg*. Et *contradistincta* Minore, *distinguo* simili modo conseq.

§ III.—UTRUM DEUS COGNOSCAT ETIAM POSSIBILIA IMMEDIATE IN SE IPSIS.

Status quæstionis.

54. In præcedenti paragrapho probatum manet, deserendam esse opinionem initio hujus quæstionis secundo loco relatam, illorum nempe qui negant posse cognosci possibilia in Deo divinave essentia; restat nunc investigare, utrum possibilia cognosci valeant solum in Deo, quemadmodum contendunt patroni primæ sententiæ, an vero possint etiam directe atque immediate in se ipsis prospici, quæ est doctrina

(1) Cfr. *Theodic.* vol. 1.º, num. 77, pag. 249.

et patroni sententiæ asserentis.

eorum, quos postremo commemoravimus. In his vero recensentur non solum plerique nostratum, sed etiam Scotistæ communiter. Quare non omnino verum est, quod P. Joannes B. Gonet S. P. O. insinuat (1), cognitionem aliorum in se ipsis Deo ideo concedi ab Eximio Doctore aliisque, ut possint scientiam mediam seu cognitionem futurorum independentem a decreto divino tueri, eamdemque cognitionem aliorum in se ipsis a Thomistis cæterisque scientiæ mediæ impugnaturibus denegari. Verum est, quod opinio isthæc juvet ad propugnandam scientiam mediam, quia si Deus potest cognoscere possibilia in se ipsis, poterit quoque futura conditionata pariter cognoscere absque ullis Thomisticis decretis; nihilominus etiam verum est, P. Franciscum Suarez, cæteroquin accerrimum scientiæ mediæ propugnatorem, loquendo de possibilibus, tamquam probabiliorem secutum fuisse sententiam negantem illa cognosci a Deo posse in se ipsis (2). Et verum pariter est, Scotistas, quamvis non tueantur scientiam mediam, communiter tamem probare, quod Deus possibilia in se ipsis cognoscat, quemadmodum ex Nicolao Martinez et Struggl retulimus. Et hæc ideo solum notata voluimus, ne quis a P. Goneto deceptus, arbitretur cognitionem possibilium in se ipsis aut a solis scientiæ mediæ patronis asseri, aut a solis Thomistis impugnari posse.

Assertum Goneti minus verum judicatur.

Deus possibilia cognoscit etiam immediate in se ipsis.

55. PROPOSITIO 7.ª **Possibilia Deus etiam in se ipsis immediate cognoscere videtur.**

Notanda in antecessum.

Ante probationem tria notata velim: 1.º sermonem hic esse de solis possibilibus, in quibus major videtur esse difficultas. Nam de futuris actu aliquando existentibus ac de futuris conditionatis singillatim mox, Deo volente, disputandum est. 2.º Cum dicitur Deus videre possibilia immediate *in se ipsis*, nullatenus significatur ea cognosci per species proprias ipsarum ex iisdem aceptas: in hoc sensu nulla potest esse controversia inter catholicos, quemadmodum ex superius probatis innotescit, siquidem Deus a nullo objecto moveri aut quasi fœcundari ac determinari potest, ut illud intelligat,

(1) *Clypeus thomist.*, tom. 1, tract. 3, disp. 2, art. 2.
(2) Suarez, *De Deo*, etc., lib. 3, cap. 3, num. 14.

sed essentia sua sibi *instar* speciei est pro omnibus rebus cognoscendis (1). 3.º Denique cum *immediatam* possibilium *in se ipsis* cognitionem vindicamus, nolumus Deo asserere tantum cognitionem possibilium, quæ terminetur ad *esse* ac proprias eorum rationes dictinctissime intelligendas, de quo etiam nulla est inter Scholasticos controversia, omnes enim uno ore rejiciunt Aureoli commentum, arbitrantis Deum possibilia non secundum proprias eorumdem rationes cognosere, sed solum secundum eminentiale *esse*, quod in Deo habent, sicut initio hujus articuli retulimus (2). Hoc ergo unum nunc per immediatam possibilium cognitionem in se ipsis evincere intendimus. Deum ea cognoscere non solum propter connexionem ac dependentiam, quam habent cum sua causa modo explicato in præcedenti paragrapho, sed etiam propter propriam eorumdem veritatem, ita ut etiamsi per impossibile non connecterentur cum divina essentia, nihilominus divina mente non minus distincte ac perfecte repræsentarentur. Fere sicut inferius probabimus, Deum futura contingentia cognoscere *in se ipsis*, non propter dependentiam a suis causis, sed secundum propriam eorum entitatem. Jam

Probatur propositio. Intellectus infinite cognoscitivus non solum debet cognoscere omnia, sed etiam omni modo, quo cognoscibilia sunt, nisi forte naturaliter insitam atque inseparabilem afferat imperfectionem. Atqui α) divinus intellectus est infinite cognoscitivus, et β) possibilia sunt etiam in se ipsis cognoscibila, nec γ) immediata eorum cognitio ullam affert necessariam atque inseparabilem imperfectionem. Ergo.....

Major patet, quia intellectui infinite cognoscitivo summa perfectio in cognoscendo tribuenda est; perfectius autem est rem omnibus modis, imperfectionem non continentibus, quam uno tantum modo cognoscere.

Minor probatur per partes. Et primo quidem α) quod *divinus intellectus infinite cognoscitivus sit*, demonstratione non indiget ex probatis in præcedenti volumine. Deinde β) *possibilia sunt in se ipsis cognoscibilia*, tum quia in se ipsis,

(1) Vide supra hujus voluminis, num. 29, pag. 93 seqq.
(2) Supra num. 5, pag. 147.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prout a Deo distincta, habent entitatem aliquam et veritatem, secundum quam profecto cognoscibilia sunt, et suscipere per enuntiationem queunt plura prædicata, ut v. g. esse imitationes essentiæ divinæ, etc.; tum quia ipsæ res aliquando existentes, quæ profecto in se cognoscibiles sunt, prout inferius demonstrabitur, non discrepant a possibilibus secundum notas intelligibiles essentiam constituentes, ideoque secundum objectivam veritatem, sed tantum secundum statum; tum quia possibilia cognoscuntur etiam immediate in se ipsis, et non solum in causa, ab intellectu creato, quod profecto fieri non posset, nisi haberent in se ipsis intelligibilitatem. Præclare S. Thomas: *Proprium objectum intellectus est ens intelligibile, quod quidem comprehendit omnes differentias et species entis possibiles; quidquid enim esse potest intelligi potest* (1). Demum γ) *immediata possibilium cognitio in se ipsis nullam affert Deo imperfectionem*; quia imperfectio proveniret vel ex ipsa repræsentatione possibilium, vel ex modo repræsentationis intuitum directe convertendo ad illa, vel ex eo quod ejusmodi repræsentatio requireret speciem ex ipsis possibilibus receptam, aut certe importaret actum repræsentationis distinctum ab actu, quo illa repræsentantur in causa: neque enim aliud imperfectionis caput occurrit. Atqui non 1.° *ex ipsa repræsentatione*, nam repræsentatio intentionalis rei de se semper affert perfectionem, excluditque imperfectionem ignorantiæ, quæ semper dedecet Deum. Quod si possibilium repræsentatio vel intellectio de se imperfectionem afferret, nec posset Deus illa vel in sua essentia cognoscere. Nec timenda est imperfectio ex vilitate objecti cogniti. Nam *tripliciter intellectus divinus posset vilificari, si intelligeret vilia: uno modo, si informaretur similitudine* (specie) *illius vilis: secundo, si simul cum illo vili non posset intelligere nobile: tertio, si alia operatione intelligeret et vilius et nobilius. Sed hæc omnia remota sunt ab ipso* (Deo): *unde sua operatio est perfectissima, quæ una et eadem existens, talis est, quod per eam*

Non Deum dedecet cognitio rerum creaturarum ex objecti vilitate.

(1) S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 98. *Hoc autem sic manifestum...*

ipse se ipsum cognoscit et omnia alia (1). 2.° *Neque ex modo repræsentationis*, quia tum dedeceret possibilium cognitio in se ipsis, cum ea repræsentatio diminute aut præcisive exhiberet possibilia, videlicet non manifestando continentiam eorum in divina essentia, vel dependentiam ab illa. Atqui cognitio, quam tuemur, possibilium in se ipsis non est diminuta et præcisiva, sed repræsentat illa comprehensive cum sua essentiali relatione dependentiæ a divina essentia. Nimirum Deus et possibilia cum omnibus suis mutuis relationibus, nisi vehementer fallor, bifariam repræsentari possunt: primo ita ut intuitus divinus immediate figatur in essentia, illamque attingat prout continentem possibilia instar causæ efficientis et exemplaris modo paulo ante declarato; et hoc est cognoscere possibilia mediate, seu in Deo tamquam in causa vel medio *in quo*. Secundo Deus et possibilia possunt repræsentari ita, ut intuitus divini intellectus figatur in possibilibus agnoscens in illis relationem effectus et exemplati respectu divinæ essentiæ; et hoc est cognoscere possibilia in se ipsis. In utraque cognitione, si comprehensiva sit, sicut est omnis cognitio Dei, terminus *adæquate* repræsentatus est ipse Deus et possibilia cum suis connexionibus ac relationibus; sed modus est diversus, quia in priori cognitione possibilia cernuntur in virtute illorum productiva et in exemplari, in altero vero non. Sed nec in hoc altero modo cognoscendi exhibetur objectum imperfecte, diminute vel præcisive. 3.° Porro *nec modus hic cognoscendi habet imperfectionem ex eo, quod requirat speciem ex ipsis possibilibus receptam*. Jam enim ostendimus supra, Deum in sua essentia habere, quidquid requiritur ad cognoscendum se et alia sive tamquam virtus cognoscitiva, sive tamquam concursus objectivus, unde non indiget aliunde emendicata specie ad quidpiam cognoscendum, sed ipse sibi sufficientissimus est ex sola sua essentia (2). 4.° *Nec demum cognitio possibilium in se ipsis ponit in Deo actum distinctum*, quia unus est in illo actus infinitæ virtualitatis, qui potest omnia simul et omnibus possibilibus modis repræsentare.

(1) S. Thom. 1.ª dist. 35, quæst. 1, art. 2, ad 2.um Cfr. 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 70, *Adhuc vilitas...*

(2) Vide supra hujus voluminis num. 29, pag. 97 seqq.

Confirmatur. Intellectus infinite perfectus potest ac debet cognoscere, quidquid habet in se cognoscibilitatem. Atqui possibilia etiam in se ipsis, et prout sunt terminus omnipotentiæ atque exemplaris divini, habent cognoscibilitatem. Ergo asserenda est Deo cognitio possibilium in se, saltem donec ostendatur repugnantia.

Objectiones solvuntur.

56. Objicies 1.º In Deo, utpote infinite perfecto, non est admittendus duplex modus cognoscendi, quorum alter sit perfectior, alter minus perfectus. Atqui modus cognoscendi alias res in divina essentia est longe perfectior, quam modus cognoscendi in se ipsis. Unde etiam secundum S. Augustinum cognitio creaturæ in se ipsa decoloratior est, quam cum in Dei sapientia cognoscitur veluti in arte, per quam facta est. Et sic *multum interesse*, scribit S. Doctor, *inter cognitionem rei cujuscumque in Verbo Dei et cognitionem ejus in natura ejus, ut illud merito pertineat ad diem, hoc ad vesperam* (1). Unde manavit divisio illa cognitionis angelicæ in matutinam et vespertinam, quarum prior est cognitio, qua Beati angeli vident res in Verbo, vespertina vero, qua cognoscunt easdem in propriis naturis (2). Ita fere Gonet (3).

Respondeo, *dist.* Major. In Deo non est admittendus duplex modus cognitionis, quorum alter sit perfectior, alter minus perfectus in se ipso et subjective, *conc.*; perfectione vel imperfectione se tenente ex parte duntaxat objecti repræsentati, *neg.* Et *contradist.* Minore, *nego* conseq. Nec urgent probationes. In angelis et hominibus dari possunt cognitiones aliæ aliis perfectiores etiam intrinsece ac subjective, quia cognoscunt per actus distinctos: quare nihil mirum, quod alia cognitio *matutina*, alia *vespertina* vocari queat. Secus omnino dicendum est in Deo, in quo non est nisi unus actus cognitionis cum essentia prorsus identificatus, qui, quamvis primario non terminetur nisi ad se ipsum, potest tamen secundario terminari ad alia.

(1) S. August *de Genesi ad litter.*, lib. 4, cap. 22 et 23. Cfr. *de civit. Dei*, lib. 11, cap. 7 et 21.

(2) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 58, art. 6 et 7; *de verit.* quæst. 8, art. 15, 16.

(3) *De Deo*, tract. 3, disp. 2, art. 2, paragr. 2, num. 55.

Instabis. Cognitio creaturarum in se ipsis α) imperfecta est, quia perfectio cognitionis sumitur ex immediato et formali objecto. Cum ergo creaturæ possibiles sint omnes finitæ in perfectione, cognitio illarum imperfecta vel certe finitæ perfectionis sit, oportet. β) Saltem negari non potest, perfectiorem esse possibilium cognitionem in Deo, quam in se ipsis; siquidem, cæteris paribus, quo perfectius est objectum immediatum ac formale, perfectior est cognitio, objectum autem immediatum possibilium in Deo est Deus ipse, et objectum possibilium in se ipsis sunt possibilia. Ergo non potest concedi Deo cognitio possibilium in se ipsis, tum quia Deo est optima omnium cognitio tribuenda, tum quia nefas est eidem concedere duas cognitiones inæqualis perfectionis.

Respondeo ad argumentum α) *negando* assert., quia cognitio creaturarum in se ipsis et in Deo una eademque est entitative, sive consideretur per rationem nostram ut terminata immediate ad Deum, sive ad possibilia. Probationem *distinguo*; perfectio cognitionis sumitur ex immediato et formali objecto, cum sermo est de duplici actu distincto cognitionis ac vere diverso formali objecto, *conc.*; cum sermo est de uno duntaxat actu cognitionis ad diversa objecta materialia terminato, quorum unum duntaxat sit formale objectum, *neg.* Possibilia enim licet immediate terminent divinam cognitionem, non sunt objectum formale divinæ cognitionis, prout satis patet ex superius dictis de ratione formalis objecti (1).

Ad argumentum β) eadem esto responsio, quia cognitio possibilium in Deo et in se ipsis una revera est. Quod si jam quæstionem ad conceptus nostros præcisivos transferas, utrum cognitio divina præcisive considerata, prout terminatur ad Deum, sit perfectior vel æque perfecta, ac cognitio eadem, prout terminatur ad possibilia; pendet a controversia breviter alibi resoluta de attributorum divinorum æqualitate vel inæqualitate (2). Et secundum doctrinam ibi traditam dici potest, cognitionem possibilium in Deo et cognitionem

(1) Vide hujus voluminis num. 34, pag. 106 seqq.

(2) Vide *Theodic.* vol. 1.ºº, num. 106, pag. 236 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

possibilium in se ipsis, utpote quæ non valent perfecte invicem præscindere (1), esse æquales secundum conceptum implicitum, quia altera alterius perfectionem implicite imbibit, inæquales vero secundum conceptum explicitum, quin exinde ullum majus incommodum sequatur, quam ex eo quod atributta divina penes explicitum sint inæqualis perfectionis. Cæterum retorqueri forte posset objectio contra adversarios. Nam eodem jure dicendum videtur esse, ex diversis cognitionibus possibilium in causa, eam esse perfectiorem quæ ad perfectiorem effectum in essentia divina repræsentandum terminatur, v. g. cognitionem angeli præ cognitione formicæ in Deo. Quod si verum est, eodem modo extricandum declarandumque erit nostris adversariis.

Objic. 2.° Eo modo cognoscuntur creaturæ ab intellectu divino, quo repræsentantur per speciem, qua intelligit. Sed non repræsentantur per speciem in se et ratione sui, sed mediate et in alio, scilicet in Deo ut prius repræsentato; nam species, qua Deus intelligit, est ipsa ejus essentia, quæ profecto immediate non repræsentat creaturas, sed solum Deum (2).

Respondeo *neg.* Minor. Nam sicut essentia divina, ut essentia, continet eminenter omnes alias essentias, ita etiam essentia, ut species præstare potest ad quamlibet rem cognoscendam, quidquid præstaret peculiaris ac propria ejusdem species. Et quamvis in toto objecto adæquato repræsentando possit ratione nostra ordo quidam considerari, ut primo ad se ipsum, deinde ad alia cognoscenda terminetur divinus intuitus, propter nobilitatis et necessitatis internæ ordinem, cum hoc tamen stare potest, ut intuitus directe et immediate figatur etiam in rebus aliis, et non solum indirecte, reflexe, et per considerationem sui.

Instabis 1.° Etiamsi concedatur essentiam Dei eminenter continere species possibilium, dicendum erit essentiam primo et immediate repræsentare solum Deum, alia vero non repræsentare nisi secundario et mediate. Ergo jam non cognoscentur a Deo immediate possibilia in se ipsis (3).

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 103, pag. 324 seqq.
(2) Ita iterum Gonet, ibid. num. 56. Cfr. Suarez, loc. cit.
(3) Cfr. Gonet, ibid. num. 58.

Respondeo, *neg.* antec. quoad secundum membrum, nimirum *nego*, quod essentia divina, quamvis primario sit sui ipsius repræsentatrix, non possit etiam immediate repræsentare possibilia; quia hoc est præcise quod contendimus, donec contrarium probetur, essentiam divinam esse etiam, licet secundario et eminenter, speciem possibilium, ideoque posse illa immediate repræsentare, quia in se habet totam virtualitatem, quæ advenire posset intellectui ex formali ac propria specie ipsorum possibilium.

Instabis 2.° Objectum immediate repræsentatum per speciem debet convenire cum illa in gradu immaterialitatis, ut docet S. Thomas (1), inferens ex hoc principio nullam speciem creatam posse repræsentare quidditative Deum. Sed nihil creatum potest cum divina essentia talem convenientiam habere... Præterea repræsentatio speciei vel est ratione similitudinis, vel ratione identitatis cum objecto. Sed divina essentia nulli rei creatæ potest esse perfecte similis, et multo minus cum ea identificari. Ergo essentia divina, ut species, nullam rem creatam *primario* repræsentare potest (2).

Respondeo ad primum, *nego* Major.: nec S. Thomas docet, quod illi tribuit P. Gonetus. Potest enim objectum repræsentandum esse, ac passim est, minus immateriale ac species; sic objecta sensibilia et prorsus materialia percipit intellectus noster per speciem immaterialem. Quidni ergo divinus intellectus per suam essentiam repræsentare valeat etiam immediate objecta creata, finita et materialia (3).

Respondeo ad alterum, *negando* consequentiam, tum quia quamvis nihil creatum perfecte simile sit Deo, certum tamen esse debet, posse per speciem perfectiorem cognosci rem imperfectiorem, cujus species in illa eminenter contineatur; tum quia ex nostra doctrina nullatenus sequitur, quod essentia divina, ut species, *primario* rem creata repræsentet. Aliud enim est *immediate* et aliud *primario* repræsentare, donec nobis probetur, quodlibet objectum immediate

(1) 1.p., quæst. 12, art. 2.
(2) Gonet, loc. cit.
(3) Recole, si lubet, superius solutas objectiones (num. 91, pag. 98 seqq.) eo tendentes, ut probent Deum non posse una specie, id est essentia sua, res diversas cognoscere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

repræsentatum aut cognitum ab intellectu, eo ipso converti in objectum primarium illius.

Objic. 3.° «Si Deus cognosceret creaturas immediate in se ipsis et independenter ab essentia divina prius cognita, objectum formale et specificativum divinæ intellectionis esset ens creatum, vel ens ut sic, abstrahens a creato et increato. Sed hoc dici nequit. Ergo nec illud. Sequela Majoris est evidens; illud enim censetur esse objectum formale et primarium alicujus potentiæ vel operationis, quod primario et immediate attingitur et independenter ab alio prius attacto, ut constat in potentia visiva, cujus objectum formale et primarium est color, quem per se prius attingit; secundarium vero et materiale paries, vel aliud subjectum colore affectum, quia illud non attingitur immediate et per se prius, sed tantum secundario et mediante colore». Minorem vero fusè probat bonus P. Gonetus, quasi non possit in nostra doctrina concedi, aut non etiam libentissime concedatur; totamque suam probationem derivare nititur ex testimonio Doctoris Angelici (1), ubi disertis verbis probat, et concludit impossibile esse, quod *intellectum* (id est res intellecta) *a Deo* primo et per se *sit aliud ab ipso* (2).

Respondeo 1.° Si R. P. Gonetus nihil aliud intendit concludere nisi hoc, ut eruitur ex modo argumentandi ipsius et ex conatu probandi Minorem, *concedo* totum; quia nisi fiat lis de voce, sententia, quam tuemur, non asserit possibilia cognosci a Deo *primo ac per se*, sed per essentiam Dei et nonnisi tamquam objectum secundarium ac terminativum, quemadmodum superius demonstratum reliquimus (3). Quod si adversarii nostri contendunt, possibilia non posse immediate atque in se ipsis cognosci, quin pertineant ad objectum primarium vel primo et per se attactum; oportet, ut efficacius probent, quia id nos non videmus. Itaque

Respondeo 2.° *negando* Major. Ad cujus probationem *disting.* assert. Illud censetur esse objectum formale et

(1) S. Thom. *Cont. Gent.* lib. 1, cap. 48 initio.
(2) Vide Gonet, loc. cit., num. 50.
(3) Vide hujus voluminis num. 37, pag. 115 seqq.

primarium alicujus potentiæ vel operationis, quod primario et immediate attingitur, etc., si per se moveat potentiam, vel ab ea percipiatur per speciem propriam, *transeat*; si non percipiatur per speciem propriam, sed per speciem alterius, quæ primario et quasi ex prima intentione illud alterum repræsentet, cætera vero non nisi secundario et per excessum suæ virtualitatis, *neg.* Unde nec exemplum coloris nec parietis alteriusve subjecti colorati est satis accomodatum ad rem. Color est tale objectum visus, ut per se ac per speciem propriam attingatur in se, nec paries aliudve subjectum attingitur nisi *prout coloratum*; possibilia vero non cognoscuntur a divino intellectu per speciem distinctam ab ipsa specie, per quam Deus se ipsum cognoscit, quare nequeunt considerari ceu objectum primarium ac per se intellectus divini, cum respectu illius se habeant modo valde diverso, ac color respectu visus. Cæterum possibilia nec se habent respectu divini intellectus, sicut paries aliudve subjectum coloratum respectu visus; nam non cognoscuntur a Deo solum secundum *esse* eminentiale, quod habent in ejus essentia, sed etiam secundum *esse* suum peculiare ac contradistinctum ab *esse* divino, et quidem ita clare, perfecte comprehensiveque, ac si nihil aliud simul cognosceretur. Itaque possibilia, in nostra sententia, possunt bifariam repræsentari, primo indirecte et mediate in essentia Dei, se ipsum contemplantis; secundo immediate ac directe in se ipsis, sed utrolibet modo non repræsentantur nisi per virtutem essentiæ tamquam speciei. Quare possibilia nec tum, cum immediate repræsentantur, possunt dici objectum primarium, sive primitate nobilitatis, sive primitate juris et exigentiæ repræsentativæ, si ita loqui fas est; quia essentia divina se primo ac per se exigit repræsentare, ac deinde possibilia, et propterea ipsa sola est etiam objectum formale atque specificativum divinæ cognitionis.

Objic. 4.° «Ita se habet veritas creata ad intellectum divinum, sicut bonitas creata ad voluntatem divinam. Sed bonitas creata nequit ratione sui immediate terminare actum voluntatis divinæ. Ergo nec veritas creata potest ratione sui immediate terminare actum divini intellectus. Major patet», Minor vero demonstratur in tractatu de voluntate Dei ac

diserte traditur a S. Thoma (1). Ita rursus idem P. Gonetus (2).

Respondeo, *nego* Majorem, quam oportuisset probare et non evidentem asserere, quia est non una disparitas inter intellectum et voluntatem, 1.° quia intellectus est potentia necessaria, necessario intelligens quidquid cognoscibile est, voluntas vero est potentia libera, quæ potest amare vel non amare etiam ea, quæ amabilia et bona sunt, ita ut Deus potuerit nihil omnino amare præter se, et potuerit etiam amare alia plura, quæ non amat. 2.° In voluntate consideranda est non sola perfectio physica et entitativa operationis, sed etiam moralis perfectio in amando, quæ usque adeo est essentialis Deo, ut metaphysice repugnet eum quidpiam amare inordinate. Inordinatum autem est bona creata non amare propter bonitatem increatam, ad quam essentialiter ordinantur tamquam ad ultimum finem. At in intellectu non consideratur ejusmodi perfectio moralis, sed ad ejus perfectionem spectat, ut omnia prorsus cognoscat etiam ea, quæ voluntas amare non potest, qualia sunt peccata, et quidem cognoscat omnia omni modo, quo cognoscibilia sunt, nisi aliquam imperfectionem afferat modus cognoscendi. Hinc Christus Dominus, quamvis nihil creatum amavit nisi propter Deum, plurima tamen cognovit in se ipsis, non solum in Deo; idemque certum est de Beatis. Ergo Deus etiam licet nihil possit amare nisi propter se ipsum, dicendus tamen est posse cognoscere possibilia in se ipsis, donec adversarii aliquam nobis in hoc demonstrent repugnantiam vel imperfectionem. Quæ cum ita sint, non erat, cur Gonetus probationem suæ doctrinæ clauderet invehendo in Suarezium, propterea quod, dum negat hic posse quidpiam creatum a Deo amari propter se, admittit in Deo, præter modum cognoscendi creaturas in sua essentia, aliud genus cognitionis earumdem in se ipsis. Primo quia nulla est in hoc inconsequentia nec contradictio, ut vidimus, ac deinde quia in quæstione *de possibilium* cognitione, quam Gonetus ex ipso articuli titulo tractandam sibi assumperat, Eximius Doctor

(1) 1 p., quæst. 19, art. 2, ad 2.um et 4.am
(2) Ibid. num. 60.

non est illi reapse contrarius, sed amicus, quemadmodum jam superius notatum reliqueramus (1).

Objic. 5.° Si Deus possibilia cognoscit in se ipso et in sua omnipotentia, supervacanea est cognitio iliorum in se ipsis. Atqui nihil supervacaneum Deo tribuendum est. Ergo....

Respondeo, *neg.* Major. Nam non est supervacaneum, quod necessarium probatur. Ex infinita vero perfectione Dei concluditur, necesse esse, ut Deus non solum omnia possibilia cognoscat, sed etiam omni modo possibili, qui nullam præ se ferat imperfectionem.

Objic. 6.° S. Dionysius aperte refragatur nostræ doctrinæ. Nam in capite septimo præclari operis *de divinis Nominibus* loquens de cognitione Dei ait: α) *Non secundum visionem singulis* (rebus) *se immittit, sed secundum causæ continentiam scit omnia.* Et β) paulo inferius: *Divina sapientia se ipsam cognoscens scit alia.* Item γ) *Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia, sed sui.* Ac demum δ): *Si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradit, secundum unam causam scit omnia, et non ex existentibus sumet eorum notitiam.* Ergo secundum S. Doctorem Deus possibilia non cognoscit immediate in se ipsis, sed tantum mediate in se ipso (2).

Respondent nostri scriptores, *negando* assertum. Et ad probationem distinguunt consequens hoc fere pacto. Deus possibilia cognoscit in se tantum, non vero *in se ipsis*, nimirum in sua essentia tamquam specie determinante cognitionem possibilium, non vero per speciem a rebus ipsis acceptam, prout apud veteres potissimum illo modo loquendi significatur, *conc.*; non cognoscit possibilia immediate in se ipsis, id est secundum propriam illorum veritatem, *nego.* Mens enim S. Doctoris, inquiunt, est sunice probare, quod Deus habeat ab æterno cognitionem omnium, neque modo in tempore aliquid discat. Mentem hanc ejus esse, patet tum ex discursus exordio, quod est hujusmodi: *Neque enim ea quæ sunt, ex his quæ sunt, discens novit divina mens; sed in se et ex se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque antelapsam et antecomprehensam habet non quod*

(1) Vide P. Nicol. Martinez, *Deus sciens*, contr. 2, disp. 5, sect. 4 fin.; Wirceburgens., *De Deo uno*, núm. 122 fin.
(2) Ita apud Gonet, loc. cit., parag. 1, num. 47.

per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat, et contineat: tum ex probatione, quam desumit ex Scriptura, in qua frequenter dicitur, Deum res *novisse prius, quam fierent:* tum ex Maximo (in Scholiis ad 7. Dion.) ubi dicit Deum per causam habere in se cognitionem omnium, *quod illam experientia non compararit; hunc enim Deus cognitione posterior inveniretur, aut in aliquo tempore non cognoscens:* tum ex versione Lansselii, secundum quam propositio 3.ª sic enuntiatur: *Sicut Deus omnibus creaturis actualibus tribuit esse, quin ex illis esse sumat; ita et eas omnes cognoscit, quin ab eis per speciem cognitionem accipiat* (1)».

Ego vero, qui sincere vellem ubique quærere veritatem, non audeo negare, quod S. Dionysius contrarius omnino videatur. Quamquam enim sententia β) secundo loco relata nullum negotium facessat, utpote quæ assertiva est duntaxat, non exclusiva, at cæteræ vix ullam habere possunt in nostra opinione explicationem. Concedamus sane, eam fuisse S. Doctoris mentem, ut evinceret, Deum nihil experientia didicisse, nec rerum notitiam ex specie vel determinatione ipsam accepisse, sed in se ipso ac per suam essentiam ab æterno habuisse. Verum id ita explicavit, ut simul aperte videretur excludere quemlibet alium modum alia cognoscendi, quam per essentiæ suæ considerationem: *Non quod secundum speciem singula consideret,* ait in prima α) sententia, *sed per* unam causæ comprehensionem omnia sciens *et continens* (2): quod quid aliud significat, quam quod Deus solum se cunctorum causam comprehendens omnia norit, equidem nescio. Quarta vero δ) sententia sic se habet ex græco fideliter conversa: *Sí... Deus per* unam causam *rebus omnibus* esse *largitur, eadem etiam* causa una *omnia ut a se profecta, et in* se ante *cognoscet* (3). Et paulo post concludit tertia γ) illa

(1) Wirceburgenses, id est, P. Kilbert (*De Deo*, disp 3, cap. 1, art. 3, núm. 122). Cfr. P. Nicolaus Martinez, loc. sup. cit., sect. 2.

(2) Οὐ κατ' εἶδος ἕκαστος ἐπιβάλλων, ἀλλὰ κατὰ μίαν τῆς αἰτίας περιοχὴν τὰ πάντα εἰδὼς καὶ συνέχων.

(3) Καὶ γὰρ εἰ κατὰ μίαν αἰτίαν ὁ θεὸς πᾶσι τοῖς οὖσι τοῦ εἶναι μεταδίδωσι, κατὰ τὴν αὐτὴν ἑνικὴν αἰτίαν ἔσεται πάντα ὡς ἐξ ἑαυτοῦ ὄντα καὶ ἐν ἑαυτῷ προυφεστηκότα.

sententia: *Hac ergo* (causa, ut videtur) *Deus ea, quæ sunt, noscit* non rerum notitia, sed sui; nimirum non notitia, quæ ex rebus ipsis procedat, sed notitia essentiæ divinæ, nempe Deus se noscendo cognoscit alia, quod est cognoscere alia mediate et in se tamquam in medio. Quibus in locis S. Dionysius, ut mihi quidem videtur, non solum excludit cognitionem aliorum, quæ ex ipsis accipiatur vel causetur, sed etiam quamlibet cognitionem, quæ non sit per causam ac per mediam comprehensionem essentiæ divinæ. Et quamvis loquatur de rebus existentibus, facile tamen intelligitur mentem ejus a fortiori extendendam esse ad possibilia. Itaque fateor, nullam mihi occurrere rationabilem solutionem verborum, quæ ex S. Dionysio opponuntur; arbitror tamen, idque pace dixerim sapientissimi, suavissimi ac sanctissimi scriptoris, exinde probabilitatem opinionis rationumque nostrarum non penitus infringi.

Objic. 7.º S. Ambrosius hæc scribit: *Licet omnia cælestia et terrestria ac minima quæque respicial Deus, nihil tamen extra intelligere, sed singula in se intueri dicitur* (1). Quibus similia sunt illa S. Augustini verba, quibus asserit: *Sacrilegum esse opinari, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum* (2). Quæ in hunc modum interpretatur S. Thomas: *Quod* Deus nihil extra se intuetur, *non est sic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se, intueatur; sed quia id, quod est extra se ipsum, non intuetur nisi in se ipso* (3). Quod prius in eodem articulo diserte tradiderat: *Sic igitur dicendum est, quod Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam: alia autem a se videt non in ipsis, sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso* (4).

Respondeo, testimonium S. Ambrosii non urgere, quia verba sat commodam habent explicationem, si dicamus S. Doctorem exclusam tantum voluisse cognitionem aliarum rerum per earundem speciem, ita ut Deus alia cuncta videat in se vel per suam essentiam.

(1) Tract. in *Symbol.* cap. 1.º
(2) In libro *Octoginta trium quæst.*, quæst. 46.
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 16, art. 5 ad 1.ºº
(4) S. Thom. ibid. in corp.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Minus urget Augustinianum testimonium, si spectetur contextus. Nam S. Doctor in objecto loco disputat *de ideis rerum exemplaribus*, contenditque, illas Deum non extra se positas respexisse, sed in mente sua. En quomodo post multa de platonicis ideis scripta pergat: *Quis religiosus negare audeat, immo etiam non profiteatur, omnia, quæ sunt, Deo auctore esse procreata, eoque auctore omnia, quæ vivunt, vivere, atque universalem rerum incolumitatem et ordinem summi Dei legibus contineri, et gubernari? Quo constituto, quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici, et credi non potest, restat, ut omnia ratione sint condita: singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes* (i. e. ideas rerum faciendarum), *ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris?* Non enim (ecce verba quæ ansam dederunt Gonetanæ objectioni) extra se quidpiam positum intuebatur (nempe ceu externum exemplar), ut secundum id constitueret, quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. *Quod si hæ rerum rationes in divina mente continentur, neque in divina mente quidquam nisi æternum, atque incommutabile esse potest, atque has rerum rationes appellat Plato ideas, non solum sunt ideæ, sed ipsæ vere sunt.* Ex quibus per se liquet, tum nihil in verbis S. Augustini contineri doctrinæ nostræ contrarium, tum necessariam non esse S. Thomæ interpretationem.

Jam quod Angelici Doctoris postremum testimonium attinet, fatemur illud, saltem specie tenus, contrarium videri, contrarium tamen reapse non est, si definitiones immediate ante præmissæ ab Aquinate præ oculis habeantur. Nam *in se ipso*, inquit, *cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis. In alio autem videtur id, quod videtur per* speciem continentis, *sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri* (1). Ergo secundum definitionem vocum a S. Thoma traditam, ad hoc ut aliquid videatur in se ipso, requiritur ut per speciem ejus propriam cognoscatur.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5 corp.

Atqui impossibile est ex nostra quoque doctrina, ut Deus possibilia vel alia quævis cognoscat per speciem propriam. Ergo si nos ipsi eodem pacto definiremus modum cognoscendi in se et in alio, deberemus negare, quod possibilia cognoscat Deus in se ipsis; ac proinde non doctrina, sed modus tantum loquendi S. Thomæ nobis contrarius est. Accedit, quod S. Doctor, ut suo loco videndum erit, sæpissime scripsit, Deum futura contingentia videre in se ipsis: quod tamen negatur a S. Thoma generatim in loco objecto *de omnibus rebus a Deo distinctis*. Ergo nisi velimus Angelicum secum pugnare, necesse est ut fateamur, ipsum S. Doctorem hoc, quod est videre alia *in se ipsis*, diversimode in diversis locis intellexisse, et consequenter quod Deus cognoscat possibilia *in se ipsis*, defendi possit in sensu non alieno ab Aquinate: et in hoc sensu, quem jam satis explicuimus, propugnamus propositionem. Fateor tamen quædam esse duriuscula in verbis Aquinatis, quæ haud commodam patiantur interpretationem.

ARTICULUS III

Utrum Deus intrinsece connectatur cum interna rerum possibilitate.

Status quæstionis

57. Controversia hæc necessaria videtur esse ad melius percipiendam præcedentem, quia si Deus intrinsece connectitur cum possibilitate creaturarum, haud arduum est intelligere, quomodo possit possibilia in se ipsis cognoscere. Si autem non connectitur, Deus se ipsum inspiciens non necessario determinabitur ad possibilia quoque percipienda. Cæterum controversia isthæc generalius tractari solebat in Philosophia generatim de intrinseca connexione causarum quarumvis cum suis effectibus, et sub illis quoque terminis proponebatur, utrum causa transcendentalem ordinem importet ad effectus possibiles. Nobis vero, qui solum de Deo tractamus, magis placet prior formula controversiam proponendi, et quia planior est, et quia minus irretitur cum alia quæstione de relationibus Dei ad res creatas in primo volumine tractata.

et varii modi quibus controversia proponitur.

Quid sit Deum intrinsece ac metaphysice cum interna rerum possibilitate connecti.

Ut ergo status quæstionis rite percipiatur, Deum cum interna rerum aliarum possibilitate metaphysice atque intrinsece connecti perinde est, ac Deum ita fundare internam rerum possibilium possibilitatem seu non repugnantiam, et consequenter etiam impossibilitatem vel repugnantiam impossibilium, ut ex eo quod Deus est talis, sequatur necessario res alias, quæ possibiles dicuntur, reapse possibiles interne esse, impossibiles vero intrinsece repugnare: unde si res, quæ sunt possibiles interne desinerent esse possibiles, vel impossibiles fierent possibiles, ipsa quoque Dei perfectio mutaretur, seu jam non esset eadem intrinsece, et consequenter Deus desineret esse Deus. Et sic inquiritur, utrum Deus ita sit connexus cum possibilibus, ut secum trahat necessario illorum internam possibilitatem et impossibilitatem impossibilium, an vero e converso ita sit intrinsece inconnexus et ex se indifferenter se habens respectu possibilium et impossibilium, ut idem prorsus permaneret, etiamsi quæ modo possibilia intrinsece sunt, intrinsece impossibilia redderentur, et vicissim impossibilia fierent possibilia.

Variæ sententiæ.

Prima sententia affirmat Deum hoc pacto intrinsece atque essentialiter connecti cum possibilibus: quam tenent communiter Thomistæ cum Capreolo (1), Cajetano (2) et Bañez (3), ut videre est apud Joannem a S. Thoma (4) et Joannem Martinez de Prado (5), ipse M. Joannes a S. Thoma (6) et M. Vincentius Ferre (7), itemque frequentius nostrates cum P. Suarez (8), Molina (9), Valencia (10), Ruiz de

(1) 1.ª dist. 35, quæst. 2, art. 1.
(2) In 1.am part., quæst. 12, art. 8.
(3) Ibid.
(4) In 1.am part., tom. 1, quæst. 12, disp. 15, art. 3.
(5) *Physicor.*, lib. 1, quæst. 21, num. 20.
(6) In 1.am part., tom. 2, quæst. 25, disp. 11, art. 1, paragr. *Ex destructione possibilitatis creatæ quomodo sequatur destructio omnipotentiæ.*
(7) *Tralat. Theolog.* in 1.am part., tom. 2, trat. 13, quæst. 3, parag. 4.
(8) *De Deo*, lib. 2, a cap. 25; et lib. 3, cap. 9, num. 13.
(9) In 1.am part., quæst. 10, art. 8, disp. 2.
(10) In 1.am part., disp. 1, quæst. 12, punct. 6.

Montoya (1), cardin. de Lugo (2), Tanner (3), Granado (4), Valentino Herice (5), Joanne Salas (6), Fassolo (7), Francisco de Lugo (8), Arriaga (9), Tellez (10), Mœratio (11) Martinon (12), Carleton Compton (13), Francisco Amico (14) Antonio Bernaldo Quiros (15), Nicolao Martinez (16), Ignatio Peinado (17) et Ludovico Lossada (18). Quare non vere scripsit Magister Vicentius Ferre quod «Jesuitæ communiter tenent cum suo Vazquez hic (disp. 104, cap. 5, num. 26), quod si nulla adesset possibilis creatura, adhuc Deus diceretur omnipotens».

Secunda sententia negat Deum intrinsece atque essentialiter connecti cum possibilitate creaturarum, eamque tuentur Scotistæ communiter apud P. Ludovicum de Lossada et e nostris Vazquez (19), Alarcon (20), Ripalda (21), Gillius (22), Oviedo (23), Franciscus Alphonsus (24), Petrus Hurtado (25)

(1) *De scient. Dei*, disp. 10, sect. 6.
(2) *De incarnat.*, disp. 2, sect. 5.
(3) Tanner, 1.ª part., disp. 4, quæst. 4, dub. 3.
(4) Tract. 2, disp. 15.
(5) Disp. 5, cap. 3.
(6) In 1.am 2.æ tom. 1, tract. 2, disp. 4, sect. 4.
(7) In 1.am part., quæst. 12, art. 4, dub. 12, num. 68.
(8) Tract. *de visione Dei*, disp. 23, cap. 2.
(9) *Theolog.* 1.ª part., tract. *de visione Dei*, disp. 10, a núm 12; et *Physic.* disp. 7, sect. 2.
(10) Disp. 21, sect. 4.
(11) Disp. 18, sect. 2.
(12) Tom. 1, disp. 10, num. 15.
(13) *Physic.* disp. 6, sect. 1.
(14) *De Deo*, tract. *de vision. Dei*, disp. 9, sect. 21.
(15) *De Deo*, disp. 41; et *Curs. philos.*, disp. 32.
(16) *Deus scienx sive de scientia Dei*, controv. 2, disp. 4, sect. 2.
(17) *Physic.* disp. 3, num. 8.
(18) *Physic.* tract. 2, disp. 7, cap. 1 seqq.
(19) In 1.am p., disp. 104, cap. 6; et disp. 143, cap. 4.
(20) Tract. *de scientia Dei*, disp. 2, cap. 4.
(21) *De ente supernat.* dis. 32, num. 16.
(22) Prima part., lib. 2, tract. 10, cap. 2.
(23) *Metaphys.*, controv. 10, punct. 4.
(24) *Physic.*, disp. 10, sect. 3.
(25) *Metaphys.* disp. 5, sect. 9

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Becanus (1), Gaspar Hurtado (2), Raynaudus (3), Arrubal (4), Soarez lusitanus (5) et Hemelman (6). Ut clarius procedamus, juvat duabus conclusionibus controversiam definire.

58. PROPOSITIO 1.ª **Non repugnat perfectioni divinæ, quod Deus essentialiter connectatur cum intrinseca possibilitate creaturarum vel cum intrinseca chimærarum impossibilitate.**

Non repugnat perfectioni divinæ, ut Deus essentialiter connectatur cum intrinseca possibilitate creaturarum vel chimærarum impossibilitate.

Probatur. Eatenus repugnaret divinæ perfectioni connecti cum intrinseca creaturarum possibilitate, vel cum chimærarum impossibilitate, quatenus connexio ista Deum dedeceret vel α) ex conceptu entis summe necessarii, vel β) ex conceptu entis omnino independentis, nulloque alio indigentis. Atqui ex neutro conceptu dedecet Deum essentialis connexio cum possibilitate creaturarum vel chimærarum impossibilitate. Ergo stat propositio.

Major constat; quia omnes adversariorum scrupuli hac in re tandem ex alterutro capite desumuntur.

Minor probatur per partes. Et primo quidem α) *Prædicta connexio non repugnat Deo ex conceptu entis summe necessarii.* Licet enim non desint, ut in præcedenti articulo monui, qui negent majorem esse necessitatem Dei necessitate possibilitatis rerum creatarum et aliorum enuntiabilium, quæ dicuntur æternæ veritatis; tamen equidem admitto gradus diversos necessitatis, et concedo summam esse necessitatem Dei, quin exinde putem non posse Deum cum minus necessariis intrinsece atque essentialiter connecti. Et ratio est, quia ex eo quod magis necessarium connectatur essentialiter cum minus necessario non amittit suam necessitatem, nec ideo desinit esse magis necessarium intrinsece, sed tantum attrahit, et elevat rem minus necessariam ad extrinsecus participandam suam majorem necessitatem,

(1) Tom. 1, cap. 9, quæst. 13.
(2) *De Incarnat.*, difficult. 5.
(3) *Theolog. nat.* disp. 8, quæst. 5, art. 6.
(4) 1.ª part., disp. 30.
(5) *Physic.* tract. 2, disp. 5, sect. 3, num. 464 seqq.
(6) Fere per totum volum. in 1.ª part.

quemadmodum paulo superius declaratum religimus (1). Ergo ex conceptu entis summe necessarii et superantis in hac perfectione intrinsecæ necessitatis quodvis aliud ens sive creatum sive creabile, non potest probari, quod repugnet Deo essentialis connexio cum intrinseca possibilitate creaturarum vel impossibilitatæ chimærarum, aut cum alia veritate præter Deum quomodolibet necessaria.

Nec vero β) *prædicta connexio repugnat Deo ex conceptu entis omnino dependentis nulloque alio indigentis.* Quia aliud est connecti cum alio, et aliud est indigere illo, aut dependere ab illo: quamvis enim quidquid indiget alio, et dependet essentialiter ab illo, connectatur cum illo; non propterea terminos convertere licet, ut illico dicamus quidquid cum alio connectitur, illo indigere, aut ab eo dependere. Connexio enim ac dependentia non ex eodem capite desumuntur. Sol enim conectitur cum luce, qui non ab illa dependet, nec ea indiget, sicut indiget sole lux, et ab eodem dependet. Nam sol connectitur ut principium suæ perfectionis communicativum suique diffusivum; lux vero connectitur cum sole ut ex eo accipiens suam perfectionem, qua secus careret: quare priori modo connecti probat in sole plenam independentiam a luce ac copiam perfectionis, quæ indigentiam excludit; altero autem modo connecti probat dependentiam atque indigentiam in luce. In hunc ergo modum Deus ita connectitur cum possibilitate creaturarum, ut necessario importet independentiam; Deus enim non connectitur cum illa possibilitate tamquam cum principio, a quo aut perfectionem aut bonitatem aut beatitudinem desumat, sed tamquam cum termino, cui communicare possit bonitatem ex bonitatis suæ abundantia, quique nullam habere queat necessitatem, perfectionem vel proprietatem nisi a Deo. Sicut enim nulla est entitas nisi a Deo, ita nulla est talis necessario entitas, quæ non repugnet, nisi quia imitatur entitatem Dei; nec est ulla chimæra, nisi quia talis est, quæ nequeat Deum imitari vel naturam illius participare; nulla denique alia veritas necessaria, nisi quia talibus constat extremis enuntiationis, quæ nisi eo pacto componantur, primam æternamque Dei veritatem

(1) Vide supra num. 53, pag. in 161 in responsione ad *Objic.* 1.ª

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

participare non possunt. Quam ad rem valeat illa Sancti Augustini sententia (1): *Ut boni simus, Deo indigemus; ut bonus sit Deus, nobis non indiget. Non indiget nobis, ut melior sit, aut potentior, aut beatior: quid enim esset quidquid aliud est, nisi ipse fuisset? Quo ergo eget abs te, qui erat ante te, et tam potens erat, ut cum tu nihil esses, faceret te?* Quæ cum ita sint, concludendum est ex independentia Dei nulliusque alterius indigentia nullatenus consequi, Deum non esse connexum cum intrinseca possibilitate creaturarum: immo vero ex connexione Dei cum illa possibilitate probatur independentia Dei a creatura nulliusque alterius indigentia (2).

Difficultates solutæ.

59. **Dices 1.°** Si Deus connecteretur cum creatura ut existenti, indigeret illa, quamvis profecto non connecteretur cum illa ceu cum principio, a quo haberet Deus suam perfectionem, sed ceu cum termino, cui communicaret bonitatem ex abundantia suæ bonitatis. Ergo si Deus connectitur cum creatura ut *possibili*, illa similiter indiget, quantumvis connectatur cum illa solum tamquam cum termino, cui communicare possit bonitatem ex abundantia suæ bonitatis.

Respond., *neg.* Anteced. Nam ex eo solum quod Deus connecteretur cum creatura ut *existente*, non posset immediate ac formaliter inferri, quod Deus illa indigeat, aut dependeat ab ipsa, sed tantum quod Deus non esset liber in creando. Cum vero certum sit atque exploratum, Deum esse liberrimum in operando ad extra, fieri nequit, ut connectatur cum ulla creatura prout existente. Ex quo tamen perperam inferres, Deum neque cum creaturis ut possibilibus necessario connecti, quandoquidem ex divina libertate non pendet, quod possibile desinat esse possibile, fiatque impossibile, ac similiter impossibile fiat possibile, quemadmodum pendet ex libero decreto Dei, quod res existant, vel non existant, aut existere desinant. Et ratio est, quia Deus est pelagus infinitæ perfectionis et exemplar omnis entis creati et creabilis, ita ut infinitæ rerum rationes, quæ nimirum quæ constituunt essentias intrinsece possibiles seu non repugnantes, sint, nec possint non esse, repræsentationes atque imitationes, utique

(1) S. August., In *psalm.* 70.
(2) Vide Nicol. Martinez, loc. cit., sect. 4.

deficientes, divinæ entitatis, quælibet autem aliæ rationes imaginabiles, vel potius voce ufcumque significabiles, nullatenus possint esse imitationes essentiæ divinæ, sed tantum chimæræ ac purum nihilum non solum in ordine existentiæ, sed etiam in ordine essentiæ.

Dices 2.° Ad perfectionem Dei pertinet, quod pro lubitu efficere queat, ut creaturæ sint, vel non sint. Ergo pariter ad perfectionem ejusdem spectare debet, ut tollere valeat *esse* intrinsecum possibilitatis; secus enim, cum *esse* possibilitatis sit aliquid, Deus non posset facere, ut creaturæ nihil omnino sint.

Respondeo, *conc.* anteced., *nego* conseq. et suppositum ejus, nimirum quod insit possibilibus ullum *esse* intrinsecum actuale, sive possibilitatis, sive essentiæ, sive quidditatis aliove nomine vocetur. Jam enim suo loco probatum reliquimus (1), possibilibus præter *extrinsecum esse* quod habent in cognitione Dei et in potentia et virtute, per quam sortiri existentium queunt, nullum aliud *esse actu* competere, sed tantum potentia, quia nimirum reapse nihil *sunt*, sed tantum *possunt esse*.

Ad probationem consequentis respondeo, *distinguendo: esse* possibilitatis est aliquid extrinsecum ipsis possibilibus, *conc.*; est enim ipse actus divinæ cognitionis et *esse* virtutis productivæ; est aliquid intrinsecum ipsis possibilibus, *subdist.*; actu, *neg.*; potentia, *conc.* Cæterum hoc *esse* pure potentiale seu *posse esse aliquid actuale*, quod actu purum nihil est in se et extra suas causas, Deus non potest auferre a possibillbus, quia non potest efficere, ut intrinsece possibile fiat impossibile, ac vicissim, quandoquidem impossibile est, ut eadem ratio intelligibilis sit, et non sit imitatio ac repræsentatio essentiæ divinæ.

Dices 3.° Quod Deus dependeat a creatura possibili tamquam a termino suæ connexionis reapse imperfectio est. Ergo removenda est a Deo.—**Respondeo**, *conc.* anteced.; ideoque non dixi Deum *dependere* a creatura possibili ut a termino, sed tantum *connecti* ut cum termino, cui suam communicet perfectionem. Unde sequitur in Deo summa

(1) *Ontolog.*, num. 236 seqq., pag. 654 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

sufficientia atque independentia ab alio quovis, et in aliis summa dependentia et indigentia Dei.

Dices 4.° Si quis homo alteri, præsertim inferioris conditionis, sic alligetur, ut sine illo nec esse, nec vivere posset, intolerabilis foret subjectio. Ergo necessaria ista Dei cum possibilibus connexio, quæ similis est alligatio, neganda prorsus videtur tamquam magna imperfectio.

Respondeo, *cons.* anted., *neg.* conseq. Sane alligari necessario alteri ut existenti est limitatio libertatis, ac proinde imperfectio, quia qui summe ac perfectissime liber est, debet posse dominari aliis omnibus, ita ut illa possit pro lubitu a se removere, vel etiam in nihilum redigere. At connecti cum possibilitate infinitarum rerum, quarum omnium ens primum est immutabiliter exemplar inexhaustum, et quidem ita connecti, ut ex perfectissimo libertatis dominio possit ad nutum producere omnia ex nihilo, et iterum in pristinum nihilum redigere, profecto neque est imperfectio neque captivitas vel limitatio libertatis, sed infinita liberrimi dominii perfectio (1).

Non solum non repugnat divinæ perfectioni, sed ab eadem requiritur, ut Deus essentialiter connectatur cum intrinseca creaturarum possibilitate chimærarumque impossibilitate.

60. PROPOSITIO 2.ª **Non solum non repugnat divinæ perfectioni, sed e converso requiritur ab eadem perfectione, ut essentialiter connectatur cum intrinseca creaturarum possibilitate chimærarumque impossibilitate.**

Prob. 1.° Deo asserenda est potentia et voluntas omnium perfectissima. Sed potentia connexa essentialiter ac metaphysice cum creaturarum possibilitate longe perfectior est potentia non sic connexa. Ergo...

Major liquet per se. Minor probatur. Potentia illius, qui penes se habet apponere conditionem ad operandum necessariam et excludere impedimentum insuperabile, perfectior est potentia illius, qui aliunde spectare debet, ut apponatur conditio istiusmodi, et auferatur impedimentum. Atqui possibilitas intrinseca effectus est necessaria prorsus conditio, ut potentia seu virtus activa sit penitus ad operandum expedita; impossibilitas autem intrinseca rei est impedimentum insuperabile pro quavis potentia, quemadmodum constat ex distinctione necessario admittenda duplicis possibilitatis et

(1) Vide P. Nicol. Martinez, loc. cit., sect. 4.

impossibilitatis, internæ et externæ (1). Ergo potentia Dei perfectior est, si ex ipso Deo pendeat necessario, quod effectus creabiles sint intrinsece possibiles, et chimæræ sint intrinsece impossibiles, id est, si Deus intrinsece connectatur cum possibilitate creaturarum aut creabilium effectuum et impossibilitate chimærarum.

Explicatur, et simul urgetur α) «Potentia, quæ ex se non resistit, nec repugnat eventui, in quo præter libertatem propriam sit penitus impedita, et veluti catenata ad operandum, imperfectior est, quam quæ tali eventui resistit essentialiter. Ast ita se habet omnipotentia inconnexa, si ad connexam comparetur; siquidem non repugnat eventui, in quo creaturæ omnes aliunde fiant impossibiles, quo in eventu prorsus impedita esset ad operandum, multo tenacius et ineluctabilius, quam in homine ferreis vinculis catenato potentia currendi».

Explicatur et urgetur. β) «Omnipotentia connexa sibi soli debet, quod expedita sit ad operandum, quandocumque libuerit; inconnexa vero non hoc sibi unice debet, sed creaturis etiam, quarum possibilitatem (sine qua non esset expedita, sed impedita prorsus) non infert ex propriis meritis, sed quasi aliunde provenientem expectat. Quis autem non videat, hoc posterius ad imperfectionem et debilitatem potentiæ pertinere?» (2).

Prob. 2.° ex alibi demonstrato fundamento possibilium in divina essentia; quidquid enim sit, utrum possibilia eorumque intrinseca possibilitas dependeat etiam a divino intellectu, constat apud omnes christianos Philosophos, prædictam possibilitatem tandem a divina essentia pendere. Unde sic argumentari licet: Stante hac divina essentia, metaphysice repugnat, ut omnia quæcumque sunt possibilia, non sua intrinseca possibilitate gaudeant, itemque omnes chimæræ non sua polleant intrinseca impossibilitate. Atqui hoc perinde est, ac Deum metaphysice atque essentialiter connecti cum intrinseca creaturarum possibilitate atque intrinseca impossibilitate chimærarum. Ergo...

Minor liquet ex præmissa initio terminorum explicatione. **Major autem nullo negotio probatur.** Etenim Deus cum hac

(1) Quod fuse probatum vide in *Ontolog.* num. 238, pag. 664 seqq.
(2) Lossada, *Physic* tract. 2, disp. 1, cap. 1, num. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sua infinita essentia fons est et exemplar omnium possibilium, quæ eatenus præcise non intrinsece repugnant, quia si crearentur, continerent entitatem repræsentantem atque imitantem, pro suo quæque modulo, divinam essentiam. Ergo si qua res nunc possibilis redderetur intrinsece repugnans, desinet profecto divina essentia esse illius exemplar. Atqui divina essentia non potest unius ejusdemque gradus specifici entitatis modo esse, modo non esse exemplar, quin mutaretur in se. Ergo cum nefas sit essentiam divinam in se mutari, metaphysice repugnat, ut quidpiam eorum, quæ possibilia sunt, intrinsecam suam possibilitatem amittat. Et simili modo cum ideo intrinsece impossibilia in se repugnent, quia nequeunt imitari divinam essentiam, consequens est, ut, stante divina essentia, impossibilia non possint ab æterno in æternum non repugnare.

Prob. 3.° «Inconnexio cum possibilibus destruit, vel minuit valde perfectionem plurium attributorum Dei: ejusmodi sunt dominium seu potestas dominandi, libertas, justitia, misericordia, liberalitas, quæ nequeunt explicari, seu exerceri, nisi erga creaturas. Patet assumptum: nam, connexione subfata, Deus est ab intrinseco indifferens ad eventum, in quo nulli rei possit absolute dominari, et in quo non sit absolute liber, nec absolute potens justa decernere, nec misereri, nec benefacere; non enim tunc hujusmodi potestas in Deo esset absoluta, sed pure conditionata juxta adversarios, sub conditione scilicet quod creaturæ redderentur possibiles, quæ conditio non esset a Deo illata, nec auferibilis. Ergo nec de facto Deus est ex se et ex propriis meritis plusquam conditionate liber, et potens dominari, etc. Deus enim juxta adversarios nihil aliud habet ab intrinseco, quam haberet, si nulla creatura esset possibilis. Atqui libertas pure conditionata, maxime sub conditione a se non dependente, similisque potestas dominandi, benefaciendi, miserendi, etc. multo imperfectior est, quam absoluta, ut patet, tum ex communi sensu; tum exemplo libertatis, et potestatis humanæ; tum quia libertas, eo modo conditionata est libertas impedita et ligata, impotensque suo marte fieri expedita, consequenterque magis dicenda est non libertas, quemadmodum dicitur non liber ad audiendum sacrum, qui vel carcere detinetur, vel non habet copiam sacerdotis celebrare volentis. Multum ergo deprimitur eorum perfectio attributorum, connexione sublata.»

Urgetur α) data inconnexione, Deus est intrinsece indifferens ad eventum, in quo detur potestas, a se independens, destruendi possibilitatem creaturarum, ut paulo ante vidimus. Ergo est intrinsece indifferens, ut se inconsulto possit alia potestas ipsum privare officio et exercitio Domini, Judicis, Benefactoris, etc.: exercitio quidem, ut est clarum: officio pariter, nam officium Regis, cui subditi sint impossibiles, et officium Judicis aut Benefactoris, cui chimæricum sit judicare, aut benefacere, frivolum videtur, et nugatorium. **Urgetur** β) ex terminis absurdum est, quod Deus ab intrinseco sit indifferens, ut sibi ab extrinseco præcludantur fontes misericordiæ et beneficentiæ, ita ut non maneat liber ad ullum inde rivulum derivandum. Sic autem Deus erit indifferens, si ex se non resistat impossibilitati creaturarum: ex hac enim impossibilitate sequeretur, divinæ misericordiæ ac beneficentiæ fontes manere ab extrinseco penitus occlusos absque ulla Dei libertate, sive ad effluendum in sensu composito impedimenti, sive ad impedimentum ipsum auferendum.» **Urgetur** γ) Fide credimus Deum posse quidquid vult; et hunc fidei articulum Deus ipse ab intrinseco verificat; non enim in eo articulo credimus aliquid a Deo distinctum. At non illum Deus ab intrinseco verificabit, si est ab intrinseco indifferens ad eventum impossibilitatis creaturarum; sic enim ab intrinseco permittet eventum, in quo nihil ad extra velle possit, ac proinde in quo falsificetur articulus ille fidei, utpote de subjecto non supponente quoad illud, quidquid vult.» (1).

Plura dabunt veteres scriptores, ac nominatim P. Ludovicus de Lossada.

61. **Dices 1.°** Ex connexione Dei cum possibilibus plura consequuntur absurda. Ergo rejicienda est. *Prob. antec.* α) Nam primo, si Deus essentialiter connectitur cum possibilibus, dependebit a creaturis, iisque indigebit, quod nefas est cogitare. Sic enim videretur Deus sibi ipsi non sufficere, cum ad suam existentiam, atque adeo felicitatem, indigeret

Objecta dissipantur.

(1) Lossada, loc. cit., num. 5 et 6.

possibilitate creaturarum. β) Deinde inerit Deo relatio transcendentalis ad possibilia, ideoque ordinabitur ad creaturas. γ) Hinc Deus specificabitur a creaturis. δ) Item veritas hæc: *Formica est possibilis*, non erit minus necessaria, quam hæc alia: *Deus existit*, quod est contra communem sententiam. Et ratio est, quia in nostra sententia, hæc altera propositio, deficiente prima, deficeret. Quandoquidem si nullum possibile potest desinere esse possibile, stante hac Dei essentia; ergo si quod possibile deficeret, mutaretur ipse Deus, ac proinde deficeret. ε) Præterea Deus connecteretur cum possibilitate peccati a creatura patrabilis, essetque proinde alligatus termino, quem odio prosequitur. ζ) Demum Beati videntes omnipotentiam essentiamque Dei, viderent in ea cuncta possibilia, atque adeo comprehenderent illam.—Verum hæc parum urgent.

Respondeo, *neg.* anteced. Ad argumentum α) *neg.* assert., quemadmodum declaratum est satis in præcedenti propositione. Quamvis nonnulli permittant connexionem cum possibilibus vocari *dependentiam* pure tamquam a termino, cui perfectio tribuatur; melius tamen alii dependentiæ indigentiæque nomen, utcumque benignissime explicatum, respuunt. Jam enim ostendimus, non omnem connexionem, etiam metaphoricam, esse dependentiam vel indigentiam, idque manifeste patet in ipsa essentiali connexione Personarum SSmæ. Trinitatis inter se, quæ tamen non invicem dependent, nec proprie indigent. «Itaque unum non posse existere sine alio, non est proprie dependere nec indigere, nisi quando illud aliud requiritur ut causa vel complementum intrinsece perfectivum, vel saltem ut terminus distinctæ naturæ actu existens» (1).

Nec vero ex prædicta connexione sequitur Deum non sibi sufficere. «Nam possibilitas creaturæ non requiritur ad existentiam, aut felicitatem Dei, per modum termini veræ indigentiæ, id est per modum causantis, vel intrinsece constituentis Deum in ratione existentis aut felicis; sed unice per modum extrinseci connotati, seu termini pure extrinseci, quem ipse Deus infert ut a se perfectibilem. Quare Deus

(1) Lossada, loc. cit., cap. 2, num. 3.

habet a se et in se quidquid est formaliter sua existentia suaque felicitas (nam hæc tota consistit in perfectionibus divinis); et aliunde ex se etiam et ab intrinseco infert, absque alterius juvamine, quidquid ad eam necessarium est per modum puri connotati extrinseci. Quænam autem major sufficientia? Multo apparentius ex non connexione resultat Deus dependens, indigus et sibi insufficiens; cum expectet aliunde possibilitatem rerum sibi non debitam, ut sit absolute omnipotens, liber, potens determinari, etc.» (1).

Instabis. Deus argueretur indigus et dependens, si connecteretur cum creatura ut existente. Ergo pariter si Deus connectatur cum creatura ut possibili.—**Respondeo**, *dist.* anteced.: proprie indigus et dependens, *nego*, sicut *negatum* est superius (2); improprie indigus et dependens, nempe imperfectus, *conc.*; nam eo ipso Deus desineret esse liber circa terminum contingentem, qualis est existentia omnis creaturæ: quæ profecto imperfectio est, sicut constat ex demonstrata in præcedenti volumine divina libertate. Quamobrem *negatur* consequentia, quia cum possibilitas creaturarum non sit contingens, sed necessaria; ex necessaria Dei cum possibilitate connexione nullatenus sequitur imperfectio, quæ sequeretur ex connexione cum creaturis existentibus.

Ad argumentum β) *dist.* assert. Inerit Deo relatio transcendentalis rationis ad possibilia, *transeat;* realis, *nego* ex traditis in primo *Theodicæ* volumine (3). Ibi enim ostendimus realem relationem importare mutuum aliquem ordinem unius ad alterum; Deus autem non potest ordinari ad creaturas in ullo vero sensu, licet creaturæ ordinentur ad Deum; siquidem eatenus unum ordinatur ad aliud stricte ac proprie, quatenus vel ab eo dependet, vel perficitur, vel habet in se aliquid natura sua directum ad illud. Quæ omnia profecto dedecent Deum.

Ad argumentum γ) *negatur* assertum, quia cum Deus nihil accipiat a creaturis, nec ad illas ullatenus ordinetur, nec

(1) Lossada, ibid. num. 4.
(2) Num. 50, in respons. ad *Dices* 1.º
(3) Vide *Theodic.* vol. 2.um, num. 81, pag. 265.

in sua ratione aut essentia constituatur, mensureturve per ordinem ad aliud, non potest dici specificari à creaturis.

Ad argumentum 6) *nego* pariter assertum ex superius dictis, quia quamvis utraque propositio sit indefectibilis, at prior non habet nisi necessitatem participatam, altera vero imparticipatam; quandoquidem formica non est possibilis intrinsece, nisi quia Deus, fons omnis realitatis sive actualis sive possibilis, existit.

Ad argumentum 7) *concessa* sequela, *negatur* conseq. Etenim «Deus etiam connectitur cum possibilitate peccati creaturæ; quia, repugnante peccato, non staret potentia permissiva, punitiva et condonativa peccati, quæ est vera et intrinseca Dei perfectio. Nec peccati possibilitas odio habetur a Deo, prout terminat divinam connexionem, scilicet prout est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, quia, prout sic nullam actualiter continet malitiam aut offensam Dei, sed tantum contineret, si existeret (1).

Instabis. Si Deus cum possibilitate peccati connectitur, illam amabit; et quoniam illa identificatur cum malitia peccati, hanc etiam amabit Deus; tum 1.º «quia Deus amat suam potentiam cum ea possibilitate connexam et ut connexam: ergo amat terminum connexionis». Tum 2.º «quia Deus amare debet quidquid est necessarium, ut ipse existat; sic autem necessaria est illa possibilitas, posita connexione». Tum 3.º «quia debet etiam Deus amare, quod sibi melius est; melius autem Deo est peccati possibilitas, quam impossibilitas, nam si hæc daretur, deficeret Deus, ut contendimus» (2).

Respondeo, *neg.* sequelam. **Ad cujus primam probationem**, *neg.* conseq. «Nam qui amat rem ut connexam, et connexionem ut talem, etiam antecedentem, non debet amare terminum, qui præcise infertur ut possibilis, non vero ut existens, aut extiturus: talis quippe connexionis amor ex se relinquit terminum in statu, in quo sit purum nihil, nullumque bonum actualiter habeat. Sic Deus amat libertatem creatam ad observanda præcepta, cum sit auctor illius; et

(1) Lossada, loc. cit., cap. 2, num. 9.
(2) Lossada, ibid.

tamen non ideo amat peccatum ut possibile, quocum certe connectitur ea libertas, saltem ut proxima et expedita. Id quod maxime verum est, quando amor connexionis non est liber nec practicus, ut accidit in casu nostro, et accidit etiam in amore, quo Deus amat infallibilitatem scientiæ suæ de peccato possibili. Solum ergo amor connexionis censetur, interpretative saltem, amor termini, quando amor est liber et practicus, et aliunde connexio est simpliciter antecedens (ex defectu istius conditionis Deus non amat peccatum, licet amet infallibilitatem suæ scientiæ visionis de peccato existente, vel etiam connexionem actus fidei cum peccato Antichristi futuro), et insuper infert terminum ut existentem aut extiturum, tunc enim connexionis amator censetur libere determinare terminum ad existendum, adeoque illi procurare, quidquid boni per identitatem habere potest; quod abs dubio indicium amoris est, siquidem amare, ut ajunt, est velle bonum. Et hac ratione Nostri contra Thomistas arguunt, quod si Deus prædeterminaret ad materiale peccati, cum malitia necessario connexum, Auctor malitiæ foret, et illam amaret. Non ita res habet in casu nostro. Unde, licet concedatur, amari a Deo suam connexionem, prout ex se infert possibilitatem peccati, et prout est forma dominans peccatum extrinsece possibile, non sequitur extensio amoris ad possibilitatem intrinsecam peccati, sed totus amor sistit in extrinseca forma dominante; non aliter ac amor, quo Deus amat se scire peccatum possibile, vel etiam existens dum committitur, vel quo suam scientiam amat, ut denominantem peccatum *cognitum*» (1).

Ad secundam probationem sequelæ, *neg.* conseq. «Possibilitas enim peccati non est necessaria ad existentiam Dei per modum causæ, vel prærequisiti, vel complementi Deum perficientis, aut intrinsece afficientis; sed tantum pure extrinsece et consequenter, scilicet per modum termini necessario illati a divina existentia. Talis autem terminus non debet a Deo amari; sicuti non amatur, quamvis eodem sensu necessarius sit ad existentiam libertatis creatæ, quam Deus amat» (2).

(1) Lossada, ibid. num. 10.
(2) Lossada, ibid. num. 11.

Ad tertiam probationem similiter dicendum est, quod «peccati possibilitas, sicut non est Deo bona formaliter aut causaliter, sed arguitive tantum et præsuppositive; ita non est formaliter aut causaliter Deo melior, quam impossibilitas, sed præsupossitive et arguitive duntaxat, quatenus est terminus præsupponens, et quasi a posteriori arguens, in Deo dari potentiam permittendi, puniendi, et condonandi, quæ melior Deo est ipsa, quam non ipsa; nec alio sensu impossibilitas peccati foret Deo mala vel noxia, si daretur. Quod autem hoc tantum sensu melius Deo est, non debet amari a Deo; præsertim cum nullum sit periculum, ne forte deficiat ille terminus, arguatque divinæ potentiæ ruinam, nisi Deus amore solicito curam habeat illius conservandi: tale namque periculum Deus ipse removet essentialiter, præscindendo ab amore» (1).

Ad argumentum ζ) negatur sequela. Quemadmodum enim Theologi docent, ex eo quod Beati videant clare Deum Deive essentiam aut omnipotentiam, nullatenus sequitur, quod videant possibilia omnia, quantumvis cum eo necessario ac metaphysice connexa, quia Deus non necessario videtur sub omni expressione, qua visibilis est, et qua comparari potest ad hæc vel illa possibilia. Resque confirmari potest exemplo albedinis, quæ quidem clare ac intuitive videtur, quin tamen visio ejus attingat rationem creaturæ vel dependentiæ a Deo, licet hæc cum albedine necessario connectatur, immo et identificetur (2). Cæterum quamvis Beati viderent in divina essentia omnia possibilia; secundum nostram sententiam circa comprehensionis rationem, nondum sequeretur, quod Deum comprehenderent (3).

Dices 2.° Omnipotentia non connexa cum possibilitate creaturarum, perfectior est ac Deo dignior. Ergo ea est asserenda Deo. **Prob. anteced.** 1.° quia omnipotentia non connexa est magis independens, quia est independens non solum ab existentibus, sed etiam a possibilibus. 2.° Est etiam magis indefectibilis, quandoquidem nec in eventu impossibilitatis

(1) Lossada, ibid.
(2) Cfr. Lossada. ibid., num. 12.
(3) Vide *Theodic.*, vol 1.um, num. 203, pag. 673, 675.

creaturarum defecere potest. 3.° Demum majorem præ se fert amplitudinem virtutis, quippe quæ, quantum est de se, posset etiam chimæras producere.

Respondeo, *neg.* anteced., cujus contrarium probatum est. **Ad primam probationem** *negatur* assertum, «tum quia jam supra negavimus connexionem Dei esse dependentiam; tum quia licet aliquo sensu talis esset, illa major independentia, quæ resultat apparenter ex connexione, non est vera perfectio Dei, sed chimærica, utpote incompossibilis cum perfectionibus aliis vere divinis, cujusmodi sunt potentia inimpedibilis ab extrinseco, potestas dominativa, libertas, etc. Sic major independentia, quæ apparet in Deo inconnexo cum impossibilitate alterius Dei, mendacii divini, etc., non est vera perfectio, nec Deo digna; quia infert ruinam divinæ unitatis, veracitatis», etc. (1).

Ad secundum, *nego* pariter assertum, «quia similiter major illa indefectibilitas non vera, sed chimærica est; tum quia infert defectum perfectionum divinarum, de quibus modo; tum quia similis est illi, qua Deus fingatur indefectibilis pro eventu possibilitatis alterius Dei vel aliarum chymærarum istiusmodi: tum etiam, quia nostra sententia nullam in Deo agnoscit defectibilitatem, nisi pure chimæricam, videlicet non nisi pro eventu impossibilitatis creaturarum, chimærico ex parte Dei, et chimerico ex parte creaturæ: arguit ergo indefectibilitatem omnimodam, qua major cogitari non potest, si cogitetur vere talis; quid enim magis indefectibile, quam id, cujus defectus undequaque implicat contradictionem?» (2).

Tertia quoque probatio similiter rejicitur, cum non minus chimærica sit major illa virtutis amplitudo, similis prorsus illi, quæ Deo tribueretur ad alium Deum producendum, vel ad creandas chimæras.

Dices 3.° Divinus intellectus non essentialiter infert scibilitatem objecti determinati, licet essentialiter exigat scire quidquid fuerit scibile. Ergo pariter de divina potentia in ordine ad possibilitatem termini discurrendum est.

(1) Lossada, loc. cit. num. 13.
(2) Lossada. ibid.

Respondeo, *dist.* anteced. Si sermo sit de objecto scientiæ contingentis, *conc.*, quia cum objectum illud pendeat a libero decreto divinæ voluntatis, sine quo non potest existere, ab eodem consequenter pendere debet scibilitas illius. Si autem sermo sit de objecto scientiæ necessariæ, quæ dicitur simplicis intelligentiæ, *neg.* Nam divinus intellectus essentialiter determinatus est, ut determinate sciat quidquid essentialiter ex divinis attributis infertur, atque adeo ut sciat possibiles esse omnes creaturas, et impossibiles omnes chimæras.

Dices 4.° Omnipotentia est virtus plus ex se potens, quam possibilia producere. Ergo, quantum est de se, posset etiam producere quæ modo possibilia sunt, etiamsi impossibilia redderentur. Probatur antecedens, quia omnipotentia non est virtus pure sufficiens sed plusquam sufficiens et superabundans respectu possibilium, cum infinite excedat perfectionem omnium illorum, etiam considerata formaliter in ratione potentiæ, ac prout est distincta a reliquis attributis. Atqui virtus plusquam sufficiens et superabundans respectu alicujus termini, quantum est de se, potest se ultra illum porrigere. Ergo...

Respondeo, *neg.* anteced. Ad cujus probationem *dist.* Major. Non est virtus pure sufficiens, sed plusquam sufficiens respectu possibilium singillatim, aut etiam respectu cujusvis collectionis non continentis omnia possibilia, *conc.* Major.: respectu omnium prorsus possibilium, *neg.* Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Sane «omnipotentia, quatenus formaliter et præcise productiva est ad extra, respectu collectionis omnium possibilium virtus est pure sufficiens; quia nulla virtus inferior sufficiens est, et quia nihil aliud producere potest. Cum hoc tamen recte cohæret, quod omnipotentia, etiam formaliter sumpta, sit virtus perfectione superior et excellentior, adeo ut omnium possibilium perfectio, ad illius perfectionem comparata, quasi nihilum reputetur: non enim est pure sufficiens per modum virtutis univocæ, sed per modum æquivocæ et eminentialis. Nec ideo tota hæc eminentia perfectionis de materiali se habet ad possibilia producenda: passim quippe accidit etiam in creatis, ut effectus exigat, et per se præsupponat virtutem se nobiliorem, ita ut a minore virtute produci nequeat. Sic naturalis intellectiva virtus angeli

(maxime si cum ejus substantia identificetur, ut sentiunt adversarii passim), prout virtus naturalis est, perfectione superat omnes cognitiones a se naturaliter productibiles, a quibus tamen tota per se exigitur: nec illa virtus ex eo perfectionis excessu dici potest naturaliter sufficiens ad alios effectus. Hinc negandum est, quod in omnipotentia, ut tali, possit aliquis perfectionis excessus ratione præscindi a virtute pure sufficiente, id est, satis solaque sufficiente ad omnia possibilia, et nihil ultra. Si enim concipitur omnipotentia, ut vere sufficiens ad omnia possibilia, nequit non concipi ut virtus simpliciter infinita (quæ est veluti definitio potentiæ ad possibilia omnia sufficientis), et hoc ipse concipitur ut perfectione supereminens possibilia omnia» (1).

Dices 5.° Si Petrus fieret impossibilis, non deficeret omnipotentia. Ergo hæc non connectitur metaphysice cum possibilitate Petri. Prob. antecedens, quia inde solum sequeretur, quod non posset Deus producere Petrum, qui tunc se haberet instar chimeræ. Atqui ex eo quod Deus non posset producere chimæram, non deficit omnipotentia. Accedit, quod passim accidit, unum possibile fieri omnino impossibile. Nam v. g. non cursus Petri pro hoc momento, qui possibilis erat, desinit esse possibilis in hypothesi quod currat: idemque dicito de aliis sexcentis exemplis similibus. Quis autem dicat, omnipotentiam deficere, vel mutari in hujusmodi eventibus?

Respondeo, *dist.* anteced. Non deficeret omnipotentia formaliter per defectum possibilitatis Petri, *conc.*, nam defectus formalis est immediata carentia totius entitatis vel alicujus intrinseci constitutivi; possibilitas autem intrinseca creaturæ distinguitur a tota entitate divinæ omnipotentiæ, Non deficeret arguitive, *neg.* anteced. et conseq. Tunc enim, quemadmodum superius explicuimus, argueretur in Deo defectus alicujus veræ potentiæ atque eminentialis continentiæ; Petrus enim quamdiu possibilis est, eminenter continetur in essentia divina, et virtualiter in potentia, non potest autem contineri, si reddatur de se impossibilis. In eo ergo eventu jam essentia divina et virtus aliter se haberet, ac

(1) Lossada, loc. cit., num. 16.

nunc est; ideoque mutaretur, videlicet deficeret, nam Deus, qui mutetur, Deus non est (1).

Ad primam probationem, *neg.* assert. quia jam ostendimus, quod, si Petrus, qui nunc intrinsece possibilis est, redderetur intrinsece impossibilis, Deus aliter se haberet, ac deficeret, et proinde jam nihil posset producere. Petrus vero non se habet instar chimæræ communis et proprie dictæ, sed esset chimæra sui generis. Chimæra proprie dicta nequit divinam essentiam imitari, nec proinde in Deo continetur ullatenus sive virtualiter sive eminenter. At Petrus, antea possibilis, postea factus impossibilis, potest profecto per se divinam essentiam imitari, secus nunquam fuisset possibilis, sed semper impossibilis et chimæricus.

Confirmatio nihil evincit. Quæ namque eo pacto fiunt impossibilia, non desinunt esse intrinsece ac per se possibilia; sed tantum redduntur impossibilia per accidens ex suppositione facti pendentis a libera Dei voluntate ac per eam impossibilis.

Plura de his fuse disputata videri queunt apud Lossada et veteres scriptores.

CAPUT IV
DE SCIENTIA VISIONIS

Sequitur, ut de altero membro communissimæ illius divisionis scientiæ divinæ disputemus, quam singillatim tractandam suscepimus. Circa quam hæc prima occurrit controversia, utrum Deus cognoscat omnia quæcumque existunt in quavis temporis differentia, sive præsentia illa sint, sive præterita, sive futura.

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., num. 19.

ARTICULUS I
Utrum Deus cognoscat existentia omnia in quavis temporis differentia, ac præsertim futura libera.

62. Quæ aliquando existentiam sortiuntur, triplicis generis sunt, alia quæ actu existunt in præsenti, alia quæ jam non sunt, sed fuerunt, alia demum quæ nondum sunt, sed erunt. Ac de hisce omnibus institui controversia potest.

§ I.—UTRUM DEUS PRÆSENTIA CUNCTA COGNOSCAT ET PRÆTERITA.

Dubitari nequit, quin Deus actu existentia omnia et præterita cognoscat certissime.

PROPOSITIO 1.ª **Dubitari non potest, quin Deus actu existentia et præterita certissime cognoscat.**

Et ratio in promptu est. 1.º quia hæc omnia etiam a nobis cognoscuntur. 2.º Quia profecto magna est perfectio, nec repugnans cum alia majori, cognoscere omnia quæcumque vel existunt, vel exstiterunt. 3.º Quia res existentes, etiam prout tales, intelligibiles sunt, cum sua gaudeant entitate: quapropter non possunt non intelligi ab infinita intelligentia. 4.º Quia ignorare nequit Deus, quæ ipsemet facit; omnia vero, quæcumque veniunt in existentiam, a Deo fiunt, vel immediate tamquam a causa unica, vel mediis creaturis, cooperando ad omnes earumdem actiones et effectus.

non exceptis occultis, remotis, ac secretis cordium.

Quæ rationes, ut per se liquet, valent pro quacumque re existente, quantumvis occulta et remota, qualia sunt secreta cordium (1). Nec potest de his ulla esse specialis difficultas, quæ vel non soluta fuerit in antecessum, vel non solvenda sit ex dicendis.

§ II.—UTRUM DEUS COGNOSCAT FUTURA OMNIA LIBERA.

Duplicis generis futura.

63. Futura duplicis generis distingui queunt, necessaria et contingentia. Quamquam enim omnia præter Deum,

(1) Vide S. Thom. *de verit.*, quæst. 8, art. 13; *de malo*, quæst. 16, art. 8; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 68.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

absolute loquendo, contingentia sint in existendo, tamen supposita prima creatione, effectus qui mox consequuntur in rerum natura, alii sunt necessarii, alii contingentes (1). Necessarii dicuntur illi, qui ita fiunt, vel sunt a suis causis, ut non possint non fieri, vel esse; contingentes vero, qui ita fiunt, vel sunt, ut possint non fieri, vel esse (2). «Hoc autem, quemadmodum tecte exponit P. Franciscus Suarez, ex duplici capite provenire potest: primo ex impedimento extrinseco, et non ex intrinseca virtute causæ. Et hoc tantum modo invenitur contingentia in effectibus inferiorum causarum naturalium, quatenus eveniunt sine interventu alicujus causæ liberæ. Nam si consideretur virtus et modus agendi causæ proximæ talis effectus, nulla est contingentia in illo effectu, quia causa ejus non habet potestatem propriam et intrinsecam ad non efficiendum illum, sed ex intrinseca necessitate operatur, positis omnibus requisitis. Quia tamen causa illa imperfecta est, et per oppositionem alterius impediri potest ab agendo; ideo ex hoc capite potest ille effectus esse contingens. Contingentia vero illa dicitur esse secundum quid, quia est tantum respectu unius causæ, ut impediri potest ab alia; non vero respectu totius collectionis occurrentium causarum. Dicitur etiam extrinseca et per accidens, quia non provenit ex intrinseca virtute causæ, per se agentis, sed ab extrinseco impediente. Altera vero contingentia propria est, quæ provenit ex libertate alicujus causæ, quæ merito dicitur esse per se ab intrinseco, quia provenit ex intrinseca potestate, quam per se habet ipsa causa proxima ad suspendendum suum concursum, positis etiam omnibus requisitis ad agendum: et ob eamdem causam dicitur hæc contingens simpliciter, quia posita collectione causarum omnium vel impedimentorum concurrentium, adhuc effectus potest fieri, et non fieri» (3).

necessaria

et contingentia: et hæc itenim in duas species dividuntur.

Contingentia secundum quid vel per accidens

et contingentia propria ac simpliciter sic libera.

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 30; Suarez, *Metaphys.* disp. 19.

(2) Cfr. S. Thom *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 67, *Item, contingens...*; Suarez, opusc. *de scient. Dei futuror. contingentium*, lib. 1, cap. 1, num. 1.

(3) Suarez, *De scientia Dei futuror. conting.*, lib. 1, cap. 1, num. 1. Cfr. S. Thom. 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5; 1.ª *Contr. Gent.* cap. 67, *Amplius, sicut...*; *de malo*, quæst. 16, art. 7.

Itaque hic controversia non est de futuris effectibus necessariis, quippe qui jam sunt in suis causis determinati ad existendum, ideoque ignorari nullatenus possunt ab eo, qui causas cognitas habeat. Nec sermo nobis hic est de futuris contingentibus extrinsece atque improprie ac per accidens talibus: de quibus pariter nulla esse potest difficultas. Licet enim illi ex vi solius causæ proximæ cognosci non valeant, illa enim causa impediri potest, ne operetur; nihilominus «comprehenso toto ordine naturalium causarum, quæ ad effectum promovendum vel impediendum concurrere possunt, evidenter cognoscitur, an effectus ille impediendus sit, necne, ut recte docuit D. Thomas (1), et notavit Ferrariensis (2). Et ratio est evidens, quia respectu totius collectionis causarum effectus non est contingens, sed necessarius, quia omnes illæ causæ necessario operantur, sive promovendo, sive impediendo: jam enim supposuimus nullam causam liberam intervenire, vel per se, vel per accidens, vel applicando causam agentem, vel impedientem. Cognitis ergo et inter se collatis illis omnibus causis simul sumptis, evidenter cognoscetur, an futurus sit ille effectus, necne» (3).

Status controversiæ.

Difficultas ergo tota versatur circa futura libera, neque circa omnia, sed solum circa ea quæ a causa libera creata libere procedent. Nam quæ ipse Deus solus libere unquam faciet, non potest non cognoscere, quandoquidem Deus nihil in tempore operatur, nisi ex æterno consilio et efficaci decreto suæ voluntatis. Hujusmodi porro æternum decretum Deo notissimum est, eoque posito, nequit non effectus esse in eo tempore modoque ab æterno definitis. Itaque sufficit æternum suum consilium et immutabile decretum, ut Deus in eo futura, quæ ex sola ipsius operatione fient, perfectissime intelligat (4).

De quibus futuris sit hic sermo.

At vero potestne idem dici de operationibus et effectibus liberis creaturarum? Si Deus videt illa ab æterno, videtne certo et infallibiliter, an non? Si videt; ergo non poterunt

Ratio difficultatis.

(1) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 67, *Amplius sicut...*

(2) Commentar. in lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 67.

(3) Suarez, loc. cit.; et in *Metaphys.* disp 19, sect. 10, ubi fuse de hac re.

(4) Cfr. Suarez, opusc. cit., lib. 1, cap. 1, num. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illa non esse, ac proinde jam non erunt libera. Si autem non videt certo et infallibiliter, non est in Deo scientia omnium perfecta; nisi dicatur illa advenire in tempore, quando res ipsæ fient: id quod scientiam variabilem redderet, Deumque ipsum mutabilem. Et crescit difficultas, si modus spectetur, quo Deus posset futura ejusmodi cognoscere. Vel enim cognosceret ea in se ipsis, vel in suis causis. Non in se ipsis, quia antequam fiant, in se ipsis nihil sunt; non in causis, quia liberæ sunt, et proinde non sunt determinatæ ad operandum, sed possunt operari vel non operari. En nodus quæstionis, quæ huc præcipue revocatur, ut vel Deo scientia futurorum, vel causis creatis libertas denegetur. Et ita factum est, ut plures Philosophi cum nodum solvere nescirent, in diversos inciderent errores.

Errores circa cognitionem divinam futurorum contingentium.

Nam Tullius (1), ut humanam tueretur libertatem, quam validissimis niti videbat argumentis, eripuit Deo præscientiam futurorum, *atque ita dum vult facere* (homines) *liberos, fecit sacrilegos*, quemadmodum loquitur Magnus Augustinus (2). Idem error a quibusdam tribuitur Aristoteli (3). Fundamentum est, quia docuit Philosophus in lib. 1.° *de interpretatione*, cap. 8, propositionibus de futuris contingentibus nullam inesse veritatem; si autem non est veritas, profecto nec cognoscibilitas. Verum hoc solum fundamentum non sufficit ad errorem appingendum Stagiritæ, quia illa ejus assertio potest habere rectum sensum, ut mox videbimus, ex quo nullatenus sequitur, quod futura non possint a Deo cognosci. Donec ergo probetur Aristotelem sumpsisse illam assertionem in sensu omnem prorsus excludente cognoscibilitatem, non recte accusatur erroris. Et simili modo quidam alii, quos referunt Abaelardus et Waldensis apud P. Theophilum Raynaudum (4), opinati sunt falli Deum posse futura libera cognoscere. Alii e converso, ut salva esset divina præscientia certa et infallibilis, negarunt stare

(1) Lib. 2.° *de divinatione*.
(2) *De civit. Dei*, lib. 5, cap. 9.
(3) Cfr. S. Bonavent. (1.° dist. 38, art. 2, quæst. 1), Suarez (opusc. cit. lib. 1, cap. 2, num. 2), Vazquez (In 1.am part. disp. 64, cap. 1) etc.
(4) *Theolog. natural.* distinct. 8, quæst. 1, art. 2 num. 16.

cum ipsa posse libertatem in homine. In qua erronea sententia post Stoicos (1) fuisse videntur Marcion (2), Celsus (3) et alii hæretici atque ethnici (4), quibus postea se adjunxit Wicleffus et alii pauci, «non tam Philosophi, quam frivophilis», ut loquitur Waldensis (5). Sociniani autem solam conjecturalem Deo futurorum cognitionem asseruerunt, arbitrantes ea non habere in se objectivam veritatem, ideoque certo cognosci non posse.

Vera et catholica doctrina.

At religiosus... animus utrumque eligit, et præscientiam Dei et liberum arbitrium creaturarum rationalium, utrumque confitetur, et fide pietatis utrumque confirmat (6). Prius autem quam ad veritatem hanc rationibus confirmandam veniamus, notandum est futurorum liberorum duo esse genera: alia quæ libere de facto fient in aliqua differentia temporis, et vocantur *futura absoluta;* alia quæ fierent utique, si poneretur certe aliqua conditio, de facto vero nunquam erunt, quia talis conditio non ponetur, et hæc dici solent *futura conditionata*. Nos de futuris liberis conditionatis postea, nunc solum de absolutis disputabimus, circa quæ nunc illud nobis demostrandum est, ea Deum certissime ab æterno cognoscere. Modus autem, quo Deus futura libera cognoscit, posterius seorsum erit pertractandus.

Futura absoluta

et conditionata et hic quidem serius erit de primis, de aliis in sequente capite.

64. PROPOSITIO 2.ª Deus ab æterno certissime cognoscit omnia futura libera.

Est veritas sæpissime tradita in sacris Litteris: *Intellexisti* (loquitur Psaltes cum Deo) *cogitationes meas de* longe, *semitam meam et funiculum meum investigasti, et omnes vias meas* prævidisti (7). Et alibi: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat,*

Deus ab æterno certissime cognovit omnia futura.

(1) Apud S. Agustin., lib. 5 *de civit. Dei*, cap. 8.
(2) Sic colligitur ex S. Hieronymo, *de Hæreticis*, lib. contr. Pelagian.
(3) Vide Origen., lib. 2, *contr. Celsum*; et apud Euseb., lib. 6 *Præparat. evang.* cap. 9.
(4) Apud Theophil. Raynaud., loc. cit. num. 17.
(5) Tom. 1., lib. 1, cap. 22 et 23; apud Theophil. Raynaudum, ibid. Vide etiam Valentiem, in commentar. in 1. p., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 3.
(6) S. August., *de civit. Dei*, lib. 5, cap. 9, num. 2.
(7) *Psalm.* 138, vers. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ut, cum factum fuerit, credatis (1). Item: *Domino... Deo*, **antequam crearentur**, *omnia sunt agnita: sic et post perfectum respicit omnia* (2). Unde etiam præscientia futurorum proponitur tamquam attributum proprium divinitatis (3). Quamvis enim in his locis non explicite doceatur *æterna* Dei præscientia, sed tantum præscientia, at implicite concluditur plane æterna præscientia, siquidem eadem ratio, propter quam Deus non potest incipere tunc cognoscere res, cum fiunt, ostendit eas debere ab æterno cognoscere, secus enim mutaretur.

Patres ac Doctores necesse non est singillatim referre. *Præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit prophetas*, inquit Tertullianus (4). Et S. Augustinus: *Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum, apertissima insania est* (5). Verum de his, quæ nostram inquisitionem superant, consulendi sunt Theologi.

Quod porro Deus certissime cognoscat futura, probandum non est, quia repugnat Deo cognitio conjecturalis, quæque non sit metaphysice certa, prout ex superius demonstratis liquet. Itaque solum probandum est, quod Deus a tota æternitate cognoscat futura.

Prob. 1.° ex communissima persuasione populorum. Et primo quidem universalis christianorum opinio neminem latet, ut hic probanda sit. Quid Hæbrei senserint constat ex ipsis sacris Litteris. Notissima est illa Susannæ apud Danielem oratio: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia*, **antequam fiant** (6). Ethnicorum etiam mens satis constat ex Plotino (7), Proclo et Ammonio (8) apud P. Theophilum Raynaudum (9). Qua de re legi potest P. Didacus Ruiz de Montoya (10). Unde solemne fuit Hebræis Deum

(1) *Joann.* cap. 14, vers. 29.
(2) *Eccli.* cap. 23, vers. 27.
(3) *Isaiæ* cap. 42, vers. 21 seqq; cap. 44, vers. 6 et 7.
(4) *Contr. Marcion.*, lib. 3, cap. 5.
(5) *De civit. Dei*, lib. 5, cap. 9.
(6) *Daniel.* cap. 13, vers. 42. Cfr. *Isaiæ*, cap. 41, ver. 23.
(7) *Ænead.* 4, lib. 4, cap. 12.
(8) *De interpretatione*, sect. 2, partie. 7.
(9) *Theolog. natur.* dist. 8, quæst. 1, art. 2, num. 19.
(10) *De scientia Dei*, disp. 23, sect. 2 seqq.

passim de futuris eventibus consulere; ethnici vero exquirebant falsorum numinum oracula: quo etiam spectant varia divinationum genera, sive per mortuorum cadavera (necromantia), sive per auguria, auspicia et aruspicia, sive per sortilegia, etc., etc.

Prob. 2.° Cognoscere futura vel divinando ex prudentibus conjecturis magna existimatur perfectio sagacisque laus ingenii: certo vero eadem cognoscere profecto eximia intellectus excellentia est. Ergo nequit non Deo convenire, qui virtute pollet infinita intelligendi.

Dices. Non est perfectio digna Deo id, quod potest abesse in aliqua hypothesi. Atqui scientia futurorum liberorum potuit abesse, si nimirum Deus nihil creare decrevisset. Ergo...

Respondeo, *dist.* Major. Non est perfectio digna Deo id, quod potest abesse entitative, *conc.*; id quod solum terminative potest abesse *nego*. Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Nam scientia visionis futurorum entitative est ipsa essentia Dei, quæ pro sua infinita perfectione potest, quin in se immutetur, terminari vel non terminari ad futura, repræsentando illa vel non repræsentando.

Prob. 3.° Deus habet perfectissimam certamque providentiam omnium, ut suo loco probavimus. Atqui si futura libera ignoraret, non posset talem habere providentiam, ut satis per se patet. Ergo...

Prob. 4.° Deus futura non potest cognoscere, quando fient decursu temporis. Ergo eadem ab æterno debet præscire, nisi velimos Deum aliqua posse ignorare.

Prob anteced. α) Secus enim divina cognitio sucessive augeretur, et consequenter tum ipse tum scientia sua mutabilis foret. β) Propterea jam non posset liberos actus ad fines ulteriores infallibiliter præordinare; unde impossibilis foret providentia, ut nuper notabamus (1).

Dices fort. Sicut necesse non est, ut Deus ab æterno creet omnia, quæ potest creare, sed sufficit, ut habeat potentiam creandi; ita non est necesse, ut ab æterno cognoscat

(1) Vide Suarez, Opusc. *de scientia futurorum*, lib. 1, cap. 2, num. 5; *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

omnia, sed habeat duntaxat virtutem cognoscitivam, qua res, cum in tempore fiant, cognoscat.—Respondeo esse disparitatem, quia creatio est actio transiens in exteriorem materiam, quæ proinde sive ponat extrinsecus effectus, sive non, nihil addit, vel detrahit Deo. At vero cognitio est operatio immanens quæ cum ipsa substantia in Deo identificatur: quare omnis cognitio, quæ unquam erit Deo, ab æterno esse debet (1).

Prob. 5.° Eatenus non posset Deus ab æterno infallibiliter cognoscere futura, quatenus ab æterno nondum sunt in se ipsis extra causas, sed continentur duntaxat in potentia causarum. Nam hinc petitur in hac materia præcipua ratio dubitandi. Cum enim causæ liberæ indifferenter se habeant ad operationem sive ponendam sive omittendam, donec actu detur operatio et ejus effectus in se ipso, ex talis causæ inspectione præsciri certo nequit, quid futurum sit, et solum conjici aliquid potest magis aut minus probabiliter pro majori aut minori illius inclinatione ad operandum (2). Atqui hæc ratio nulla est, quia Deus futura illa videt ab æterno, non prout continentur in suis causis nondum ad agendum determinatis, sed prout egressa jam ex illarum virtute pro tali temporis differentia. Nisi enim ita esset, dicendum foret cognitionem futurorum, prout sunt in se ipsis extra causas, advenire Deo in tempore, quod repugnat, ut nuper urgebamus. Ergo necesse est dicere Deum ab æterno certissime atque infallibiliter futura omnia videre, non secus ac si ab æterno fuissent. Et hoc est, quod Angelicus Doctor intendit, cum sæpi sime in hac quæstione docet, omnia etiam futura Deo esse in æternitate præsentia. Audi Aquinatem: *Dupliciter possunt futura cognosci, uno modo in se ipsis, alio modo in suis causis. In se ipsis quidem a nullo cognosci possunt nisi a Deo. Cujus ratio est, quia futura, prout futura sunt, nondum habent esse in se ipsis; esse autem et verum convertuntur. Unde cum omnis cognitio sit alicujus veri, impossibile est, quod aliqua cognitio respiciens futura in ratione futuri, cognoscat ea in se*

(1) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 1, art. 5 corp. et ad 10.um

(2) Vide S. Thom. 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 5; 1 p., quæst. 14, art. 13; *de verit.* quæst. 2, art. 12; *de malo*, quæst. 16, art. 7.

ipsis. Cum autem præsens, præteritum et futurum sint differentiæ temporis, temporalem ordinem designantes, omne quod qualitercumque est in tempore, comparatur ad futura sub ordine futuri. Et ideo impossibile est, quod aliqua cognitio subjacens ordini temporis cognoscat futura in se ipsis. Talis autem est omnis cognitio creaturæ... unde impossibile est, quod aliqua creatura cognoscat futura in se ipsis. Sed hoc est proprium solius Dei, cujus cognitio est elevata supra totum ordinem temporis; et ea quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter et conformiter ejus aspectui subduntur, et ejus simplex intuitus super omnia simul fertur, prout unumquodque est in suo tempore (1).

Similitudine res illustratur ab Aquinate

Remque illustrat Angelicus præclara similitudine: *Exemplum conveniens accipi potest ex ordine loci. Nam secundum Philosophum* (2), *secundum prius et posterius in magnitudine est prius et posterius in motu, et per consequens in tempore. Si ergo sint multi homines per viam aliquam transeuntes, quilibet eorum, qui sub ordine transeuntium continetur, habet cognitionem de præcedentibus et subsequentibus, in quantum sunt præcedentes et subsequentes, quod pertinet ad ordinem loci. Et ideo quilibet eorum videt eos, qui juxta se sunt, et aliquos eorum, qui eos præcedunt, eos autem, qui post se sunt, videre non potest. Si autem esset extra ordinem transeuntium, utpote in aliqua excelsa turri constitutus, unde posset totam viam videre, videret quidem simul omnes in via existentes, non sub ratione præcedentis et subsequentis, in comparatione scilicet ad ejus intuitum, sed simul omnes videret, et quomodo unus eorum alium præcedit. Quia igitur cognitio nostra cadit sub ordine temporis vel per se vel per accidens, unde et anima componendo et dividendo necesse habet adjungere tempus, ut dicitur in 3.° de anima; consequens est, quod sub ejus cognitione cadant res sub ratione præsentis, præteriti et futuri. Et ideo præsentia cognoscit tamquam actu existentia et sensu aliqualiter perceptibilia, præterita autem cognoscit memorata, futura autem non cognoscit in se ipsis, quia nondum sunt, sed cognoscere ea potest in causis suis, per certitudinem quidem, si totaliter in*

(1) S. Thom. *de malo*, quæst. 16, art. 7. Cfr. loca nuper citata.

(2) In 4.° *Physicor.*, text. comm. 99. Vide ibid. S. Thom., lect. 17, paragr. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causis suis sunt determinata, ut ex quibus de necessitate evenient; per conjecturam autem, si non sint sic determinata, quin impediri non possint, sicut quæ sunt ut in pluribus; nullo autem modo, si in suis causis sint omnino in potentia non magis determinata ad unum, quam ad aliud, sicut quæ sunt ad utrumlibet. Non enim aliquid est cognoscibile, secundum quod est in potentia, sed solum secundum quod est in actu, ut patet per Philosophum (Metaphysicor. lib. 9, text. comment. 20). Sed Deus est omnino extra ordinem temporis, quasi in arce æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui subjacet totus temporis decursus secundum unum et simplicem ejus intuitum; et ideo uno intuitu videt omnia, quæ aguntur secundum tempus decursum, et unumquodque secundum quod est in se ipso existens, non quasi sibi futurum quantum ad ejus intuitum, prout est in solo ordine suarum causarum, quamvis et ipsum ordinem causarum videat, sed omnino æternaliter sic videt unumquodque eorum, quæ sunt in quocumque tempore, sicut oculus humanus videt Socratem sedere in se ipso, non in causa sua (1).

Alibi eamdem rem S. Doctor aliis declarat exemplis, quæ ad rem obscurissimam demonstrandam non parum, opinor, valebunt. *Deus ab æterno*, inquit, *non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur. Quod qualiter sit, evidenter docet Boetius in fine de* Consolatione (2). *Omnis enim cognitio est secundum modum cognoscentis. Cum igitur Deus sit æternus, oportet, quod cognitio ejus modum æternitatis habeat, qui est totum simul sine successione. Unde sicut, quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus una et eadem et indivisibilis, ut nunc stans; ita et cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamvis sibi succedentia, ut præsentia sibi; nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius, sed unum respectu alterius.*

(1) S. Thom., lib. 1 *Perihermen.* seu *de interpretatione*, lect. 14, paragr. *f. Nam primo quidem...* Cfr. *de malo*, quæst. 16, art. 7; *Compend. Theolog.* cap. 33; *de Verit.*, quæst. 2, art. 12; et *Quodlib.* 11, art. 3: quibus in locis eadem utitur S. Doctor comparatione ac similitudine.

(2) Boet., *de Consol. Philosoph.*, prosa ult. sup. art. 3 corporis.

alia similitudo ad rem magis declarandam.

Quod ut melius pateat, exemplis ostendatur: Sint quinque homines, qui successive in quinque horis quinque contingentia facta videant. Possum ergo dicere, quod isti quinque vident hic contingentia successiva præsentialiter. Si autem poneretur, quod isti quinque actus cognoscentium esset actus unus, posset dici, quod una cognitio esset præsentialiter de omnibus illis cognitis successivis. Cum ergo Deus uno æterno intuitu non successivo omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua. Non enim Deus ab æterno cognovit de rebus tantum se cognoscere ea, quod est esse in cognitione sua; sed etiam ab æterno vidit uno intuitu, et videbit singula tempora, et rem talem esse in hoc tempore, et in hoc deficere. Nec tantum videt rem hanc respectu præcedentis temporis esse futuram, et respectu futuri præteritam; sed videt istud tempus, in quo est præsens rem esse præsentem in hoc tempore; quod tamen in intellectu nostro non potest accidere, cujus actus est successivus secundum diversa tempora. Et ita patet, quod nihil prohibet contingentium ad utrumlibet certam scientiam Deum habere, cum intuitus ejus ad rem contingentem referatur secundum hoc, quod præsentialiter in actu est, quando jam determinatum est, et certitudinaliter cognosci potest (1).

Aliis utitur similitudinibus Commentator Boetii, qui a multis existimatur ipse S. Thomas: *Notandum, quod de hoc quod dicitur Deum præsentialiter omnia cognoscere, scilicet præterita et futura, ponunt quidam exemplum de baculo fixo in aqua, qui successive toti fluvio præsens est, quia partibus ejus. Sic æternitas simul est cum toto tempore et cum omnibus, quæ fluunt in tempore, ita quod totum tempus et quidquid est successivum in tempore, est præsens æternitati, ut si ponatur æternitas quasi centrum et totum tempus sicut circumferentia. Tunc licet circumferentia continue moveatur et pars toti succedat, tamen in comparatione ad centrum uniformiter se habet* (2).

Et hæc quidem rem evincere, et quantum humana fert imbecillitas, satis declarare videntur. At quoniam præcipua

(1) S. Thom. 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5.

(2) In Comment. Boetii, *De Consolat. Philos.* lib. 5, prosa 6.ª et ultima circa med.

difficultas hic in componenda creata, libertate cum divina futurorum præscientia versatur, addenda est in hunc finem sequens

65. PROPOSITIO 3.ª **Æterna Dei præscientia nullum infert creatæ libertati præjudicium.**

Æterna Dei præscientia nullum infert creatæ libertati præjudicium.

Prob. 1.ª Verum vero opponi nequit. Atqui et Deum futurorum liberorum esse præscium, et rationalem creaturam libertate gaudere sunt duæ veritates catholicæ, quemadmodum probatum manet, primum quidem in præcedenti propositione, alterum in tertio *Psychologiæ* volumine. Ergo præscientia Dei non perimit creatam libertatem, sed amice cum eadem cohærere dicenda est.

Prob. 2.ª Si æterna futurorum cognitio Dei tolleret eorumdem libertatem vel contingentiam, eam tolleret, aut ex eo quod ipsa sit causa effectuum futurorum, aut ex eo quod sit certa et infallibilis. Atqui ex neutro capite futuri effectus a Deo prævisi redduntur necessarii. Ergo..... (1).

Prob. Minor. per partes, nam Major per se innotescit: *Scientia divina non aufert contingentiam ex eo, quod sit causa effectuum futurorum.* Nam α) primo scientia Dei non est causa rerum nisi mediante voluntate. Atqui voluntas Dei omnia decernit operari secundum cujusque causæ creatæ indolem ac rationem. Ergo quoniam scientia divina nunquam operari potest nisi mediante voluntate, possunt adhuc futura suam servare contingentiam et libertatem. β) Præterea licet scientia quam vocant simplicis intelligentiæ, sit causa directiva rerum efficiendarum, et ita simul cum voluntate et omnipotentia causet omnia; nihilominus scientia visionis non est causa rerum, quas videt, quemadmodum superius probavimus (2). Atqui scientia futurorum contingentium est scientia visionis. Ergo scientia divina non aufert contingentiam ex eo, quod sit causa effectuum futurorum. Hinc communissime illa vox Patrum docentium non ideo res esse futuras, quia Deus illas ab æterno præscivit, sed e contrario ideo illas præcivisse

Non ideo res sunt futuræ, quia Deus illas ab æterno

(1) Vide hoc argumentum fuse evolventem P. Gregorium de Valentia, In 1.am part., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 3.

(2) Vide supra, num. 26, pag. 73 seqq.

præscivit, sed ideo eas prævidit, quia sunt futuræ.

quia futuræ sunt, sicut suo loco retulimus. *Non propterea erit aliquid,* inquit Origenes, *quia id scivit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur a Deo, antequam fiat* (1). Et S. Joannes Chrysostomus: *Non quia futura scandala prædixit, idcirco evenient, sed quoniam omnino eventura erant, idcirco prædixit. Quod si eventura non fuissent, nec ipse futura prædixisset* (2). Et S. Hieronymus: *Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quia præscius futurorum* (3). Ac demum, ut cæteros omittam, S. Joannes Damascenus: *Vis præscia Dei non ex nobis habet causam; quod autem hæc, quæ facturi sumus, prævidet, ex nobis est* (4).

Dices. Si ideo Deus præsciret futura, quia ita erunt, ipsæ res creatæ forent causæ divinæ præscientiæ: idque diserte dixerunt nonnulli ex Patribus, quos suo loco retulimus.— **Respondeo,** *negando* prorsus assertum. Nam cognitio divina causam habere nequit, cum Deus ex sua propria essentia determinatus sit ad omne intelligibile cognoscendum. Verum licet non indigeat Deus, nec patiatur determinationem extrinsecus advenientem, cognoscere tamen non potest quidpiam, nisi in se sit intelligibile, nec intelligibilitatem accipit præcise ab ipsa scientia, per quam cognosci, ac repræsentari debet. Secus enim ratio non foret, cur Deus quædam intelligat, et quædam non intelligat. Intelligit nempe quæ apta sunt intelligi, et nequit intelligere, quæ in se non sunt intelligibilia, fere sicut creare potest quæcumque possibilia sunt, non vero impossibilia. Atqui futurum liberum ceu aliquid actuale et existens pro aliqua differentia temporis non est intelligibile, nisi præsupponatur illud reapse fore. Ergo quamvis futurum liberum non sit *causa* divinæ præscientiæ, debet tamen logice præsupponi, nostro modo intelligendi, tamquam *terminans* vel *conditio* sine qua non, ad divinam præscientiam. Et hoc solum significat modus loquendi Patrum

(1) Origen. *In epist. ad Romam.* lib. 7, cap. 8 super illud: *Quos præscivit, et prædestinavit* ... Cfr. *Contr. Celsum*, lib. 2, num. 20.

(2) S. Joann. Chrysost., Homil. 50 in Matthæum.

(3) S. Hieronym. *In Hieremiam*, cap. 26. Cfr. in *Isaiam*, cap. 16 super illud: *Hoc verbum quod locutus est Dominus ad Moab.*

(4) S. Joann Damascen., *Dialog. contr. Manich.* num. 79.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scribentium, ideo Deum cognovisse futura ab æterno, quia futura sunt. Quod si quidam interdum duriuscule locuti sunt, mitigandus est rigor verborum.

Probatur secunda pars Minoris. *Certitudo et infallibilitas divinæ scientiæ non imponit necessitatem futuris effectibus.* Sane α) cognitio, quantumvis certa et infallibilis, formaliter prout est notitia rei, nihil ponit in ipsa intrinsecum, nec mutat naturam ejus. Ergo quod Deus ab æterno præsciat futura, non eripit illis contingentiam et libertatem quam habent natura sua.

Antecedens constat ex alibi probatis (1): est enim cognitio formaliter operatio immanens, quæ, prout talis, objectum in sua physica realitate inalteratum relinquit. **Consequentia** vero patet. Si enim res eodem modo se habet in se, sive cognoscatur, sive non cognoscatur, quomodo necessitatem induat ex eo solum, quod cognoscatur effectus vel actio natura sua contingens et libera? (2). Hinc S. Augustinus: *Sicut tu*, inquit, *memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt* (3). Nec minus feliciter Theodoretus alio rem exemplo declarat: *Nemo præscientiam horum esse causam dicat, non enim præscientia eos tales efficit, sed Deus, ut Deus, quæ futura erant, prospexit. Neque enim si ferocem equum videns fremum mordentem, et sessorem minime tolerantem, dixerim eum præcipitio appropinquantem casurum, deinde id quod dixi evenerit, ego equum injeci in præcipitium, sed quod futurum erat, prædixi, ex equi ferocia conjecturam faciens. Deus autem universorum omnia procul videt, ut Deus, non tamen huic affert necessitatem, ut virtutem exerceat, illi autem ut vitam ex vitio instituat* (4). Simili exemplo prævidentis casum et ruinam alicujus, per lubricam viam incedentis, utitur Origenes (5). Ac Damascenus: *Dum* (medicus) *prænoscit*, inquit, *morbum*

(1) Vide *Psycholog.*, vol. 2.um, num. 44, pag. 189 seqq.

(2) Cfr. Suarez, opusc. *de scient. futurór. contingent.*, lib. 1, cap. 9, num. 4.

(3) *De libero arbitr.* lib. 3, cap 4.

(4) Theodoret. in cap. 8 epist. ad *Roman.* super illud: *Quos autem prædestinavit* ..

(5) Apud Euseb. Cæsar., lib. 6 *Præparat. evang.*, cap. 9.

futurum, non affert morbo causam; sed medici prænotio est conditionis ipsius argumentum; prænotionis autem causa hæc fest, quod ita futurum erat (1).

β) Deinde cum præscientia divina non tantum ab æterno cognoscat ordinem et dispositionem causarum ad effectus seu effectus ipsos, prout in causis suis continentur, sed ipsos effectus in se ipsis, prout in certa temporis differentia erunt; perinde se habet ad futura, sicut visio aliqua' ad suum visibile præsens et actu existens. Atqui actio aliqua, v. g. scriptio, non desinit esse contingens et libera ex eo, quod videatur a me vel ab alio. Ergo.... (2). Hanc usurpavit rei exlpicandæ rationem Severinus Boetius: *Scientia ejus* (Dei), inquit, *omnem temporis supergressa molionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia, quasi jam gerantur, considerat. Itaque si præscientiam pensare velis, qua cuncta cognoscit,* non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam deficientis nunquam instantiæ *rectius æstimabis. Unde non prævidentia, sed providentia potius dicitur, quod porro a rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.* Quid igitur postulas, ut necessaria fiant, quæ divino lumine lustrentur? Cum ne homines quidem necessaria faciant esse quæ videant? Num enim quæ præsentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus? Minime. Atqui, si est divini humanique præsentis digna collatio, uti vos vestro hoc temporario præsenti quædam videtis, ita ille omnia suo cernit æterno. Quare hæc divina prænotio naturam rerum proprietatemque non mutat, taliaque apud se præsentia spectat, *qualia in tempore olim futura provenient, etc.* (3). Quibus prorsus conformia sæpe docuit Angelicus: *Ex hoc*, inquit, *quod homo videt Socratem sedere, non tollitur ejus contingentia, quæ respicit ordinem causæ ad effectum; tamen verissime et infallibiliter videt oculus hominis Socratem sedere, dum sedet, quia unumquodque,*

(1) S. Joann. Damasc., *Dialog. adv. Manichæos.*

(2) Vide S. Thom., 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5. ad 3.um.; et *ad Hannibald.* lib. 1, dist. 38, quæst. 2, art. 1.

(3) Severin. Boet. *de Consolat. Philosoph.*, Lib. 5, prosa 6.ª et ultima.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prout est in se ipso, jam determinatum est. Sic igitur relinquitur, quod Deus certissime et infallibiliter cognoscat omnia, quæ fiunt in tempore, et tamen ea, quæ in tempore eveniunt, non sunt vel fiunt ex necessitate, sed contingenter (1).

γ) Præterea ut præscientia divina sit certa et infallibilis, satis est, quod alterum tantum oppositorum revera sit futurum. Nam posito quod alterum tantum oppositorum sit futurum, si præscientia divina terminetur ad illud præcise, quod futurum est, et sicut futurum est, hoc ipso certissima erit atque infallibilis, ut per se patet. Atqui quod alterum tantum oppositorum sit futurum, et non utrumque, non tollit contingentiam illius, quod tantum futurum est. Nam bene hæc duo inter se cohærent, quod unum ex duobus extremis oppositis de facto sit, et nihilominus simul possit etiam absolute non esse, v. g. quod detur nunc scriptio mea, et quod absolute posset etiam non dari nunc hæc eadem scriptio. Suppono enim nunc ex alibi demonstratis adesse libertatem non solum in actu primo proximo, sed in ipso actu secundo (2). Illud autem, quod ita est de facto, ut absolute posset etiam hic et nunc non esse, profecto contingens est. Ergo quod alterum tantum e duobus extremis oppositis futurum sit, non aufert contingentiam ejus (3).

δ) Denique esi præscientia tolleret contingentiam effectuum, maxime propterea quod posset falli, si effectus possit simpliciter non evenire..... At id minime sequitur. Nam si ponas effectum non evenire, sicut simpliciter non evenire potest; tunc consequenter debes etiam ponere, non fuisse præscientiam divinam de illo. Et sic non esset ulla præscientia divina de tali objecto, quæ falsa dici posset, ipso effectu non evenientes (4). Tanta enim est excellentia divinæ scientiæ,

(1) S. Thom., *Perihermen.*, seu *de interpretat.*, lect. 14, paragr. f, post verba paulo superius citata. Eamdem tradit doctrinam in quæst. 2, *de verit.*, art. 12 corp. et ad 2.um, 3.um et 7.um; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art 5, ad 3.um.

(2) Vide *Psychologi*. vol. 3.um, num. 97, pag. 323; num. 98, pag. 325; num. 100, pag. 331, *Objic.* 9.ª

(3) Vide P. Gregor. de Valentia, loc cit., 1.ª probat.

(4) Valentia, ibid. *Quarta ratio*, cum S. Joann. Chrysost. homil. 60 *in Matth.* et Hugone Victorino, lib. 1, *de Sacram.* part. 2, cap. ultim.

ut jam superius vidimus, quæ absque ulla sui mutatione intrinseca possit repræsentare vel non repræsentare objecta creata, prout existant vel non existant. Vide Suarez (1).

66. Corollarium 1.um Supposita infallibilitate divinæ scientiæ, tenet hæc consequentia: *Deus præscit Petrum peccaturum esse; ergo Petrus peccabit;* cujus antecedens absolute contingens est, et solum hypothetice necessarium, sicut etiam consequens. Et idem est, quod alii dicunt, supposita divina præscientia, futurum effectum necessario fore, non necessitate consequentis seu absolute, sed tantum necessitate consequente vel necessitate suppositionis vel sub conditione (2). Dicitur antecedens *absolute contingens, quia necessarium absolute judicatur ex habitudine terminorum, utpote quia prædicatum est in definitione subjecti, sicut necessarium est hominem esse animal; vel quia subjectum est de ratione prædicati, sicut hoc est necessarium, numerum esse parem vel imparem* (3). Atqui antecedens istud: *Deus præscit Petrum esse peccaturum*, non est hujusmodi. Ergo non est absolute necessarium. Potest nihilominus *necessarium ex suppositione* dici, quia supposito quod Petrus peccaturus est, non potest non præscire Deus illum esse peccaturum.

Posita infallibilitate divinæ scientiæ tenet hæc consequentia: *Deus præscit Petrum peccaturum: ergo Petrus peccabit.*

Posita divina scientia, effectus futurus est necessario, non necessitate consequentis, seu absolute, sed necessitate consequente, aut suppositionis, aut sub conditione.

Et idem dicendum est ob eamdem rationem de consequente: *Ergo Petrus peccabit;* quia, cum possit non peccare, certe non necessario peccabit absolute; et tamen, supposita præscientia Dei de peccato futuro, non potest non esse peccatum. Cæterum quoniam Deus nequit præscire nisi quod futurum est, dicere quod, si Deus præscit, non potest res non esse, perinde est, ac dicere si res de facto futura est, non potest non esse; quæ est necessitas pure suppositionis, non absoluta. Si enim impossibile est idem simul esse et non esse, *manifeste verum est, quod omne quod est, necesse est esse*, quando est, *et omne quod non est, necesse est non esse*, pro illo tempore, quando non est, *et est necessitas non absoluta*,

(1) Opusc. *de scient. futuror. conting.*, lib. 1, cap. 9.

(2) Vide S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 61 fin., *Præterea, si unumquodque*..

(3) S. Thom. 1. p., quæst. 19, art. 3; Cfr. *de verit.*, quæst. 23, art. 4, ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed ex suppositione (1). Quam doctrinam luculenter expressit S. Anselmus: *Hoc ipso quod præsciri aliquid dicitur, futurum esse pronuntiatur. Non enim nisi quod futurum est præscitur, quia scientia non est nisi veritatis. Quare cum dico:* **Si Deus præscivit aliquid, necesse est illud esse futurum;** *idem est, ac si dicam:* **Si erit, ex necessitate erit.** *Sed hæc necessitas, non cogit, nec prohibet aliquid esse, aut non esse, etc.* (2).

Consequentia vero inter præscientiam et existentiam rei est prorsus absoluta. Nec id tibi mirum videbitur, si revoces in mentem ex contingenti sequi contingens in bona consequentia, ut si sic concludas: *Petrus currit: ergo movetur* (3). Ergo quamvis antecedens et consequens sint absolute contingentia, potest intercedere inter illa nexus consequentiæ necessarius.

Necessitas futuri ex divina præscientia imposita non est antecedens, sed consequens.

67. **Corollarium 2.um** Ex præjacta doctrina pariter intelligitur, quomodo necessitas, quæ adest in futuris, supposita præscientia divina, non sit antecedens, sed consequens determinationem liberæ voluntatis. Et ratio est, quia licet duratione præcedat scientia Dei actum vel effectum futurum, nihilominus hæc ipsa scientia præsuponit logice talem actum futurum esse; quia ideo datur talis scientia de actu vel effectu futuro, quia re vera dabitur in tempore talis actus vel effectus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Objectiones solutæ.

68. **Objic. 1.°** Ex causa necessaria sequitur effectus necessarius. Sed scientia Dei est causa rerum etiam futurarum, et insuper est necessaria. Ergo quidquid Deus præscit, necessario eveniet; ac proinde aut neganda scientia futurorum contingentium in Deo, aut neganda libertas creaturarum rationalium (4).

(1) S. Thom. cum Aristot. *Periherm.*, su *de interpret.*, lect. 15 initio.

(2) *De concordia præscient. et liberi arbitrii*, cap. 1. Videri potest Sylvius, In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Quærit. 4.°*

(3) Vide *Dialect.* seu *Logic. Minor.*, num. 144, pag. 308, *Regula 5.ª*

(4) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 13, argum. 1.°; 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 5, arg. 1.

Respondeo, *dist.* Major.: ex causa adæquata necessaria, sequitur necessario effectus, *conc.*; ex causa in adæquata necessaria, *neg.*

Dist. primam partem Minoris. Scientia ipsa visionis rerum futurarum est causa earumdem, *neg.*; alia scientia, nempe simplicis intelligentiæ aut etiam media, *subdist.*; est causa adæquata, *neg.*; inadæquata, *conc.* Alteram partem Minoris etiam *distinguo*. Scientia simplicis intelligentiæ est necessaria, *conc.*; scientia visionis, *subdist.*, est necessaria simpliciter et absolute, *neg.*; conditionate, *conc.* Et *nego* consequens. Et patet solutio ex dictis in probationibus (1).

Objic. 2.° Ex antecedenti necessario sequitur consequens necessarium. Atqui in hac consequentia: *Deus præscivit Petrum esse peccaturum: ergo Petrus peccabit*, antecedens est necessarium, tum quia æternum, tum quia significatur ut præteritum. Ergo, stante divina præscientia, non datur amplius contingentia effectuum. Major patet ex regulis logicis bonæ consequentiæ (2). Secus enim ex antecedenti vero posset sequi falsum consequens (3).

Respondeo, *dist.* Major.: ex antecedenti absolute et simpliciter necessario, *conc.*; ex antecedente necessario duntaxat ex suppositione, *subdist.*; sequitur consequens paritet necessarium ex suppositione, *conc.*; absolute, *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Solutio est S. Thomæ, quamvis in speciem videatur eidem contraria, nam S. Doctor dicit antecedens illud esse *absolute* necessarium (4), aut etiam *simpliciter* necessarium (5). Nihilominus idem Angelicus iis coloribus describit necessitatem illius antecedentis, ut manifeste significet necessitatem, quam nos vocamus

Locus S. Thomæ in speciem contrarius declaratus.

(1) Cfr. S. Thom. 1 p. quæst. 14, art. 13, ad 1.um; et 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 5, ad 1.um Vide Molina. (In 1.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 17, ad 1.um), Suarez (Opusc. *de scientia futuror. conting.*, lib. 1, cap. 9, num. 5 seqq.)

(2) Vide *Dialect.*, num. 144, pag. 307, *Regula 4.ª*

(3) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 13, argum. 2; *de verit.* quæst. 2, art. 12, arg. 7; 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 5, arg. 4.

(4) 1 p. quæst. 14, art. 13, ad 2.um; 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 5 ad 4.um

(5) *De verit.*, quæst. 2, art. 12, ad 8.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

necessitatem ex suppositione. *Antecedens, est necessarium absolute,* inquit, *tum ex* immobilitate actus (divinæ cognitionis), *tum etiam ex ordine ad scitum,* quia ista res non ponitur subjacere scientiæ divinæ, nisi dum est in actu, *secundum quod determinationem et certitudinem habet;* ipsum enim necesse est esse, dum est. Et ideo similis necessitas est inferenda in consequente, *ut scilicet accipiatur ipsum quod est Socratem currere, secundum quod est in actu, et sic determinationem et necessitatem habet. Unde patet, quod si sumatur Socratem currere secundum hoc,* quod ex antecedente sequitur, necessitatem habet: non enim sequitur ex antecedente nisi secundum quod subsistat divinæ scientiæ, cui subjicitur, prout consideratur præsentialiter in suo esse actuali; unde etiam sic sumendum est consequens: *quo modo patet, quod consequens necessarium est,* necesse enim est Socratem currere, dum currit (1). In hoc loco S. Doctor, dum scribit, antecedens (nempe Deum præscire futurum) esse absolute necessarium, necessitatem illius repetit 2) ex immutabilitate divinæ scientiæ: 3) ex immutabilitate ipsius objecti, quia nempe divina præscientia refert futurum, non prout adhuc contentum in potentia causarum, sed prout jam actu est in se ipso extra causas; dum vero res aliqua, utcumque contingens secundum suam naturam, est in se certo aliquo modo, non potest certe aliter se habere, ideoque dum est ita, determinationem ac necessitatem habet. Atqui totum hoc aliud non est nisi necessitas suppositionis seu conditionata, quemadmodum S. Thomas eam vocat et explicat cum Aristotele in commentariis super librum *Perihermenias* (2), quem locum ipsemet S. Doctor citat respondens ad difficultatem, quam nunc enodamus (3).

Et probatur, quia necessitas præscientiæ futurorum orta ex invariabilitate divinæ cognitionis est manifeste necessitas suppositionis, non absoluta. Nam absolute potuit Deus non

(1) S. Thom. 1.ª dist. 38, quæst. 1, art 5, ad 4.um Cfr. *de Verit.* quæst. 2, loc cit.; et 1 p. quæst. 14, art. 13, ad 2.um

(2) Lib. 1 *Perihermen.*, cap 6 vers. fin.; S. Thomas ibid., lect. 15 initio Cfr. 1 p. quæst. 19, art. 3; *de verit.* quæst. 23, art. 4 ad 1.um

(3) 1 p. quæst. 14, art. 13, ad 2.um fine.

cognoscere peccaturum esse Petrum, siquidem nisi Petrus esset peccaturus, non præscivisset Deus illum peccaturum; et certe potuit absolute Petrus non peccare, nam libere peccavit. Item si Petrus non extitisset, Deus non præscivisset illum peccaturum. Et hæc causa est, cur scientia hujusmodi *libera* dicatur in Deo, licet semel ab æterno habita, invariabilis et prorsus immutabilis sit. Itaque necessitas orta ex immutabilitate scientiæ divinæ non necessario est absoluta, sed potest etiam esse hypothetica, et talis est necessitas futurorum liberorum a Deo præscitorum. Simili modo necessitas præscientiæ futurorum orta ex immutabilitate objecti, sequitur conditionem ac naturam immutabilitatis, quæ est in objecto. Atqui contingens, quod certo aliquo modo fit, non aliam habet immutabilitatem, quam ex suppositione, nempe illam, qua *dum* res certo ac determinato modo fit, *non potest aliter esse.* Ergo similiter necessitas illius antecedentis est tantum ex suppositione.

Confirmatur, quia S. Thomas in nuper laudato loco concludit, similem dari necessitatem in consequente, atque in antecedente. Atqui nemo sane dixerit consequens hoc: *Petrus peccat,* aut *peccabit,* habere necessitatem absolutam, prout eam nos intelligimus et declaravimus, sed solam hypotheticam. Ergo idem dicendum de antecedenti. Audi ipsum Angelicum sic loquentem: *illud quod est, necesse est esse, dum est; absolute tamen loquendo non necesse est esse. Ita et Deo scire necesse est, dum scit, non tamen necesse est, eum scire nisi necessitate immobilitatis, quæ voluntatis libertatem non excludit. Et hæc libertas significatur cum dicitur quod Deus potest non scire vel non velle* (1). *Nam necessitas immobilitatis, seu immutabilitatis,* docente ipso Angelico (2), *est necessitas suppositionis.*

Quamobrem quando in laudatis locis S. Doctor antecedens illud vocavit *absolute* aut etiam *simpliciter* necessarium, non videtur intellexisse aliud, quam talem necessitatem, secundum quam repugnet hic et nunc aliud esse, licet ea repugnantia procedat ex suppositione, quæ non destruit

(1) 1.ª dist. 39, quæst. 1, art. 1, ad 3.um

(2) *De verit.*, quæst. 23, art. 4. ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contingentiam rei: quo modo actus omnes et effectus liberrime positi, supposito quod sunt, nequeunt jam omnino non esse. Et hoc modo scientia divina, quæ absolute potuisset non repræsentare Petrum peccantem, supposito quod peccabit, non potest non repræsentare peccantem (1).

Objic. 3.° Quidquid a Deo scitur, necesse est esse, nam etiam ea, quæ a nobis sciuntur certo, nequeunt non esse. Atqui nullum contingens futurum necessario erit. Ergo nullum contingens futurum cognosci a Deo potest, quin eo ipso desinat esse contingens (2).

Respondeo, *dist.* Major: necesse est esse necessitate consequentiæ vel conditionata, *conc.*; necessitate consequentis vel absoluta, *neg.* Et similiter *distinguo* rationem additam.

Tum *contradist.* Minori, *neg.* conseq. Etenim *actus divinæ cognitionis transit supra contingens, etiamsi futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum*, dum est. *Et quia esse, quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium, ideo dicitur, quod in se consideratum, est contingens; sed relatum ad Dei cognitionem, est necessarium, quia ad ipsum non refertur, nisi secundum quod est in esse actuali. Et ideo simile est, sicut si ego videam Socratem præsentialiter currere, quandoquidem in se est contingens, sed relatum ad visum meum est necessarium. Unde bona est distinctio: est necessarium necessitate consequentiæ et non consequentis, vel necessitate conditionata, et non absoluta* (3).

(1) Cfr. Sylvius (In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Quæritur 4.*), Banez (In 1.am p., quæst. 14, art. 13, in paragr. *Deinde examinetur. Quinta conclusio*), Valentia (In 1.am p., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 3.° *Nihilominus contingentiam rerum, etc.*, ubi varii alii citantur AA.), Molina, (In 1.am p., quæst. 14, art. 13, disp. 17, ad 2.um), Toletus (in 1.am p., quæst. 14, art. 13, quæst. 2, ad 4.um), Suarez (lib. 1 *de Absolut. scient. futuror. conting.* cap. 4, num. 11, 12 seqq.: et nota quæ ibi scribuntur num. 12 circa differentiam enuntiationis in præterito, præsenti et futuro).

(2) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 13, arg. 3; 1.° dist. 38 art. 5, argum. 3.°

(3) S. Thom. 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 5, ad 3.um. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 13 ad 3.um

Objic. 4.° Quod Deus futurum esse præscivit, non potest non evenire. Ergo nihil a Deo præcognitum est contingens. Consequens patet, quia non est contingens id, quod non potest non evenire. Antecedens etiam patet, quia si quod Deus præscivit, non eveniret, falleretur. Ergo si, stante divina præscientia, posset res non evenire, posset quoque falli Deus: quod nefas est cogitare (1).

Respondeo, *dist.* anteced. Non potest non evenire absolute ac simpliciter, *neg.*; conditionate, et quia reapse eveniet, *conc.* Et *neg.* conseq.

Ad probationem antecedentis, *conc.* anteced., *neg.* vel *dist.* conseq.

Si, stante divina præscientia, posset res non evenire in sensu composito talis præscientiæ posset falli, *conc.*; si stante divina præscientia, posset res non evenire in sensu diviso præscientiæ, *neg.* Quamquam Deus falleretur, si non eveniret id, quod semel præscivit, non sequitur tamen Deum *posse* falli ex eo, quod res absolute *possit* non evenire. Quia bene quidem stat cum reali eventu rei alicujus, v. g. actualis hujus meæ scriptionis, absoluta possibilitas, ut res illa non eveniret; repugnat autem Deo circa quemlibet eventum, utcumque contingentem, potentia deceptionis. Si enim res, quæ de facto eveniet, non eveniret, Deus non prævidisset eventum, sed prævidisset non eventum. Etenim, cum Deus ab æterno videat totam dispositionem causarum usque ad actualem productionem effectuum, et effectus non solum intra causas, sed in se ipsis etiam; divinus intuitus infallibiliter defigitur in eo, quod erit vel non erit determinate in se ipso, ita ut si aliud de facto vel aliter fieret, illud similiter apprehenderet. Et sic licet res, quæ contingenter fit, potuerit non esse, ac proinde potuerit non repræsentari a divino intellectu, numquam tamen potest hic decipi, quia non potest cognoscere id, quod non erit, vel non est, aut non cognoscere quod erit, vel est (2).

Objic. 5.° Non potest in nobis dari cognitio certa de contingentibus. Sed divina cognitio est certissima et certior,

(1) Cfr. apud S. Thomam, 1.° dist., quæst. 1, art. 5, argum. 3.°

(2) Vid. Cardin. Tolet., In 1 p., quæst. 14, art. 13, *Quæstio 2.ª*, ad 2.um

quam nostra. Ergo non potest versari circa contingentia, utpote quæ sunt incerta (1).

Respondeo, *dist.* Major.: de contingentibus, quæ saltem non sint hypothetice necessaria, *conc.*; si sint hypothetice necessaria, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *dist.* conseq. Divina scientia multo minus, quam nostra, est de contingentibus, quatenus talia sunt, *conc.*; quatenus sunt necessaria hypothetice, *neg.* Nam Deus futura contingentia *videt in se ipsis*, prout determinate sunt extra causas pro certo tempore. Et quoniam omne id quod est, quando est, necesse est esse, nimirum secundum conditionem; Deus revera videt contingentia, quatenus habent jam hypotheticam necessitatem.

Objic. 6.º Omne æternum necessarium est. Sed omne, quod Deus scivit, ab æterno scivit. Ergo eum scivisse est necessarium absolute (2).

Respondeo., *dist.* Major: vel absolute vel hypothetice, *conc*; absolute, *neg.* Nam omnia decreta Dei res creatas spectantia, æterna quidem sunt, absolute tamen libera.

Disting. etiam Minor. Et omne quod scivit quomodolibet, non potuit absolute non scire, *neg.*; potuit absolute non scire, *conc.*. Nam Deus ab æterno scivit me nunc scribere: non tamen scivisset, si me creare non decrevisset.

Plura apud S. Thomam (3), Molinam (4), card. Toletum (5), et Suarez (6).

Objic. 7.º Non potest certo atque infallibiliter cognosci id, quod non est determinate verum. Atqui futura contingentia non habent determinatam veritatem. Ergo non potest Deus ea cognoscere. Et confirmatur, quia si futura, etiam prout in se ipsis erunt, haberent determinatam veritatem, forent necessaria seu non contingentia, ac proinde jam essemus extra quæstionis statum.

(1) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 12, argum. 6.
(2) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 2, argum. 8.
(3) Locis citatis.
(4) In 4.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 17.
(5) In 1.am part. quæst. 14, art. 13.
(6) Opusc. *de scient. futuror. conting.*, lib. 1, cap. 9.

Respondeo, *conc.* Major., et *neg.* Minor., vel potius *distinguo*. Futura contingentia, prout continentur in suis causis, non habent determinatam veritatem, *conc.*, prout sunt vel erunt in se ipsis, *neg.*

Ad confirmationem, *nego* sequelam. Nam determinata veritas facti vel rei non destruit contingentiam. Aliquid esse determinate verum id tantum significat, ita esse illud hic et nunc, *ut non sit aliter*, non vero ita esse, *ut non posset aliter esse*, quemadmodum ad contingentiam rei requiritur. Hoc pacto nunc determinate verum est, me nunc scribere, cum quo tamen stat, me ita *de facto* scribere, ut *possim* etiam non scribere: et hoc profecto sufficit, ut mea scriptio, licet determinate vera, sit tamen contingens. Verum hæc peculiarem et accuratam sibi vindicat disputationem.

ARTICULUS II

Utrum futura contingentia determinatam habeant veritatem, vel utrum propositiones de futuro contingente sint determinate veræ vel falsæ.

69. Quæstio hæc facile breviterque solvi potuisset, nisi discordiæ doctorum virorum in aliis controversiis plus minus connexis eam implicassent, concitatisque animis obscuriorem reddidissent. Inest enim animi affectibus nescio quæ maligna virtus res ipsas perspicuas, nedum incertas atque ancipites, caligine quadam obumbrandi, ne veritas nativa sua luce innotescat. Ut ergo quæstionem inde a tribus amplius sæculis celeberrimam clarius pertractemus, ante omnia id ipsum, quod disceptatur, accurate declarare oportet.

Status quæstionis.

Et in primis sermo est de futuris non a Deo solum efficiendis, sed de actibus et effectibus causarum creatarum, iisque liberis vel contingentibus; dubium enim non est, quin futura necessaria seu effectus, qui necessario sequuntur ex causis, determinatam habeant veritatem. At de futuris contingentibus seu liberis est ratio dubitandi propter ipsorum contingentiam, quia nempe ita erunt certo aliquo modo, ut possint etiam non esse. Licet enim contingentia non officiat

determinatæ veritati; cum sermo est de factis jam præteritis aut etiam præsentibus, ut patet in his propositionibus: *Adamus peccavit in paradiso: Ego nunc scribo*, siquidem in his ipse eventus, sive præteritus sive præsens, determinat veritatem alterius partis contradictionis; non tamen æque apparet idem dicendum esse de futuris, quandoquidem ex causis ad unum non determinatis seu liberis utrumvis sequi potest, aut actio vel effectus, aut etiam omissio illius.

Præterea quæstio etiam solet restringi ad propositiones *singulares* de futuro contingenti, atque in determinato tempore, qualis est hæc, v. g. *Petrus cras ambulabit, Petrus cras non ambulabit;* conceditur enim determinate veras esse aut falsas propositiones contingens aliquid enuntiantes de subjecto universali et vago, ut sunt hæ: *Omnis homo ambulabit; Nullus homo ambulabit. Homo ambulabit; Homo non ambulabit.* Quia licet effectus futurus et contingens in singulari possit esse et non esse; universaliter tamen verum est, quod causa contingens determinabitur ad operandum, immo necessaria est determinatio ejus in singulari vago, licet sit omnino contingens in quolibet singulari determinato, necessitate quidem morali; quia moraliter loquendo, hoc est more humano, et ut res humanæ solent evenire, necesse est homines ambulare. Et ideo determinate vera est hæc: *Homo ambulabit*, et *Aliquis homo ambulabit;* et determinate falsa: *Omnis homo ambulabit, Nullus homo ambulabit* (1).

De hujusmodi ergo propositionibus singularibus de futuro contingente, quæritur, non utrum habent aliquam veritatem vel falsitatem vage et in confuso; sed determinate, ita ut una ex duabus contradictoriis v. g. *Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit*, designate vera sit. Quod ut melius intelligatur, nota propositionem hanc: *Petrus cras aut peccabit, aut non peccabit*, in duplici sensu habere posse veritatem; primo vage atque indeterminate, ita ut neutra pars illius seorsim et absolute verificetur, sed tantum aut una aut altera, simili modo ac in ista alia propositione: *Necesse est Petrum cras*

(1) Anton. Rubius, *Logica Mexicana*, In lib. 1.um de *Interpret.*, cap. 6, quæst. unic., num. 3. Et vide P. Didacum Ruiz de Montoya, *De scient. Dei*, disp. 23, sect. 1, num. 2 et 3.

peccare vel non peccare. Nam quia impossibile est nec peccare nec non peccare, necesse est, quod Petrus cras aut peccet aut non peccet; et nihilominus nec est necesse determinate, quod peccet, nec est necesse determinate, quod non peccet, sed tantum vage et in confuso necesse est, ut alterutrum verificetur, quod neque in tali modo loquendi determinatur, nec in re ipsa determinatum est. Secundo modo intelligi potest illa propositio, ita ut verificetur determinate in aliquo membro, unde una pars contradictionis seorsim ab alia veritatem habeat; sicut accidit in hac propositione de præsenti: *Petrus nunc vel scribit vel non scribit*, vel in hac de præterito: *Petrus heri ambulavit vel non ambulavit*. Certum quippe est unam partem contradictionis per exclusionem alterius determinate veram esse. Quamvis enim modus enuntiandi disjunctivus non designet, quænam pars disjunctionis vera sit, tamen a parte rei alterutrum determinate verificatur, vel quod Petrus nunc peccet, vel quod Petrus nunc non peccet. Hæc magis clarescent per analogiam ad suppositionem terminorum disjunctivam et vagam seu confusam, quæ in *Dialectica* explicata est (1).

Controversia ergo præsens versatur circa veritatem aut falsitatem determinatam, quam habeat vel non habeat altera ex propositionibus contradictoriis de futuro contingenti. Nempe quæritur, utrum hæc propositio: *Petrus cras peccabit*, jam nunc, aut potius ab æterno, veritatem habeat determinate vel falsitatem, seu utrum ab æterno determinate verum sit aut falsum, quod cras Petrus peccabit.

Sententiæ prima.

Tres solent potissimum referri sententiæ: primæ quorumdam Parisiensium, qui, ut refert Stephanus Bruleifer (2), arbitrabantur propositiones hujusmodi *actu* nec determinate veras esse nec determinate falsas, sed solum *potentia*, quia cum nondum *sint* actu futura illa in rerum natura, nequeunt veritatem habere, fieri tamen possunt veræ vel falsæ, prout contingat vel non contingat id, quod illæ enuntiant.

(1) Vide *Dialectic. seu Logic. Minor.*, num. 58, pag. 192, 193.

(2) In S. Bonaventuram, 1.ª dist. 38, art. 2, quæst. 1 ad 2.um et 3.um Vide apud P. Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 23, sect. 1, num. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

altera. Altera est sententia negans propositiones de futuro contingente esse determinate veras aut determinate falsas, quia ex duabus contradictoriis de futuro contingente quænam præcise sit conformis objecto, et quænam difformis, designari nequit: quapropter tales propositiones solum indeterminate veritatem habere possunt vel falsitatem. Pro hac citari solent Ægidius (1), Ambrosius Catharinus (2), Lovanienses (3), Aureolus (4) aliique (5). Et eadem a nonnullis attribuitur quibusdam scriptoribus nostris (6). Ad hanc secundum sententiam revocatur a quibusdam sententia plurium Thomistarum (7), secundum quam propositiones de futuro contingente *secundum se et ante decretum divinum* prædeterminandi creaturam liberam, non habere dicuntur determinatam veritatem aut falsitatem.

tertia. Tertia denique sententia, quæ nostris scriptoribus communis esse dicitur, tenet futura contingentia, quæ a nobis per propositiones de futuro significantur, antequam in tempore fiant, atque adeo ab æterno, habere determinatam veritatem (8).

(1) 1.ª dist. 38, quæst. 1.

(2) Opusc. *de veritat. enuntiation.*

(3) In lib. 1 de *Interpret.*, cap. 9.

(4) Apud Capreolum, 1.ª dist. 38, quæst. 1, arg. 3 contra 7.am conclusion.

(5) Apud P. Rubium, loc. cit.; et Didacum Ruiz de Montoya, loc. cit., num. 5.

(6) Nempe cardin. Toleto (In lib. 1.ª *de Interpretat.*, cap. 6), Petro Fonseca (lib. 5 *Metaphysic.*, cap. 7, in Comentario textus Aristotelici: et lib. 3 *Institutionum Dialectic.* cap. 6), P. Ludovico Molina (In 1.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 17, *Verumtamen contingentia futura*; et disp. 18, membro 1, *In primis doctrina hæc*; et in *Concordia*, quæst. 14, art. 13, disp. 52 et 53 sub iisdem paragraphis), itemque cardin. Bellarmino (de *Grat. et libero arbit.*, lib. 4, cap. 15 fin.).

(7) Vide Alvarez (*de Auxiliis*, disp. 7, num. 17, disp. 13, conclus. 2, prob. 3), Joannem a S. Thoma (*de Deo*, disp. 18, art. 2), Goudin (*Philosophia juxta inconcussa tutissimaque D. Tomæ dogmata*, *log.* part. 2, quæst. unic. art. 2), Gotti, Gonet, etc.

(8) Vide Suarez (Opusc. *de scient. futuror. contingent.* lib. 1, cap. 2; *de Gratia*, Prolog. 2), Conimbricenses (*Dialect.* in lib. *de Interpretat.* cap. 6, quæst. unic.), Rubium (loc. cit.), Didacum Ruiz de Montoya (*De scientia Dei*, disp. 23), Gabriel Vazquez (In 1.am p., disp. 65, cap. 4, et disp. 66), Georgium

In hujus patrocinium doctrinæ laudantur plures antiqui Doctores cum S. Thoma, Alberto Magno (1) S. Bonaventura (2), Halensi (3), Capreolo (4), Richardo (5), Majore (6), Gabriele (7), Ockamo (8), Scoto (9), Marsilio (10), Gregorio Ariminensi (11) aliisque (12). Et pro eadem adduci possunt Dominicus Sotus (13), Cajetanus ac Ferrariensis mox citandi: itemque Scotistæ (14). Et quod magis interest, Patres illi, qui, ut superius vidimus scripserunt non ideo res esse futuras, quia Deus præscivit, sed ideo Deum præscivisse, quia futuræ sunt, hanc tertiam sententiam tenuisse dicendi

Rhodes (*Philosoph. perip.* lib. 1, disp. 3, quæst. 2, sect. 3), Nicol. Martinez (*Deus sciens*, contr. 3), Joann. Baptist. de Benedictis *Philosoph. perip.*, tom. 1, lib. 1, quæst. 4, cap. 1), Petrum Hurtado. (*De anim.* disp. 9°. Soarez Lusitan. (*De anim.* tract. 5, disp. 1, sect. 6, paragr. 2), Arriag. (*Logic.* disp. 14, sect. 5°, Thomam Carleton Compton (*Philosoph. Univers., Logic.* disp. 46), Alarcon (In 1.am p., tract. 2, disp. 4, cap. 2), Martinon (*De Deo* disp. 9, num. 19). Andream Semeri (*Triennium philosoph.*, tom. 1, disp. 5, quæst. 2), Tellez (disp. 13, sect. 3, num. 2), Oviedo (*de anim.* contr. 7, punc. 5), Quiroz (tract. 6, disp. 69, sect. 2), Losada (*Curs. philos.* tom. 1. *Logic.* tract. 3, disp. 2, cap. 3, num. 10 seqq.), Anton. Mayr (*Philos. perip.* tom. 1, p. 1, disp. 5, quæst. 2, art. 3 seqq.) Atque hæc est etiam sententia Francisci Silvii (In 1.am part., quæst. 14, art. 13).

(1) 1 p., quæst. 25, memb. 2, art. 2, partic. 1, ad 4.um et seqq., partic. 3 ad 3.um

(2) 1.° dist. 38, art. 2, quæst. 1 ad 1.um

(3) 1 p., quæst. 15, membr. 7.

(4) 1.ª dist. 38, quæst. 1, in respons. ad argumenta Aureoli, contr. 7.am conclus.

(5) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 3.

(6) Ibid. quæst. 1.

(7) Ibid. quæst. 1, art. 1.

(8) Ibid. quæst. 1.

(9) 1.ª dist. 38, quæst. 1 paragr. *Vico de contingentia* et ad argumenta principalia.

(10) In 1.ª quæst. 30 ad 3.um principale.

(11) 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 2.

(12) Vide apud Vazquez, Suarez, Conimbric., Rub., et Ruiz de Montoya (ibid sect. 2).

(13) In cap. 1, epist. ad *Roman.* 3 p., circa fin.

(14) Vide v. g. Mastrium (*Logic.* disp. 10, num. 33), Pontium *Logic.* disp. 19, quæst. 3, num. 35), Dupasquier (*Logic.* disp. 10, quæst. 6).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt, quemadmodum observant Ruiz, Vazquez et Conimbricenses (1).

Confusio quædam et varietas in responsis hinc inde allatis.

Illud tamen mirum accidit inter propugnatores harum sententiarum, ut alii secundam (2), alii tertiam dicant communem (3): immo vero tertiam quidam commendant utpote cum Fidei doctrina arcte connexam, ac proinde necessario tenendam (4) alii vero eamdem detestantur ut novam et inimicam dialecticis fundamentis Aristotelis, eoque fine inventam, ut via sic sterneretur ad deserendum S. Thomam in Theologia (5). Id autem argumento esse videtur, auctores tam varie judicantes aut non omnino alienum a præjudiciis animum habuisse, aut certe non eodem modo statum quæstionis definivisse; id quod cæteroquin ex ipsa plurium scriptorum lectione facile quivis perspicere potest. Quamobrem fortasse nonnulli, qui pro secunda sententia laudari solent, non negant futurorum contingentiam determinatam veritatem aut falsitatem in eo sensu, in quo revera a nostris hominibus communissime propugnatur, sed in alio diverso. Itaque ut ambiguitates omnes, quantum fieri potest, vitemus

Præterea est notandum, illas esse duas distinctas quæstiones: *Utrum futura contingentia determinatam veritatem aut falsitatem habeant*: et *Undenam eam* formaliter *habeant*, an ex efficaci decreto Dei, quemadmodum existimant communiter RR. PP. Prædicatores (6), an vero ex se ipsis. Nostri enim communissime distinguunt futurum *formaliter*, prout est in se et extra causas, et *causaliter*, prout in causis suis continetur. Et consequenter quoniam id, unde aliquid denominatur futurum, dicitur futuritio, duplicem agnoscunt

Duplex futuritio distinguenda.

(1) Vide Ruiz, loc. cit., sect. 2, num. 5.

(2) Ita v. g. Molina, locis citatis.

(3) Vide v. g. Ruiz, loc. cit., sect. 2, num. 1; Vazquez, Compton, Mastrius, Pontius et Dupasquier.

(4) Vide Suarez et Vazquez et Ruiz.

(5) Vide v. g. Goudin (*Philos. juxta inconcus. etc. Logic.*, part. 2, quæst. unic., art. 2 initio). Complutens. Carmelit. (*Dialect.*, 2 para. *Logic.*, lib. 2 *Perihermen.*, Notationes in duos libros *Perihermen.*, num 6-7, seqq.), P. Vincentium Baronium e Sacro O. P. (*Apologia*, lib. 2, sect. 2, art. 3, paragr. 1).

(6) Vide v. g. Joannem a S. Thoma (*De Deo*, disp. 18. art. 2, Goudin (loc. cit) et alios passim.

futuritionem, alteram *causalem*, alteram *formalem*: futuritio causalis exprimit dispositionem ac præparationem causarum connexam cum effectu futuro; formalis vero designat existentiam ipsius effectus in se, non quidem nunc, quando propositio enuntiatur, sed in tempore per propositionem enuntiato. Futuritio causalis significatur per formam participii futuri activi sumptam, v. g. *Petrus peccaturus est;* formalis vero per tempus futurum indicativi, v. g. *Petrus peccabit*. Licet enim hæc duo sæpe pro eodem sumantur, nihilominus distingui recte possunt ex doctrina Aristotelis et S. Thomæ, ut videbimus; aliud quippe est causas *dispositas et inclinatas esse ad agendum*, et aliud quod actio earum detur *formaliter*. Id quod vel in ipsis causis necessariis patet, effectus enim illarum habent naturaliter futuritionem causalem, quia determinatæ sunt ad agendum, ideoque, suppositis præsuppositis prærequisitis, possumus de ipsis vere affirmare, quod *acturæ* sunt, v. g. *ignis combusturus est*; et potest nihilominus per miraculum, non esse actio ipsa et effectus formalis. Et propterea Philosophus ad exprimendam hanc duplicem futuritionem scripsit: *Futurus quis incidere, non incedet* (1).

causalis et formalis.

Ita ergo Scriptores e Prædicatorum Ordine docent futurum contingens determinate verum esse vel falsum ex decreto divino efficaci, ac proinde determinationem futuri accipere a voluntate ac dispositione libera Dei decernentis amovere nativam causarum creatarum indifferentiam ad agendum, quod decretum exsecutioni mandatur in tempore prædeterminando physice creaturam ad talem actum vel effectum (2). At nostri Doctores in primis negant futuritionem *formalem* constitui per decretum divinum; quod vero attinet ad *causalem* futuritionem, conveniunt quidem cum Thomistis in admittendo decreto divino concurrendi ad actionem creaturæ liberæ, sine quo decreto non potest esse plene constitutus actus primus proximus causæ creatæ ad agendum, sed dissident circa naturam hujusmodi decreti futuritionem complentis, siquidem arbitrantur admitti non

(1) Lib. 2 *de Generation. et corrupt.*, text Commen. 64. Cfr. ibid. S. Thom. lect. 11, paragr. 6.

(2) Vide Joann. a S. Thom. (loc. cit. art. 1, *Si autem roges*; et art. 2), Goudin (loc. cit.), Gonet *de scientia Dei*, disp. 4, art. 1).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

posse decretum absolutum et natura sua efficax infallibiliter seu prædeterminativum, utpote contrarium libertati creatæ.

Hinc vides controversiam hanc permisceri etiam posse, si in tota hac amplitudine tractetur, cum quæstione de medio, in quo Deus futura libera videat. Si enim decretum divinum absolutum et efficax de futuri existentia detur constituatque futuritionem formaliter, sequitur Deum in hujusmodi decreto ab æterno videre posse futura contingentia certissime atque infallibiliter, quia supposito tali decreto non potest non adesse in tempore prædeterminatio physica, quæ est veluti instrumentum exsecutivum æternæ voluntatis divinæ, physica vero prædeterminatio infallibilitate metaphysica infert actionem voluntatis creatæ. Si autem futuritio constitui nequit per tale decretum, aliud medium quærendum est, in quo Deus futura contingentia certissime cognoscat. Nos, relicta in alium articulum quæstione de medio cognitionis, propositam controversiam hisce assertionibus declaremus.

70. PROPOSITIO 1.ª **Semotis quæstionibus de principio, unde futuritio constituitur, dubitari nequit, quominus futuris contingentibus, quæ a nobis per propositiones de futuro significantur, sua insit ab æterno determinata veritas aut falsitas.**

Semota quæstione de principio, unde futuritio constituitur, negari nequit, propositionibus de futuro contingenti inesse ab æterno determinatam veritatem.

Probatur 1.º Quod non est verum, sciri nequit. Atqui Deus ab æterno scit determinate omnia futura contingentia, omnia nempe quæ nos significamus per propositiones de futuro. Ergo necesse est, illa veritatem determinate habeant (1). Hanc probationem innuit S. Anselmus illis verbis: *Non enim, nisi quod futurum est, præscitur, quia præscientia non est nisi veritatis* (2). Et paulo inferius: *Pariter autem verum est, quia fuit, et est, et erit aliquid non ex necessitate: et quia necesse est, fuisse omne quod fuit, et esse omne quod est, et futurum esse quod erit*, nimirum necessitate consequenti, ut ipsemet S. Doctor declarat (3).

(1) Vide Suarez, Opusc. *de scient. futuror.* lib. 1, cap. 2, num. 7; Ruiz, loc. cit. sect. 3, num. 2.

(2) In lib. *de Concord. præscient. cum libertate*, cap. 1.

(3) Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 1.

Prob. 2.º Idipsum patet ex eo quod Deus multa revelavit determinate futura, ut constat et sacris Litteris. Atqui quæ Deus revelavit, eo ipso modo verissima sunt. Ergo...

Confirmatur 1.º Etenim si Deus solum sub disjunctione et confuse cognovisset ab æterno futurum aliquid, nempe si solum cognovisset sub disjunctione, quod Petrus in atrio Pontificis Christum Dominum aut negabit, aut non negabit; mentitus fuisset revelando designate; *antequam gallus cantet, ter me negabis*.

Confirmatur 2.º Quia nemo est adeo stolidus, qui nesciat evidenter, ac proinde non possit prædicere omnia futura libera vage et indeterminate. Quis enim rationis compos ignoret Petrum cras tali hora aut peccaturum esse aut non esse peccaturum? Scientia ergo divina et revelationes, necesse est, ut attingant futura tamquam determinate vera, vel tamquam determinate falsa.

Ad rem Boetius: *At si ita uti sunt, ita ea futura esse discernit* (Deus), *ut æque vel fieri ea vel non fieri posse cognoscat, quæ est hæc præscientia, quæ nihil certum, nihil stabile comprehendit aut quid hoc refert vaticinio illo ridiculo Tiresiæ:* Quidquid dicam, aut erit aut non erit? (1). Nempe, quemadmodum explicat interpres Boetii post relatam fabellam Tiresiæ, qui accipisse dicitur a Jove præclarum illud donum vaticinandi, ut quidquid diceret, id vel verum esset vel falsum: *Si... Deus non aliter præsciret futura indeterminata, nisi quia erunt vel non erunt, non differret sua præscientia a præscientia Tiresiæ: quod est ridiculum* (2). Itaque negari nequit in aliquo sensu determinata veritas futurorum contingentium, nisi velimus Deo eripere præscientiam illorum. Alias rationes hujus rei a priori mox exponemus (3).

(1) Vide Severin. Botium, *De Consolat. Philosoph.* lib. 5, pros. 3.ª

(2) Loc. cit. Boetii. Commentar. paragr. *Quidnam igitur...*

(3) Ipsi etiam, qui nobis in hac celebri quæstione adversarios se ostendunt, fatentur futuris contingentibus determinatam inesse veritatem, supposita voluntate Dei, decernentis quid fieri velit in decursu temporum. Vide Goudin, loc. cit. art. 2, *Nota* 2.ª

71. PROPOSITIO 2.ª **Futura contingentia in duplici sensu dici et in duplici statu considerari possunt: prout continentur in causis suis, et prout formaliter erunt in se ipsis posita determinatione causarum suarum. Unde pro duplici hoc statu et consideratione, recte duplex distinguitur futuritio, altera causalis, altera formalis.**

Futura contingentia in duplici statu considerari possunt, prout continentur in suis causis, et prout sunt in se ipsis. Sententia S. Thomæ circa duplicem futuritionem

Prima pars est in terminis doctrina S. Thomæ: *Aliquid potest dici esse futurum*, inquit, *non solum ex hoc* quod ita erit, *sed quia ita est* ordinatum in causis suis, *ut sic sit futurum. Sic enim medicus dicit:* Iste sanabitur, *et* Iste morietur. *Et si aliter contingat, non falsum dixit, sic enim tunc futurum erat ex ordine causarum, quod tamen possibile est impediri. Et tunc quod prius futurum erat, consequenter non erit futurum. Unde Philosophus dicit in 2.º de Generatione* (text. comm. 64), quod futurus quis incedere, non incedet (1).

Et alibi: *Futurum dupliciter potest considerari: uno modo secundum quod est futurum: et sic nihil aliud est cognoscere futurum contingens, quam cognoscere causas ejus secundum ordinem, quem habent ad ipsum. Et quia causæ contingentium non habent immutabilem ordinem ad suum effectum, ideo secundum hunc modum contingens futurum immutabiliter sciri non potest. Alio modo potest considerari contingens futurum ratione illius temporis, in quo futurum esse prædicitur, in quo quidem tempore futurum jam præsentialiter est, et per consequens determinatum ad unum; et sic certitudinaliter potest contingens cognosci, utpote per se ipsum jam visum* (non per causam), *sicut sensus percipit Socratem sedere* (2). Item: *Divina præsentia respicit futura secundum duo: scilicet secundum quod sunt in se ipsis, in quantum ipsa præsentialiter intuetur; et secundum quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad unum, tamen prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possunt aliter evenire* (1).

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 12, art. 10 ad 7.um. Cfr. ibid. in corp. et ad 9.um; et 3.ª *Contr. Gent.*, cap. 154. *Non autem per hoc....*

(2) *Ad Hannibaldum* lib. 1.º, dist. 38, quæst. 3, art. 1, corp., ubi vide quæ sequuntur.

Denique doctrina Aquinatis est, Deum unico simplicissimo intuitu comprehendere contingentia futura tum in causis suis, tum in se ipsis, seu tum causas secundum ordinem, quem habent ad effectus futuros, tum effectus determinatos, qui erunt, quia Deo præsentes sunt ab æterno singulæ causæ cum suis dispositionibus et inclinationibus et vario ordine ad effectus pro singulis instantibus (2). Et quia ordo causarum contingentium et liberarum ante actualem determinationem mutabilis est et impedibilis, cum vero actu causa operatur, jam determinatur ad unum; hinc concludit S. Doctor rationem declarandi, cur in quibusdam prophetiis comminatoriis eventus locum non habuerit: *Quamvis ista duplex cognitio* (futurum in ordine ac determinatione causarum et in se ipsis) *semper intellectui divino conjungatur; non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica; quia impressio agentis non semper adæquat ejus virtutem... Unde quandoque revelatio prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout respicit futura contingentia in se ipsis; et talia sic eveniunt, sicut prophetantur, sicut illud Isaiæ:* Ecce virgo concipiet (3). *Quandoque vero prophetica revelatio est impressa similitudo divinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum ad effectus: et tunc quandoque aliter evenit, quam prophetatur. Nec tamen prophetia subest falsum: nam sensus prophetiæ est, quod inferiorum causarum dispositio, sive naturalium sive humanorum actuum, hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et secundum hoc intelligitur verbum Isaiæ:* Morieris, et non vives (4); *id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur: et quod dicitur Jonæ cap. 3:* (5). Adhuc quadraginta dies et Ninive

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 171, art. 6, ad 2.um Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 13; quæst. 57, art. 3, 1.º *Contr. Gent.*, cap. 67, arg. 1.º et 2.º; *de verit.* quæst. 2, art. 12, ad 9.um; et loc. inferius citandis.

(2) Vide S. Thom. *Ad Hannibald.* lib. 1.º, dist. 38, quæst. 2, art. 1; *de verit.* quæst. 12, art. 10; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5; 22, quæst. 171, art. 6, ad 2.um

(3) Cap. 7, vers. 14.

(4) Cap. 38, vers. 1.

(5) Vers. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

subvertetur; *id est, hoc merita ejus exigunt, ut subvertatur* (1). In quibus vides aperte contineri duplex futurum duplicemque futuritionem.

Et eadem est sententia Capreoli (2), Cajetani (3), Ferrariensis (4), Suarez (5), Fonseca (6), Ruiz de Montoya (7), Valentia (8) et Francisci Albertini (9), et communissima inter nostros negantes futura contingentia cognosci certo posse in suis causis; hoc enim est fundamentum eorum, quod futura contingentia nondum habeant *esse* certum ac determinatum in suis causis; nam si haberent illud, possent certo et infallibiliter cognosci, sicut cognoscuntur futura necessaria (10).

Ratio vero primæ partis propositionis patet per se. Nam in omni effectu considerari potest duplex *esse*, aliud proprium ac formale, in quo subsistit, aliud virtuale, quod habet in sua causa, indistinctum ab eadem. Ergo futurum etiam potest considerari vel secundum quod certo ac determinato tempore erit in se, vel secundum quod adsunt causæ inclinatæ ac dispositæ ad illud ponendum in *esse*.

Declararique potest exemplo possibilis, quod, prout referatur ad causam, a qua produci potest, vel prout cogitetur in se secundum notas intrinsecas suas, duplex distinguitur, extrinsece et intrinsece possibile.

---

(1) S. Thom., 2.ª 2.æ quæst. 171, art. 6, ad 2.um Cfr. *de verit.*, quæst. 12, art. 10 corp.

(2) 1.ª dist. 38, quæst. 1, in repons. ad argum. Aureoli contr. 7.am conclus.

(3) In 1.am part., quæst. 14, art. 13; in 1.am 2.æ, quæst. 40, art. 3 post medium.

(4) In lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 67.

(5) Opusc. *De scient. futuror.* lib. 1, cap. 3.

(6) *Metaphys.* lib. 6, cap. 2, quæst. 4, sect. 9 med., et sect. 10 fin.

(7) *De scientia Dei*, disp. 27 et 71.

(8) In 1.am p., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 2.

(9) *Corollaria seu Quæstiones Theologicæ præcipuæ*, in 1.am part. et 1.æ S. Thomæ, Quæst. princip. Philosoph. dub. 1, num. 7 et 8 et seqq.

(10) Vide P. Nicolaum Martinez (*Deus sciens*, controv. 3, disp. 1), De Benedictis et Mayr (loc. citatis); itemque P. Joann. a S. Thoma (*De Deo*, disp. 8, art. 1).

Duplex distinguendo futuritio.

Secunda pars est contra plures Thomistas e S. Ordine Prædicatorum, qui volunt futurum constitui formaliter tale per decretum divinum, ideoque futuritionem a tali decreto desumi tamquam a forma.

Probatur autem 1.° Nam sicut *præteritio* est forma denominans præteritum, et *præsentia* forma denominas præsens, ita futuritio est forma denominans futurum. Si ergo futurum dupliciter dici potest, necesse est ut duplex distinguatur futuritio respondens duplici sensui, in quo dici aliquid futurum potest. Et sic futuritio causalis est ordo vel dispositio et inclinatio ac determinatio causarum ad ponendum aliquem effectum, qui nondum est; formalis vero consistit in existentia rei post tempus præsens, seu non existentia nunc et existentia postea, tempore nempe importato per copulam. Et quoniam existentia effectus in causa est extrinseca effectui, intrinseca vero existentia in se, secundum quod est extra causam; futuritio causalis importat quidem de præsenti existentiam futuri effectus, sed solam extrinsecam, supposito quod actu detur causa parata et determinata ad producendum postea illum effectum; at futuritio formalis importat existentiam intrinsecam futuri, non tamen nunc in præsenti, sed pro alio instanti posteriori. Unde futurum formaliter sumptum secundum denominationem derivatam a futuritione formali duplex implicat instans, aliud præsens, et aliud posterius, et insuper dicit non *esse* in primo et *esse* in posteriori; sicut præteritum dicit non esse in præsenti et esse in anteriori tempore. Et sic utrumque et *futuritio* et *præteritio* duo contradictoria complectitur pro diversis temporibus et essentialiter importat successionem unius ad alterum.

Probatur 2.° Nam futuritio causalis est causa futuritionis formalis. Ergo ab ea distinguitur, ideoque duplex agnoscenda est futuritio.

Prob. *anteced.* Nam præsens dispositio ac determinatio causæ est, quæ inducit in posteriori instanti vel tempore existentiam effectus a se distinctam, ut patet. Atqui dispositio ac determinatio causæ constituit futuritionem causalem, et existentia effectus pro alio tempore posteriori constituit formalem futuritionem. Ergo...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 3.° Simili modo ratiocinandum est de futuritione, per quam denominatur aliquid futurum, ac de possibilitate unde res dicitur possibilis. Atqui duplex ex communi sensu Philosophorum distinguitur possibilitas pro diversa consideratione possibilis sive in ordine ad causas efficiendi virtute præditas, sive in ordine ad intrinsecas notas, quibus constituta cogitatur. Ergo duplex etiam admittenda est futuritio.

Prob. 4.° In tantum denominatio futuri ac futuritio omnis a divino decreto repeteretur, in quantum nihil esse posset futurum sine tali decreto, sine quo effectus quivis contingens omnino dicendus sit indeterminatus atque impedibilis, prout loqui solent adversarii. Atqui hæc ratio nulla est. Aliud enim est effectum non posse esse in alio tempore nisi ex virtute certarum causarum, et aliud est ipsum *esse* formale illius effectus in tali tempore acceptum per efficientiam earum. Itaque etiamsi nihil futurum sit sine decreto aliquo divinæ voluntatis, vel prædefiniente vel permittente, indifferente vel etiam si vis prædeterminante, ut id tibi nunc dem; ex hoc nondum habes aliud præter solam futuritionem causalem vel futurum in causis suis jam determinatum, non vero futurum formale in se ipso, seu existentiam in se et eventum rei pro tali tempore.

Confirmatur denique ex S. Thoma, qui sæpe in locis aliatis diversimode declarat futurum secundum duplicem considerationem, nempe *vel quia ita erit in se ipso*, vel quia *est ordinatum in causis suis, ut sic sit futurum:* ubi aperte distinguitur, et invicem separatur duplex futuritio causalis et formalis.

72. PROPOSITIO 3.ª **Futura libera vel contingentia, prout adhuc continentur in suis causis, non habent determinatam veritatem: prout autem jam erunt in se ipsis certo aliquo tempore extra causas, determinatam veritatem habent.**

Futura libera, prout continentur in suis causis,

Utraque pars propositionis docetur a S. Thoma in pluribus locis, quorum nonnulla jam supra dedimus (1). Alia nunc addemus.

(1) Ex lib. 1.° *Ad Hannibald.* dist. 38, quæst. 2, art. 1; 2.ª 2.æ, quæst. 171, art. 6, ad 2.um

non habent determinatam veritatem, habent autem, prout sunt, aut erunt in se ipsis.

Quamvis contingentia, inquit S. Doctor, **veritatem determinatam non habeant antequam sint**, *tamen quando* **jam sunt, determinatam habent veritatem;** *et sic intuitus divinus in ea fertur* (1). Et alibi: *Licet contingens non sit determinatum, quamdiu futurum est* (2); *tamen ex quo productum est in rerum natura, veritatem determinatam habet: et hoc modo super illud fertur intuitus divinæ cognitionis* (3). Item: *Sciendum est, quod antequam res sit, non habet esse nisi in causis suis. Sed quædam causæ sunt, ex quibus necessario sequitur effectus, quæ impediri non possunt: et in istis causis habet causatum esse certum et determinatum... Sed quædam causæ sunt, quæ se habent ad utrumque, et in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem vel determinationem: et ideo contingentia ad utrumlibet in suis causis nullo modo cognosci possunt. Sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in se ipsis esse determinatum: et ideo quando sunt in actu, certitudinaliter cognoscuntur* (4).

Alibi sic scribit S. Doctor: *Futurum contingens non est determinate verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam... Sed dum est in actu, determinate verum est* (5). Et alio in loco: *Ex quo manifestum fit, quod de contingentibus certam cognitionem habet* (Deus), **quia etiam antequam fiant, intuetur ea, prout sunt actu in suo esse, et non solum prout**

(1) *Ad Hannibald.* lib. 1, dist. 38, quæst. 2, art. 1, ad 1.um

(2) Intellige bene, quid sit, ex mente Angelici Doctoris, futurum consideratum et futurum: est nempe effectus prout adhuc contentus in causis dispositis ac determinatis ad illum producendum. Sicut effectus jam extra causas egressus pro tempore posteriori est futurum consideratum ut præsens. Quia effectus, quamdiu intra causas contentus, *nondum actu est*, sed erit: dum effectus, prout procedens extra causas pro eo instanti *non erit, sed jam actu est præsens.* Vide S. Thomam, *Ad Hannibald.*, loc. supra relato. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 13; *de verit.*, quæst. 12, art. 10 in corp.; quæst. 2, art. 12 corp.; *de malo*, quæst. 16, art. 7; et *Compend. Theol.* cap. 133, ubi perspicue res exponitur versus fin. Vide Cajetan. in 2.am part., quæst. 14, art. 13.

(3) *De verit.*, quæst. 2, art. 12 ad 1.um. Cfr. ibid. ad 9.um et 10.um et in corp.

(4) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5 corp.

(5) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5, ad 2.um

sunt futura, et virtute in suis causis. *sicut nos aliqua futura cognoscere possumus. Contingentia autem, licet prout sunt in suis causis virtute futura existentia, non sint determinata ad unum, ut de eis certa cognitio haberi possit, tamen prout sunt actu in suo esse, jam sunt determinata ad unum; et potest de eis certa haberi cognitio. Nam Socratem sedere, dum sedet, per certitudinem visionis cognoscere possumus* (1).

Quibus similia sunt illa: *Dupliciter possunt futura cognosci: uno modo* in se ipsis, *alio modo* in suis causis. *In se ipsis quidem a nullo cognosci possunt nisi a Deo; cujus ratio est, quia futura, prout futura sunt, nondum habent esse in se ipsis; esse autem et verum convertuntur. Unde cum omnis cognitio sit alicujus veri, impossibile est, quod aliqua cognitio respiciens futura in ratione futuri, cognoscat ea in se ipsis. In causis autem suis aliqua sunt futura tripliciter: uno modo secundum potentiam tantum, quia scilicet æqualiter possunt esse vel non esse: quæ dicuntur contingentia ad utrumlibet. Quædam vero sunt in causis suis, non solum secundum potentiam, sed secundum rationem causæ activæ, quæ non potest impediri a suo effectu; et hæc dicuntur ex necessitate contingere. Quædam vero sunt in causis suis et secundum potentiam et secundum causam activam, quæ potest tamen impediri a suo effectu; et ista dicuntur fieri ut in pluribus. Quia vero unumquod cognoscitur secundum quod est in actu, non autem secundum quod est in potentia, ut dicitur in 9.º Metaphysicor.* (text. commen. 20); *inde est, quod ea quæ sunt ad utrumlibet,* non possunt præcognosci in suis causis determinate, sed sub disjunctione, utpote quia erunt, vel non erunt: *sic enim habent veritatem. Ea vero quæ sunt in causis suis, ut ex necessitate ab eis provenientia, possunt per certitudinem cognosci in causis suis ab homine, et multo certius a dæmone vel angelo, quibus magis est nota virtus causarum naturalium, quam hominibus. Ea vero quæ contingunt ut in pluribus, possunt cognosci in causis suis non per omnimodam certitudinem, sed per conjecturalem quamdam cognitionem; certius tamen ab angelis bonis vel malis, quam ab hominibus.* Considerandum tamen, quod cognoscere futurum in causa sua,

(1) *Compend. Theolog.* cap. 133. Cfr. 1 p., quæst. 14, art. 13; *de verit.*, quæst. 2, art. 12 corp.; quæst. 12, art. 10 corp.

nihil est aliud, quam cognoscere præsentem inclinationem causæ ad effectum: *unde hoc non proprie est cognoscere futurum, sed præsens; unde cognitio futurorum propria est Dei* (1).

Hanc doctrinam de triplici genere causarum, nempe necessario inferentium aliquem effectum determinatum, et magis ad unum inclinatarum, licet non penitus determinatarum, ac denique indifferenter ad utrumlibet se habentium, non uno in loco tradit S. Thomas, et semper idem exinde concludit, in causis primi generis effectus determinate contineri, ac proinde ab omnibus certo cognosci posse; in causis vero secundi generis effectus ut in pluribus accidere secundum illarum inclinationem, ideoque conjectura quidem probabili cognosci posse etiam ab hominibus, non tamen certo, quia non sunt omnino determinati in causis; denique in causis tertii generis non habere effectus *esse* determinatum, sed utrumlibet contingere posse propter indifferentiam causarum et sic hujusmodi causas respiciendo impossibile esse actum vel effectum earum videre potius, quam actus carentiam pro certo aliquo futuro tempore (2).

Nec vero putes, ex Angelici doctrina contingentia futura, prout in causis continentur, solum intellectui creato esse impervia, nam contrarium diserte tradidit S. Doctor. *Sicut scientia non potest esse de futuris contingentibus, ita nec* scientia Dei, et adhuc multo minus, si ea ut futura cognoscat. *Cognoscit autem ea, ut præsentia sibi, aliis autem futura* (3).

Probatur prima pars.

Probatur jam prima pars: *Futura libera vel contingentia, prout adhuc continentur in suis causis, non habent determinatam veritatem.* Etenim verum et ens convertuntur. Ergo ea quæ certum ac determinatum esse non habent, nequeunt determinatam veritatem habere. Atqui effectus contingens in causa sua proxima etiam proxime disposita ad operandum cum omnibus prærequisitis, non habet esse certum ac determinatum, sed indifferens; quia virtus causæ neque ex se est ad

(1) *De malo*, quæst. 16, art. 7.

(2) Vide, lib. 1.º *Periherm.* lect. 13, paragr. 6; 1 p., quæst. 57, art. 3; quæst. 86, art. 4; 1.º dist. 38, quæst. 1, art. 5 corp.; 2.º dist. 7, quæst. 2, art. 2; *de verit.*, quæst. 9, art. 12 corp.

(3) *De verit.*, quæst. 2, art. 12, ad 6.um; et ibid. in corp.

illud determinata, neque ex omnibus adjunctis prærequisiti sufficienter determinatur (1). Ergo.....

Minor patet. Est enim de ratione causæ liberæ, aut, positis omnibus prærequisitis ad agendum, maneat adhuc indifferens; causa autem propria et proxima horum effectuum contingentium est causa libera» (2). Necesse est ergo causam liberam in omni instanti, actualem determinationem præcedente, manere indifferentem et cum potentia ad utrumlibet, ad ponendum actum et effectum vel ad non ponendum. Quamdiu autem durat hæc indifferentia, implicat dari determinationem ad actum vel effectum.

Et confirmatur. Quia Doctor Angelicus ex eo semper derivat differentiam intellectus divini et creati cujuslibet in ordine ad futurorum cognitionem, quod intellectus creatus nequeat videre nisi præsentem dispositionem causarum in ordine ad effectum: unde cum quælibet dispositio causarum contingentium ac liberarum in ordine ad effectus frustrabilis est, nec ad unum determinata, non potest certam ingerere notitiam effectus sequuturi vel non sequuturi. Secus vero intellectus divinus, cujus intuitio, etiam antequam eventus fiat, non solum comprehendit causarum dispositionem et ordinem, sed actualem quoque processum et existentiam effectus extra causas. Atqui hæc doctrina evidenter supponit effectum futurum non habere *esse* determinate, atque adeo nec veritatem, quamdiu manet intra causas, sed solum post determinationem causarum. Ergo.....

Assertio hæc contrarios habet patronos physicarum prædeterminationum cum suo duce P. Dominico Bañez, quia nempe docent causas liberas, supposito divino decreto prædeterminandi eas physice ad talem actum vel effectum in tali tempore, in sensu composito talis decreti et consequentis prædeterminationis in voluntate receptæ, non amplius indifferentes manere ad utrumlibet. Verum id est omnino contra doctrinam S. Thomæ, qui perpetuo docet, ut vidimus, futura quamdiu manent in suis causis indeterminata esse: et est contra veritatem, quia, ut suo loco probabimus,

(1) Suarez, *de scient. futuror.*, lib. 1, cap. 3, num. 10.
(2) Suarez, ibid.

repugnant hujusmodi decreta in Deo, utpote quæ libertatem creatam exscindunt.

Dices: Istæ propositiones: *Causa contingens producet effectum. Causa contingens non producet effectum*, sunt contradictoriæ. Ergo altera earum determinate vera esse debet.

Respondeo. *conc.* anteced., *distinq.* conseq. Si solum referatur ad causam in actu primo consideratam, *neg.*; si referatur ad causam jam in actu secundo constitutam, ideoque ponentem effectum, *conc.*.

Probatur altera pars stabilitæ propositionis.

Probatur secunda pars: *Futura libera, prout jam erunt in se ipsis certo aliquo tempore, determinatam habent veritatem.* In primis revocamus in mentem argumentum a posteriori, quo in prima propositione, ex eo quod Deus futura cognoscit, ac revelat, conclusimus inesse iisdem determinate veritatem aut falsitatem. Si enim hoc in aliquo sensu verum est, nec negari ullo modo potest; cum in prima parte hujus propositionis ostensum sit, futura prædicta carere veritate determinata, prout in causis suis continentur, sequitur necessario futura contingentia, prout sunt in se ipsis, veritatem habere. Sed aliæ quoque rationes adjungendæ sunt.

Prob. 1.° Propositio est vera vel falsa ex eo, quod res est vel non est in se, sicut enuntiatur, pro tempore importato per copulam (1). Supponimus enim cum communi sententia veritatem propositionis consistere in conformitate ejusdem cum objecto (2). Ergo propositio erit vera vel falsa determinate, si in tempore importato per copulam res est, vel non est in se, prout enuntiatur. Atqui in quovis tempore determinato res aut est, aut non est determinate, v. g. cras aut erit peccatum Petri, aut non erit; nisi ruat proloquium illud: *Quidlibet aut est, aut non est.* Ergo....

Dices. Peccatum Petri crastinum nondum est hodie determinatum in se ad *esse* potius, quam non esse, sed erit

(1) Secundum illud axioma: *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Cfr. Aristot., *Metaphys.* lib. 9, text. 21; S. Thom. ibid., lect. 11, paragr. *b*.
(2) Cfr. Arist. *Metaph.* 9, text. comm. 21; et S. Thom. ibid. lect. 11, paragr. *b*. Et vide, si lubet, declarationem veritatis logicæ seu in cognoscendo traditam in *Logica Majori*, num. 2, pag. 404 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cras. Ergo neque propositio asserens peccatum illud est vera nunc, sed erit vera cras.

Respondeo. 1.º Retorqueo argumentum. Peccatum Petri hesternum jam non est nunc determinatum ad *esse* potius, quam non esse, sed fuit heri. Ergo neque propositio enuntians peccasse Petrum heri, nunc vera est, licet heri peccaverit Petrus. Et nihilominus nemo est, qui propositionibus de præterito neget determinate veritatem aut falsitatem.

Respondeo 2.º. *Dist.* conseq. Si propositio illa enuntiaret peccatum pro præsenti tempore, *conc.*; si enuntiat pro futuro, *neg.* Nam veritas propositionis illius de futuro constituitur non per peccatum hodiernum, sed per crastinum. Ergo sufficit, quod cras peccatum detur reapse, ut jam hodie vera sit propositio peccatum enuntians pro die crastino. Audi Angelicum: *In hac.., adæquatione vel commensuratione intellectus ac rei* (quam veritas importat) **non requiritur, quod utrumque extremum sit in actu: intellectus enim noster potest nunc adæquari his, quæ in futurum erunt, nunc autem non sunt.** *Alias non esset hæc vera:* Antichristus nascetur: *unde hæc denominatur vera a veritate, quæ est in intellectu tantum, etiam quando non est res ipsa. Similiter etiam intellectus divinus adæquari potuit ab æterno his, quæ ab æterno non fuerunt, sed in tempore sunt facta: et sic ea, quæ sunt in tempore, denominari possunt vera ab æterno a veritate æterna* (1).

Prob. 3.º Peccato Petri nunc existente, unum idemque exprimit hæc propositio, quæ nunc enuntietur: *Petrus peccat nunc hora decima*; et hæc heri prolata: *Petrus eras hora decima peccabit*; et hæc alia cras proferenda: *Petrus heri hora decima peccavit.* Atqui prima et tertia propositio determinatam habet veritatem, Petro peccante, ac falsitatem, eodem non peccante, ut omnes fatentur. Ergo pariter secunda de futuro habet determinatam veritatem aut falsitatem.

Dices esse disparitatem, quia quando peccatum adest, jam habet esse in se ipso determinatum: itemque quando peccatum præterit, jam aliter esse non potest. At vero quamdiu nondum datur peccatum, sed solum potentia libera peccandi vel non peccandi, potest utrumlibet contingere,

(1) S. Thom., *de verit.* quæst. 1, art. 5. Vide ibid., ad 10.um

peccatum vel non peccatum; ac proinde neutrum est determinate verum affirmare.

Respondeo, *neg.* conseq. Nam licet hodie nondum sit determinatum peccatum Petri, sed cras certe erit, supposito quod Petrus peccet. Manifestum enim est, quod potentia peccandi vel non peccandi et indeterminatio existens nunc in Petro non impedit, quominus cras potentia illa transeat ad actum per determinationem peccati vel non peccati, undequaque proveniat hujusmodi actuatio ac determinatio, id enim non spectat ad hanc controversiam. Jam vero propositio ennuntians peccatum Petri in futurum, non asserit esse nunc illud in se determinatum, sed fore cras: itaque si cras de facto Petrus determinabitur ad peccandum, jam nunc tam verum est dicere: *Petrus eras peccabit*, quam verum erit cras: *Petrus peccat*.

Et hæc sufficiant in re per se perspicua. Plura dabunt Ruiz, Rhodes, De Benedictis, Conimbricenses, Vazquez, Lossada (1), Martinez (2) alique.

73. PROPOSITIO 4.ª **Veritas determinata, quam propositionibus circa contingentia absolute futura asseruimus in thesi præcedenti, non convenit illis, nec potest convenire, ante decretum divinum, sed tantum post illud. Unde immerito nostri auctores hac de re accusati fuere a quibusdam adversariis.**

Veritas determinata, quam propositionibus circa futura libera asseruimus, nequaquam illis competit ante ullum divinum decretum.

Prima pars facile probatur. Nam propositiones de futuro contingenti, ut determinate veræ sint, præsupponunt necessario existentiam ejusdem futuri contingentis pro tempore importato per copulam secundum doctrinam nuper expositam. Atqui nullum contingens existentiam sortietur, nisi detur prius aliquod decretum Dei, saltem decretum offerendi porrigendique causæ liberæ concursum, ut suo loco demonstrabimus. Ergo impossibile est contingentia futura determinatam veritatem habere ante decretum divinum.

Confirmatur. Nam verum supponit ens; effectus autem omnis supponit causam suam in actu primo proximo completam. Atqui nulla causa creata in actu primo proximo

(1) Locis citatis.
(2) Loc. cit. contr. 7, disp. 3.

completa constituitur sine decreto Dei æterno præstandi suam cooperationem (1). Ergo...

Non est autem nostrum nunc definire, quod vel qualenam sit hujusmodi decretum ex parte Dei præsupponendum ad hoc, ut actus et effectus creaturarum liberarum esse in rerum naturam possint. Id enim spectat ad tractatum de voluntate et concursu divino. Id solum generatim dicimus, veritatem cujuslibet futuri contingentis tale decretum Dei prævium requirere, sine quo futurum illud esse nequit. Et decretum divinum, sine quo futurum contingens nullum existentiam sortietur, est decretum concurrendi cum causis creatis: illud vero non esse absolutum et prædeterminativum voluntatis creatæ, sed indifferens, probabitur suo loco. At utrum præterea detur decretum prædefinitivum, et quale quarumque actionum, omniumne bonarum et supernaturalium, an solum aliquarum; alterius est disputationis, quæ angustos Philosophiæ limites excedit.

Quæ immerito hac in re auctorati sunt nostri scriptores.

Secunda pars propositionis est contra R. P. Antonium Goudin aliosque auctores, qui videntur arbitrati esse, nostros auctores futuris contingentibus, etiam absolutis, de quibus solis nunc agimus, attribuisse veritatem independentem ab omni decreto divino (2). **Probatur autem 1.°** quia Scriptores nostri non docent, quæ ipsis imputantur. Id quod

(1) Vide *Psycholog.*, vol. 3.um, num. 129, pag. 397.

(2) Verba R. P. Goudini sunt hæc: «Nota 3.° plerumque adversarios Thomistarum mire falli aut fallere in hac difficultate, dum non distinguunt *ante et post decretum*, sed absolute dicunt propositiones illas esse ab æterno determinate veras, inutiliter accumulando verba Scripturæ, Patrum auctoritates et rationes, quæ procedunt de propositionibus illis post decretum Dei consideratis: in quo statu nemo Thomistarum negat eas esse determinate veras, aut determinate falsas, earumque Deum habere certissimam præscientiam. Unde ne leviter quidem attingunt difficultatem, sed solum telas aranearum contexunt, unico flatu dissipandas, dicendo hæc loca Scripturarum, has Patrum auctoritates et has rationes procedere de futuris jam per decretum Dei determinatis, non vero de propositionibus consideratis ante Dei decretum, scilicet pro eo statu, in quo nondum concipitur Deus aliquid futurum determinasse». Goudin, op. et loc. cit. art. 2.

Similia habet Gonet in suo *Manuali Thomistarum*, tom. 1, tract. 3, cap. 4 initio et in paragr. 1.

vel ex hoc argumento generali patet. Nam omnes fundant veritatem propositionum de futuris contingentibus in reali eorumdem existentia futura. Atqui omnes ad unum AA. nostri tenent catholicam doctrinam de necessitate concursus divini adeoque de necessitate decreti applicantis omnipotentiam Dei ad concurrendum cum quavis actione creaturæ unquam ponenda. Ergo impossibile est Auctores nostros adscribere potuisse futuris contingentibus absolutis ullam veritatem non præsupposito aliquo decreto divino, sine quo repugnat metaphysice ullius futuri contingentis existentia.

Audi P. Nicolaum Martinez, qui postquam hanc conclusionem statuisset: «Quæcumque veritas conveniens propositionibus de futuro absolute importantibus actum liberum creaturæ, neque convenit, neque convenire illis potest ante omne exercitium liberum divinæ voluntatis, sed tantum post illud»; sic pergit: Hæc conclusio est facilis et demonstrabilis, ideoque in illa *conveniunt tum Thomistæ, tum Scotistæ, tum* **nostri communiter Doctores.** Et si qua est differentia, ea consistit in constitutione divini actus liberi, seu exercitii divinæ voluntatis liberæ» (1).

Neque aliter notatum voluit expresse P. Gabriel Vazquez: «Alterum observandum est, futurum ita esse objectum scientiæ Dei infallibilis eo ipso, quod res futura est, ut *tamen* nostro modo intelligendi *supponat decretum Dei tamquam causam, ante quod nihil intelligitur vere esse futurum.* Nam quamvis omne futurum, ab æterno futurum sit, tamen ordine quodam rationis prius res est possibilis, quam futura: et ita nostro modo intelligendi duo instantia rationis distinguimus, in quorum priori tantum res ex se possibiles sunt, quia ex se non implicant contradictionem, et aliud, in quo intelliguntur futura... *At vero quia nulla res ex se futura est, sed ex voluntate et omnipotentia Dei: ideo antequam intelligantur*

(1) *Deus sciens*, contr. 3, disp. 4, sect. 1. Nempe in sententia eorum, qui censent actus divinos liberos compleri per aliquid extrinsecum et temporale, vel per ipsas res futuras: aut negandum est, aut diversimode exponendum, quid omne futurum præsupponat decretum divinum. Vide eumdem P. Martinez in eodem opere, controv. 3.ª, disp. 1, sect. 4 fin. Et ibid., paulo ante, *Hinc est quarto*, et sect. 7, item, disp. 4 ejusdem controversiæ, sect. 5, in respons. ad arg. 2.um Patris Gonet; et disp. 4, sect. 1, *Colligitur quarto*...

futura, supponitur Dei voluntas ut causa illius, non quidem durationis ordine, sed rationis» (1).

Nec aliter De Benedictis: «Est... id certissimum, in quo nos habet etiam (P. Goudinus) consentientes, quemadmodum futurum non est futurum nisi per decretum Dei, ita nec propositionem futuri enuntiativam nisi post Dei decretum veram esse. *Quis enim unquam vel per somnium finxit* contingere posse, ut futurus sit Antichristus, Deo illum ab æterno non decernente? Quin etiam, dum volumus rerum futuritionem non esse aliam ob earum existentia pro tempore futuro; non sumus adeo cæci, quin videamus evidenter hinc sequi, quod ab iis omnibus causis, a quibus pendet existentia, pendet et futuritio» (2).

Similia placet etiam ex P. Antonio Mayr desumere: «Antecedenter ad decretum Dei, inquit, non potest ullum ens contingens existere, aut absolute futurum esse: hinc nulla propositio de futuris ante decretum Dei est contingens aut contingenter vera. Si urgeas, non posse utramque (contradictoriam) vel neutram esse veram; Respondeo, antecedenter ad decretum Dei veram esse propositionem negativam, non tamen contingenter, sed necessario, quia necessarium est, v. g., ut antecedenter ad decretum Dei Antichristus non peccet: hinc ista propositio: *Antecedenter ad decretum Dei Antichristus non peccabit contingenter*, est necessario vera. Unde non debet admitti, quod in quovis signo rationis una ex contradictoriis sit contigenter vera. Hoc tamen verum est, quod antecedenter ad decretum Dei detur necessitas, ut pro signo posteriori una ex contradictoriis de futuro contingente sit determinata contingenter vera: at etiam detur necessitas, ut Deus ponat aliquod decretum, sive decernens, sive permittens existentiam objecti futuri, vel eam excludens; si tamen Deus non possit per puram omissionem liberam contingenter excludere existentiam alicujus creaturæ» (3).

(1) Vazquez, in 1.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 65, cap. 4, num. 23. Cfr. num. 24.

(2) *Philosoph. peripat.* tom. 1, *Logic.* lib. 3, quæst. 4, cap. 1, pag. 423. Venetiis, 1723.

(3) *Philosoph. perip.* 1 p., disp. 5, quæst. 2, art. 5, num. 888. Cfr. de his Martinez, op. cit. controv. 3, disp. 4, sect. 7.

Eadem est sententia Suarez (1), Becani (2) et aliorum. Cum autem nostri Auctores dicunt propositionibus de futuro inesse veritatem determinatam, nulla facta decreti mentione, loquuntur in sensu *formali*, non in sensu *causali*, ut recte notat De Benedictis (3). Volunt nempe futurum, licet efficienter sit a decreto, sicut etiam est a causa ipsa libera creata, at formaliter esse solum per se ipsum seu per suam propriam et intrinsecam existentiam pro tempore futuro, non vero per decretum Dei, sicut non est etiam formaliter per causam suam proximam. Et hujus distinctionis negligentia forte occasionem tribuit clamoribus et falsis calumniis adversariorum.

Prob. 2.º Duæ sunt hæ quæstiones valde diversæ, utrum propositionibus de futuro contingenti conveniat aliqua determinata veritas, et quid requiratur ad hoc ut contingentia futura dentur, vel non dentur in rerum natura, unde propositiones enuntiantes illa determinatam habere possint veritatem. Harum prima quæstio est, quæ nunc investigatur, altera pendet ex alibi dicendis, et proprium suum locum habet in tractatu de necessitate concursus et operationis divinæ in omni operatione causarum creaturarum. Diversitatem harum quæstionum videbis melius in propositionibus de præsenti. Manifeste enim duo hæc valde inter se discrepant, num verum sit, quod ego nunc scribam, et quænam causæ requirantur in rerum natura, ut scribam. Sicut ergo in propositionibus de præsenti, cum communiter censetur eas esse

(1) Opusc. *de scientia absol. futuror.* lib. 1, cap. 6, num. 3; *de Gratia*, Prolog. 2, cap. 6, num. 8.

Nec contradicit P. Didacus Ruiz de Montoya (*De scient. Dei*, disp. 26, sect. 5), licet in speciem videatur contrarius. Solum enim vult divinam futurorum cognitionem *per locum intrinsecum* non prius præsupponere debere *actuale decretum ab æterno* existens. Quia si per impossibile decretum divinum concurrendi tum primum inciperet esse, quando res futura erit, id sufficeret, ut ab æterno rem illam Deus cognosceret. Quamvis enim scientia Dei præsupponat ipsam formalem rei futuritionem, non tamen necesse est, præcise ex parte scientiæ, aut etiam futuritionis, ut actu ab æterno existant omnia principia illius effectiva.

(2) *De Deo*, cap. 10, quæst. 2.

(3) Loc. sup. cit.

determinate veras vel falsas, nihil aliud attenditur, nisi quod res ita sit, vel non sit, prout enuntiatur; ita cum quæritur, num propositionibus de futuro determinate insit veritas, non recte permiscetur quæstio de causis et principiis effectuum, qui per tales prositiones efferuntur.

Et sic S. Thomas, ut vidimus, quoties propositionibus de futuro determinatam veritatem attribuit, contentus est indicare verificativum illarum, quod est ipsa contingentis futuri existentia in se et extra causas pro tali tempore, negans propositionibus hujusmodi veritatem determinatam inesse, si enuntient futurum duntaxat prout futurum est, seu prout nondum egressum ex causis. Numquam autem S. Doctor præsentem quæstionem resolvens, quidpiam dicit, quantum sciam, de divinis decretis, quæ necessaria sint, ut contingentia futura existentiam habeant. Quia ad resolutionem quæstionis præsentis sufficit, quod futura contingentia extitura sint, undecumque tandem proveniant, quod extitura sint; eo enim ipso jam habent suum verificativum, suum nempe objectum determinatum, quod enuntiat, prout est; in se assignare autem causas hujus verificativi, spectat ad aliam controversiam. Immerito ergo auctores nostri reprehenduntur, quod hanc controversiam pertractent præscindendo a divinis decretis, aut etiam asserant, utique in sensu formali, non causali, propositiones de futuro contingenti veritate determinata gaudere independenter a divino decreto. Sicut enim ipsum futurum contingens non erit formaliter propter decretum, sed propter suum *esse* formale, quod nunc non est, sed erit postea; ita etiam propositiones formaliter non verificantur ex decreto divino, sed ex formali esse ipsius futuri contingentis.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Adversus duplicem futuritionem.

Difficultates adversus duplicem futuritionem.

74. **Objic. 1.°** Denominatio futuri est realis; ergo aliquid extrinsecum, nihil quippe intrinsecum inesse potest rei non existenti. Atqui nulla alia forma realis extrinsece denominans rem futuram concipi potest nisi præsens dispositio causæ vel decretum Dei. Ergo non est fingenda alia forma

denominans vel constituens futurum, nec alia proinde futuritio præter causalem.

Respond., *dist.* anted.: est realis adæquate, *neg.*; inadæquate, *conc. Disting.* pariter conseq.: est extrinsecum aliquid inadæquate, *conc.*; totaliter et adæquate, *neg.*

Et rationem additam etiam *distinguo:* de præsenti et quamdiu non est, *conc.*; pro futuro et quando erit, *neg.* Denominatio futuri formalis duo importat non *esse* rei nunc et *esse* postea, futuritio enim formalis duo hæc successive complectitur, quia illud futurum dicitur, quod nondum est, sed erit. Hinc denominatio futuri partim est realis et intrinseca, nempe pro tempore in quo erit, et partim extrinseca nec realis, nimirum pro præsenti. Et idem debent omnes dicere de *præteriti* denominatione, quæ nunc realis non est nec intrinseca, sed exprimit aliquid reale et intrinsecum pro priori tempore.

Objic. 2.° Denominatio futuri convenit rei non de futuro, sed de præsenti, nunc enim res dicitur futura; quando vero erit res, non dicetur futura, sed præsens. Ergo oportet, ut jam de præsenti nunc adsit forma futuritionis, unde res denominetur futura. Hujusmodi autem forma præsens ante actualem rei futuræ existentiam, alia nequit esse præter divinum decretum.

Respondeo, *dist.* antec. Logice, quatenus tota simul enuntiatur per propositionem, *conc.*; physice, quatenus totum illud, quod exprimit hæc vox *futurum*, de præsenti detur, *subdist.:* si sumatur futurum prout contentum in suis causis, *trans.*; si sumatur pro re, quæ in se erit extra causas in aliquo tempore, *neg.*

Et *dist.* conseq. Nunc de præsenti esse debet forma futuritionis causalis vel effectivæ, *trans*; formalis, *neg.* Sunt multæ denominationes, quæ logice simul sunt, quia per modum unius enuntiantur, et exprimunt res complectentes varias partes, quæ simul esse nequeunt in præsenti. Sic dicimus: Nunc *aqua calefit: Nunc dies veneris est:* quamvis nec calefactio tota, nec mutatio, nec dies totus simul sit, sed pars post partem.

Instabis. Atqui «nulla denominatio constituta potest competere subjecto in tempore, in quo non est formale constitutivum, Nam 1.° denominatio constituta non distinguitur a

suo formali constitutivo. Ergo impossibile est haberi denominationem præsentem sine suo formali constitutivo de præsenti. 2.° Magis connectitur effectus formalis cum formali constitutivo, quam effectus causæ efficientis cum causa efficiente, ibi enim est identitas, hic mera connexio. Atqui repugnat effectum esse tempore priorem sua causa efficiente. Plus ergo repugnabit effectum formalem tempore priorem esse sua causa formali» (1).

Respondeo, instantiam hanc in præcedenti solutione jam præoccupatam esse. Assertum enim verum est duntaxat in denominationibus, quæ totæ simul sunt physice, non vero in illis, quæ solum logice sunt totæ simul. Jam denominatio futuri physice ac realiter non est tota simul, quia constitutiva ejus nequeunt simul esse, quandoquidem constitutiva futuri formaliter sunt non esse nunc et esse postea: unde physice denominatio non est tota de præsenti, sed partim nunc et partim postea.

Cæterum illud etiam notari potest, quod assertum adversariorum, si quid valeret, multo magis probaret, subjectum ipsum tali forma denominatum habere actu esse; denominatio enim magis cadit in subjectum, utpote quod denominatur in recto, quam in formam, quæ est ratio denominationis. Cur ergo forma denominans debeat actu esse, et non subjectum in recto denominatum? Atqui tamen omnes concedunt subjectum, quod nunc denominatur futurum, nunc non esse. Ergo nec forma futuritionis debet nunc esse tota.

Quamobrem ad 1.um probationem, *conc.* antec., *dist.* conseq.: impossibile est haberi denominationem præsentem *logice* sine suo formali constitutivo præsenti, *neg.*; *physice*, *conc.* **Ad 2.um probationem**, *concedo* totum, et *nego* suppositum supponi enim denominationem futuri esse simpliciter nunc totam, cum tamen nec sit, nec unquam futura sit, nec possit esse ullo tempore tota simul, utpote quæ constituitur ex contradictoriis, non *esse* et *esse*, et propterea essentialiter postulat successionem. Revoca in mentem exempla, quæ dedimus; et vide potissimum, quid accidat in denominatione præteriti, cujus constitutiva licet logice sint simul, quia

(1) Apud P. Joann. de Benedictis, loc. cit., cap. 4. *Objic.* 3.°

mente simul apprehenduntur, et uniuntur, et sic etiam propositione exprimuntur, re tamen ac physice nequeunt simul esse.

Objic. 3.° Futuritio peccati Petri est modo præsens. Sed nihil est modo præsens de re futura nisi decretum Dei. Ergo.....

Respondeo, *dist.* Major.: futuritio causalis, *trans.*; formalis, *subdist.*; est præsens per statum, *neg.*; per ampliationem, *conc.*

Et *transmissa* Minore, *nego* consequens. Nam proprie futuritio formalis in rerum natura non est, sumendo verbum per statum, sed solum per ampliationem vel alienationem, propter rationem jam datam, quia futuritio non est forma, quæ tota simul esse possit. Explica semper tibi rem, et pueriles omnes scrupulos repelle exemplo *præteritionis*. Quid enim reale, quæso, nunc præsens dari debet, ut res dicatur præterita?

Dices, disparitatem esse 1.° quia jam objectum præteritum est determinatum, cum sit extra causas, sed objectum futurum non est determinatum, cum claudatur in potestate causæ, quæ adhuc indifferens est ad alterum. Ergo debet nunc aliquid de præsenti dari, ut futuritionem firmam et immutabilem constituat. Hinc 2.° cum præteritum nequeat reproduci aut amplius esse, negatio seu carentia præteriti non potest auferri; e converso cum futurum possit non esse, carentia vel negatio futuri dari potest naturaliter. Ergo carentia præteriti, utpote determinata et fixa, sufficit, ut denominetur res nunc præterita; secus vero esse futurum rei, utpote non determinatum, sed defectibile in se, non sufficit ad denominationem præsentem futuri, nisi aliquid nunc detur determinativum illius.

Respondeo ad 1.um Præteritum proprie et in rigore sermonis non *est* determinatum, nec *est* extra causas, sed dici tamen potest cum aliqua ampliatione, quia *fuit* extra causas, et *habuit* determinationem. Verum quemadmodum præteritum habuit suam determinationem, et fuit extra causas, et in hoc fundatur ejus præteritio formalis, ita futurum habebit determinationem, et erit extra causas, ideoque per hoc solum formaliter futurum est. Nec refert indifferentia,

quam habuit in causis, quia quantumvis indifferentes ac mutabiles ponas causas, tali tempore determinationem habebunt, undecumque et quomodocumque tandem ea determinatio proveniat, et præcise ob statum futuri ex vi talis determinationis habet suam formalem futuritionem, non vero ob statum præcedentem, quem in causis habebat.

Respondeo ad 2.um Præteritum non dicitur tale, propterea quod reproduci naturaliter nequit, sed solum quia fuit, et jam non est. Undenam enim probas contrarium? Cum potissimum irreproducibilitas supponat rem præteritam. Quid enim sibi vult rem produci iterum non posse, nisi rem iterum esse habere non posse? Atqui ut res aliqua vere dicatur iterum esse habere non posse, nisi abutamur vocibus, supponi debet illam fuisse olim, et jam non esse. Ergo irreproducibilitas jam supponit rem constitutam in *esse* præteriti, nec proinde ratio præteriti fundatur præcise in carentia sui naturaliter inauferibili, sed solum ac simpliciter in non *esse* actu, et *esse* antea seu *fuisse*. Eodem modo ratio ac determinatio futuri sufficienter desumitur ex non *esse* nunc, et *esse* postea, quin aliud fingere necesse sit (1).

Objic. 4.° «Per illud res constituitur in *esse* futuri, per quod distinguitur a mere possibili et existenti; per illud enim res constituitur, per quod distinguitur. Atqui per præsentem dispositionem causæ res intelligitur nec mere possibilis, nec actu existens. Ergo per eamdem constituitur futura» (2).

Respondeo 1.°, *dist.* Minor.: extrinsece, *conc.*; intrinsece, *neg.* Nam intrinsece futurum per sui *esse* postea distinguitur a pure possibili, et per sui actu non *esse* ab existenti. Respondeo 2.° Probationem Majoris universaliter sumptam falsam esse, neque enim omnem distinctivum est constitutivum. Accidentia et proprietates distinguunt res alias ab aliis, nec tamen constituunt.

Objic. 5.° Futurum casuale et dubium distinguitur a certo futuro. Atqui per nihil aliud, quam per decretum Dei. Ergo...

(1) Cfr. De Benedictis, loc. cit., cap. 3, post tertiam rationem, ubi plura.

(2) Apud De Benedictis, loc. cit., cap. 4. *Objic.* 2.

Respondeo, *dist.* Major.: extrinsece, *trans.*; intrinsece, *neg.* Et *negari* debet etiam Minor. Nam omne futurum, sive certum sive casuale, requirit divinum decretum. Itaque casuale, dubium ac certum sunt denominationes rei futuræ prorsus externæ, utpote desumptæ a cognitionibus nostris. Dummodo res futura sit, nihil reapse interest, quantum attinet præsentem quæstionem, utrum norim ego, vel ignorem, et certo vel dubie norim.

Objic. 6.° Quamvis ad denominationem præsentem non requirantur omnia constitutiva præsentia, saltem requiritur de præsenti illud, quod est ultimum determinativum denominationis et ablativum indifferentiæ ad hanc vel illam denominationem. Atqui ablativum indifferentiæ relate ad denominationem futuri est decretum divinum. Ergo.....

Respondeo, *neg.* Major., vel *dist.*: requiritur de præsenti logice, *conc.*; physice, *neg.* Nam sufficit, ut determinativum physice sit pro tempore, quod a significatione denominationis exigitur.

Objic. 7.° Omnis existentia pendet a suis causis, a quibus producitur, eo quod creata est. Sed existentia, etiam ut futura, est aliquid creatum. Ergo etiam illa dependet, ac sumit denominationem a causis suis futuritionis (1).

Respondeo 1.°, *neg.* 2.am partem consequentis. Nam ex eo quod existentia pendeat a suis causis, non sequitur quod ab iisdem sumat denominationem. Albedo dependet a suis causis in essendo, a quibus tamen non accipit denominationem. Existentia præsens etiam dependet a suis causis et nihilominus non denominatur ab iisdem. Et idem dic de infinitis aliis exemplis. Respondeo 2.° Si argumentum valet, eodem modo concludendum erit, denominationem futuri derivandam esse a voluntate creata, nam existentia futura etiam ab illa dependet.

Respond. 3.° In objecto argumento copula *est* modo sumitur in statu, modo per ampliationem. In Majori nempe *Existentia præsens pendet a suis causis, quia est aliquid creatum*, verbum *est*, sumitur per statum. At in Minori: *Atqui*

(1) Cfr. Joann. a S. Thom., *de Deo*, tom. 1, disp. 19, art. 1, *Si autem roges*...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

existentia, etiam ut futura, est *aliquid creatum*, verbum idem sumitur ampliative, quia existentia futura non *est*, sed *erit*, aliquid creatum. Ex quo non sequitur præcisse in forma, quod *dependeat* nunc, sed quod *dependebit* a suis causis. Quid inde? An per hoc probatur, quod nunc jam debeant existere illæ causæ, ex eo quod res olim erit dependenter ab iisdem? Decretum certe divinum, oportet, quod sit ab æterno; hæc vero necessitas non petitur ex futuritione rei, ex eo quod, ut res futura esse possit, debeat ab æterno esse præsens aliquod decretum inferens illam futuritionem, sed ex immutabilitate Dei, quia nempe Deus nequit incipere in tempore decernere aliquid de novo. Ratio hujus doctrinæ manifesta est in causa libera creata, quæ futurum contingens effectura est; sufficit enim, ut illa existat, et parata sit ad agendum tum, cum effectus erit, non vero necesse est, ut jam a tota æternitate existat cum omnibus prærequisitis ad operandum.

Noto denique argumentum adversarii confundere futuritionem effectus in causa cum futuritione effectus in se; unde non probat decretum divinum esse rationem formalem constitutivam futuritionis rei in se (1).

Objic. 8.° S. Thomas videtur nobis aperte adversari; *Dicendum*, inquit, *quod illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret: unde sublata causa: non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur, quod ea quæ sunt, semper fuerit verum illa esse futura, nisi quatenus in causa semiterna fuit, ut essent futura: quæ quidem causa solus Deus est* (2).

Respondeo, S. Thomam loqui ibi de futuritione causali, præter quam diserte distinxit pluribus in locis aliam formalem, ut supra vidimus. Cæterum erat ratio, cur in hoc loco futuritionem duntaxat causalem meminisset, quia volebat explicare, quomodo non sit alia æterna veritas, nisi Deus. Explicatur autem id recte a S. Thoma quia futura ab æterno nihil sunt in se, sed solum in causa: et sic etiam nulla

(1) Vide P. Nicol. Martinez, *Deus sciens*, controv. 3, disp. 1, sect. 6.

(2) 1 p., qæst. 16, art. 7, ad 3.um

futuritio rerum in tempore extiturarum est actu ab æterno præter causalem, quæ desumitur ex Deo, nam formalis nihil reale includit, quod non sit in tempore. Unde sequitur nullam esse aliam veritatem æternam præter divinam (1).

Hæc et plura alia videri possunt apud veteres, ac nominatum apud P P. Nicolaum Martinez, Joannem Bapt. De Benedictis et Antonium Mayr (2). Ad ea quæ R. P. Goudin scribit contra nostram assertionem, necesse non est speciatim respondere, quia nihil aliud probat magno apparatu argumentorum, nisi quod nihil futurum sit sine decreto Dei, atque adeo omnis determinata veritas propositionum de futuro contingente supponat decretum divinum. Iam vero vel vult inducere decreta prædeterminantia R. Pater, et tunc non est opportunus locus hic eam quæstionem pertractandi; vel vult generatim ostendere necessitatem alicujus decreti divini, ut res futura sit olim in rerum natura, et tunc totum concedimus, nec id negant nostri Auctores, ut jam vidimus. Itaque acrem verberat suis clamoribus Thomista Gallus, et fundatur in falso supposito, falsaque imponit scriptoribus Societatis (3).

Et idem fere dic de argumentis R. P. Goneti, de quo vide P. Nicolaum Martinez (4).

Adversus veritatem propositionum de futuro contingenti.

Difficultates adversus veritatem propositionum de futuro contingente.

75. **Objic. 1.°** Si propositiones de futuro sunt determinate veræ, necessario veræ sunt. Atqui hoc evertit libertatem. Antecedens patet, quia si sunt determinate veræ, non sunt indifferenter veræ; si autem non sunt indifferenter veræ, non sunt contingenter veræ, sed necessario.

Respondeo, *dist.* Major.: Sunt necessario veræ, necessitate consequente, *conc.*; antecedente, *subdist.*; si sunt determinate veræ ex determinatione naturali causarum, *conc.*; ex libera determinatione futura in tempore, *neg.*

(1) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 1.°, art. 5, ad 6.um; 1.ª dist. 19, quæst. 5, art. 3, ad 2.um.

(2) Locis supra citatis.

(3) Vide, si vis, P. De Benedictis, loc. cit., cap. 6.

(4) Op. cit., controv. 3, disp. 4, sect. 2, seqq.

Objic. 2.° «Si propositiones de futuro contingente essent determinate veræ vel falsæ, ideo essent, quia contradictoria non possunt simul esse vera aut falsa. Sed hæc ratio istud non probat». Nam «contradictio non magis determinat ad veritatem unius propositionis, quam alterius. Ergo tantum aliqua indeterminate, neutra autem determinate, est vera aut falsa» (1).

Respond., *dist.* Major. Et hæc est ratio adæquata, *nego*, inadæquata, *conc. Contradist.* Minor. Hæc sola ratio istud non probat, *trans.*; simul cum alia, *nego*. Addendum est enim nihil a parte rei seu physice esse posse indeterminatum, licet forte a nobis determinate cognosci non possit. «Nos non dicimus, quod ex natura contradictionis determinate inferatur peccatum Antichristi ponendum, hoc enim dictum in nullum sanæ mentis hominem cadere potest. Sed dicimus, ex natura contradictionis indeterminate inferri vel peccatum determinate, vel negationem peccati re ipsa et determinate esse ponendam» (2).

Dices: «Hæc propositio: *Necesse est alterutram ex contradictoriis de futuro contingente esse veram*, est vera, quamvis nulla sit determinate vera. Ergo etiam hæc propositio: *Aliqua ex illis contradictoriis est vera*, vera est, quamvis nulla determinate sit vera» (3).

Respondeo 1.° Retorqueo argumentum in propositionibus de præsenti: *Necesse est Petrum nunc sedere, vel non sedere*, et: *Petrus nunc sedet: Petrus nunc non sedet*.

Respondeo 2.° *nego* conseq. et parit. Nam prima propositio de *Necesse* habet suppositionem confusam; necessitas quippe in nullo ex contradictoriis determinate verificatur, si sermo est de futuris contingentibus. At secunda propositio habet suppositionem non confusam, sed disjunctivam, in qua prædicatum de aliquo determinato verificari debet.

Plura de his apud Auctores citatos et P. Didacum Ruiz (4).

(1) Apud. P. Anton. Mayr, loc. cit., art. 5. num. 386.
(2) P. Nicol. Martinez, op. cit., controv. 3, disp. 4, sect. 5 initio.
(3) Apud P. Anton. Mayr, ibid. num. 886.
(4) *De scientia Dei*, disp. 23, sect. 1 et 6.

Objic. 3.° Aristoteles fuse docuit multisque confirmare nititur neutram ex contradictoriis de futuro contingente habere determinatam veritatem. Ergo sententia nostra minus probanda est.

Quid dicendum de mente Aristotelis.

Respondeo. Non una est opinio antiquorum Philosophorum Theologorumque de Aristotelis mente hac in re. Sunt qui aperte illum graviter errasse putent contra fidem, ideoque deserendum omnino esse. Ita S. Bonaventura (1), et quidam alii prisci Doctores (2) et cum iisdem Suarez (3), Vazquez (4), Conimbricenses (5), Nicolaus Martinez (6) et alii. Communius vero inter antiquos videntur Auctores Philosophum benigne interpretati esse; quorum sententiæ adhærent ex nostris P. Ruiz de Montoya (7), Antonius Rubius (8), Georgius Rhodes (9) et alii. Quamquam non uno modo conentur hi mentem Aristotelis explicare. Nam quidam censent illum, cum negavit in contradictoriis de futuro contingente alteram esse *determinate* veram, aliud non voluisse nisi non esse *necessario* veram. Ita Richardus a Mediavilla et Joannes Major et alii (10). Alii arbitrantur, sic doctrinam Aristotelis explicari posse, propositiones de futuris contingentibus non esse determinate veras in causis, seu prout futura sunt, sed tantum in se ipsis (11). Hæ omnes explicationes, ut patet ex dictis, veram sententiam relate ad quæstionem nobis in hoc articulo propositam continent; tamen tota difficultas est in probando eas esse conformes Aristoteli, et

(1) 1.ª dist. 38, art. 2, quæst. 1 corp., et ad 3.am
(2) Apud Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 5, num. 1; Vazquez, In 1.am p., disp. 66, cap. 1.
(3) Opusc. *de absoluta scientia futur. conting.*, lib. 1, cap. 2, num 10.
(4) Loc. cit.
(5) *Logic.*, in lib. 1 *de Interpret.* cap. 8, quæst. unic.
(6) Op. cit., controv. 3, disp. 3, sect. 1.
(7) *De scientia Dei*, disp. 23, sect. 1.
(8) *Logic. De Interpret.*, lib. 1, cap. 5, quæst. unic. vers. fin.
(9) *Philos. peripat.*, lib. 1, disp. 4, quæst. 2, sect. 3, paragr. 6.
(10) Apud Conimbricenses et Vazquez.
(11) Ruiz (ibid., num. 20), P. Viva (*Curs. Theol., De Deo*, tom. 1, disp. 2, art. 4 in respons. ad confirmat. *Object.* 2.ª) cum Amico (ibid.) et S. Thom sæpe, ut jam supra vidimus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

propterea impugnantur ab aliis auctoribus tamquam contrariæ textui Philosophi.

Ego rem in medio relinquo, sive enim Aristoteles tribuerit, sive non tribuerit propositionibus de futuro contingenti determinatam veritatem, ex doctrina fidei satis constat, quid viro catholico sentiendum sit. Unum addam, perperam scriptores nostros accusatos hac in re fuisse a quibusdam adversariis (1) tamquam eversores fundamentorum, quæ Stagirita posuerat in *Logica*. Primo quia nostri, quamtumvis conveniant in tribuenda determinata veritate propositionibus de futuro contingenti, divisi sunt in interpretanda mente Aristoteles, et non pauci ex illis, nec contemnendi, suum esse illum contendunt (2). Cæteri vero nec fuerunt primi nec soli in deserendo Philosopho tamquam sibi et catholicæ doctrinæ contrario (3). Delicta, ergo, si delicta sunt appellanda, cum plurimis aliis communia, æquum non est, ut nostris duntaxat Scriptoribus imputentur. Deinde quia vel Aristoteles communem hac in re sententiam quoad determinatam futurorum contingentium veritatem tenuit, vel non. Si primum eligas, arguendi non sunt Nostri, quod ab Aristotele recesserint, sed potius edocendi, quod eadem ille, quæ ipsi, senserit: sin alterum, profecto haberi nequit tamquam fundamentum *Logicæ* doctrina illa, quæ redderet impossibilem in Deo futurorum contingentium præscientiam, et communissime deseritur a S. Thoma cæterisque Scholasticis, ipsis Thomistis non exclusis, qui saltem post decretum divinum concedunt determinatam veritatem aut falsitatem propositionibus de futuro contingente (4).

(1) Vide v. g. R. P. Viocentium Baronium, in *Apologia*, lib. 2, sect. 2, art. 3, paragr. 1; apud Martinez, op. cit. controv. 3, disp. 3, sect. 4.

(2) Vide inter alios P. Didacum Ruiz, ubi supra.

(3) Audi S. Bonaventuram, qui postquam in corpore articuli dixit *hæreticam* et *impiam* esse sententiam eorum, qui *abstulerunt a Deo præscientiam, et a propositionibus de futuro abstulerunt veritatem*; sic respondet ad 3.um. *Ad illud quod objicitur de præscito, quod verum est, et si verum est, necessario est, dicendum, quod istam rationem facit Philosophus ad ostendendum, quod in futuris non est veritas, et est sophistica.* (1.ª dist. 38, art. 2, quæst. 1, ad 3.um

(4) Lege v. g. P. Anton. Goudin, loc. cit., *Nota 2.ª*

Quid, quod sententia Thomistarum videtur magis repugnare Aristoteli, quam nostra? Ut enim argumentatur Nicolaus Martinez, illa doctrina, quæ desumit determinatam veritatem propositionibus de futuro a determinatione futuri, ut est nunc in causis suis, vel saltem in aliqua causa sui, magis opponitur sententiæ Aristotelis, quam quæ hujusmodi determinatam veritatem propositionis desumit ab ipso futuro, ut erit actu in se suo tempore. At sententia Thomistarum primam determinationem, nos tantum posteriorem assignamus propositioni de futuro. Ergo in hoc puncto magis recedit sententia Thomistarum a mente et doctrina Aristotelis, quam nostra (1).

Major constat, quia, ut apparet ex argumentatione Philosophi, ratio, qua permotus est ad negandam veritatem determinatam propositionibus de futuro, hæc est, quia secus determinatio hujusmodi induceret futurorum necessitatem, et contingentiam omnem ac libertatem eriperet (2). Atqui evidens est determinationem effectus futuri, prout in se, nullem nos ponimus, non opponi contingentiæ ac libertati, utpote quæ solam inducit necessitatem consequentem, ipso etium fatente Stagirita (3); determinatio vero effectus alicujus in suis causis, ac nominatim in decreto prædeterminanti, lædit, aut saltem evidens non est, quod non lædat libertatem, ut præscindamus nunc a quæstionibus mox fuse pertractandis. Ergo, si crimen foret, ab Aristotele recessisse, magis recesserunt Thomistæ.

ARTICULUS III

In quo medio cognoscat Deus futura contingentia.

Status quæstionis declarat.

76. De futuris necessariis vix esse potest controversia, quia plane intelligitur, quomodo cognosci a Deo possint in

(1) Martinez, op. cit., controv. 1, disp. 1, sect. 4.

(2) Vide Arist. *Periherm.*, lib. 1, cap. 6; et ibid. S. Thom. lect. 13, paragr. *d, e.*

(3) Ibid. cap. ult.; et S. Thom., ibid., lect. 15 initio; vide Martinez, loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causis suis, supposito decreto concurrendi ad earum actiones; qualecumque tandem sit hujusmodi decretum. Nam causæ necessariæ, cum in promptu habent omnia ex parte causarum secundarum requisita ad agendum, nihil aliud desiderare possunt, quam divinum concursum paratum et in tempore oblatum, cujus solius defectu cessarent ab operatione. Si ergo Deus ab æterno decernat concurrere, jam in ipso decreto videbit futura infallibiliter existentia. Idemque dicendum est de cognitione illorum effectuum, quos supra (1) vocavimus contingentes extrinsece ac per accidens, quia nimirum procedunt a causis in se quidem necessariis, sed quarum actio postulat occursum plurium causarum naturaliter impedibilem ab aliis causis. Nam cum Deus cognoscere valeat, quandonam aderit occursus omnium causarum ad effectum requisitarum, non potest etiam non videre effectum hic et nunc impedibilem ac necessario futurum, si ipse cum illis concurrat; ac proinde in decreto concurrendi ad actionem hujusmodi causarum videbit effectum.

De futuris etiam liberis a solo Deo sine interventu causarum creatarum efficiendis non est dubium, quin cognoscantur in liberis decretis divinæ voluntatis, quæ efficacissima est et infallibiliter operatur quidquid vult, quando vult, et quomodo vult.

Dices cum P. Vazquez. Decretum liberum divinum concurrendi non addit nisi relationem rationis supra essentiam. Atqui Deus non potest cognoscere hujusmodi relationes, quia relationes rationis objective non sunt nisi in creato intellectu. Accedit, quod Deus non potest videre futuros effectus a se solo producendos in sua essentia nec in sua voluntate cogitata quasi in actu primo. Ergo non poterit videre in eadem prout actu decernente seu in suo decreto, quia hoc cum sua essentia penitus identificatur.—Respondeo ad primum, *negando* Majorem, prout constat ex dictis in præcedenti volumine circa constitutivum divini actus liberi (2). Alterum vero solvitur *negando* conseq. et paritatem; quia quamvis decretum liberum re identificetur cum essentia

(1) Num. 63, pag. 202.
(2) Vide *Theodic.*, vol. 1.um, num. 177, pag. 565 seqq.

divina, non tamen ratione, quia liber actus supra essentiam Dei addit terminationem ad res creatas (1).

At res non vacat difficultate respectu futurorum contingentium, quæ in potestate ac libertate agentium creatorum relicta sunt; unde varie a sapientissimis auctoribus resolvitur. Et difficultas non est de medio ex parte cognoscentis seu de medio *quo* instar speciei; nam superius declaratum est, Deum omnia cognoscere per suam essentiam, quæ est et lumen intellectuale Dei, et species et actus intelligendi; sed de medio ex parte objecti cogniti, seu de medio *in quo*. «Quia cum hæ veritates contingentes neque per se notæ sint, neque simpliciter necessariæ, vix potest intelligi, quo medio perspiciantur; seu, quod idem est, cum effectus contingens non manet necessario a causa sua, nec causa ipsa de se sit determinata ad talem effectum, vix potest intelligi, quomodo certe cognoscatur talis effectus futurus, antequam sit. Qua difficultate nonnulli Theologi superati dixerunt, nullam sufficientem rationem aut modum hujus cognitionis posse a nobis in hac vita explicari; satisque nobis esse, si ex infinitate divinæ perfectionis Deum hæc omnia nosse concludamus, ut videre licet in Ockam, Gabriele, Gregorio in 1.° dist. 38 et Marsilio, quæst. 40» (2). Nihilominus conabimur, ut in aliis quæstionibus fieri solet, aliquam rei reddere rationem, magnorum Doctorum vestigia sequentes.

Quotuplici modo res cognoscibilis queat: nempe in se atque in alio. Varii modi rem cognoscendi in alio ac de quo in hic sermo.

Itaque duobus modis res quæpiam intelligi potest, vel in se ipsa immediate, vel in alio. Et rursus in alio variis modis: quorum nonnulli manifestam implicant imperfectionem, ideoque locum non habent in Deo. Tales sunt v. g. cognitio rei in attestante, quo modo vident futura prophetæ; et cognitio causæ solum in effectu. Alii vero sunt modi cognoscendi rem in alio, qui per se non dicunt imperfectionem, ideoque ex hoc capite rejici nequeunt, et hujusmodi sunt cognitiones in causa, sive efficiente sive exemplari. Causæ vero hujusmodi vel sunt creatæ vel increata, Deus. Quoniam vero sermo est de futuris liberis in humanæ voluntatis potestate sitis, certum esse debet in nulla alia causa creata, saltem præter ipsam

(1) Vide *Theodic.*, vol. 1.um, num. 178, pag. 568 seqq.
(2) Suarez, opusc. *de scientia absolut. futuror.*, lib. 1, cap. 3, num. 1.

voluntatem liberam, cognosci actus et effectus ejus posse, secus enim possent illos cognoscere certo angeli, ac darentur in rerum natura causæ creatæ capaces determinandi voluntatem et consensum ejus extorquendi; quorum utrumque falsum esse ex alibi probatis innotescit. Restat ergo dubium, utrum Deus vel in sua essentia, vel in aliquo suo attributo, vel in voluntate ipsa creata, vel in quo tandem medio futura contingentia cognoscat (1).

Sententia prima.

Prima ergo sententia docet, Deum omnia cognoscere in suis ideis, quæ sunt exemplaria rerum omnium: idque non uno modo explicari potest. Hæc tribui solet S. Bonaventuræ (2), qui tamen non declarat modum, quo res intelligenda sit: et pro eadem citari solent Halensis, Cardin. Cajetanus (3) et alii (4): immo et ipse S. Thomas, cum scripsit Deo omnia esse ab æterno præsentia, *non solum ea ratione, qua* habet rationes rerum apud se præsentes, *ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate* (5). Et eum in sensum interpretantur S. Doctorem Cajetanus (6), Bañez (7) et alii.

Secunda,

Secunda sententia est, Deum futura contingentia videre in æterno decreto suæ voluntatis. Quæ sententia, ita generaliter expressa, est valde communis in omni schola; nam pro ea referri possunt Scotus (8), quem sequitur Bassolis et Faber (9): item Richardus, Major et Henricus alique (10). Et idem docent patroni physicarum prædeterminationum cum magistris Bañez (11), Zumel, Alvarez, Navarrete, Ledesma,

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., num. 2; Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 4, sect. 1.

(2) 1.° dist. 39, art. 2, quæst. 3.

(3) In 1.am part., quæst. 14, art. 13.

(4) Apud Suarez, op. cit., cap. 4, num. 2; et Ruiz de Montoya, ibid., disp. 24, sect. 3, num. 1.

(5) 1 p., quæst. 14, art. 13.

(6) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Contra secundam autem rationem conclusionis....*

(7) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Conclus.* 4.ª. Cfr. tamen P. Molina, In 1.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 14. *Verum dubium est...*

(8) 1.° dist. 39, quæst. unic., *Viso de contingentia...*

(9) Apud Ruiz, disp. 25, sect. 7, num. 2.

(10) Apud Ruiz, ibid.

(11) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *conclus.* 3.ª

Cabrera (1) et Joanne a S. Thoma (2): item Suarez (3). Ruiz de Montoya (4) aliique de nostris et extraneis. Quamquam diversitas ingens sit inter hos auctores; sive respectu qualitatis, sive etiam respectu extensionis ac necessitatis talis medii: unde in diversissimas scinduntur opiniones. Nam 2) alii volunt decreta hujusmodi, in quibus Deus videt futura esse absoluta et efficacia seu prædeterminantia, et servire ad cognoscenda omnia prorsus futura contingentia, sive sint actus boni, sive etiam peccaminosi, quos tamen multi negant cognosci nisi in decretis permissivis (5).

quæ diversimode explicatur, alia variis alia subdividitur.

3) Alii vero, nempe generatim Nostri, respuunt hujusmodi decreta, et statuunt decreta prædefinitiva, et non pro actibus malis, sed tantum pro bonis, sive pro omnibus sive pro aliquibus duntaxat secundum varietatem opinionum circa ipsas prædefinitiones. Et similiter Nostri auctores non stantuunt prædefinitiones tamquam media unica, nec proinde absolute necessaria ex natura rei (6).

Ad hanc sententiam, prout a nostris assertam, revocari potest expositio eorum, qui docent futura omnia videre Deum in suo decreto eligendi hunc rerum ordinem, qui modo datur, prælucente temen scientia media. Nimirum Deus, inquiunt, nostro modo intelligendi in signo priori ad libera sua decreta, per scientiam mediam cognoscit, quid quævis causa creata, etiam libera, factura esset in qualibet hypothesi vel conditione et in quibusvis adjunctis, in quibus versari posset; et, hac cognitione prælucente, libere eligit hunc ordinem rerum, in quo absolute ac de facto singulæ causæ versantur in his determinatis circumstantiis. Supposita ergo prædicta scientia,

(1) Apud Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 4.

(2) *Curs. Theol.* tom. 1, in 1.am p., quæst. 14, disp. 19, art. 3, *Dico* 2.

(3) Opusc. *de scient. absol. futur.* lib. 1, cap. 6, num. 4. seqq.

(4) Op. cit., disp. 25, sect. 3.

(5) Pro qua sententia laudantur Richardus a Media Villa (1.° dist. 38, art. unic., quæst. 5). Scotus (1.° dist. 39, *Viso de contingentia*; dist. 41, *Sed contra istud sequitur*, et *Quodlibet* 14), itemque Scotistæ Bassolis (1.° dist. 38, art. 2; et dist. 39, art. 2) ac Mayronis (1.° dist. 38, quæst. 1, art. 4, conclus. 5).

(6) Vide Ruiz, loc. cit., sect. 8; Martinez, controv. 3, disp. 7, sect. 1 et 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deus, eo ipso quod decernat certum rerum ordinem eligere, videbit absolute futura ea omnia, quæ antecedenter ad tale decretum viderat futura fore conditionate. Ita videtur rem declarare P. Molina (1), et alii.

γ) Demum inter eos, qui statuunt decreta divinæ voluntatis pro medio cognoscendi futura contingentia, sunt multi, qui recurrunt ad decretum concurrendi ad actiones liberas, sive bonas sive malas, quod est in Deo agnoscendum existere ab æterno. Hanc putat cl. P. Ludovicus De San (2) esse probabilius sententiam Scoti, quamvis illum non pauci scriptores propugnatorem fuisse physicarum prædeterminationum contenderint. Quo etiam revocari potest systema plurium Scotistarum, quos *Condeterminantes* dixere: qui «ducibus Josepho Neapoli a Drepano (3), Vulpe (4) ac Mastrio (5), ponunt cum Scoto Deum futura contingentia determinate cognoscere in suis decretis, quibus statuit concurrere ad tales vel tales determinatas actiones voluntatis creatæ. Addunt vero, contendentes se in hoc sequi Scotum, ea Dei decreta neque esse prædeterminantia, ut volunt noviores Thomistæ, neque esse consequentia ad determinationem voluntatis creatæ conditionate prævisam, uti volunt asseclores scientiæ mediæ, sed esse concomitantia sive *condeterminantia*. Vocant autem «decreta condeterminantia» efficacia et absoluta decreta, quibus, nulla præcedente prævisione saltem conditionata determinationis voluntatis creatæ, Deus non quidem ante voluntatem creatam, etsi sine ipsa, sed simul cum voluntate creata, et sic condeterminando, determinat, quænam volitiones a quaque voluntate ordine processuræ sint... Ajuntque hanc suam sententiam esse mediam inter extremas prædeterminationis physicæ et scientiæ mediæ. In

Scatenata Condeterminantium.

(1) Molina (in 1.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 14, conclus. 1.ª, disp. 15, *Juxta ea ergo*; disp. 71, *Triplicem*; disp. 18, memb. 1; *Concord.* disp. 47, conclus. 1.ª), Arriaga, *De Deo*, disp. 20, sect. 4.

(2) Tract. *de Deo Uno*, num. 19, in nota, ubi fusa atque erudite veram Scoti mentem conatur inquirere.

(3) In tract. manuscripto *de concordia concursus causæ primæ cum secundis*, disp. 1, art. 10; et disp. 2, art. 10 et 11.

(4) In *Summa*, tom. 2, part. 1, disp. 30, art. 8 et 9.

(5) *Disput. theolog. in Sent.* 1, dist. 3, cap. 3, art. 8.

eo enim eam consentire cum systemate prædeterminationis, et dissentire a systemate scientiæ mediæ, quod ponat Deum cognoscere futura contingentia in suis decretis, et non aliter; in eo vero eam consentire cum systemate scientiæ mediæ, et dissentire a systemate prædeterminantium, quod ponat voluntatem creatam non determinari ad suas actiones a voluntate divina» (1).

Tertia est sententia contendentium, futura contingentia cognosci a Deo in causa eorum proxima, nempe in voluntate «non quidem nude sumpta, sed ut applicata est hic et nunc, cum hoc judicio, hoc objecto, hac inclinatione ac denique cum omnibus aliis circumstantiis et auxiliis, quæ illam possunt vel impedire, vel determinare ad volendum» (2). Ita Durandus et Thomas Argentinas aliique (3); eumdem opinandi modum admittunt etiam Bañez (4), Didacus Alvarez, Ledesma (5) et cæteri Prædeterminantes, nam censent in voluntate jam prædeterminata cognoscere Deum actus et effectus, ad quos datur physica præmotio. Tertia sententia

Quarta denique sententia docet futura contingentia cognosci in se ipsis seu immediate in proprio ipsorum *esse*, quod habebunt extra omnem causam certo aliquo tempore. Hoc modo rem explicant communissime nostri Doctores cum S. Thoma, ut videbimus.

De his omnibus sententiis jam ferendum est breviter judicium, quia plenior horum tractatio ad Theologos spectat.

§ I.—AN DEUS FUTURA LIBERA VIDEAT IN SUIS IDEIS.

77. Respondendum videtur negative cum sententia satis communi. Noto autem, ne sit æquivocatio, hic quæstionem agitari de medio, in quo Deus futura contingentia, non

(1) Cl. P. De San, loc. cap. cit., num. 196, ubi plura, si cupis, ad rei expositionem require.

(2) Apud Suarez, opusc. cit., lib. 1, cap. 3, num. 3.

(3) Apud Suarez, ibid., et Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 75, sect. 3.

(4) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, dub. 1, conclus. 3.ª et 4.ª; et alibi.

(5) Apud Ruiz, ibid., num. 1.

abstractive, ut ita dicam, cognoscat, sicut in exemplari relucere possunt omnia exemplata, sive actu sint, sive actu non sint, sed tamquam existentia, ita ut illud medium se habeat instar determinantis ad certo et infallibiliter judicandam actualem eorum existentiam pro certa temporis differentia (1).

PROPOSITIO 1.ª **Idea seu essentia divina, ut imitabilis extra, non est ratio objectiva determinans divinam scientiam ad cognoscendum futurum contingens, aut ad certum judicium de illo ferendum.**

Ita Suarez (2), Vazquez (3), Ruiz de Montoya (4), Martinez (5), Albertinus (6) aliique plures cum Scoto et S. Thoma et aliis Scholasticis (7).

Idea divina non est ratio objectiva determinans Deum ad cognoscenda futura contingentia.

Probatur. Ideæ divinæ nequeunt esse medium prius cognitum determinans ad cognitionem futurorum, nisi habeant cum eis determinatam certamque connexionem. Atqui divinæ ideæ, secundum se consideratæ ac præscindendo ab omni alia re, non habent certam connexionem cum futuris contingentibus.

Et probatur. Quia si haberent ideæ divinæ secundum se determinatam connexionem cum futuris, eam haberent naturaliter ac necessario, nam in ideis præcisive sumptis et independenter a divina voluntate, nulla inest libertas. Jam vero ex hoc sequeretur futuritionem talium futurorum esse absolute necessariam, utpote connexam necessario cum antecedenti necessario. Ergo dici nequit in ideis divinis independenter ab omni alia re, certo cognosci posse futura contingentia.

Præterea ideæ divinæ ex se ipsis æque ac indifferenter repræsentativæ sunt horum vel aliorum futurorum, sive

(1) Cfr. Ruiz, disp. 24, num. 3-12.
(2) Opusc. cit., lib. 1, cap. 4, num. 7.
(3) In 1.am p., disp. 65, cap. 1, num. 3.
(4) Loc. nuper cit., num. 12 seqq.
(5) *Deus sciens*, controv. 3, disp. 7, sect. 1.
(6) *Corollaria seu Quæst. Theolog.* Quæst. princ., quæst. 2, num. 12 seqq.
(7) Apud Suarez et Ruiz, locis citatis.

possibiliter tantum futurorum, sive actu etiam, et in hoc aut in alio quovis tempore futurorum, ut evidens est. Exemplar enim, prout exemplar demonstrans rem factibilem, ex se non postulat, ut res fiat de facto, vel ut nunc vel alio tempore fiat. Ergo ideæ divinæ non possunt secundum se consideratæ Deum determinare ad futurorum contingentium cognitionem.

Mens S. Thomæ declaratur.

Nec vero S. Thomas, pro contraria sententia laudatus, videtur intelligendus esse in hoc sensu, in quo illum quidam interpretantur. Quia ubicumque hanc tractat materiam, immo et in ipso loco objecto, perpetuo recurrit ad cognitionem futuri in se ipso et ad præsentiam, quam illud habet in æternitate, ut rationem reddat infallibilis præscientiæ Dei (1). Audi Angelicum: *Idea proprie dicta respicit practicam cognitionem* **non solum in actu, sed etiam in habitu.** *Unde cum Deus de his, quæ facere potest, quamvis nunquam sint facta, nec futura, habeat cognitionem virtualiter practicam, relinquitur, quod idea* **possit esse ejus, quod non est, nec fuit, nec erit; non tamen eo modo sicut est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt,** *quia ad ea, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, producenda determinatur ex proposito divinæ voluntatis, non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt: et sic hujusmodi habet quodam modo indeterminatas ideas* (2). Ergo secundum hanc doctrinam idea *sola* non sufficit ad determinandam cognitionem rerum futurarum, sed aliquid aliud ponendum est.

Et ita etiam rem exponit Capreolus: «Idea licet naturaliter repræsentet quidditatem rerum creabilium, tamen rerum existentias repræsentat secundum arbitrium suæ voluntatis; divinus enim intellectus secundum nutum divinæ voluntatis

(1) Vide Suar., loc. cit., num. 7. Cfr. Molina, In 1.am p., quæst. 14, art. 13, disp. 14. *Verum dubium est...*

(2) *De verit.*, quæst. 3, art. 6 corp. Cfr. ibid. ad 3.um et 4.um Nihilominus in 1.ª p., quæst. 15, art. 3, ad 2.um S. Doctor scribit, rerum nunquam existentium non esse in Deo ideam, secundum quod idea significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem, quia respectu illarum non habet Deus cognitionem practicam, nisi virtute tantum: qua de re nonnihil dicetur inferius, ubi de ideis divinis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

potest accipere essentiam suam, prout perfectionem alicujus continet specificam, non recipiendo eam, prout continet esse illius; vel potest etiam eam accipere, ut continet essentiam cum quidditate; et ita aliqua idea repræsentat rem esse, et aliqua non. Similiter de aliquo repræsentatur, quod sit futurum, quod posset repræsentari non esse futurum. Unde idea quidditatis libere et non naturaliter repræsentat tales complexiones ad extra ponendas: ita quod idea repræsentans Socratem cursurum in A instanti, non naturali necessitate hoc repræsentat; immo posset repræsentare oppositum.

Et cum dicit arguens, quod ideæ sint in Deo ante actum voluntatis, etc., verum est quantum ad hoc, quod idea dicit in recto, scilicet divina scientia, sed non quantum ad respectum, quem importat ad creaturam in aliquo. Sicut enim dicit S. Thomas (1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 1): *Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione artificiati; primo scientia artificialis ostendit finem; secundo voluntas ejus intendit finem illum; tertio voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scientia se habet, ut ostendens finem, et voluntas ut dirigens actum et informans opus operatum.* Hæc ille. Ex quo patet, quod secundum eum *voluntas divina secundum rationem intelligitur præcedere actum intellectus, quo excogitatur idea*, sicut actus voluntatis præcedit actum intellectus artificis, quo excogitat formam artificiati (1).

Ipse etiam Cajetanus fatetur, «quod (ideæ divinæ) aliquid repræsentant mere naturaliter, puta quidditates rerum et *aliquid non mere naturaliter, sed naturaliter ex suppositione liberæ, scilicet existentias rerum et conjunctiones contingentes.* Illa enim repræsentant ante *omnem actum divinæ voluntatis; ista autem, supposita libera determinatione divinæ voluntatis ad alteram partem contradictionis* (2).

(1) Capreol. in 1.um *Sentent.* dist. 38, quæst. 1, art. 3, in respons. ad 4.um Aureoli contra 2.am conclusion. explicando secundam instantiam Scoti.

(1) Card. Cajetan. In 1 p., quæst. 14, art. 13, paragr. *Contra secundum autem...* in respons. ad 2.um argum. Scoti.

Quæ cum ita sint, nequeunt ideæ divinæ præscindendo ab aliquo alio, esse medium in quo Deus futura contingentia cognoscat. Si autem ad aliquid aliud recurrendum est, ideæ non sunt dicendæ simpliciter rationes objectivæ divinum intellectum determinantes ad futurorum contingentium notitiam.

Nec divina omnipotentia potest esse medium, in quo Deus videat contingentia.

78. **Corollarium.** Ob eamdem rationem patet etiam, omnipotentiam Dei non posse esse medium, in quo videat futura contingentia. Quia licet omnipotentia contineat existentiam omnium actuum liberorum, siquidem est virtus omnium eorum producendorum, tamen non connectitur necessario cum illis, quia dari potest omnipotentia sine illis. Quemadmodum ergo omnipotentia non est ex se determinata ad futura efficienda, ita neque etiam ad eadem repræsentanda, nisi aliunde accedat determinatio.

79. PROPOSITIO 2.ª **Ideæ divinæ, seu essentia Dei prout certo modo imitabilis ad extra, videntur posse esse medium, in quo futura contingentia cognoscantur ex suppositione, quod de facto erunt in aliquo tempore: minime vero si non aliunde supponatur eorum futuritio.**

Idea divina possunt esse aliquo modo medium, in quo ejusmodi futura cognoscantur, supposita eorum existentia.

Ita Ruiz de Montoya (1) et, ut videtur, Capreolus (2) cum S. Thoma (3). Et hoc modo fortasse conciliari possunt auctores utriusque sententiæ. Nam repræsentatio futurorum contingentium bifariam intelligi potest fieri: primo independenter ab omni alio, ita ut sola contemplatio essentiæ divinæ prout imitabilis sufficiat ad determinandum, ut ita dicam, intellectum Dei, ut cognoscat futura: et hunc sensum rejecimus in præcedenti propositione. Secundo, ita ut si supponatur res ipsas extituras esse, intellectus divinus respiciens ideam suam, possit in ea etiam illas prout existentes in tali tempore contemplari.

Probatur itaque. Divina essentia sub ratione speciei intelligibilis non est fœcundior et efficacior ad alia cognoscenda, quam in ratione medii, in quo cætera reluceant. Nam

(1) Loc. cit., disp. 24, sect. 3, num. 1 seqq. Cfr. ibid. sect. 4.
(2) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 3 in respons. ad 4.um Aureoli contra 2.am conclusion., exponendo ejusdem instantias.
(3) Vide S. Thom. 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sub utroque respectu infinita est: et sicut se ipsa est plenissima sufficientia in linea principii intellectivi, est etiam exemplar et idea omnium sive existentium sive non existentium, ita ut nulla creatura quidpiam habeat perfectionis, quod non sit imitatio ac deficiens expressio essentiæ divinæ. Atqui essentia divina, in ratione speciei eadem immutabilis permanens efficacissima est ad omnia repræsentanda etiam ut existentia, dummodo a parte rei supponatur illa existere. Ergo idem dicendum est de essentia divina, ut est idea et exemplar.

Brevius, paulo aliter. Quicumque comprehendit exemplar, potest in eo cognoscere omnia exemplata. Sed essentia divina est exemplar omnium, etiam futurorum liberorum, eamque Deus perfectissime comprehendit. Ergo potest Deus in idea sua videre contingentia futura, supposito quod sint.

Itaque sicut essentia divina est species repræsentativa omnium, etiam existentium, licet non præcise ab ipsa proveniat, quod Deus aliqua tantum existentia cognoscat, sed præsupponi debet, quod existant, ad hoc ut essentia divina per modum speciei faciat illa cognoscere tamquam existentia; simili modo non provenit quidem ab idea divina solum, quod in ea reluceant existentia tamquam existentia, sed nihilominus supposito quod existant, in essentia divina relucent tamquam existentia, ac proinde cognosci possunt in ea velut in medio præcognito (1).

Et hæc videtur etiam fuisse mens Angelici Doctoris: *Idea, quæ est in mente divina, pro tanto se habet ad rem, in quicumque dispositione sit, quia est similitudo rei secundum omnem ejus dispositionem, et ideo cognoscit de re in quacumque dispositione* (2). Atque eodem in loco cum hoc sibi quarto loco objecisset argumentum: S. Augustinus exponens illud: *Quod factum est, in ipso vita erat*, dicit (3), «quod res creatæ sunt in Deo tamquam arca in mente artificis. Sed artifex per *similitudinem arcæ, quam habet in mente sua, non cognoscit, an arca sit, vel non sit.* Ergo nec Deus cognoscit singulare esse

(1) Plura dabit Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 3 et 4.
(2) S. Thom., *de verit.*, quæst. 2, art 7, ad 6.um.
(3) S. August., tract. 2.º *in Joann.*

vel non esse»; ita respondet S. Doctor: *Ad 4.um dicendum, quod arca, quæ est in mente artificis, non est similitudo omnium, quæ possunt arcæ convenire. Et ideo non est simile de cognitione artificis et de cognitione divina* (1). Ergo Deus ex S. Thoma per suam ideam poterit cognoscere futura et existentia, quia illa re vera existent ex determinatione libera suarum causarum.

§ II.—UTRUM DEUS FUTURA CONTINGENTIA COGNOSCAT IN ÆTERNO DECRETO SUÆ VOLUNTATIS.

Status quæstionis.

80. Ut melius intelligatur status quæstionis, nota duplicem posse considerari in Deo voluntatem ab æterno circa actus liberos creaturæ prius ratione, quam cognoscantur esse futuri. «Una est circa actum ipsum absolute et secundum se, qua scilicet vult actum illum esse; alia est circa concursum suum ad talem actum. Prior voluntas interdum est inefficax seu simplex tantum effectus; de qua hic non est sermo, quia certum est ex illa non inferri infallibiliter futurum esse effectum, quia hæc solum est voluntas antecedens, quæ non semper impletur. Debet ergo esse voluntas efficax et ita absoluta, ut nullam includat conditionem, quæ ex vi et efficacitate ejus poni non possit. Et hæc dici solet *prædefinitio*, vel *prædeterminatio*, quia non solum ex æternitate præcedit temporalem determinationem ipsius voluntatis, sed etiam ordine rationis antecedit præscientiam ejus, et in ratione etiam causæ antecedit» (2).

Prædefinitio et prædeterminatio.

Nihilominus ex usu jam satis communi et definito vocum, non est idem prædefinitio, ac prædeterminatio, cum primam admittant plurimi, qui alteram respuunt. Prædefinitio ergo est propositum vel decretum divinæ voluntatis, quo absolute statuit, ut aliquid fiat in tempore, v. g. ut Petrus cras eliciat actum contritionis: ac proinde est actus immanens Deo. Prædeterminatio vero quandoque sumitur pro intentione et

Quæ propria prædefinitio

et prædeterminatio.

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 7, ad 4.um Cfr. ibid. ad 1.um; et *de verit.*, quæst. 3, art. 6, supra cit.; et 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 68 prope fin., et paragr. *Amplius sic Deus*....
(2) Suarez, *De scient. conting. futuror.* lib. 1, cap. 6, num. 3.

decreto hujusmodi efficaci divinæ voluntatis; et sæpe etiam ac multo frequentius pro physica et creata aliqua realitate seu præmotione causæ creatæ impressa, qua mediante decretum Dei ac propositum æternum exsecutioni mandatur in tempore (1). Immo prædeterminatio etiam in prima harum duarum aceptionum differt a prædefinitione, saltem ex usu auctorum, quia *prædeterminatio* sumi solet pro decreto divino absoluto penitus independenti ab omni scientia conditionate futurorum seu *media*, solamque præviam supponit scientiam simplicis intelligentiæ seu possibilium; at prædefinitio, prout ab innumeris auctoribus admittitur, prælucentem ac dirigentem habet scientiam mediam. Unde prædeterminatio importat tale propositum obtinendi effectum, ut eligat media *natura sua* efficacia et essentialiter connexa cum illo, nempe physicas voluntatis præmotiones; prædefinitio autem, saltem ut propugnatur a nostris Doctoribus, intendit effectum assequendum per media non natura sua efficatia vel efficaciter connexa cum effectu, quæ tamen per scientiam mediam prævidentur efficacia. Intelligimus igitur nomine prædefinitionis decretum divinæ voluntatis absolutum et efficax, quo voluit talem actum a me fieri, antequam præsciret absoluta præscientia me illum facturum, et antequam voluerit vel permiserit esse et applicari causas, quæ illum effectum sunt in tempore producturæ (2).

Jam decreta quidem prædeterminativa ab Auctoribus nostris aliisque multis ceu inimica libertatis creatæ repudiantur: itemque decreta prædefinitiva pravorum actuum, quia repugnare prorsus divinæ sanctitati videntur. Quod vero actus liberi honesti salva libertate a Deo prædefiniri absolute et efficaciter possint, ac porro prædefiniantur, et quidem singillatim et in particulari et cum omnibus circumstantiis, et non solum in genere tantum et in communi, sententia communissima est non solum inter PP. Prædicatores, quibus prædefinitiones idem valent, ac decreta prædeterminantia, sed

Quid conveniat inter diversos scriptores.

(1) Cfr. Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 38, sect. 1, num. 3.

(2) Suarez, Opusc. *De concursu Dei*, lib. 2, cap. 7, num. 5, ubi plura reperies.

etiam inter nostros ac cæteros scriptores (1), quibusdam tamen priscis Scholasticis dissentientibus (2).

Non autem convenit apud omnes, utrum Deus prædefiniat omnes actus bonos sive ordinis naturalis sive supernaturalis. De actibus bonis ordinis naturalis censent plures non prædefiniri omnes, sed aliquos tantum, illos nempe, qui necessarii sunt, vel de facto ordinantur ad finem aliquem efficaciter intentum a Deo ac præfinitum (3); circa actus vero ordinis supernaturalis communius videtur defendi, eos omnes singillatim a Deo efficaciter intendi ac prædefiniri (4), quamquam circa modum adest varietas sententiarum, prout videre est apud Theologos.

et quid disputetur.

Ut aliquid saltem noveris de hac diversitate opinandi inter nostrates, nota pro doctrinæ complemento ex cl. P. Mendive aliisque passim, prædefinitionem dividi ein *formalem* et *virtualem:* quarum prima Deus immediate intendit actum a creatura eliciendum, mediate vero et per modum consequentiæ auxilia salutaria ad ejus effectionem necessaria; secunda vero immediate intendit auxilium, mediate autem et consequenter actum ipsum cum eo infallibiliter connexum. Formalis prius ratione actum creaturæ absolute et efficaciter vult, quam Deus in particulari decernat auxilium, per quod hic actus efficiendus est. Virtualis e contra simul ratione intendit efficaciter actum et auxilium, hoc tamquam causam, et illum tamquam effectum: auxilium autem magis efficaciter vult, quam actum, quia in hunc eatenus fertur absolute, quatenus prævidetur infallibiliter connexus cum auxilio. Prædefinitio formalis potest concipi vel independens a scientia media, vel ab ea dependens. Si primum; decretum quoddam est intrinsece efficax atque antecedenter ad unam partem

Prædefinitio formalis et virtualis.

Varii modi, quibus prædef.

(1) Cfr. P. Dominic. Viva S. J., *Curs. Theolog.*, tom. 3, *de Gratia*, disp. 2, quæst. 1. Et vide Ruiz de Montoya, *De Providentia Dei*, disp. 9.

(2) Vide Ockam, 1.° dist. 38, quæst. unic. *Præterea quantocumque...*; Gregorium Ariminensem, 1.° dist. 38, quæst. 2, art. 2; apud Martinez, *Deus scitus*, controv. 3, disp. 7, sect. 1, concl. 2.

(3) Vide Suarez, opusc. *de Concurs. Dei*, lib. 2, cap. 7, num. 11 seqq.

(4) Vide Suarez, ibid. libr. 3, cap. 17, num. 6 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nitiones concipi praesunti

determinatum. Unde juxta superius dicta exercitium evertit libertatis humanæ, ac proinde admitti nequit. Si secundum; vel omnino efficaciter vult actum in se ipso, ita ut in virtute hujus intentionis teneatur Deus auxilium efficax ex omnibus possibilibus seligere; vel non tanta efficacitate ad illum fertur, sed tantum dependenter a determinato quodam auxiliorum numero illum vult. In primo casu juxta plures evertitur humana libertas non minus, quam per decreta Thomistica et Scotistica: quia quamvis dependeat etiam in essendo a scientia media et inde auxilio gratiæ inferat extrinsece tantum connexa cum actu præfinito; tamen, quoniam applicare immediate omnipotentiam ad concurrendum videtur, non relinquit concursum ejus indifferentem, prout ad libertatem requiritur (Cfr. Tyrsus Gonzalez, *Selectar. quæst.* tom. 2, disp. 13, sect. 7, num. 63). Suarez autem (opusc. *de auxil.* lib. 1, cap. 16; lib. 2, cap. 7; et lib. 3, cap. 17) illam tuetur. In secundo autem prædefinitio proprie non est formalis, sed virtualis; quia absolute et efficaciter non vult actum in se ipso immediate, sed in collectione illa auxiliorum determinata et circumscripta, a qua in existendo dependere supponitur; sicut non est propositum omnino efficax emendi equum illud, quo aliquis est determinatus ad solvendum pro eo quamdam tantum pecuniæ quantitatem. Prædefinitio autem virtualis tam in essendo, quam in operando, a scientia media dependens est: quia Deus non nisi per scientiam mediam videre cum certitudine valet per auxilium illud posse, salva creaturæ libertate, infallibiliter obtineri; cum auxilium debeat esse intrinsece indifferens» (1).

et quo pacto superari queant difficultates ex illis provenientes.

Difficultas vero est in concilianda prædefinitione actuum futurorum cum libertate creata: quæ difficultas a nostris Scriptoribus communiter enodatur recurrendo ad scientiam mediam, quæ præeat nostro modo intelligendi, ac dirigat decreta Dei, nec alia sane planior superest via rem declarandi. Sed nota bene prædefinitionem bifariam intelligi posse, dirigi ad dependere a scientia media, primo in operando seu eligendo media, non autem in essendo, et secundo tum in essendo tum in operando. Dependet solum in operando, et non

(1) Mendive, *de Deo uno*, num. 312-314.

in essendo, si prædefinitio actus alicujus datur in Deo antecedenter ad scientiam mediam, licet auxilia et media ad actum illum obtinendum non eligantur nisi post consultationem, ut ita dicam, scientiæ mediæ: quasi decernat sic Deus: *Volo omnino talem actum A, illum vero volo obtinere non nisi per media, quæ per scientiam conditionate futurorum fore video non ex intrinseca natura efficacia.* Ea est prædefinitio dependens ac directa per scientiam mediam tum in essendo tum in operando, quæ non prius decernit actum, quam cognoscatur per scientiam conditionate futurorum obtineri illum posse per talia auxilia non ex intrinseca natura sua efficacia; et hunc habet modum tendendi, si more humano concipere ac loqui divina audeamus: *Quoniam scientia mea demonstrat, auxilium A vel B vel C, si daretur, obtenturum esse talem consensum, decerno, ut adsit talis consensus, quem voluntas eliciet per auxilium v. g. A, quod scio efficax fore, licet non essentialiter ex natura sua connexum cum illo est.* Utcrque hic modus prædefinitionis differt aliquo modo a decreto prædeterminativo Thomistarum, utpote quod independens est a scientia media tum in essendo tum in operando; et sicut absolute decernit actum, ita etiam seligit media, quæ absolute et essentialiter ex intrinseca natura sua inferunt illum.

et quo sensu rejiciantur a nostris communiter.

Nihilominus adhuc prædefinitiones, scientiam mediam in essendo antecedentes, rejiciunt communissime Doctores Societatis (1) ut contrarias libertatis creatæ; sequuntur que prædefinitiones scientiam mediam tum in essendo tum in operando consequentes. Hujusmodi vero prædefinitiones libertatem non lædunt, nam licet sint æternæ, ideoque duratione præcedant actum ipsum in tempore ponendum, tamen intentionaliter ac logice, si scientiam mediam præsupponunt, posteriores sunt, ac proinde non imponunt necessitatem simpliciter antecedentem, sed tantum consequentem. Atqui necessitas mere consequens non lædit libertatem, utpote quæ impediri potest saltem indirecte a potentia libera. «Optime...

(1) Vide apud Thyrs. Gonzalez (*Select. disputat.*, tom. 2, disp. 4, num. 76), Viva (*Curs. Theol.* tom. 3, disp. 2, quæst. 5, ubi etiam ostendit hujusmodi prædefinitiones rejici a Suarezio, lib. 5 *de Grat.*, cap. 53, num. 4; cap. 54, num. 12).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cognoscit Deus, inquit Vazquez, quid sub conditione futurum esset hoc modo: *Si Petrus tali mea vocatione excitaretur, neque illi deesset concursus meus, quem vocatio tali arbitrio contemporata postulat, et qui sine vi et miraculo negari ei non potest, absque dubio consentiret; si vero tali cogitatione vocaretur, ipse mihi deesset, et ideo ego non deberem illi cooperari.* Cum ergo Deus has varias et innumeras combinationes vocationum cum cujusque arbitrio præsciat, et quid cum qualibet earum arbitrium esse facturum; in primo signo decernit absolute tali vocatione aliquem prævenire, cui responsurum esse sub conditione novit; in secundo vero decrevit cum determinatione voluntatis, quam sub conditione noverat absolute cooperari, ac proinde nostram determinationem suo decreto non antecedit, sed comitatur, et necessitas, quæ talem comitationem consequitur, nullo modo lædere potest nostri arbitrii libertatem» (1). Verum hæc, quæ tantum ad pleniorem rei declarationem scripta voluimus, ad Theologos spectant, et in scholastica Theologia fusius discutienda sunt.

81. PROPOSITIO 3.ª **Deus non videt futura contingentia in decretis prædeterminantibus.**

Deus non videt futura contingentia in decretis prædeterminantibus.

Ratio, quia licet si darentur tales prædeterminationes jam haberent ex intrinseca conditione ac natura sua infallibilem atque essentialem connexionem cum effectibus, qui proinde in illis certo cognoscerentur; nihilominus non dantur nec dari possunt decreta prædeterminativa, salva libertate, ideoque nequeunt Deo esse medium cognoscendi actus et effectus futuros.

Nec in prædeterminationibus scientiam mediam antecedentibus.

Hæc aliunde nunc supponimus. Idemque ob eamdem rationem dicendum esse arbitramur de prædefinitionibus scientiam mediam antecedentibus in essendo.

82. PROPOSITIO 4.ª **Posito quod dentur prædefinitiones, saltem virtuales ac sub directione scientiæ mediæ, potest Deus in illis videre futura, quæ sic absolute et efficaciter**

(1) P. Gabr. Vazquez, in 1.ᵐ p., disp. 99, cap. 7, num. 43. Cfr. ibid. cap. 6, num. 36.

prædefinivit. Nihilominus prædefinitio nequit esse prima ratio cognoscendi futura, sed necessario aliam priorem supponit, seu includit (1).

Nihil decernimus hic, ut vides, de prædefinitionibus, quantum ad earum existentiam, quamvis eas admittamus libenter cum communi sententia; est enim hæc quæstio ad Theologos spectans; hoc unum intendimus, prædefinitiones, quarum existentia non est hic probanda, posse esse medium, quo Deus futura libera cognoscat.

Prædefinitiones possunt esse medium cognoscendi futura contingentia.

Prima pars probatur. Quia prædefinitio sonat decretum divinum efficax, quod frustrari non potest, sed infallibiliter effectum obtinet. Ergo impossibile est Deum suam prædefinitionem adæquate cognoscere, quin simul in ea cognoscat rem prædefinitam esse futuram. Atqui Deus plenissime comprehendit suas prædefinitiones, si quæ dentur. Ergo...

Antecedens. «Non stat aliquid esse sic prædefinitum a Deo, et non fieri, alioquin voluntas Dei non esset efficax neque omnipotens. Et hoc sensu dixit Hilarius lib. 9 *de Trinitate: Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognoscit*» (2). Et S. Augustinus etiam scripsit: *Prædeterminatione sua Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus* (3).

Assertio hæc in sententia eorum, qui actum liberum divinæ voluntatis compleri dicunt per respectum rationis ad objecta ipsa, gravem patitur difficultatem, quæ solvenda in præsenti non est nobis, qui aliter de constitutivo divini actus liberi sentimus (4). Cæterum videri potest hac de re P. Franciscus Suarez (5). Quidquid vero sentiendum sit circa constitutivum divini actus liberi, certum omnino esse debet, Deum videre et comprehendere sua decreta omnia et prædefinitiones, idque sufficit, ut in illis etiam videre queat liberos actus et effectus voluntatis creatæ.

(1) Vide Suarez, opusc. cit., lib. 1, cap. 6, num. 4 seqq.; Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 23, sect. 4-5-6-7 et sect. 3, num. 5 seqq.

(2) Suarez, loc. cit., num. 4.

(3) *De Prædest. Sanctor.*, cap. 10.

(4) Vide *Theodic.* vol. 1.ᵐ, num. 178, pag. 570 seqq.

(5) Ibid. num. 5. Cfr. Martinez, *Deus sciens*, controv. 3, disp. 7, sect. 1, conclus. 2.ª.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quamquam ex una sunt prima ratio talis cognitionis

Secunda pars probatur. Prædefinitio ut terminata ad actum liberum creaturæ, necessario supponit in Deo facultatem efficaciter faciendi, ut ille actus infallibiliter fiat, et cognitionem mediorum, per quæ certissime obtinebit a voluntate creata illum actum, nempe supponit hanc scientiam conditionatam: *Si ego hoc vel illud facio circa hunc hominem, hoc volet: Si hic homo in tali opportunitate excitetur, vel moveatur, operabitur.* Ergo eatenus videre potest Deus in sua prædefinitione actus futuros, quatenus prævie scit per certa media et auxilia, quæ vult adhibere, illos infallibiliter futuros esse.

Antecedens patet, quia prædefinitio divina non minus prudens, quam efficax esse debet. Prudens autem esse non potest, nisi præsupponatur certa cognitio, qua Deus sciat sibi suppetere media ad finem, quem efficaciter vult, et quædam illa sint. Proprium quippe imprudentis ac temerarii est, scopum aliquem sibi absolute assequendum proponere, nihil cogitando de mediis. *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessari sunt, si habeat ad perficiendum?* (1).

Consequens autem probatur. Quia cum ante suam prædefinitionem Deus cognoscat voluntatem, si hæc vel illa media vel auxilia adjungantur, operaturam esse; aut cognoscit ex applicatione talium mediorum secuturam esse operationem propter intrinsecam et essentialem eorundem connexionem cum actu voluntatis, quia nempe inferunt per se ineluctabiliter determinationem ejus, aut solum propterea quod voluntas se ipsam ad agendum determinaret in præsentia talium mediorum. Primum horum supponimus nunc admitti non posse, quia pugnat cum libertate. Secundum autem ostendit prædefinitionem non esse primam radicem, cur Deus videat effectum futurum, quia prædefinitio non facit videre futurum nisi dependenter a prævia illa cognitione conditionali, qua præscitur, quod si darentur talia media, voluntas se ipsam determinaret, cognitio vero hujusmodi conditionalis non præsupponit aliam prævium prædefinitionem. Ergo licet

(1) Luc. cap. 14, vers. 28. Vide Suarez, loc. cit., num. 6 et 7; Ruiz disp. 25, sect. 3, num. 6 et 7.

prædefinitio possit esse medium cognoscendi futura contingentia, nihilominus non est prima radix talis cognitionis, sed necessario supponit aliam, unde ipsa habet, quod possit esse medium faciens cognoscere effectus prædefinitos (1).

Brevi, infallibilis connexio prædefinitionis cum futuro contingente, vel fundatur in causalitate, qua Deus medium physice prædeterminans applicabit ad extorquendum consensum voluntatis, vel in scientia media. Primum admitti nequit; secundum autem probat id, quod intendimus.

83. PROPOSITIO 5.ª **Prædefinitio nequit esse medium universale cognoscendi futura.**

Prædefinitio nequit esse medium universale cognoscendi futura contingentia.

Sane prædefinitio non est medium cognoscendi nisi ea, quæ prædefiniuntur. Atqui non omnia prædefiniuntur. Nam peccata certe, ut nunc supponimus, prædefinire Deus non potest, nisi fiat auctor peccati, quod repugnat sanctitati divinæ.

De actibus etiam bonis idem docebunt ii, qui non omnes illos prædefiniri opinantur: quam controversiam Theologis discutiendam relinquimus.

84. PROPOSITIO 6.ª **Decretum æternum concurrendi in tempore cum humana libertate ad talem actum non est sufficiens principium vel ratio illum cognoscendi, nisi aliunde juvetur: unde falsum est systema condeterminantium.**

Decretum divinum concurrendi ad actus liberos creaturæ non est sufficiens ratio illos cognoscendi, nisi aliunde juvetur;

Prob. 1.º «Quia vel illud decretum est absoluta et efficax volitio talis actus, vel non, sed tantum voluntas dandi concursum, qui ex parte Dei requiritur. Primum dici non potest, secundum autem per se non est sufficiens ratio cognoscendi futura. Ergo.....» (2).

Minor quoad priorem partem probatur primo, quia illa voluntas concurrendi non potest esse decretum efficax et absolutum, ut alibi probandum est; secus enim nemo haberet paratum concursum Dei ad ea opera, quæ non facit, siquidem non datur decretum absolutum et efficax, quod non impleatur. Itaque si decretum concurrendi foret absolutum et

(1) Vide Suarez (loc. cit.), et Ruiz de Montoya (ibid., sect. 3, num. 6 seqq. Cfr. sect. 8), apud quos plura require.

(2) Suarez, ibid., num. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

efficax, solum adest voluntati concursus paratus ad ea, quæ facit, et consequenter non inest ei potestas faciendi nisi illud quod facit; nam libertas præsupponit omnia prærequisita ad agendum necessaria, unum autem horum prærequisitorum est concursus Dei paratus.

Secundo, si decretum concurrendi foret volitio Dei absoluta et efficax, talis actus foret prædefinitio illius. Decretum autem concurrendi non est prædefinitio; nam decretum concurrendi est voluntas præstandi creaturæ operationem illam, sine qua repugnat absolute hanc operari. Jam vero ad exhibendum hujusmodi concursum non requiritur prædefinitio seu efficax et absolutas voluntas, sed sufficit indifferens, ut alibi ostendetur, et patet etiam in decreto concurrendi ad peccatum, quod nequit esse prædefinitivum (1).

Probatur jam Minor quoad alteram partem. Primo quia voluntas dandi concursum, qualis ex parte Dei requiritur, ut nunc supponimus debet esse virtualiter conditionata et indifferens natura sua, ita ut quantum est de se, possit etiam non habere effectum. Secus enim actum esset de libertate voluntatis creatæ. Atqui in medio non necessario ac determinate connexo nequit futurum cognosci. Ergo...

Præterea effectus futurus non est a sola voluntate et potentia divina, nisi etiam accedat voluntas creata, quæ cum divino concursu se ad agendum determinet; quia non vult Deus operari hic et nunc solus. Actio ergo et effectus ille futurus essentialiter procedit, ac dependet ab utraque voluntate. Atqui effectus dependens a duplici causa libera, cognosci certo nequit respiciendo unam tantum earum, siquidem frustrari ab altera potest. Ergo... (2).

Hæc, ut vides, validissime premunt Condeterminantes, secundum quos inter determinationem voluntatis divinæ concurrendi ac determinationem voluntatis creatæ nullus adest ordo causalitatis vel etiam præsuppositionis unius ad alteram, sed simplex ordo concomitantiæ. Ex quo sequitur divinam et creatam actionem posse non coire, et quando

(1) Vide Suarez, loc. cit., num. 9, apud quem plura ibid. num. 10 seqq.

(2) Vide Suarez, loc. cit., num. 13; Ruiz, disp. 25, sect. 10.

cœunt, casu coire. Nam, Deo volente ac decernente operari cum voluntate creata, potest hæc nolle operari, quandoquidem nullius alius supponitur ordo inter utriusque voluntatis determinationem, nisi simplex ordo concomitantiæ. Et quoniam aliunde negatur etiam a Condeterminantibus scientia media, plane nulla esse poterit in Deo cognitio certa et infallibilis determinationis futuræ in eorum systemate.

Dixi in propositione, decretum simpliciter dandi concursum non esse medium, quo infallibiliter futura contingentia Deus cognoscat, *nisi aliunde juvetur*. Si enim decretum hujusmodi præsupponat scientiam conditionatam de effectu reapse secuturo in tali tempore, dummodo præsto adsit concursus consentaneus ex parte Dei, potest concedi, quod decretum concurrendi conjunctum cum tali scientia media, sit aptum medium cognoscendi futura; sed semper remanet verum, quod futurum non cognoscitur ex vi solius decreti. Nam talis cognitio in virtute continet hunc syllogismum: *Si voluntas humana habeat æterno Dei decreto paratum concursum, hoc vel illud faciet. Sed habebit concursum ex vi decreti divini. Ergo voluntas hoc aut illud faciet.* Certum est autem in omni syllogismo unam tantum præmissam non sufficere ad determinandam cognitionem veritatis in conclusione contentæ. Unde adhuc explicandum superest, quod intendimus, scilicet qua ratione cognoscat Deus voluntatem humanam determinatum iri, sive nunc in scientia contingentium absolute futurorum, de qua modo disputavimus, sive in scientia conditionate futurorum, de qua inferius agendum est. Quare decretum divinum concurrendi non est per se sufficiens medium, in quo Deus futura cognoscat.

nempe ex scientia media.

85. **Corollarium.** Hinc patet etiam decretum divinum permittendi peccatum non posse per se solum esse sufficientem rationem, ut peccatum cognoscatur a Deo. Qua de re vide, si lubet, Eximium Doctorem (1), et P. Didacum Ruiz de Montoya (2).

Decretum permittendi peccatum non est ratio sufficiens ad illud cognoscendum.

(1) Loc. cit., num. 15.

(2) Ibid. disp. 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nec dicas cum Dominico Bañez, peccata videri a Deo posse per hoc solum, quod cognoscat suam voluntatem non decrevisse prædeterminare voluntatem creatam ad bene operandum, quia voluntas creata infallibiliter deficiet circa quamcumque materiam virtutis, nisi efficaciter determinetur a divina voluntate ad recte agendum (1). **Respondebo enim cum Francisco Suarez.** Vel peccata illa, quæ per carentiam prædeterminationis cognosci dicuntur, consistunt in sola negatione actus vel in actu aliquo positivo. Atqui neutrius generis peccata cognosci possunt per carentiam prædeterminationis.

Non primi generis. Quia vel notio illa, per cujus carentiam dicuntur cognosci hujusmodi peccata, est necessaria ad agendum, ideoque ad vitandum peccatum, vel non. Si non est necessaria: ergo sine illa potuit poni actus, ac proinde, sicut potuisset etiam in hoc eventu cognosci actus ipse independenter a tali motione, ita nec motionis negatio potest esse medium cognoscendi carentiam actus seu peccatum. Si vero est absolute necessaria motio ad ponendum actum, negata illa, impossibile erit ponere actum, ideoque dum negatur motio talis, non potest imputari voluntati creatæ omissio actus seu peccatum, utpote quod ineluctabiliter sequitur ex defectu motionis absolute requisitæ ad actus positionem. Nec valet dicere cum adversariis, talem actum homini fore culpabilem, quia per ipsum stat, quominus habeat illam Dei motionem. Nam respectu illius motionis homo tantum passive se habet, quia, ut supponitur, illa motio non est ipsamet operatio hominis, sed aliquid prævium illi datum, ut ita determinate operetur. Neque fingi potest, quid acturus sit homo, ut recipiat hanc motionem; oportebit enim illud esse aliquid liberum, et ad illud indigebit alia motione. Unde sistendum erit vel in motione, quæ sit a solo Deo, et non sit in potestate hominis: vel in aliquo actu bono libero, ad quem non sit necessaria talis motio, quod intendimus». Qua de re fusius agendum erit in tractatu de divino concursu, ubi exponenda erit prædeterminatio physica.

(1) Bañez, in 1.ª p., quæst. 14, art. 13, conclus. 4.ª, *Respondetur negando sequelam.*

Jam probandum est, nec peccata alterius generis, quæ consistunt in actu positivo posse per carentiam prædeterminationis cognosci. «Quia vel ad actum malum est necessaria eadem præmotio divina, quæ ad actum bonum, et sic ad cognoscendum illum non sufficiet cognoscere carentiam motionis ad bonum, sed oportebit cognoscere positive motionem ad malum: nam fieri posset, ut neutra daretur; vel non est necessaria talis motio Dei determinans ad malum: et tunc ex sola carentia motionis ad actum bonum, non potest cognosci actus malus, quia adhuc voluntas manet indifferens ad agendum vel non agendum: et non supponitur determinata ad aliquam motionem Dei. Ergo nullo ex his modis potest cognosci actus malus, vel bonus ordinis naturæ in sua causa» (1).

Difficultates, quæ contra doctrinam exposita fieri possent, petuntur potissime ex necessitate et existentia prædeterminationum physicarum, quam alibi profligabimus, itaque necesse non est nunc illas singillatim disolvere.

§ III. AN ET QUO SENSU DICI POTEST DEUS VIDERE FUTURA IN SE IPSO.

86. Ex hactenus dictis haud erit arduum definire, utrum recte dicatur, prout S. Thomas non semel scribit, Deum in se ipso videre omnia, non solum possibilia, de quibus superius disputavimus, sed etiam existentia. *Sic igitur*, concludit generaliter Aquinas, *dicendum est, quod Deus se ipsum videt in se ipso, alia tamen a se videt non in se ipsis, sed in se ipso* (2). Et in lib. 1.º *contra Gentiles* docet cum S. Dionysio (3), Deum alia omnia scire *sicut in essentia sua visa, et secundum continentiam causæ* (4), *vel in quantum est causa eis* (5), etc.

(1) Suarez, *de absoluta scientia futurorum contingentium*, lib. 1, cap. 3, num. 15.

(2) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 5 corp. Cfr. ibid. ad 1.um

(3) *De divin. nomin.*, cap. 7.

(4) *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 49 fin.

(5) *Contr. Gent.* ibid., cap. 65 initio. Cfr. cap. 66 fin.; cap. 68 initio.

PROPOSITIO 7.ª **Deus recte dici potest videre futura etiam contingentia in se ipso.**

Deus recte verèque dicitur videre etiam futura contingentia in se ipso.

Probatur. Deum videre omnia *in se* bifariam intelligi potest, in se tamquam *in medio quo* et instar speciei, per quam divinus intellectus determinetur ad cognoscenda objecta; et in se tamquam *in medio, in quo* prius cognito alia cognoscantur. Si res primo sensu accipiatur, certissimum est, Deum omnia *in se* videre, quia Deus non eget extranea specie vel determinatione, ut quidpiam cognoscat, sed per suam essentiam sufficientissimus est ad se ipsum ac cætera omnia intelligenda, quemadmodum fuse docuimus suo loco (1).

Si vero locutio illa in altero sensu accipiatur, etiam verissime dici potest Deus omnia videre in se ipso vel in sua essentia, et quidem tamquam in causa. Nam α) jam superius ostendimus posse Deum in suis ideis aliquo modo cognoscere futura contingentia, supposita eorum existentia. Atqui divinæ ideæ sunt divina Dei essentia. Ergo... β) Probavimus præterea, Deum videre in suis decretis prædefinitivis futura: decreta vero hujusmodi sunt ipsa essentia Dei, et veram causæ rationem habent respectu effectuum prædefinitorum. γ) Deinceps concessimus ipsum decretum dandi concursum ad actus voluntatis, *supposita scientia media*, posse esse medium certissimum ac metaphysice infallibile ad illos cognoscendos. Atqui decretum istud dandi concursum etiam identificatur cum essentia divina, et est causa futurorum actuum vel effectuum. δ) Denique in sententia S. Thomæ, eaque probabili, actio, qua Deus operatur ad extra, sive solus, sive concurrens ad actiones causarum secundarum, etiam liberarum, identificatur cum ipsa Dei essentia. Atqui actio, qua effectus vel actus quivis producitur, potest esse medium certum illius cognoscendi. Ergo negari nequit esse plures sanissimos sensus, quibus potest dici Deum omnia in se ipso cognoscere.

(1) Vide supra, num. 20, pag. 93 seqq.

§ IV.—UTRUM DEUS FUTURA COGNOSCAT IN CAUSIS EORUM PROXIMIS.

Status questionis.

87. Examinanda jam est tertia sententia eorum, qui arbitrantur Deum posse in ipsa comprehensione voluntatis creatæ videre certo futuros effectus respiciendo ipsam prout certo modo præmotam, aut saltem his vel aliis stipatam adjunctis, quæ valent illam aut ad actum impellere, aut ab eo retrahere. Quam doctrinam sequuntur Prædeterminantes, qui tenent in ipsa potentia voluntatis, prout a Deo prædeterminata, cognosci futuros actus liberos: itemque Durandus, Argentinas et alii, ut supra notabamus: et eamdem videntur etiam tenere Cardin. Toletus (1), ac multo apertius Cardin. Bellarminus (2). Huc quoque revocari potest sententia, quæ a quibusdam tribui solet P. Ludovico Molina, in eo sita, quod scientia divina ob suam infinitam perfectionem, «qua creatorum omnium non modo comprehensio, sed supercomprehensio est, in arbitrio et voluntate creata omnibus ad proxime operandum requisitis instructa, etiam congrua cogitatione in actu primo proximo nihilominus indifferente, nec undique determinata ad operandum, tamquam in medio, cognosci a Deo non solum quid possit (id enim comprehensionis cujusvis est), sed quid sit absolute factura, id quod divinæ supercomprehensionis est proprium, nempe ultra et supra naturalem medii ductum, et determinationem ad effectus ejus cognoscendos porrigi, et extendi» (3).

Et sententiæ.

PROPOSITIO 8.ª **Futura contingentia nequeunt certo in suis causis proximis ullatenus cognosci.**

Ita tenet communissima sententia nostrorum cum S. Thoma, Capreolo, Cajetano, Ferrariensi aliisque in articulo præcedenti allegatis (4).

(1) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Quæst. III.ª prima conclus.*
(2) *De gratia et lib. arbitr.*, lib. 4, cap. 15 in fin.
(3) P. Christoph. Ortega, *De Deo uno*, lib. 1, controv. 2, disp. 7, quæst. 3, certam. 3, num. 10.
(4) Num. 69, 72, pag. 229 et 238 ubi ostenditur futura contingentia non habere veritatem determinatam in suis causis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Futura contingentia nequeunt certo cognosci in suis causis proximis.

Probatur 1.º Non potest certo cognosci id, quod non habet veritatem determinatam. Atqui ostensum fuse est, futura contingentia, prout sunt in suis causis, non habere determinatam veritatem. Ergo...

Prob. 2.º «Posterior veritas non potest in priori certo cognosci, quoties potest non esse, manente priori veritate. Sed manente quacumque veritate cognita de voluntate cum omnibus causis juvantibus et circumstantiis, potest non esse futuritio (formalis) liberæ volitionis. Ergo futuritio liberæ volitionis non potest certo cognosci in voluntate cum omnibus auxiliis et circumstantiis, quantumcumque perfectissime cognita»...

Minor probatur Quia de ratione libertatis est, ut voluntas, positis omnibus requisitis ad agendum, possit operari, et non operari: et quælibet necessitas aut impossibilitas operandi, quæ præcedat liberam volitionem, et ponatur in voluntate independenter ab exercitio libertatis, directe repugnat libertati» (1).

Et re quidem vera, positis omnibus adjunctis et auxiliis motionibusque in voluntate, vel est prorsus impossibile ipsam non agere in sensu composito illorum, quia non habet potentiam physicam resistendi aut frustrandi efficacitatem talium mediorum; vel adjuncta illa et motiones atque inclinationes ita pertrahunt ad actum, ut relinquant voluntati vires ac potentiam physicam resistendi, licet morali quadam necessitate inclinent eam ad operandum; vel denique talia sunt adjuncta, ut supersit voluntati non solum potentia physica, sed etiam moralis, continendi actum, esto magis aut minus inclinetur ad illum. Primus casus est physicæ prædeterminationis, qua recepta, impossibile est metaphysice non seqci actum. Et in voluntate sic prædeterminata posset utique Deus videre etiam actum certitudine metaphysica; sed arbitramur nos, et inferius probabimus, prædeterminationes hujusmodi, salva libertate, consistere non posse. Cæterum soli Prædeterminantes assignant Deo hunc modum cognoscendi futura in voluntate creata; alii vero auctores,

(1) Ruiz de Montoya, *De scientia Dei*, disp. 73, sect. 5, num. 14.

ac nominatim Bellarminus, expresse excludunt hunc modum (1). In altero casu potest actus futurus videri in voluntate, sed solum certitudine morali, quia remanet potentia *physica* ad oppositum, idque possibile est physice, licet non moraliter. In tertio denique casu nequit prænosci certo actus futurus etiam sola certitudine morali, sed solum magis aut minus probabiliter, pro majori aut minori inclinatione voluntatis ad agendum. Jam vero cognitio divina futurorum debet esse certissima ac metaphysice infallibilis, nec potest esse tantum probabilis, nec etiam moraliter certa, siquidem cognitio moraliter duntaxat certa non est omnino infallibilis, nec proinde perfectissima.

Sententia P. Molinæ attributa rejicitur.

Atque hæc etiam valent contra sententiam Molinæ attributam. Nam quamquam Deus supercomprehendat creatam voluntatem, non potest videre in ea, quod non est. Voluntas vero creata, quamdiu remanet libera, nondum est determinata ad unam partem contradictionis in ipso actu primo, sed usque ad formalem actum secundum adhuc est, saltem physice, indifferens ad operandum vel non operandum. Quam indifferentiam nemo melius cognoscit, quam qui non solum comprehendit, sed etiam supercomprehendit (2) creatam voluntatem, Deus. Ergo impossibile est, ut Deus in ipsa creata voluntate, adhuc in actu primo existente, videat metaphysica certitudine actum vel effectum futurum liberum.

Dices. «Deus... quia perfecte cognoscit omnes propensiones et totum ingenium animi nostri, et rursum non ignorat omnia, quæ illi possunt occurrere in singulis deliberationibus,

(1) «Res est omnino difficilis, et fortasse in hac vita incomprehensibilis, qua ratione Deus futura prænoscat..., probabile tamen nobis videtur, Deum futuras actiones liberas non videre nisi in humana voluntate. Id enim significat in primis Scriptura, cum dicit Deum scrutari renes et corda, et in hoc Ps. 138, Deum investigare omnes semitas nostras. Nam *si videret eas in sua voluntate prædeterminante omnia, non diceretur scrutari corda nostra, et investigare semitas, sed tantum voluntatem suam.* Deinde non esset mirabile *Deum omnia præscire, si omnia prædeterminaret.* Nam *et nos facile scimus, et prædicimus, quæ facturi sumus, etc.* Bellarmin., *De grat. et lib. arbitr.*, cap. 5 in respons. ad 6.um argum.

(2) Vide quid sit supercomprehensio, in *Theodic.* vol. 1.º, num. 203, pag. 675.

et denique perspectum habet, quid magis congruum et aptum sit, ut moveat talem animum tali propensione et ingenio præditum; infallibiliter colligit, quam in partem sit animus inclinaturus» (1).

Respondeo, *neg.* assertum. Nam quando voluntas ponitur instructa omnibus illis motionibus et incitamentis, illisque septa adjunctis, quæ pro suo ingenio et propensionibus illam propellere ad actum, vel avertere possunt; aut consideratur jam in actu secundo sese determinans et eliciens operationem, vel adhuc in actu primo proximo, et nondum operans. Si primum dicatur, concedo in voluntate sic constituta videri posse actum ejus, sed id non foret videre actum illum in sua causa, sed in se ipso et jam extra causam. Si autem secundum dicatur, quantumvis intellectus comprehendat talem voluntatem, non potest in illa sola prævidere actum ponendum, nisi supponamus eam physice prædeterminatam. Ut enim salva maneat libertas, oportet, ut voluntas, quantumvis sit completa in actu primo et inclinata ad agendum, possit non agere. Actus vero primus non necessario connexus cum secundo, sed essentialiter separabilis ab eo, nequit ullum intellectum determinare ad certo cognoscendum actum secundum in tali actu primo (2).

Mens Aquinatis.

Hanc esse Angelici Doctoris sententiam, patet ex pluribus testimoniis ejusdem in præcedenti articulo allegatis (3). Hæc est enim constans Aquinatis doctrina, contingens, quamdiu est futurum, nempe prout adhuc contentum in causis, *non esse determinatum* (4), ideoque cognosci nullo modo posse cum certitudine in suis causis (5).

Video responderi posse, S. Thomam, quando negat futura contingentia certo cognosci posse in suis causis, intelligere causas, quatenus indeterminatæ sunt et incompletæ, non

(1) Gardin. Bellarmin., ibid.

(2) Cfr. Suarez, et Ruiz, locis citatis.

(3) Propos. 1.ª, num. 72, pag. 339 seqq.

(4) *De verit.*, quæst. 2, art. 12, ad 1.um, 9.um et 10.um; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5 corp. et ad 2.um

(5) *De verit.*, quæst. 2, art. 12, corp. et ad 6.um; quæst. 12, art. 10; *de malo*, quæst. 16, art. 7; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5; *Compend. Theol.* cap. 133; 1 p., quæst. 14, art. 13; *Ad Hannibald.*, lib. 1, dist. 38, quæst. 2, art. 1; 2.ª 2.æ, quæst. 171, art. 6, ad 2.um etc.

vero quatenus sunt determinatæ per decretum divinæ voluntatis (1).

Respondeo, id dici non posse absque manifesta vi contextui illata. Nam S. Thomas non semel, distinctis causis in naturales aut necessarias et in liberas seu contingentes, diserte docet effectus futuros in prioribus cognosci posse non solum a Deo, sed etiam ab intellectu creato, in causis autem liberis et contingentibus a *nullo* intellectu, etiam divino (2), posse cognosci (3). Jam absurdum est, supponere S. Thomam asserere futuris necessariis certam atque infallibilem cognoscibilitatem in causis incompletis; quia ex causa incompleta, utcumque sit natura sua necessaria, impossibile est sequi effectum, effectus autem quomodo cognosci potest in causa, ex qua repugnat ipsum procedere? Ergo cum S. Thomas docet effectus futuros certo cognosci posse in causis necessariis, considerat causas hujusmodi prorsus completas et in actu primo proximo constitutas cum omnibus prærequisitis sive ex parte causarum naturalium, sive etiam ex parte ipsius Dei, atque adeo etiam cum concursu divino consentaneo: solum enim ita constitutæ causæ necessariæ habent infallibilem connexionem cum effectibus. Ergo etiam quando S. Doctor negavit futuris contingentibus infallibilem cognoscibilitatem in suis causis liberis, considerat easdem pari modo completas. Nam evidenter voluit statuere oppositionem inter causas necessarias et contingentes respectu cognitionis effectuum futurorum in eisdem. Atqui nulla est oppositio in hoc, sed perfecta paritas, si causæ considerantur incompletæ, siquidem causæ incompletæ, sive sint necessariæ, sive sint liberæ, sunt incapaces producendi effectum ullum, quamdiu remanent incompletæ, nec possunt proinde ducere in

(1) Ita docet et interpretatur Angelicum Bañez, in 1.am part., quæst. 14, art. 13, conclusio 4.ª per totam, cujus intelligentiam ipsemet diserte explicat in paragr. *Ex dictis sequitur*...

(2) *De verit.*, quæst. 2, art. 12 corp. et ad 6.um Cfr. loca statim citanda.

(3) Vide *de malo*, quæst. 16, art. 7; *Periherm.*, lib. 1, lect. 13, paragr. *e*; 1 p., quæst. 57, art. 3; quæst. 86, art. 4; 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5; 2.ª dist. 7, quæst. 2, art. 2; *de verit.*, quæst. 8, art. 12.

cognitionem illius. Ergo mens Aquinatis est hæc, et non alia, ut doceat causas necessarias, si completæ sint, esse penitus determinatas ad agendum, ideoque determinare intellectum ad cognitionem effectus indeclinabiliter secuturi; causas vero liberas, utcumque completæ supponantur, quamdiu in actu primo sunt, nondum esse determinatas, nec proinde suppeditare medium infallibile ad cognitionem effectus, utpote qui adhuc possit hic et nunc non sequi (1).

Præterea idem evincitur ex eo, quod ubicumque S. Thomas versat quæstionem de cognitione futurorum, licet effectus necessarios doceat in causis videri, contingentes tamen contendit non posse cognosci infallibiliter nisi in se ipsis vel in præsentia suæ æternitatis (2); et ob eam causam etiam denegat intellectui creato cognitionem futurorum contingentium infallibilem, quia nimirum, cum intellectus creatus subjaceat ordini temporis, non potest videre illa in se ipsis, antequam sint; in causis autem suis non sunt determinata usque ad instans, in quo ab eisdem procedunt (3). Atqui hoc aperte demonstrat, S. Thomam non fuisse in ea sententia, quæ tenet futura contingentia cognosci in suis causis completis. Nam cognoscere aliquid in se ipso certe non est cognoscere illud in sua causa: et has duas cognitiones distinguit Angelicus apprime, et quia cognitionem contingentium arbitratur infallibilem esse non posse, ad cognitionem futurorum in se ipsis recurrit, ut asserat Deo scientiam eorumdem infallibilem. Ergo cum S. Doctor infallibilem Dei cognitionem futurorum contingentium semper explicat solummodo per scientiam illorum in se ipsis, censendus est exclusisse cognoscibilitatem ipsorum in causis utcumque completis, et consequenter negasse, quod causæ liberæ possint perfecte determinatæ esse antecedenter ad ipsum formalem actum, salva libertate.

Dices 1.° S. Thomas non uno in loco docet Deum cognoscere futura, etiam prout sunt in suis causis. Nam 2) in

(1) Vide omnino Suarez, *Prolog.* 2, tract. *de Grat.*, cap. 6, num. 9.

(2) Vide loca allegata in articulo præcedenti, prop. 3.ª, pag. 239 seqq.

(3) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 57, art. 3; quæst. 86, art. 4; *de malo*, quæst. 16, art. 7, et aliis in locis ibi citatis.

Summa Theologica hæc habet: *Deus... cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso* (1). 3) Et in *Summa Contra gentiles: Sicut ex causa necessaria certitudinaliter sequitur effectus, ita ex* causa contingenti completa, si non impediatur. *Sed cum Deus cognoscat omnia..., scit non solum causas contingentium, sed etiam ea, quibus possunt impediri.* Scit igitur per certitudinem, *an contingentia sint vel non sint* (2). 7) Item alibi: *In causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolute, sed in inferioribus nonnisi sub conditione* (3). Ergo dicendum est ex mente Angelici Deum, licet per impossibile non præsciret futura contingentia in se ipsis, adhuc præsciturum fuisse illa infallibiliter in eorumdem causis.

Respondeo, *dist.* anteced. S. Thomas docet, Deum cognoscere infallibiliter futura, prout sunt in causis, respiciendo illas duntaxat, *nego*; aliter, *concedo*. Et contrarium asserere est aperte Angelico Doctori repugnare: *Ex quo patet*, inquit, *contingens, ut* futurum *est*, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit. Unde cum divinæ scientiæ non subsit falsitas, nec subesse possit; impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt (4). Et ibidem inferius: *Sicut scientia nostra non potest esse de futuris contingentibus*, ita nec scientia Dei, et adhuc multo minus, si ea ut futura cognosceret; cognoscit illa autem ut præsentia sibi, *aliis autem futura. Et ideo objectio non procedit* (5).

Ad 2) Eadem esto responsio, quæ patet tum ex ineluctabili isto testimonio nuper allegato, tum ex ipso contextu loci objecti. Ibi enim hæc habentur: *Contingens aliquod dupliciter potest considerari: uno modo* in se ipso, *secundum quod jam actu est; et sic* non consideratur ut futurum, sed ut præsens, neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum. *Et propter hoc sic infallibiliter subdit*

(1) 1 p., quæst. 14, art. 13 corp.

(2) 1.° *Contr. Gent.* cap. 67. *Amplius, sicut...*

(3) *De verit.*, quæst. 12, art. 10, ad 12.um

(4) *De verit.*, quæst. 2, art. 12 corp.

(5) *De verit.*, quæst. 2, art. 12, ad 6.um

UNIVERSIDAD ANTONIO DE NEBRIJA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

potest certæ cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa; *et sic consideratur ut futurum, et ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita*. Et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. *Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso* (1); quæ ultima verba objiciebantur. Verba illa: *contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni*: et illa alia: *quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum*: generalia sunt, ac proinde comprehendunt omnino etiam cognitionem divinam, tum quia impossibilitas absoluta certo cognoscendi contingens in causa, petitur ex ipsa natura contingentium, quæ nondum determinata sunt, quamdiu intra causas delitescunt, natura vero rerum eadem est etiam respectu cujuslibet intellectus; tum quia propterea S. Thomas adjungit, Deum non videre contingentia *tantum* in causis, quæ oppositio evidenter ostendit præcedentia illa verba non restringenda esse ad intellectum et cognitionem duntaxat creatam; tum denique, quia si illa verba non essent extendenda ad cognitionem etiam divinam, inutilis foret tota explicatio præcedens duplicis modi cognoscendi futura contingentia: vel saltem debuisset S. Doctor reddere rationem, cur licet hæc prout sunt in causis nequeunt infallibiliter cognosci ab intellectu creato, possint tamen a divino. Manifeste ergo vim infert Bañezius verbis ac doctrinæ Aquinatis.

Instabis. Si in causis nequeunt cognosci certo etiam a Deo futura contingentia, et nihilominus S. Thomas dicit ea Deum videre tum in causis tum in se ipsis, ergo tribuit Deo cognitionem conjecturalem ac probabilem.

Respond., *distinguo*. Si daretur in Deo cognitio aliqua contingentium, solum prout in causis continentur, *trans.*; secus, *neg.* Nam cognitio Dei unica est, rem penitus comprehendens, et prout est in se, et dispositiones et habitudines causarum ad ipsam quamdiu intra causas continetur. Cognitio vero divina rei contingentis, quamdiu latet intra causas, hoc tantum refert, illam nondum esse determinatam, nec proinde certo et infallibiliter cognoscibilem, dum in eo statu versatur. Tota vero hæc cognitio certissima et infallibilis est.

Ad β) censeo locum illum intelligendum esse de contingentibus improprie et secundum quid, nempe non de liberis, sed de his quæ licet in causis suis sint determinata, quandoque tamen impediri possunt sive ex parte agentis sive ex parte recipientis actionem (1). Ratio autem est, 1.° quia in his utique sufficit cognoscere nulla esse impedimenta, quæ obstent actioni causarum, ad cognoscendos eo ipso cum certitudine effectus in causis; in his autem, quæ non sunt determinata ad agendum, sed se habent ad utrumlibet, etiamsi forent magis ad unam partem inclinata, non sufficit scire nullum adesse impedimentum certæ actioni obsistens, ut patet, quia non inest agenti plena determinatio. 2.° Quia hæc est doctrina sæpissime tradita ab Angelico, quem proinde arbitrandum non est secum pugnare voluisse in objecto loco. 3.° Non desunt alia loca simillima, in quibus S. Thomas contingentes vocat causas illas, quæ licet necessariæ sint seu natura sua determinatæ ad agendum, nihilominus propter impedimenta extrinsecus advenientia deficere possunt; et in his, ut per se patet, effectus cognosci certo possunt, si cognoscatur impedimenta nulla esse. Audi S. Doctorem: *Futurorum quædam sunt* determinata in suis causis, *quædam vero non habent causas determinatas, sicut quæ sunt ad utrumlibet. Quilibet autem effectus, secundum quod in causa sua determinatur, in ea potest cognosci. Si enim determinatur in ea, ut ex qua necessario contingat, certitudinarie cognoscetur, sicut sunt ea, quæ circa motum cæli accidunt, ut ortus et occasus et eclipses et conjunctiones luminarium, quæ omnia multo melius dæmones sciunt per species causarum innatas, quam astrologus per artem.* Si autem determinentur in causis, ut ex quibus frequenter

(1) 1. p., quæst. 14, art. 13 corp.

(1) Vide supra, num. 61, pag. 202.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

contingat, cum potestate tamen deficiendi in minori parte propter impedimentum ex parte agentis vel ex parte recipientis actionum, eorum præcognitio non certitudinalis, sed conjecturalis haberi potest. *Et hoc modo astrologus prædicit quædam futura, quæ consequuntur ex motibus cœlestis inferioribus, quæ tamen impediri possunt propter defectum inferiorum causarum. Et hæc præcognitio tanto magis ad certitudinem accedit, quanto ad unam plures causæ concurrentes cognoscuntur, et quanto virtus causæ melius scitur. Unde dæmones sublilissimi sunt in talium futurorum præcognitione. Sed ea, quæ non habent causas determinatas, ut quæ sunt ad utrumlibet, vel in minori parte, non possunt cognosci in causis suis, sed in se ipsis tantum, ut præsentia sunt: unde eorum præcognitio solius Dei est* (1). Et ita etiam hunc locum interpretantur Ferrariensis (2) et Gonetus (3).

Respondeo ad 1.um Ut objectio dissipetur, sufficit recitare integrum locum objectum, qui sic se habet: *dicendum, quod causæ superiores, quæ sunt rerum rationes in divina præscientia, nunquam deficiunt in adimplelione suorum effectum, sicut deficiunt causæ inferiores; et ideo in causis superioribus cognoscuntur rerum eventus absolute, sed in inferioribus non nisi sub conditione* (4). Quibus in verbis nihil est, quod adversariis prosit.

Dices 2.° S. Thomas in commentariis supra Magistrum (5) docet, scientiam Dei respectu futurorum contingentium subjacere libertati suæ voluntatis; scientia autem, quæ subjacet libertati voluntatis divinæ, subjacet ejus decreto, illique ut medio innititur (6). Et alibi sic ait S. Doctor: *Sicut Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cujuslibet rei, ita cognoscendo suum intelligere et velle, cognoscit omnem cogitationem*

(1) 2.ª dist. 7, quæst. 2, art. 2.

(2) In lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 67, in exposit. tertii argum., paragr. *Adverte, ut dictum est*.....

(3) *Manuale Thomistar.*, tom. 1, tract. 3, cap. 4, paragr. 1, *ad locum D. Thomæ respondeo*.....

(4) S. Thom. *de verit.*, quæst. 12, art. 10, ad 12.um.

(5) 1.ª dist. 39, quæst. 1, art. 1, ad 5.um.

(6) Ita R. P. Gonet, loc. nup. cit., paragr. 2, *Probatur 2.ª conclusio ex S. Thoma*.

et voluntatem (1). Et ibidem: *Dominium..., quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum et molestiam causæ exterius agentis: non autem excludit influentiam superioris causæ, a qua est ei* esse *et operari. Et sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus se ipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit* (2). Denique alibi ita: *Deus scit voluntates nostras, sic et alios suos effectus cognoscit per hoc, quod est nobis causa volendi* (3).

Respondeo. Hæc affert Gonetus ad probandum, quod ex mente Doctoris Angelici Deus futura contingentia cognoscat in decreto prædeterminante eorum futuritionem; sed mirum est virum, qui ubique videt prædeterminationem physicam, non potuisse reperire in tot operibus Aquinatis testimonia efficaciora. Nonne vel id solum argumento est, S. Doctorem nunquam cogitasse de talibus decretis? Itaque negamus consequentiam: illa quippe non probant intentum.

Principium, quod R. P. Gonetus primo loco mutuatur ex Aquinate, hisce verbis exprimitur: *Ad quintum dicendum quod licet* esse (Dei) *et scire sint idem secundum rem, tamen scire sequitur voluntatem, ut imperatum ab ipsa,* esse *autem non; et ideo* esse *suum non subjacet libertati voluntatis, sicut scire operativum creaturæ* (4). Quibus ex verbis hoc unum elicitur, dari in Deo scientiam liberam, dependentem a divina voluntate: id quod verissimum est, siquidem nequit Deus quidpiam creatum cernere tamquam existens, nisi præsupposito decreto suæ voluntatis ponendi omnia, quæ requiruntur ad existentiam illius rei. Ubinam autem est in prædicto loco vel minima mentio vel umbra etiam decreti prædeterminantis?

Reliqua omnia testimonia nihil aliud habent, nisi quod Deus in sua volitione, vel in influentia et motione, qua movet nostram voluntatem, et causat volitiones nostras cognoscere illas. Atqui iterum hic nihil dicitur de decreto prædeterminante aut de physica prædeterminatione. Ergo falso

(1) 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 68, argum. 3. *Item*...

(2) 1.ª *Contr Gent.*, cap. 68 fin.

(3) 3.ª *Contr. Gent.*, cap. 56, *Amplius*...

(4) 1.ª dist. 30, quæst. 1, art. 1, ad 5.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

imputat Gonetus Sancto Thomæ suam opinionem. Quidquid enim S. Doctor scribit, possumus etiam dicere nos, licet rejiciamus physicas prædeterminationes: et supra ostendimus Deum videre posse futura contingentia in suis decretis vel in sua voluntate. Ut ergo R. P. Gonet suum esse S. Thomam evincat, debet probare Angelicum per volitionem in qua Deus videt voluntatem nostram, intelligere decretum prædeterminans; et per influentiam et motionem, qua operatur in voluntatem, nihil aliud voluisse significare nisi physicam prædeterminationem. Et donec id probent, quod profecto nondum probarunt, frustra se protegent adversarii auctoritate Aquinatis.

Instabis. Ut volitio vel decretum divinum ducat infallibiliter in cognitionem futurorum, oportet 1.° ut præcedat illa saltem prioritate naturæ et causalitatis, et 2.° ut cum illis necessarium vel infallibilem nexum habeat. Atqui solum decreto prædeterminanti conveniunt hæ duæ conditiones. «Si enim sit indifferens, non habebit nexum infallibilem cum actibus voluntatis humanæ, quia poterit indifferenter cum consensu vel dissensu componi. Si vero prævisionem supponat futuri consensus et determinationis voluntatis humanæ, illam non causat, nec per consequens eam prioritate naturæ et causalitatis antecedit. Ergo solum decretum prædeterminans potest habere rationem medii, in quo Deus certo et infallibiliter futura contingentia cognoscat (1).

Respondeo 1.° *neg.* Minor. Nam duæ illæ conditiones etiam quadrant in decretum prædefinitivum sub directione scientiæ mediæ, quod ideo præferendum est decreto prædeterminativo, quia non lædit libertatem creatam, sicut hoc postremum lædere omnino videtur. Unde

Respondeo 2.° *dist.* Major. Ut volitio vel decretum divinum ducat infallibiliter in divinam cognitionem, requiruntur duæ illæ conditiones, ita ut nullum aliud incommodum insit, *conc.*; si aliquod insit incommodum, *neg.* Et *contradist.* Minor. Ita ut in decreto prædeterminativo insit maximum incommodum læsæ libertatis creatæ, *conc.*; secus, *neg.*

(1) Gonet, loc. cit., paragr. 2, in respons. ad *Dices*, ante *Objectionem* 1.am

§ V. UTRUM DEUS FUTURA CONTINGENTIA COGNOSCAT IN SE IPSIS.

88. PROPOSITIO 9.ª **Deus cognosci libera contingentia absolute futura in se ipsis, adeo ut ratio sufficiens, cur Deus infallibiliter cognoscat ab æterno futura hujusmodi, sit actualis eorum existentia pro aliqua temporis differentia.**

Deus futura contingentia videt in se ipsis.

Ita S. Thomas (1), Scotus (2), Gregorius Arminensis (3), Ockamus (4), Gabriel Biel, Joann. Major, Richardus a Media Villa et Henricus Gandavensis (5), Capreolus (6), Cajetanus (7), Ferrariensis (8) aliique apud Didacum Ruiz de Montoya (9). Et hanc sententiam communissime sequuntur auctores nostri cum Card. Toleto (10), Suarezio (11), Vazquezio (12), Ruiz de Montoya (13), Valentia (14), Fonseca (15),

(1) 1.p., quæst. 14, art. 13, quæst. 57, art. 3; quæst. 86, art. 4, 2.ª 2.æ quæst. 171, art. 6, ad 2.um; quæst. 174, art. 1 corp. et ad 1.um; 1.ª *Contr. Gent.* cap. 66 fin. et cap. 67; 1.° dist. 38, art. 5; *de verit.*, quæst. 2, art. 12; quæst. 12, art. 10; *ad Hannibald.*, lib. 1, dist. 38, quæst. 2, art. 1 corp. et ad 1.um; *de malo*, quæst. 16, art. 7; *Compend. Theolog.* cap. 133 et 140 et aliis locis in præcedenti articulo allegatis.

(2) 1.° dist. 39, paragr. *Visa de contingentia*, ubi duplex modus futura cognoscendi indicatur, in decreto Dei, et in se ipsis.

(3) 1.ª dist. 39, quæst. 2, art. 2.

(4) Ibid., quæst. unic. fin.

(5) Apud Martinez, *Deus sciens*, controv. 1, disp. 7, sect. 2.

(6) 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 2, conclus. 2.ª, et in respons. ad argum. Aureoli contra 7.um conclusion.

(7) In 1.um p. Divi Thomæ, quæst. 14, art. 13; quæst. 57, art. 3; quæst. 86, art. 4; 1.ª 2.æ, quæst. 40, art. 7 post med.

(8) In lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap 67 et 66 in fin.

(9) *De scientia Dei*, disp. 29, sect. 1.ª

(10) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, quæst. 3.ª, conclus. 1.ª

(11) Opusc. *de scient. futur.*, lib. 1, cap. 8.

(12) In 1.am p., disp. 64, cap. 5, num 33 et 34; disp. 65, cap. 4.

(13) *De scientia Dei*, disp. 29.

(14) In 1.am p., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 2, *Tertia et quarta assertio*.

(15) *Metaphys.* lib. 6, cap. 2, quæst. 4, sect. 2, sect. 9 med., et sect. 10 fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Albertino (1), Lessio (2), Becano (3), Henao (4), Tanner (5), Theophilo Raynaudo (6), Amico (7), Antonio Mayr (8), Georgio Rhodes (9), Nicolao Martinez (10). Ad quos accedunt etiam multi Scotistæ, ac nominatim Philippus Faber (11) et Pontius (12).

Prob. 1.º Deus actu existentia et etiam præterita cognoscit in se ipsis. Ergo etiam futura contingentia debet cognoscere.

Prob. conseq. α) quia scientia Dei est invariabilis, ac proinde quod semel repræsentat, semper debet repræsentare, quin expectet, quoadusque res in se ipsis existant. β) Ut actu a tota æternitate repræsententur futura, non est necesse, ut semper actu sint; tum quia nihil agere debent in intellectum divinum, qui se ipso sufficientissimus est ad repræsentandum quidquid cognoscibile est eo modo, quo cognoscibile est; tum quia nec quidpiam recipiunt, ex eo quod actu cognoscantur, antequam sint, siquidem cognitio est actus immanens nihil efficiens aut ponens in termino suo. γ) Eadem est ratio pro futuris, ut cognoscantur in se ipsis, antequam existant, et pro præteritis, quando jam non amplius existunt. Vel ostendatur ab adversariis discrimen, quod sane nos perspicere non possumus.

---

(1) *Corollaria*, quæst. 2 theolog. ex quart. *Princip. Philos.*, num. 22.

(2) *De Grat. effic.*, cap. 10, num. 4; cap. 20, num. 7-8.

(3) *Summ. Theolog. Scholast. De attributis divinis*, cap. 10, quæst. 6 et 11.

(4) *Scientia media historice propugnata*, eventil. 39.

(5) *Theolog. Scholast.* tom. 1, *de Deo*, disp. 2, quæst. 6, dub. 8.º, assert. 7.ª

(6) *Theolog. natur.* dist. 8, quæst. 1, art. 2, num. 35.

(7) *De Deo*, disp. 12, sect. 12, num. 215.

(8) *Theolog. scholast.* tract. 1, *De Deo*, disp. 3, quæst. 4, art. 3.

(9) *Disputat. Theolog. scholast.*, tom. 1, disp. 3 *de Deo*, quæst. 7, sect. 2, paragr. 4.

(10) *Deus scibus*, controv. 3, disp. 7, sect. 2.

(11) In libr. 3.º *Sentent.*, disp. 39, disp. 55, cap. 2.

(12) *Theolog. cursus.* tract. 1, disp. 5, quæst. 6, conclus. 4.ª

Prob. 2.º Cognoscere Deum futura in se ipsis nihil aliud est, quam quod *esse* proprium illorum determinet divinum intellectum ad immediatam repræsentationem illorum, ita ut licet nullum aliud medium suppeteret, in quo illa cognoscerentur, adhuc repræsentarentur secundum totam suam entitatem, et circumstantias atque affectiones omnes. Atqui hoc modo cognoscuntur a Deo futura contingentia. Ergo..

Minor probatur. Quia futura illa suam habent entitatem distinctam ab omnibus suis causis, ac proinde cognoscibilitatem. Ergo cognoscere illa perfectius est, quam non cognoscere.

Nec vero importat imperfectionem iste modus cognoscendi, quia futura contingentia non dicuntur determinare intellectum divinum ad illa repræsentanda per modum principii formalis et efficientis, sed solum per modum pure conditionis, necessariæ tamen ad hoc, ut cognitio illorum detur. Hoc autem modo Deum determinari perinde est, ac dicere, ex sua infinitate virtutis intellectivæ et ex infinita fœcunditate suæ essentiæ per modum speciei intelligibilis determinatum esse, quantum est de se, ad cognoscenda futura contingentia tamquam existentia in se ipsis et extra causas, supposito quod existant, et pro tempore, quo existent. Deus enim utcumque sufficientissimus ad omnia cognoscenda, non tamen cognoscit nisi id quod est, et prout est, ideoque non cognoscit tamquam existentia nisi ea, quæ reapse existunt pro aliqua temporis differentia, nec dependet a necessitate suæ naturæ, quod repræsentet me v. g. nunc scribentem, vel pro crastina die loquentem, sed quasi expectare debet, vel præsupponere, quod de facto nunc scribam, vel cras loquar, et hoc supposito non potest non ita repræsentare. Et in hoc sensu ipsa futurorum existentia dicitur determinare per modum puræ conditionis divinam cognitionem. Et sic quemadmodum res actu præsens supposita specie cernitur ab oculo in se ipsa sine ullo medio, ita Deus, qui est sua virtus cognoscitiva et sua species, intuetur existentia omnia futura in se ipsis, quin egeat ullo medio. Unde etiamsi Deus per impossibile non foret idea rerum omnium efficiendarum, nec omnipotentia omnia efficiens, nec haberet æternum decretum creandi et operandi

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad extra; solum per hoc, quod est infinita virtus cognoscitiva et species infinite repræsentativa, omnia existentia, sive præsentia sive futura, in se ipsis cognosceret; siquidem ad cognitionem nihil aliud formaliter ac præcise requiritur præter objectum, virtutem intellectivam et speciem (1).

Brevius: Ad eminentiam divini intellectus spectat cognoscere quidquid sine imperfectione cognoscibile est. Est enim intellectus divinus infinitus in genere virtutis cognoscitivæ, sicut etiam essentia divina est infinita in genere speciei, capacis repræsentandi quamlibet veritatem. Atqui futura contingentia in se ipsis et secundum entitatem atque *esse* proprium et distinctum a suis causis, quod habebunt in aliqua differentia temporis, sunt aliquid cognoscibile sine ulla imperfectione. Ergo.....

Minor probatur, quia cognoscibilitas sequitur entitatem, futura vero contingentia jam habent pro futuro tempore veram ac propriam in se ipsis entitatem. Ergo et cognoscibilitatem. Nec vero cognoscere illa in se ipsis importat in divino intellectu imperfectionem, quia non ideo accipit cognitionem ab illis, seu non sunt illa principium divinæ cognitionis, cum non repræsententur per speciem ab eis impressam; sed sunt purus terminus.

Deus ita cognoscit res in se ipsis, ut simul perspiciat emanationem earum a suis causis.

Cæterum probe nota, quamvis futura cognoscantur a Deo in se ipsis, et non solum in virtute causæ; tamen non cognosci præscindendo a causa, sed videndo simul emanationem a causa. Et ratio est, quia scientia Dei est intuitiva et perfectissima et comprehensiva talis effectus futuri, quare non potest illum videre nisi emanationem a sua causa simul intuendo, secundum alibi traditam notionem cognitionis comprehensivæ (2). Et quoniam duplex est causa, a qua actus liberi procedunt, nempe voluntas ac potentia divina et voluntas humana, utriusque determinationem atque actionem oportet, ut Deus cognoscat, ad hoc ut liberum actum vel effectum futurum videre dicatur (3).

(1) Vide Suarez, Ruiz de Montoya et Martinez, locis citatis.

(2) Vide *Theodic.*, vol 1.um, num. 200, pag. 660.

(3) Cfr. Suarez, *de absolut. scient. futuror. conting.*, lib. 1, cap. 8, num. 12-13.

Objectiones solvuntur

89. **Dices 1.°** Quod non est, non scitur, nec sciri potest in eo, in quo non est. Sed futura contingentia non sunt ab æterno in se ipsis. Ergo neque cognoscuntur ab æterno in se ipsis.

Respondeo, *dist.* Major. Quod non est nec unquam erit, non scitur; nec sciri potest in eo, in quo nec est, nec unquam erit, *conc.*; quod non est, sed erit, non scitur, neque sciri potest in eo, in quo non est quidem actu, sed erit in aliqua temporis differentia, *subdist*; non scitur ab intellectu creato, *conc.*; ab increato et infinito, *neg.*

Et *concessa* Minori, *neg. conseq.*

Dices 2.° Quod in alio objecto cognoscitur, in se ipso non cognoscitur. Sed futura contingentia cognoscuntur in divino decreto prædefiniente, aut etiam in decreto concurrendi, ut superius admissimus. Ergo.....

Respondeo, *dist.* Major. Quod in alio cognoscitur, non cognoscitur in se ipso sub ea ratione, *conc.*; sub alia et diverso modo, *nego*. Nihil enim vetat, quominus diversis modis res cognoscatur, si diversis modis cognoscibilis est. Sic potest res aliqua videri in se ipsa et etiam in speculo: et cognosci potest Petrum esse rationalem, et a priori, quia est homo, et a posteriori, quia loquitur sapienter, ac ratiocinatur. Cæterum jam monuimus, licet Deus cognoscat futura etiam in suis decretis ad talem cognitionem præsupponendam esse cognitionem eorumdem in se ipsis, saltem ut conditionaliter futuris (1).

Dices 3.° Si Deus cognosceret futura in se ipsis, determinaretur ab illis ad cognoscendum. Atqui divinus intellectus nequit ad ullo objecto creato determinari ad cognitionem. Ergo..... **Prob. Minor.** Quia si determinaretur a creatis objectis, indigeret illis ad cognitionem; et quoniam cognitio Dei est ejus *esse*, indigeret objectis creatis ad essendum.

Respondeo, *dist.* Major.: nequit divinus intellectus determinari ad cognoscendum ab objectis creatis, tamquam a causa, motivo vel objecto formali cognitionis, *conc.*: tamquam a conditione, ut possit divina cognitio terminari ad illa objecta, *nego*. Sicut enim Deus ut cognoscat creaturas possibiles,

(1) Cfr. Ruiz de Montoya, disp. 29, sect. 2, ubi plura.

oportet ut illæ præsupponantur possibiles, ita etiam ut cognoscat futura, debent ipsa præsupponi, secus non determinabitur Deus ad eorum cognitionem. Hoc vero nullam importat in Deo indigentiam vel dependentiam, nisi *grammaticaliter*, ut ajunt, et in sensu nullam involvente imperfectionem.

ARTICULUS IV

Utrum omnia futura Deo in æternitate ita sint realiter præsentia, ut illi ab æterno cõexistant.

Duplex præsentia, objectiva vel intentionalis et realis.

90 Ut melius intelligatur quæstio, distingui solet duplex præsentia rei, altera *objectiva* seu *intentionilis*, altera *realis*. Objectiva, ut a multis declaratur, consistit in eo, quod res cognoscatur: cognitum enim est in cognoscenti, ac proinde quævis res, quatenus cognita, intime præsens est cognoscenti, licet in se non existat (1). Præsentia vero realis per oppositionem ad objectivam consistit in eo, quod res existens coram alio sistatur. Sunt tamen, qui objectivam duplicem cognoscant, alteram in actu secundo, quæ est eadem cum objectiva nuper declarata, et alteram objectivam in actu primo, quæ antecedit cognitionem, et consistit in aptitudine terminandi cognitionem: quo modo visibile, quod est in apta distantia ad imprimendam sui speciem, objective præsens dici potest in actu primo.

§1. EXPONUNTUR SENTENTIÆ

Declaratur opinio asserens.

Hisce præmissis celebris est sententia asserens res omnes, quæ in tempore fiunt, semper esse præsentes æternitati Dei secundum suum esse reale prius ratione, quam cognoscantur, ita ut, quia essentia Dei est æterna, etiamsi per impossibile non foret cognoscitiva, intelligenda tamen foret jam inde ab

(1) Vide *Psychelog.* vol. 2.ºº, num. 41 seqq. pag. 174 seqq.; et num. 44-45, pag. 186 seqq.

æterno realiter omnibus rebus cõexistere, et vicissim res omnes illi. Et ratio est, quia æternitas in se indivisibilis existens, omnia tempora complectitur: unde quidquid in tempore existit, etiam existit in æternitate, et, quamvis in se non semper sit, tamen in æternitate semper est ab æterno, ac proinde cõexistit æternitati. Dicendum ergo est, res ab æterno esse Deo præsentes, non *objective* solum, seu quatenus a Deo cognoscuntur, sed etiam *realiter* seu secundum *esse* proprium earum, quatenus eidem reapse cõexistunt (1).

Declaratur res amplius. Præsentia realis cõexistentiam importans duarum rerum ex eo habetur, quod una res sit in eodem *instanti* vel *nunc* durationis, in quo est altera; sicut præsentia importans cõexistentiam duorum in loco verificatur per hoc, quod unum sit cum alio in eodem loco. Jam vero duplex *instans* vel *nunc* distingui potest, *nunc* temporis et *nunc* æternitatis (2). Et in tempore quidem infinita sunt *instantia* vel *nunc*, alia post alia successive labentia; aliud enim

(1) Audi Card. Cajetanum, unum de præcipuis assertoribus hujus doctrinæ: «Sciendum est igitur primo ad evidentiam terminorum, quod *esse præsens seu cõexistere* æternitati, formaliter loquendo, abstrahit a *præsentia cogniti ad cognoscentem*, quoniam si æternitas *esset res non cognoscitiva, et lapis quandoque esset, esset vera præsentia sive cõexistentia absque cognitione aliqua*. Patet quoque ex hoc et ex littera textu S. Thomæ, (1 p., quæst. 14, art. 13), quod sermo est de *esse rerum, quæ fiunt in tempore, non objectivo, nec potentiali*, etc., sed de esse in actu in rerum natura secundum se ipsas extra causas suas: ita quod sermo præsens est de cõexistentia reali contingentium in actu ad æternitatem. Et sic cum dicitur omnia esse præsentia æternitati, sensus est omnia *secundum suum esse in actu in rerum natura*, sunt præsentia, id est cõexistunt æternitati». Cajetan. In 1.ºº p., quæst. 14, art. 13, paragr. *Ad hoc objectores*....

(2) «Res temporales esse præsentes æternitati, potest intelligi dupliciter: uno modo sic, quod in quolibet *nunc* temporis sint præsentes æternitati, ita quod cõexistentia cujuslibet rei ad æternitatem mensuratur quolibet instanti temporis. Et hunc sensum acceperunt, quantum videtur mihi, adversarii ex verbis S. Thomæ. Sed erraverunt: hoc enim nunquam somniavit S. Thomas, immo manifeste implicat contradictionem. Alio modo potest intelligi, quod in quolibet *nunc* æternitatis sint præsentes æternitati, ita quod cõexistentia cujuslibet rei ad æternitatem solvatur in quolibet *nunc* æternitatis: et hic sensus verus est et intentus a S. Thoma. Verus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est *instans*, in quo *scribo nunc*, aliud, in quo *nuper loquebar*, aliud, in quo *deambulabo*; et quando nuper loquebar, nondum erat præsens scriptio, sicut nec quando nunc scribo, præsens est, sed præterita, locutio, et futura deambulatio. At vero in æternitate non est nisi unicum simplicissimum instans vel infinitum *nunc* jugiter permanens immobile, dum instantia temporis fluunt, omnia illa in sua simplicitate ambiens atque excedens. Quamobrem omnia hæc temporis instantia, licet alia aliis succedant, nec simul inter se coexistant, nihilominus omnia simul coexistere dicenda sunt unico illi *nunc* æternitatis, et quidem ab æterno et in æternum, quia unum idemque est semper. Et sic quamvis res temporales in sua propria mensura creatæ durationis non sint ab æterno, nihilominus ratione durationis æternæ, quæ est mensura propria Dei, et allena rerum omnium creatarum, jam coexistunt Deo, antequam in se ipsis existant. Duplex enim assignari potest cuique rei duratio, altera propria, quæ finita est et mutabilis, qua dicitur existere in se et in propria mensura; altera æterna seu æternitas, sine principio et sine fine, per quam res dicuntur existere ab æterno et in æternum tamquam per mensuram allenam. Sicut enim domus v. g. est mensura communis ratione loci ad hoc cubiculum et ad omnia et singula in eo contenta, ita, servata proportione, æternitas ratione durationis est mensura communis et universalis ævi et omnium temporum. Unde tandem fit, quod futura vel præterita, si referantur ad *nunc* temporis, non coexistant; si vero referantur ad *nunc* æternitatis, semper ab æterno coexistant secundum suum *esse* reale, quia re vera *esse* Dei et *esse* creatum sunt in hac præsenti mensura durationis, quæ est æternitas, non habens partes, sed tota simul existens (1).

quidem, quia cum æternitas non habeat nisi unum *nunc*, quod æquatur ipsi æternitati, et excedit omne tempus, necesse est, quod omne instans nostri temporis, et quidquid in illo est, aut fit, salvetur in *nunc* æternitatis, et mensuretur ab illo, non ut mensura adæquata, sed excessiva». Cajetanus, loc. cit.

(1) Vide Cajetan. (loc. cit.), Ferrariens. (In lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 66, in exposit. sexti argumenti), Bañez (In 1.am p., quæst. 14, art. 13), Joann. a S. Thoma (loc. cit.).

ex qua patroni ejusdem rationem reddere possunt cur Deus futura videat ab æterno.

Ex hac doctrina facile patroni ejusdem rationem reddere possunt ex parte objecti, cur Deus futura cognoscat. Quia nempe objectum præsens jam determinatum est, nec amplius remanet indifferens et ambiguum, sicut effectus, quamdiu intra causas liberas continetur; atque adeo satis aptum est ac sufficientissimum ad determinandam cognitionem, ubi adest virtus cognoscitiva proportionata. Cum ergo Deus sit plenissima vis cognoscendi, nequit non futura omnia ab æterno cognoscere, si jam illa ab æterno supponantur præsentia esse ac coexistere. Et sic solemne est etiam hujus doctrinæ assertoribus docere Deum futura libera videre in eorum præsentia reali cum æternitate, et hujusmodi præsentiam necessariam prorsus esse, ut illa a Deo cognoscantur.

Hujus doctrinæ Cajetanus se iactat auctorem.

Hanc sententiam Cajetanus videtur gloriari sibi primum illuxisse ope Aquinatis, postquam quindecim annis latuerat, cum commentarium suum super articulo decimo tertio quæstionis decimæ quartæ meditaretur (1).

ea tamen multo est doctrina,

Sed ante Cajetanum idem docuerat Capreolus (2) et Abulensis et Marsilius et Richardus a Media Villa (3), licet hic quæstionem problematice versaverit in utramque partem. Post Cajetanum autem eidem opinione adherent uno agmine Scriptores ex Sacro Prædicatorum Ordine (4), quibus adstipulantur ex nostra Societate P. Fonseca (5), P. Christophorus

ac postea communiter propugnatur a Thomistis

(1) En ejus verba: «Ad has objectiones (Scoti) respondendo, præmitto, quod iste locus (1 p., quæst. 14, art. 13) ab adversantibus judicatur plenus contradictionis et erroris: a sequentibus autem doctrinam S. Thomæ reputatur adeo obscurus, ut neminem hactenus viderim sive scripto sive verbo assertive tueri hoc dictum (omnia quæ fiunt in tempore sunt præsentia æternitati); et me jam annis forte quindecim fateor latuisse. Sed nudius tertius, dum super commentatione hujus articuli meditarer, illuxit (ut arbitror) Divi Thomæ ope veritas plana et in manifesto posita, et ideo paucissimis verbis pertransitus». Cajetan., In 1.am part., quæst. 14, art. 13, paulo ante verba nuper allegata.

(2) In lib. 1.um, dist. 3, quæst. unic., art. 3.

(3) Apud Ruiz de Montoya, oper. cit., disp. 28, sect. 3, num. 3;

(4) Vide v. g. Ferrariensem, In lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 66; Dominicum Bañez, in 1.am p., quæst. 14, art. 13; Joann. a S. Thoma, *De Deo*, tom. 1, disp. 9, art. 3; Gonet, *Manual. Thomist.*, tract. 3, cap. 4, paragr. III; Cardin. Gotti, Billuart et alios plures apud Ruiz de Montoya, loc. cit.

(5) *Metaphys.*, lib. 6, cap. 2, quæst. 4, sect. 2.

et pauci auctoribus.

Gillius (1) et Card. Sforza Pallavicinus (2). Et pro eadem allegantur quoque PP. Molina (3) et Didacus Ruiz de Montoya (4), sed hic mentem suam ita exponit, ut revera oppositum sequatur (5), et Molina etiam non penitus consentit cum cæteris auctoribus hactenus allegatis (6).

cæteris contra sententiibus.

Contrariam sententiam tenent ex antiquioribus S. Bonaventura (7), Albertus Magnus et Alexander Halensis (8), Scotus (9), Richardus problematice, Durandus, Ockam, Gabriel, Gregorius (10); itemque insignis Thomista Ægidius Romanus ex S. Ordine S. Augustini, et Hervæus ac Sylvester Prieras aliique (11). Quibus accedunt Scotistæ ac nostri scriptores communissime cum Suarezio (12), Cardin. Toleto (13), Vazquez (14), Valentia (15), Albertino (16), Becano (17) et Lessio (18), ac doctissimus vir Franciscus Sylvius (19).

Quid de S. Thoma sentiendum hac in re, disputatur.

Utraque opinio non paucos pro se allegat Ecclesiæ Patres. Et S. Thomam etiam, ut sæpe alias fieri solet, utraque opinio sum esse contendit. Ne tamen quispiam nostris hominibus vitio tribuat, quod Sanctum Doctorem aut corrumpere aut manifeste reclutantem in suas trahere partes nitantur, sciendum est, si quid hac in re peccatum est, multo ante

(1) Apud Ruiz de Montoya.
(2) *Assertion. Theolog.*, lib. 8, *de Deo uno et trino*, cap. 34.
(3) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, disp 13.
(4) Op. cit., disp. 28, sect. 2.
(5) Vide ipsum ibid., sect 6.
(6) Vide Op. cit., disp. 14. Cfr. Ruiz de Montoya, cit., disp. 28, sect. 9.
(7) 1.° dist. 39, art. 2, quæst. 3; et dist. 35 dubio litterali 6.°
(8) Apud Ruiz, loc. cit., sect. 1.
(9) 1.° dist. 39, quæst. unic.
(10) Apud Ruiz, ibid.
(11) Apud Ruiz, ibid.; et apud Suarez, *de scientia futuror. conting.*, lib. 1, cap. 7, num. 4.
(12) Opusc. *de scient. futuror. conting.*, lib. 1, cap. 7.
(13) In 1.am p., quæst. 14, art. 13; quæst. III, *conclus. secunda*.
(14) In 1.am p., disp. 64, cap. 2 seqq.
(15) Commentar. in 1.am p., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, parag. 1.
(16) *Corollaria*, quæst. 2 theol. ex quarto princip. philosoph.
(17) *De Deo*, cap. 10, quæst. 10.
(18) *De Grat. efficaci*, cap. 20, num. 8.
(19) Commentar. in 1.am part., quæst. 14, art. 13, quæstione 1.ª

peccatum fuisse ab iis ipsis, qui sese Thomistas appellant. Ita v. g. Hervæus ac Deza, Hispalensis Archiepiscopus (1). Et Sylvester Prieras, Magister S. Palatii Apostolici, hæc habet: «In isto articulo (S. Thomæ 1 p., quæst. 14, art. 13) incidenter tangitur, quomodo futura sint jam præsentia Deo; circa quod plures Thomistæ patiuntur maximas anxietates, quia intelligere nequeunt, *quomodo sint vera quædam falsa, quæ imponunt S. Doctori*.... Ad probanda ista, non adducunt nisi verba S. Thomæ. *Est autem mirabile, quod S. Thomas voluerit uno verbo talem opinionem fundare, quam quisque experitur, se non posse imaginari vel intelligere, quod res scilicet coexistant, antequam existant, et quod sint præsentes, antequam fiant: et dico, quod, ut patebit, hæc opinio non potest stare cum verbis S. Thomæ*» (2).

Ægidius vero, Cardinalis Columna, et ipse quondam S. Thomæ discipulus et auditor, in suo *Castigatorio adversus corruptorem Thomæ*, in observationibus in hunc articulum 13.um (1 p., quæst. 14) inter corruptores doctrinæ Aquinatis numerat quosdam Doctores Parisienses, qui credebant eum docuisse realem futurorum in æternitate præsentiam, et ob eam causam erroris ipsum insimulabant: a qua calumnia Sanctum suum Magistrum vindicare conatur (3). «Ex his patet, concludit Ægidius, quod Thomas non intendebat, prout illi imponunt sibi, et falso, quod omnia, quæ sibi invicem succedunt in tempore, in natura propria Deo coëxistunt in æternitate, licet ab eo eorum præsentia æternaliter intueatur, et sic omnia dicantur sibi præsentia».

Ipse Capreolus dubitanter asserit Angelico prædictam opinionem: postquam enim fuse illam propugnaverat

(1) In 1.° dist. 38, quæst. unic., art. 3. notabili 2.° ubi hæc habet. «Nonnulli male intelligentes verba S. Thomæ, quibus dicit, quod futura contingentia, sicut et universaliter omnes res, sunt ab æterno Deo præsentes, putant, quod mens S. Thomæ fuerit ponere res præsentes Deo ab æterno secundum aliquem modum præsentialitatis, quem in se ipsis extra Deum ab æterno habuissent: quod falsum esse et contra intentionem S. Thomæ apparet ex subsequentibus locis doctrinæ sum. etc.» Apud Gabriel Henno, *Scient. med. historice propugnata*, eventil. 40, num. 877.
(2) *Conflatum*,.. quæst. 14, art. 13.
(3) Vide Vazquez, in 1 p., disp. 64, cap. 5, num. 33.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamquam veram et S. Thomæ conformem, sic tandem totam claudit disputationem: «De his autem nihil omnino assero, quæ prædixi; sed videtur mihi illa fuisse mens S. Thomæ. Et ista sufficiant de quæstione» (1). Quamquam prius in secundo articulo ejusdem Distinctionis dixerat, patere «quod intentio S. Thomæ fuit, quod omnia futura et omnia præterita, et omnia generaliter quæ sunt, vel erunt, aut fuerunt, sunt ab æterno Deo præsentia, non solum secundum suas rationes, sed secundum suas præsentialitates et actuales existentias».

Deo itaque præstanda nobis sunt in hac controversia, primo ut quid de re ipsa, secundo ut quid de mente S. Thomæ videatur verosimilius esse, aperiamus.

§ II.—AN ET QUALIS SIT PRÆSENTIA, QUAM RES HABENT IN DIVINA ÆTERNITATE.

Notanda ad quæstionis solutionem.

Æternitas est ita simplex,

91. Ut autem clarius intelligatur prior controversia, revocandum est in mentem, æternitatem nullas partes reales durationis continere, cum sit simplicissima planeque indivisibilis, nempe *tota simul et perfecta possessio vitæ interminabilis*. Nihilominus potest concipi tamquam habens eminenter ac virtualiter partes durationis infinitas, propterea quod æquivalet in durando infinito tempori, quod ab æterno in æternum sine ullo fine fluere perpetuo fingatur. Tempus enim reale non fuit ab æterno, sed ante reale tempus concipitur præcessisse tempus imaginarium vel possibile, et similiter post destructum reale tempus concipi posset tempus possibile, diutius esse protendens absque ullo fine; et æternitas in sua simplicitate æquivalet toti illi reali ac possibili tempori, et ideo dici potest eminenter, virtualiter vel æquivalenter habere infinitas partes. Sic anima rationalis, præsens toti corpori et informans illud, simplicissima quidem est et *tota*, quoad essentiam, existit in singulis partibus corporis; quare virtualem quamdam diffusionem habere concipitur, quæ sit virtualiter divisibilis. Itemque immensitas divina, tota existens ubique ac prorsus in se indivisibilis, propterea quod capax est cõexistere secundum locum, quantum est de se, infinitis spatiis

ut in sua simplicitate infiniti temporis partibus æquivaleat,

(1) Capreol. 1.ª dist. 36 in fin.

atque extensioni, virtualiter aut eminenter partes infinitas habens concipitur, quia æquivalet, immo superat infinitam extensionem in exhibenda præsentia locali; et nullas habens realiter partes, replet omnia spatia et loca possibilia, quæ per partes replerentur ab extensione reali.

unde est mensura excedens omnem creatam durationem.

Quapropter est quidem æternitas mensura omnis durationis creatæ omniumque temporum, quia omnis duratio continetur in æternitatem, sed est mensura excedens et inadæquata, quia nulla est alia duratio, quæ æquet æternitatem. Et etiamsi poneretur tempus sempiternum, adhuc æternitas foret mensura excedens, quatenus est tota simul immutabiliter et indefectibiliter (1).

Et sic aliud est aliquid toti æternati cõexistere, et aliud cõexistere toti æternati totaliter sumptæ.

Hinc sequitur «duplicem esse sensum istius complexi, *tota æternitas*. Etenim si vox *tota* solummodo feratur in ea, quæ formaliter et intrinsece sunt in æternitate, *toti æternitati* cõexistit, quæcumque res aliquando cõexistit æternitati, quoniam est indivisibilis. Si vero vox *tota* significet omnes partes, quæ virtualiter et eminenter continentur in æternitate, nimirum in quantum æternitas cõexisteret infinitis partibus temporis, si tempus fuisset sine principio, et duraturum fuisset sine fine; non cõexistit toti æternitati res creata, licet aliquando cõexistat æternitati, quia videlicet non cõexistit secundum omnem latitudinem virtualem æternitatis» (2). Aliis vocibus, omnis res creata, quando in se existit, cõexistit *toti* æternitati, sed non *totaliter* (3). Explicatur hoc per analogiam ad immensitatem Dei. Quodlibet enim corpus, quantumcumque parvum, immensitati toti cõexistit in eodem spatio, quantum ad ea, quæ formaliter et intrinsece conveniunt immensitati Dei, quoniam est indivisibilis. Attamen nullum corpus, quantumcumque magnum, toti cõexistit immensitati, quantum ad omnes partes, quas virtualiter et eminenter continet immensitas; ratione quarum, licet extra cœlum crearentur in infinitum plura et plura

(1) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 10, art. 4. Et vide vol. 1.um Theodiceæ, num. 187, pag. 604 seqq.

(2) Ruiz de Montoya, *de Scientia Dei*, disp. 28, sect. 6, num. 5. Cfr. Card. Tolet. loc. cit., quæst. 3, *Secunda conclus.* Præterea 3.ª

(3) Vide Suarez, opusc. cit., lib. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corpora majora, Deum invenirent illi spatio præsentem absque ulla mutatione Dei» (1). Ita etiam Deus simplicissimus in una simplicissima entitate sua concipitur ut virtualiter multiplex, quia æquivalet infinitis perfectionibus; et si infinities infinitæ perfectiones extra ipsum multiplicatæ concipiantur, omnes imitantur, ac participant simplicissimam illam naturam, et quidem deficienter.

«Videbitur alicui frustra distingui partes et extensionem, quas virtualiter æternitas continet, quia cum illæ partes sint prorsus extrinsecæ, nullaque ratione copulentur cum æternitate, nec substantialiter nec accidentaliter; nihil referre videntur, ut ratione illarum dicatur res temporalis non cœsistere toti æternitati.—Respondeo. Ad explicandam quidditativam æternitatis infinitatem et eminentiam, plurimum prodest oculos convertere ad extrinsecam extensionem et partes infiniti temporis, cui potest cœxistere. A quibus partibus accipit æternitas quamdam extrinsecam denominationem latitudinis virtualis, cujus radix est ipsa Dei essentia et realis æternitas» (2). Hisce declaratis, sit.

92. PROPOSITIO 1.ª **Præter præsentiam objectivam, in eo consistentem, quod res futuræ ab æterno actu cognoscantur a Deo, admittenda est aliqua alia præsentia earumdem in æternitate.**

Præter objectivam rerum præsentiam admittenda est quædam alia præsenti a in æternitate.

Probatur. Nam præsentia hujusmodi objectiva est mera extrinseca denominatio consequens actum cognitionis Atqui agnoscenda est aliqua objecti præsentia antecedenter ad actum cognitionis. Etenim in omni cognitione præsupponi debet cognoscibilitas objecti, proxima vero cognoscibilitas objecti præsentia quædam ejusdem est. Hinc præcise requiruntur species, sive sensibiles sive intelligibiles, per quas objectum potentiæ conjungatur, et sic coram sistatur, seu præsens constituatur, ut possit ab eadem vitaliter exprimi per actum cognitionis. Ergo præter præsentiam illam objectivam, quæ consistit in extrinseca denominatione actu cogniti, datur aliqua alia præsentia, per quam objectum aptum

(1) Ruiz de Montoya, ibid., num. 6.
(2) Id., ibid., num. 8.

reddatur ad determinandam cognitionem sui in intellectu divino, non quidem per modum principii, sed per modum necessariæ conditionis.

Et confirmatur. Quia ex consensu communi Theologorum futura, prout sunt in suis causis, nequeunt certo cognosci etiam a Deo, cognoscuntur autem ab æterno, prout sunt in se ipsis extra causas. Itemque hæc eadem futura, etiam prout sunt in se ipsis, nequeunt naturaliter cognosci ab intellectu creato, antequam extra causas existant. Atqui nequit assignari ulla alia ratio, cur futura, prout sunt in causis, non possint habere in mente divina per actualem cognitionem præsentiam illam, quam habent eadem ipsa prout in se ipsis, nisi dicendo futura, prout in se ipsis, habere aliquam præsentiam anteriorem cognitione. Et idem valet in futuris iisdem respectu intellectus creati. Cur enim idem objectum cognosci potest ab angelo in se, quando est, et nequit cognosci, quando non est, nisi quia nondum est illi præsens?

Et existimo in hac assertione facile posse convenire non solum auctores primæ sententiæ, sed eorum adversarios, ac nominatim eamdem expresse tenent Eximius Doctor (1), Didacus Ruiz de Montoya (2) et Nicolaus Martinez (3). Et ratio est, quia quamvis antecedenter ad ipsam actualem cognitionem requiratur aliqua præsentia, non sequitur exinde necessario, quod hujusmodi præsentia consistat in cœxistentia æterna secundum *esse* reale rerum futurarum, quæ a Deo æterna cognitione attinguntur; sed potest fortasse esse aliqua alia ab his duabus præsentiis distincta, quam Suarez vocavit *objectivam in actu primo*.

Hoc ergo nunc videndum est, qualis sit illa præsentia rerum in æternitate, quam concedendam esse probavimus, distinctam ab extrinseca denominatione, quæ convenit objecto, ex eo quod ab æterno cognoscatur.

93. PROPOSITIO 2.ª **Præsentia ista non potest esse realis rerum cœxistentia cum æternitate: nam res creatæ tunc**

(1) *Opusc. de scient. futuror. conting.*, lib. 1, cap. 8, num. 9.
(2) Disp. 28, sect. 7-8.
(3) *Deus sciens*, controv. 3, disp. 8, sect. 4, conclus. 2; disp. 9, sect. 1, in respons. ad *Object.* 3.ºm.

solum cŏexistunt æternitati secundum suum esse reale, quando et quamdiu in se ipsis existunt; unde non sunt ab æterno realiter præsentes Deo.

Ita auctores secundæ sententiæ et P. Didacus Ruiz de Montoya (1).

Res creatæ tunc solum cŏexistunt realiter æternitati, cum in se ipsis existunt.

Propositio duas habet partes correspondentes totidem propositionibus, per quas exponitur ex regulis dialecticis enuntiatio exclusiva.

Prima pars: *Res creatæ, quando et quamdiu in se ipsis existunt, cŏexistunt æternitati*, patet, nec negatur a primæ sententiæ fautoribus. Nam æternitas est duratio infinita, necessaria et indefectibilis, sine principio et sine fine. Ergo quæcumque res creata existit in creata duratione sibi correspondente, increatam illam æternitatis durationem semper invenit immutabiliter perseveramem; et sic *esse* cujusvis rei creatæ, quamdiu in se perdurat, existit simul cum *esse* æternitatis, seu res omnis creata, quamdiu existit, æternitati cŏexistit. Totus autem cardo controversiæ stat in altera parte propositionis.

Secunda pars: *Res creatæ, quando non existunt in se ipsis, seu antequam in tempore creentur, et postquam desinunt esse, non cŏexistunt realiter æternitati*, probatur 1.° Nihil potest alteri cŏexistere secundum *esse* suum reale, antequam in se ipso existat. Atqui res creatæ, antequam fiant, et postquam desinunt esse, nullo modo existunt in se ipsis. Ergo res creatæ non cŏexistunt æternitati ab æterno et in æternum, sed tunc solum quando et quamdiu in se ipsis existunt.

Major videtur negari non posse, nisi abutendo vocibus. Nam cŏexistentia nihil aliud importat nisi plurium simultaneam existentiam, siquidem nulla alia includitur habitudo vel relatio in cŏexistentia, præter quam quod possit existentia verificari ac prædicari de duobus aut pluribus in eodem instanti vel duratione. Sic ego nunc cŏexisto cum omnibus, qui nunc vivunt, et non cŏexisto cum iis, qui jam mortui sunt, aut nondum nati.

Minor probatur. Nam certum est fide divina, Deum extitisse, antequam mundus existeret; mundus enim æternus

(1) Loc. cit., disp. 28, sect. 6. seqq. Cfr. sect. 3, num. 4. seqq.

non est, sicut Deus; sed in tempore creatus est, ita ut prius et prius in infinitum creari potuerit, seu infinita prius duratio præcesserit; et proinde in tempore incipit esse. Atqui quod in tempore incipit esse, ita ut prius et prius sine fine potuerit esse, certe non ab æterno existit secundum suum *esse* reale, quippe quod accipit per productionem in tempore factam. Ergo... (1).

Responsio adversariorum.

Dices ex communi adversariorum doctrina, res quidem creatas existere «in æternitate secundum suum proprium *esse*, non tamen in propria mensura, sed in aliena et altiori, ita quod non est distincta existentia rei in tempore et in æternitate, sed eadem, sub diversa tamen mensura; et similiter productio, qua producitur in tempore, servit, ut sit in æternitate, quia non minus productio mensuratur æternitate, quam res producta, licet non producatur ibi sub propria mensura, sed sub aliena; et ita est in *nunc* æternitatis, et non in *nunc* temporis.» Ita R. P. Joannes a S. Thoma (2) ex mente Cajetani, Navarrete, Magistri Gonzalez Albelda, Dominici Bañez, Zumel, Nazarii et aliorum.—**Respondeo,** hinc novum argumentum desumi contra adversarios. Itaque

repulsa.

Probatur 2.ª propositio. Nam *esse* illud proprium rerum futurarum, quod in æternitate dicitur jam existere ab æterno tamquam in aliena mensura, non est *esse* objectivum aut potentiale, quod res habent in cognitione divina et in potentia; quodque aliud non est nisi ipsa creatrix essentia, ut fatentur adversarii; sed illud ipsissimum *esse* reale, quo futura in se ipsis existent in tempore tamquam in propria mensura; nam de hoc solum est controversia. Atqui nullum *esse* reale potest esse in aliena mensura, priusquam sit in propria. Ergo...

Minor patet 1) inductione aliarum quarumlibet mensurarum. Sic in genere extensionis nihil potest mensurari aliena mensura, puta ulnæ, leucæ, etc., quod non habeat

(1) Vide Suarez (loc. cit. num. 6-12), Valentia (loc cit., *Quarto ratione sic argumentor*), Vazquez (disp. 64, cap. 3, num. 15, 16, 17), Ruiz de Montoya (oper. cit., disp. 28, sect. 2, num. 1 seqq.) cum Scoto apud cardin. Cajetanum.

(2) *De Deo*, disp. 9, art. 3, in responsion. ad argum. 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suam intrinsecam extensionem, quæ est propria et intrinseca mensura corporis extensi; nec potest mensurari secundum mensuram voluminis aut superficiei illud, quod non habet extensionem nisi linealem. Item nihil mensuratur in genere spatii vel loci per mesuram communem domus vel regni, donec habeant suum proprium *Ubi* in aliqua parte domus aut intra limites regni. Similiter, quod non existit actu in se, non potest dici durare hodie, et tamdiu mensuratur hodiernæ diei mensura scriptio mea, quamdiu ipsa durat. Et idem dici potest de quovis alio exemplo rei mensuratæ. Ergo gratis asserunt adversarii res in mensura æternitatis existere secundum suum *esse* propium, antequam in se ipsis existant. β) *Esse* quod nondum est in rerum natura, non potest ullo modo durare in proprio sensu; duratio enim est permanentia in existendo. Atqui *esse* reale creaturarum nondum est in rerum natura ab æterno, sed producitur, et sistit extra suas causas in tempore, nempe post infinitam durationem æternitatis. Ergo intelligi nequit, quomodo *esse* illud duret in æternitate. γ) Futura antequam in tempore producantur, vel habent aliquod *esse* amplius, quam pure possibilia, vel non. Si primum dicas, undenam illud acceperunt? non ab alio, quia supponuntur nondum producta; non a se, quia secus forent entia a se, et certum fide divina est, præter Deum nihil esse entitatis ac realitatis, quod non causetur a Deo. Si vero alterum eligas manifeste sequitur, futura non existere æternitate, antequam producantur et in se ipsis sint, ac in propria mensura durationis creatæ, sicut non existunt pure possibilia.

Ad rem S. Augustinus: Si Deus *potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut antequam fierent, nec fuerunt. Sed* ante *dico* æternitate, non tempore (1). Et S. Thomas: *Deus est prior mundo* duratione. *Sed ly* prius *non designat prioritatem temporis, sed* æternitatis (2). Et alibi: *Deus* præcedit *mundum* duratione, *non quidem temporis, sed* æternitatis (3). Atqui si omnia futura sunt *ab*

(1) *De civit. Dei*, lib. 12, cap. 25 fin.
(2) 1 p., quæst. 46, art. 1, ad 8.um
(3) S. Thom., *de potentia*, quæst. 3, art. 17, ad 2.um. Cfr. 2.ª, dist. 1, quæst. 1, art. 5, ad 7.um

æterno in æternitate, Deus non præcedit *æternitate*. Nam quod *cœxistit* alteri *ab æterno*, quomodo potest illud præcedere æternitate? Adde, quod ex Angelico omnis quidditas rerum creatarum, *antequam* esse *habeat*, nihil *est nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia* (1).

Solutio Mag. Joannis a S. Thoma

Vidit P. Joannes a S. Thoma insufficientiam communis illius responsionis, qua sibi blandiuntur adversarii nostri argumentum primo loco factum dissolvere. Ideo aliter respondet: «Æternitas, inquit, non mensurat res creatas immediate et supponendo illas jam in se passive productas et immutatas, sed præcise prout continentur in actione divina, a qua attinguntur, et respiciuntur res creatæ ut terminus ejus. Itaque *esse* creatum nec considerari debet, prout est virtualiter intra Deum, et est ipse Deus; nec solum prout est in omnipotentia et in causis creatis ut possibile, sed prout attingitur per actionem Dei. Actio autem Dei in se est æterna, et tamen habet effectum temporalem.. (2). In aliis autem causis posita actione statim sequitur effectus. Unde speciale est in actione Dei, quod actio mensuretur æternitate et effectus passive immutetur in tempore. Et hinc est, quod effectus potest dupliciter considerari: uno modo ut immutatus in se passive, et sic fundat propriam mensurationem, et sic non est ab æterno, quia non est immutabiliter, sed subest mutationi: alio modo ut præcise est terminus connotatus et respectus ab actione æterna, et sub hac consideratione dicitur trahi ad altiorem mensuram, quia mensuratur mensura, qua ipsa actio, cujus est terminus, licet non ut immutatus, ab illa, sed ut connotatus ab illa» (3).

Respondeo. Bene quidem, sit actio Dei æterna, et mensuret æternitas res creatas non immediate, sed media actione æterna, ut vult clarissimus Doctor. Adhuc remanet explicandum, quomodo æternitas possit mensurare etiam media actione æterna id, quod non est cœvum actioni. Atqui, præcluditur,

(1) *De potent.* quæst. 3, art. 5, ad 2.um
(2) Vide S. Thom., *de potent.*, quæst. 1, art. 1, ad 8.um; et 1 p., quæst. 46, art. 1, ad 10.um
(3) Joann. a S. Thom., loc. cit., in respons. ad *argum.* 2.um, paragr. *Nihilominus*....

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fatente ipso adversario, et docente Angelico, actio quidem Dei æterna est, effectus autem est in tempore, et propterea effectus habet *esse post non esse* (1), nec Deus *semper fuit causa, cum non semper fuerit effectus* (2). Ergo si æternitas media actione mensurat effectum, non poterit illum mensurare ab æterno, nisi solum prout active continetur in Deo, cum nondum est egressus extra causam; at secundum *esse* reale, quod in se habet in tempore, non ab æterno, sed solum in tempore mensurat effectum æternitas: quod præcise intendimus. Præterea *esse* reale effectus, quod in tempore erit in se, et non est extra causam ab æterno secundum fidem divinam, certe est aliquid re distinctum ab ipsa actione Dei æterna, nec connotatur, aut respicitur ab eadem ut *actu existens* ab æterno, quia est terminus temporaneus actionis æternæ. Quomodo ergo potest æternitas etiam media actione æterna rem non æternam ab æterno, cum nondum est aliquid extra actionem illam, mensurare in proprio sensu? Mensurabit quidem illam, prout est in virtute causæ æternæ, non vero prout est aliquid distinctum a causa, nisi quando jam erit extra causam.

Alia eiusdem scriptoris

Dices cum eodem Joanne a S. Thoma, quod res quamdiu in se immutata non est et passive producta extra causas, nondum *est in se ipsa secundum propriam mensuram et durationem sibi adæquatam*; sic enim adhuc intra causas est, et in tempore producitur de non *esse* ad *esse*. *Intelligitur tamen* habere *esse* extra causas, ita quod non sit in actu primo, sed in actu secundo, hoc ipso quod intelligitur ut terminus actionis actu existentis in rerum natura, eo quod actio non est actus primus, sed actus secundus; et sic in actu secundo, id est, in se ipsis ut terminus actionis actu existentis dicuntur esse» (3).

dissolvitur.

Respondeo. Verum hæc intactam relinquunt vim argumenti nostri. Nam si *esse reale* rei futuræ, antequam hæc passive producatur, nondum est in se ipso secundum propriam mensuram, quomodo erit in se ipso actu præsens et

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 46, art. 1, ad 10.um fin.
(2) *De potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 20.um.
(3) Id., ibid., in respons. ad argum. *Et si instes...*

existens in aliena mensura? Hoc est inintelligibile, ut jam diximus, et hoc est, quod non declaratur ab adversariis. Deinde id, quod adhuc est intra causas, quo jure *intelligitur habere esse extra causas*? Si intelligitur habere *esse* extra causas solummodo pro tempore, quando jam non erit amplius intra causas, falsum est, quod ab æterno mensurari possit æternitate, cum nondum consideretur actu existens. Si vero intelligitur habere *esse actu* ab æterno, falso intelligitur, siquidem, fatente ipso Joanne a S. Thoma, adhuc est intra causas.

Nec ad hoc ut ab æterno actu existens intelligatur res, sufficit eam esse *terminum actionis æternæ Dei actu existentis in rerum natura:* nam actio Dei distinguitur certe a termino et effectu ejus, et licet actio sit æterna, terminus vero, docente fide, æternus non est. Ergo non potest vere intelligi terminus actionis divinæ ut actu existens ab æterno, licet actio ipsa ab æterno existat. Hæc enim est differentia inter actionem divinam, ut ipsemet adversarius nuper dicebat, quod *actio Dei sit æterna, cum tamen effectus ejus sit temporaneus, in aliis vero causis, posita actione, statim sequitur effectus.* Si ergo posita actione Dei, non statim sequitur effectus in suo proprio *esse*, actio divina non cōexistit effectui suo secundum proprium ejus *esse* ab æterno, sed in tempore; et consequenter *esse* proprium effectus futuri nequit proprie mensurari æternitate, antequam producatur, sed tunc solum, quando in se ipso erit extra suas causas. Itaque quod res futuræ jam ab æterno sint in aliena mensura et cōexistant Deo in æternitate, hunc solum sanum sensum potest habere, extitisse semper æternitatem illam, cui aliquando res creatæ secundum suum *esse* reale cōexistent, quæque semper eadem in se manens, absque ulla sui mutatione vicissim cōexistit omnibus rebus eo ipso ordine, quo in se successive existent (1).

Prob. 3.° propositio. Non est de ratione mensuræ etiam infinitæ et immutabilis, ut omnia etiam extrinseca, quæ mensurat, mensuret simul et semper. Ergo licet æternitas sit mensura extrinseca, communis omnis durationis et *esse*

(1) Cfr. Gregor. de Valencia, *Commentar.*, tom. 1, disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 1, *Est autem observandum....*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

creati, necesse non est, ut ab æterno mensuret res in tempore fiendas, nec proinde ut res creatæ ab æterno sint in mensura æternitatis seu cõexistant eidem secundum suum *esse* reale, nisi tum cum in se ipsis erunt in propria mensura durationis creatæ.

Consequentia bona est, et **probatur antecedens**. Id enim patet α) evidenter in immensitate divina, quæ non minus est mensura extrinseca et communis omnis loci et ubicationis, quam æternitas respectu omnis durationis; sicut enim æternitas simplicissima et immutabilis complectitur omne tempus, sic omnem locum ambit immutabilis ac simplicissima immensitas. Atqui non est de ratione immensitatis, ut simul et semper mensuret omnem locum, id est, ut simul et semper sit præsens rebus omnibus ac realibus spatiis, sed successive, prout incipiunt esse realia spatia, et res in iisdem collocari. Ergo idem dicendum de æternitate, quæ licet sit infinita et simplicissima, non tamen simul et ab æterno cõexistit omnibus rebus, etiamsi nondum sint, sed tunc solum quando et quamdiu sunt in se ipsis.

Minor conceditur ab omnibus, et continet doctrinam illam, qua immensitas divina distingui solet ab omni præsentia vel ubiquitate.

β) Ratio vero a priori est, quia quod aliquid mensuret alia tamquam extrinseca mensura, nihil realis perfectionis ponit in eo, sed merum respectum extrinsecum importat, ac proinde nulla est repugnantia in eo, quod successive mensuret alia, cum id facere possit absque ulla sui mutatione intrinseca. Quemadmodum enim immensitas Dei successive sibi præsentes loco habet res creatas per solam earum mutationem, ita etiam potest æternitas successive cõexistere secundum durationem. Quia cõexistentia cum creaturis nihil addit Deo ejusque æternitati intrinsecum, sed solam denominationem extrinsecam; supposito enim quod Deus ab æterno existit, nihil aliud requiritur, ut cõexistat, ac denominetur cõexistens creatis rebus, nisi quod hæc incipiant existere, id quod nihil ponit in Deo: e converso res creatæ nequeunt incipere cõexistere, ac denominari cõexistentes Deo, nisi intrinsece mutentur (proprie aut improprie) accipiendo

esse realis existentiæ, in quo fundatur realis relatio cõexistentiæ Deo (1).

Solutio Mag. Joannis a S. Thoma

Dicet cum Joanne a S. Thoma, exemplum immensitatis frivolum esse, «nam immensitas... non cõexistit rebus, *trahendo illas ad se*, seu mensurando modo immutabili, sed solum *immutando per contactum* ad extra in suo proprio loco et mensura, et sic solum cõexistit illis juxta immutationem, quam in illis ponit per contactum suum. At vero æternitas non mensurat res per immutationem illarum, hæc enim cõexistentia rei in propria mensura ad æternitatem, non est cõexistentia mensurati et contenti ab æternitate sub uniformitate illa simul possidendi, quam de se habet æternitas, sed est cõexistentia concomitanter se habens et materialiter cum æternitate, non formaliter sub ratione mensurati et reducti ad uniformitatem æternitatis *per modum possessionis simultaneæ*. Hæc autem reductio et mensuratio uniformitatis fit modo immutabili ab ipsa æternitate, et consequenter *possidendo semper ipsam rem, quam mensurat, non autem expectando transitum et successionis ipsius rei temporalis, ut æternitatem tangat, et ab ea mensuretur*» (2).

Totamque rationem hujus doctrinæ desumit prædictus auctor ex æternitatis definitione, ad quam spectat, ut sit *Tota simul et perfecta possessio:* unde sequitur, inquit, quod «quidquid mensurat, et continet, licet sit sibi extrinsecum, *possidendo simul et perfecte mensurat, non per applicationem seu replicationem successionis in mensurando; nec enim dicitur æternitas esse possessio nisi respectu sui mensurati, hoc enim est quod possidet, non se.* Et ita sive ipsa æternitatis mensura successive applicetur mensurato, sive, ipsa æternitate fixa stante, res mensuratæ successive sibi applicentur; *non mensurabit possidendo simul, sed transeunter attingendo*, sicut arbor fixa in fluvio, etiamsi in se fixa sit, tamen in tangendo et mensurando penes se aquam fluvii, non simul totam aquam fluvii possidet, nec possidendo mensurat, sed per successionem, non sui, sed mensurati, itaque ex quacumque parte successio detur, sive ex parte mensurata, sive ex

(1) Cfr. Suarez, loc. cit., num. 11.

(2) Loc. cit. inter probationes vers. fin., paragr. *Sed contra*...

parte mensurantis, cessat possessio» (1). His continetur tota vis argumenti unici, quo Joannes a S. Thoma tuetur suam sententiam.

Insufficienter demonstratur.

Respondeo 1.ᵒ Non minus immutabilis et tota simul existit immensitas, quam æternitas, ut patet ex communi omnium sensu. Si ergo immensitas mensurat omnia, quamvis non trahat illa ad se, nec faciat simul omnia secum cōexistere; cur non idem dici possit de æternitate? Si immensitas exspectat, donec res collocentur in suis propriis locis, atque in propria mensura, et sic illas mensurat successive, neque in eo est ulla contradictio vel repugnantia, cum id fiat per solam extrinsecam immensitatis mutationem, et intrinsecam aliarum rerum, quæ ipsi præsentes sistuntur: cur non possit idem dici de æternitate, quæ non est magis immutabilis nec magis tota simul? Cur æternitas mensuret modo immutabili, immensitas vero modo mutabili? Cur immensitas mensuret per contactum ad extra rerum in se ipsis, nempe per cōexistentiam rerum in sua propria mensura loci existentium, secus vero æternitas? Cur æternitas reducit mensurata ad uniformitatem cum ipsa mensura infinita et immutabili, non vero immensitas?

Respondeo 2.ᵒ Quod ad æternitatem spectat, quamvis ea *sit tota simul et perfecta possessio*, non tamen exinde sequitur, quod æternitas omnem durationem creatam mensuret immutabiliter ac simul ab æterno in sua infinita duratione, faciens sibi cōexistere res omnes simul, etiam antequam in se ipsis existant, aut postquam in se ipsis jam existere desierint. Nam æternitas non est possessio tota simul et perfecta temporum rerumve creatarum secundum suum *esse* reale, sed est possessio *vitæ interminabilis*; æternitas enim *non est aliud, quam ipse Deus* (2), nempe ipsum *esse* Dei infinitum, inmutabile, initio et fine carens, nec potest ulli enti creato communicari secundum uniformitatem ac immutabilem essendi plenitudinem (3). Item æternitas non mensurat tempora durationesque creatas includendo illa in se, sicut

(1) Id. ibid., paulo antea in eodem paragr. *Sed contra...*
(2) S. Thom., 1 p., quæst. 10, art. 2, ad 3.ᵐ
(3) Vide S. Thom., 1 p., quæst. 10, art. 3; 1.ª dist. 8, quæst. 2, art. 2.

saccus continet farinam, vel crumena pecuniam, aut lagena vinum, ut debeat possidere simul omne *esse* rerum, quæ in se ipsis successive existunt; sed hoc ipso quod ipsa immutabiliter in se existens sine initio et sine fine non potest non durare quandocumque alia quævis res existat, ita ut nihil aliud existere possit, quin cōexistat æternitati. Sic etiam dies hodiernus mensurat hanc meam scriptionem, non quia gyrus terræ circa axem suum, qui constituit hodiernum diem, includit illam in se ipso, sed quia scriptio peragitur, seu currit simul, cum illo gyro terræ. Quia ergo nihil est in quavis duratione creata vel differentia realis temporis, nec fiari potest in quolibet possibili aut imaginario tempore, quod non reperiat existentem æternitatem, ideo solum æternitas est mensura non propria, sed aliena et communis, omnis temporis ac durationis creatæ, et quidem mensura excedens. Et ideo etiam monuimus superius, æternitatem, licet in se simplicissimam, cogitari a nobis posse habentem eminenter ac virtualiter infinitas partes correspondentes infinitis instantibus successivis, quæ vicissim succedere fingantur in quovis tempore, sive reali sive imaginario, ita tamen ut omnibus et singulis illis tota immutabilis ac plenissime cōesistat. Quod vero ea quæ successive existunt in tempore, debeant in se contineri simul secundum *esse* reale ipsorum, videtur mihi absurdum et contradictorium; sicut absurdum et contradictorium est, quod in Deo, licet sit plenitudo omnis entitatis ac perfectionis, reperiantur creatæ perfectiones secundum *esse* reale illarum.

Itaque «licet æternitas sit indivisibilis, consequenterque tota simul, propterea que nihil cōexistat æternitati, nisi cōexistat toti; et quamvis hinc merito colligatur res temporales non cōexistere uni tantum parti æternitatis, cum illius nulla sit pars; attamen non colligitur cōexistere æternitati sub ea ratione, qua æternitas non habet principium neque finem» (1). Nec «est contra rationem illius successive cōexistere temporis» (2), sicut «arbori, quæ manet immobiliter fixa secus decursus aquarum, non semper sunt præsentes omnes partes

(1) Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 2, num. 1.
(2) Id., ibid., num. 12.

aquarum præterfluentium, quamvis illa per unum et idem *Ubi* immobile et indivisibile sit præsens eo tempore, quo aquæ perveniunt ad arborem» (1). Quod exemplum, quamvis cæteroquin inadæquatum, satis est idoneum ad explicandam cõexistentiam successivam simplicis æternitatis cum rebus successive in se existentibus, ut recte observat Valentia (2); et adhibetur etiam a commentatore Severini Böetii *de Consolatione Philosophiæ* (3), qui consetur esse ipse S. Thomas. Nec valet quidpiam cum Joanne a S. Thoma, quod arbor fixa non possideat simul totam aquam fluvii; quia nec debet æternitas simul *esse* formale ac reale rerum creatarum possidere.

Prob. 4.ª propositio. Res futuræ, etiam secundum illud *esse*, quo in se ipsis existunt in tempore successive tamquam in propria mensura, cõexistunt æternitati; vel aliter, singula *nunc seu instantia* temporis, quando in se ipsis sunt, cõexistunt æternitati, nempe hoc *nunc* scriptionis meæ hodiernum, *nunc* lectionis meæ hesternum, et crastinum *nunc* deambulationis, etc. Atqui hujusmodi instantia, prout sunt in tempore, non simul et ab æterno cõexistunt æternitati, sed successive. Ergo non repugnat eidem simplici et immutabili æternitati, quæ tota simul in se est, alia successive cõexistere, ac proinde ruit fundamentum assertionis adversariorum.

Prob. 5.ª Si omne rerum *esse* reale jam ab æterno cõexisteret æternitati, etiam cõexisteret inter se, ex vi principii identitatis. Atqui non omnes res secundum proprium *esse* reale cõexistunt inter se, nam plures sunt successive, immo aliæ tales sunt, quæ nec possunt omnino cõexistere, quia opponuntur inter se, ut scriptio mea et dormitio vel cessatio a scriptione, etc. Ergo...

Major etiam declarari potest inductione aliarum omnium durationum, communi alicui mensuratæ cõexistentium. Sic omnia, quæcumque fiunt in hoc *nunc* temporis hodierni invicem cõexistunt. Sic etiam corpus et anima vel duo

(1) Id., ibid., num. 13.
(2) Loc. cit., paragraph. 1, *Observandum, duobis modis...*
(3) In Comment. lib. 5 *de Consolat. Philos.*, prosa 6 et ultima.

corpora compenetrata, quæ communem habent locum, etiam inter se cõexistunt loco.

Denique confirmari potest propositio, quia non est ulla necessitas doctrinæ contrariæ, ad explicandam rationem, quare Deus futura cognoscat in se ipsis. Immo adhuc, admissa illa sententia, forte remanet eadem difficultas, ad quam superandam Cajetanus aliique auctores talem opinionem excogitarunt. «Nam non obstante illo modo loquendi, adhuc apud Cajetanum erit vera hæc propositio: *Futura non sunt æternitati præsentia in tempore præsenti, sed in tempore futuro. Neque prius res futuræ sunt æternitati præsentes, quam sint præsentes nobis in tempore.* Quod si res futuræ non in alio tempore, quam in eo ipso, quando futuræ sunt, Deo præsentes sunt quoad illarum *esse* reale; restat adhuc eadem difficultas superanda Cajetano, quare nimirum Deus etiam in tempore præsenti et ab æterno res illas cognoscat in se ipsis quasi præsentes, ita ut cognitio divina cõexistat præsenti tempori, cui tamen illarum præsentia non cõexistit». Eo vel magis, quod «modus loquendi, licet conduceret ad verificandas nostras propositiones, nihil tamen conducit, ut futura possint a Deo præsciri» (1).

94. PROPOSITIO 3.ª **Præsentia futurorum in æternitate, quam in prima propositione vindicavimus, nihil aliud est, quam aptitudo ipsorum terminandi æternam cognitionem Dei, et in eo consistit formaliter, quod res illæ** *propterea quod aliquando realiter et actualiter existent in aliqua differentia temporis, eo ipso sufficienter applicatæ sunt intra sphæram objecti scientiæ Dei, eo quod divina scientia propter æternitatem immutabilis et indivisibilis manens, cõexistit successivæ omnibus temporibus* (2).

Probatur 1.º Ad omnem cognitionem, potissimum intuitivam, aliqua objecti præsentia requiritur, siquidem in hoc præcise cognitio intuitiva distinguitur ab abstractiva,

Declaratur, in qua consistat ratio præsentiæ, quam futura

(1) Ruiz de Montoya, Op. et loc. cit., sect. 3, num. 2.
(2) Vide P. Suarez, Opusc. cit., cap. 8, num. 9. Cfr. num. 6-7-8; Ruiz de Montoya, disp. 28, sect. 8, num. 2. Cfr. Martinez, Op. cit., contr. 3, disp. 8, sect. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

habent in æternitate.

quod illa respiciat rem existentem prout existentem, ac proinde aliquo modo præsentem. Atqui ad divinam futurorum cognitionem intuitivam non requiritur præsentia realis, qua jam ab æterno futura secundum suum *esse* reale Deo cöexistant, ut fuse probavimus in præcedenti propositione. Ergo...

Prob. 2.º Eo ipso quod res aliqua existet in aliqua temporis differentia, jam apta est, ut divinam cognitionem terminet, vel sit intra sphæram objecti vissionis divinæ. Atqui res, quæ intra sphæram objecti visionis versatur, ita ut non possit non visionem terminare, jam re vera præsens est, licet nondum physice ab æterno in se ipsa existat. Ergo...

Major patet. Quia Deus ex sua propria essentia determinatus est ad videndum, quidquid unquam existentiam sortietur, saltem quando existet. Atqui quidquid Deus unquam videt, semper ab æterno et in æternum videt prout existens pro ea temporis differentia, in qua re vera existet: non minus quam si ab æterno existeret. Ergo quidquid existet, eo ipso quod existet, jam ab æterno est intra sphæram objecti visionis divinæ, seu est aptum, ut terminet visionem Dei, immo repugnat metaphysice, spectata invariabilitate ac simplicitate divinæ scientiæ, ut non terminet æternum intuitum illius.

Minor videtur etiam omnino per se innotescere. Nam in ordine ad visionem ex hoc res præsentes a non præsentibus distingui solent, quod præsentes *sint in conspectu*, secus atque absentes. In conspectu vero sunt, quæ agendo in sensus, speciemque sui imprimendo, visionem determinare valent. Talia dicuntur esse, ac re vera sunt intra sphæram objecti visionis; nam quæ aut non existunt, aut, si existunt, propter distantiam nimiam determinare sui visionem nequeunt, non sunt in conspectu nec præsentia intra sphæram activitatis et virtutis visivæ. Jam vero res futuræ quæ aliquando existent, etiam antequam in se ipsis existant, jam sunt in divino conspectu, nudæ et apertæ oculis Dei, propter infinitam virtutem intellectivam ejus et immutabilitatem in intelligendo. Ergo.....

Confirmatur. Quia in ordine ad visionem divinam non minus præsentes sunt res ab æternitate, in qua datur visio immutabilis, quam cum in se ipsis existunt, nam eodem

modo *videntur*. Atqui cum in se ipsis existunt, re vera præsentes sunt divinis oculis. Ergo etiam, antequam existant jam in ordine ad visionem Dei res futuræ, quæ unquam existent, præsentes sunt. Quia si semel existunt, debent semper *videri* a Deo; si autem semper videntur, semper in conpectu præsentia sint, oportet.

Et declarari res potest ex analogia visus in hunc modum. Sicut ex diversitate virtutis visivæ fit, ut non omnia visibilia sint æque præsentia omnibus, sed prout acutiore quisque visu polleat, eo etiam magis distantia intueatur ac præsentia habeat; ita intelligitur aliquo modo, Deum per suam infinitam vim cognoscitivam superare quamcumque distantiam non solum locorum, sed etiam temporum, ut ea quæ quovis tempore evenient, eo ipso quod aliquando existent, jam ab æterno pro Deo intelligibilia sint, atque adeo præsentia ipsi, non quidem quatenus ab æterno cöexistunt secundum suum esse reale, sed quatenus jam in conspectu ejus sunt intra sphæram posita objecti visionis æternæ.

Hanc rem fuse declaratam videre licet apud P. Didacum Ruiz de Montoya (1). Et eamdem præsentiam tuetur Suaresius sub nomine *præsentiæ objectivæ in actu primo*, ad differentiam præsentiæ objectivæ in actu secundo, quæ est mera denominatio extrinseca procedens ex actuali cognitione (2).

Præsentia futurorum in æternitate non est quidpiam reale.

Hinc plane patet: 1.º præsentiam hanc futurorum in æternitate, quam tuemur, non esse quidpiam reale ab æterno, sed solum in tempore; nec etiam in tempore distinguitur realiter ab ipso *esse* rei præsentis, formaliter enim spectata

(1) Loc. cit., sect. 7, 8.

(2) «Intelligitur ex dictis, inquit, quid sit præsentia objectiva..., duobus enim modis excogitarie potest. Primo *in actu secundo* seu potius respectu actus secundi et ultimi: et *hoc sensu* nihil aliud est esse objective præsens, quam actu videri. *Et de præsentia hoc modo explicata verissime dicitur non antecedere etiam secundum rationem ipsam scientiam, ei ideo non posse ex tali præsentia rationem scientiæ reddi, cum per illam formaliter fiat.* Secundo modo sumi potest *aptitudine*: ut *res sensibilibus dicitur objectum, quamvis actu non videatur, objective esse præsens, quando ita est propinquum, illuminatum et dispositum, ut, quantum est ex se, videri possit.* In præsenti ergo, si hoc modo velimus præsentiam objectivam explicare, nihil aliud est, quam ipsum *esse, quod res est suo tempore habitura: quod*

non est nisi relatio quædam rationis fundata in ipsa re futura. «Fundatur enim hæc relatio in entitate reali, quæ nondum est, nec fuit ab æterno, et tamen ab æterno fuit hæc relatio, quatenus ex eo solum, *quod istæ res aliquando futuræ realiter et actualiter erant, eo ipso veritatem habebant determinatam* atque *scibilitatem*, ratione cujus sciri poterant a scientia æterna, quæ ambit omnia tempora» (1).

quæ vocari potest intentionalis aut objectiva in actu primo.

2.° Patet etiam præsentiam rerum futurarum in æternitate, licet antecedat rationem cognitionis actum, nihilominus dicere essentialiter ordinem ad cognitionem; quare haud incongrue vocari potest *intentionalis et objectiva in actu primo*.

hæc per eam cognoscuntur res in alio, seu in se ipsis.

3.° Patet, cognoscere Deum futura in præsentia æternitatis, vel ut præsentia sibi in æternitate, non esse cognoscere illa *in alio*, sed in se ipsis. Nam futura illa *per se ipsa* sunt præsentia in æternitate, non per aliquid aliud sibi superadditum. Sicut etiam cognoscere rem aliquam ut præsentem alicui tempori, non est cognoscere illam in tempore tamquam in alio; neç videre rem ut præsentem alicui loco, est videre illam in alio, tamquam medio cognitionis; videtur enim res ipsa immediate ut existens tali tempore vel loco.

In quo patet recte a Patribus res dici Deo ab æterno præsentes, quamvis non coexistant rebus illor.

4.° Hinc etiam intelligitur, sanissimum ac verum sensum habere posse voces illas Patrum, cum dicunt Deo nihil esse futurum, sed præsentia omnia, Dei scientiam, qua futura cognoscuntur, non esse proprie *præscientiam*. Deo futura jam facta esse, etc. (2): quamvis non admittatur coexistentia rerum in æternitate secundum *esse* illarum proprium, antequam in se ipsis existant. Quia præsentia illa, tota quanta,

---

dicitur esse præsens secundum existentiam in ordine ad tempus, in quo est, futurum tamen toto tempore superiori, vero vel imaginario, antequam fiat. *Illud ergo* esse, quatenus est sufficiens fundamentum ex parte objecti terminativi, ut videri possit a Deo, sicut explicatum est, est sufficiens ratio ex parte ejusdem objecti, ut possit esse præsens actui intuitivæ scientiæ. *Hæc igitur aptitudo ex parte rei cognoscendæ dici potest ex parte ejus præsentia objectiva*, nihilque aliud excogitari potest». Suarez, Op. cit., lib. 1, cap. 8, num. 9, Cfr. Ibid., num. 6-7-8.

(1) Ruiz de Montoya, disp. 28, sect. 7, num. 2.

(2) Vide has et similes alias Patrum locutiones collectas apud P. Didacum Ruiz de Montoya, *De Scientia Dei*, disp. 28, sect. 4.

est in ordine ad divinam cognitionem æternam. Atqui quæcumque existent unquam, sive antequam efficiantur, sive postquam esse desierint, eo ipso quod aliquando existant, semper sunt in divino conspectu, et semper videntur actu, ergo semper præsentia sunt in vero aliqne sensu, in ordine videlicet ad divinam cognitionem. Similiter, quia Deus videt omnia futura in se ipsis, non vero in causis, et scientia Dei æterna de iisdem eadem ipsissima est jam ab æterno, quæ erit, quando illa existent in tempore, dici potest potius scire, quam præscire. Cæterum dicitur etiam Deus recte futura *præscire*, quia novit illa, antequam fiant. Et propter eamdem rationem futura Deo jam facta dici possunt, quia *quæ futura sunt, velut jam facta perspicit, et judicat* (1).

Cæterum iis Patrum locutionibus minime significari æternam futurorum secundum *esse* reale coexistentiam, patet ex multis aliis contrariis eorumdem Patrum testimoniis apud Didacum Ruiz de Montoya (2).

§ III. QUÆNAM SIT MENS S. THOMÆ CIRCA RERUM FUTURARUM PRÆSENTIAM IN ÆTERNITATE.

95. PROPOSITIO 4.ª **Si jam de mente Aquinatis quæratur, videtur Angelicus Doctor agnovisse aliquam præsentiam futurorum in æternitate distinctam ab ea, quam intentionalem seu objectivam in actu secundo diximus; non tamen docuit præsentiam realem, quæ importat æternam coexistentiam futurorum secundum esse proprium illorum.**

Mens S. Thomæ declaratur.

Nempe contendimus doctrinam traditam hactenus esse conformem S. Thomæ. Et ita sentiunt inter alios Didacus Ruiz de Montoya (3) et Suarez, qui notat hoc modo interpretatos fuisse Angelicum Doctorem antiquos Thomistas, ac præsertim Ægidium (4).

---

(1) S. Joann. Damasc., *Dialog. contr. Manich.*

(2) *De scient. Dei*, disp. 28, sect. 6, a num. 12 et sect. 1, a num. 6.

(3) Loc. cit.

(4) Vide Suarez, opusc. cit. cap. 8, num. 11. Cfr. ibid., cap. 7, num. 10.

Probatur prima pars: *S. Thomas admisit aliquam præsentiam futurorum in æternitate distinctam a præsentia intentionali vel objectiva in* actu secundo. Etenim S. Thomas non semel probat Deum ab æterno futura in se ipsis cognoscere, quia sunt ei præsentia. Atqui ratio hæc foret pura petitio principii, si non admisisset aliam præsentiam futurorum in æternitate præter objectivam in actu secundo. Nam præsentia ista consistit in ipso *cognosci* rei vel objecti alicujus. Quare si non alia ab Angelico admissa fuisset præsentia, ratiocinatio ejus hæc esset: *Deus ab æterno cognoscit futura, quia præsentia sibi sunt objective in æternitate, nimirum quia cognoscit in æternitate.* Ergo dicendum est S. Thomam aliquam aliam præsentiam agnovisse.

Probatur Major productis variis testimoniis S. Doctoris. *Non autem per hoc*, inquit, *prophetiæ donum sufficiens testimonium fidei adhiberetur, nisi esset de his, quæ a solo Deo cognosci possunt.... Hujusmodi autem præcipue sunt in rebus inferioribus occulta cordium, quæ solus Deus cognoscere potest.... et futura contingentia, quæ etiam soli divinæ cognitioni subsunt, quia ea in se ipsis videt, cum sint ei præsentia ratione suæ æternitatis* (1). Item alibi: *Dæmones subtilissimi sunt in talium futurorum præcognitione; sed ea, quæ non habent causas determinatas, ut quæ sunt ad utrumlibet, vel in minori parte, non possunt cognosci in causis suis, sed in se ipsis tantum, ut præsentia sunt: unde eorum præcognitio solius Dei est, cui ab æterno præsentia sunt.... et cui Deus revelare voluerit* (2).

Præterea S. Doctor diserte distinguit præsentiam futurorum ab eorumdem *esse* in intellectu suo: id vero facere non potuisset, si præter præsentiam objectivam in actu secundo, aliquam aliam non agnovisset. *Cum Deus*, inquit, *uno æterno intuitu non successivo omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua. Non enim Deus ab æterno cognovit de rebus tantum se cognoscere ea, quod est esse in cognitione sua, sed etiam ab æterno vidit uno ictuitu ea*

(1) S. Thom., 3.ª *Contr. Gent.*, cap. 154, ante med.
(2) 2.ª dist. 7, quæst. 2, art. 2 corp. Cfr. 1 p., quæst. 86, art. 4 1.ª *Contr. Gent.*, cap 66, *Amplius intelligere Deo.*

videbit singula tempora, ut rem talem esse in hoc tempore, et in hoc deficere (1). Quibus similia sunt hæc: *Cum visio divinæ scientiæ æternitate mensuretur, quæ est tota simul et totum tempus includit, nec alteri parti temporis deest, sequitur, ut quidquid in tempore geritur, non ut futurum, sed ut præsens videat* (2).

Verum hæc magis clarescent etiam ex dicendis.

Probatur secunda pars: *Præsentia futurorum in æternitate, quam S. Thomas admittit, non importat eorumdem ab æterno cœxistentiam.* 1.° Realis præsentia futurorum in æternitate, cum sit tam ardua intellectu, videaturque impossibilis, ut apparet ex dictis in secunda propositione, non est attribuenda S. Thomæ, nisi clare ab ipso doceatur, aut nisi verba ejus nequeant commode aliter exponi. Atqui S. Doctor nullibi clare docet æternam cœxistentiam futurorum, et verba ipsius commode possunt explicari de præsentia objectiva seu intentionali in actu primo. Ergo.....

Loca S. Thomæ in speciem contraria explicantur: primus.

Probanda est Minor: *S. Thomas nullibi docet clare futura secundum* esse *suum reale cœxistere Deo ab æterno.*

Id probamus afferendo loca, quæ objici solent ab adversariis ex S. Thoma: α) *Cum æternum esse nunquam deficiat, cuilibet tempori vel instanti temporis præsentialiter adest æternitas. Cujus exemplum utcumque in circulo est videre: punctum enim in circumferentia signatum, etsi indivisibile sit, non tamen cuilibet puncto alii secundum situm cœxistit simul, ordo enim situs continuitatem circumferentiæ facit; centrum vero, quod est extra circumferentiam, ad quodlibet punctum in circumferentia signatum directe oppositionem habet. Quidquid igitur in quacumque parte temporis est, cœxistit æterno, quasi præsens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum vel futurum. Æterno autem non potest aliquid præsentialiter cœxistere, nisi toti, quia successionis durationem non habet. Quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate intuetur quasi præsens; nec tamen quod quadam parte temporis agitur, semper fuit*

(1) 1.ª dist. 38, quæst. unic., art. 5 corp.
(2) *De Verit.*, quæst. 2, art. 12. Cfr. ibid., ad 3.um; et 1 p., quæst. 57, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

existens... (1). Et ibidem paulo inferius hæc addit: *Non enim Deus rerum, quæ apud nos nondum sunt, videt solum esse, quod habent in suis causis, sed etiam illud, quod habent in se ipsis, in quantum ejus æternitas est præsens in sua indivisibilitate omni tempori.*

Sed respondeo, hæc parum urgere. Nam 1.° minime dicit S. Doctor, æternitatem adesse *ab æterno* præsentialiter cuilibet tempori, sed tantum *adesse præsentialiter*: id quod verissimum est, etiam si dicatur æternitas præsens esse cuilibet instanti temporis successive eo ordine, quo illud in se ipso existit. 2.° Similiter ut quidquid... *in quacumque parte temporis est, coexistat æternitati*, necesse non est, ut ab æterno existat secundum suum *esse* reale. An non hæc scriptio mea, *prout fit nunc in hoc temporis instanti*, coexistit æternitati? 3.° Nec vero ex eo quod æternitas *sit tota simul*, ideoque *in sua indivisibilitate præsens sit omni tempori, nihilque possit æternitati coexistere nisi toti*, colligi potest S. Doctorem admississe præsentiam, quam impugnamus. Nam posito, æternitatem esse simplicem, semper verum erit, ea omnia etiam instantia successiva temporis fluentis, quando in se ipsis sunt, coexistere *toti æternitati*, licet non *totaliter* et *adæquate*. Sicut verum est omnia, quæ successive creantur, et in loco constituuntur, successive coexistere præsentialiter secundum locum divinæ immensitati *toti*, quamvis non sint ubique, sicut est immensitas. 4.° Nec magis probat adversariorum doctrinam comparatio centri, cui omnia circumferentiæ puncta sint præsentia. Dicito enim mihi, quæso; quamvis verum sit, puncta omnia circumferentiæ, *quando jam descripta hæc est*, esse præsentia centro, sequiturne eadem esse præsentia, cum nondum datur circunferentia? 5.° Quid? quod interpretationem contrariam videntur manifeste excludere illa verba? *Quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate intuetur quasi præsens*; nec tamen quod quadam parte temporis agitur, semper fuit existens. En hic negatur diserte *semper fuisse existens id ipsum, quod in tota sua æternitate Deus intuetur quasi præsens.* Quid hoc est nisi negare,

(1) 1.° *Contr. Gent.*, cap. 66, *Amplius, intelligere Dei...*

necesse esse, ut existat in tota sua æternitate id, quod in tota æternitate ut præsens videtur? Nihil ergo est in proposito testimonio S. Thomæ, quod doctrinæ nostræ non sit penitus conforme, vel contrariam contineat.

Et idem dici potest de quocumque alio loco, ubi hanc quæstionem tractat Angelicus, et similibus utitur loquendi formulis (1).

secundus. 8) Illa etiam sunt loca, in quibus S. Doctor contrarius nobis videtur, cum scribit, futura Deum non cognoscere ut *futura*, sicut ea cognoscit intellectus creatus, sed ut *præsentia*, vel in sua *præsentialitate*: unde ordo cognitionis divinæ ad rem quamlibet est sicut ordo *præsentis* ad *præsens* (2).

Respondeo. Verum neque hæc multum urgent. Nam in modo loquendi S. Thomæ cognoscere futurum *ut futurum* idem valet, ac cognoscere illud ut contentum in suis causis, cognoscere vero futurum *ut præsens* est cognoscere illud, prout est in se, vel secundum *esse* proprium, quod habebit extra causas. *Futurum contingens*, inquit, *dupliciter potest considerari: uno modo, secundum quod est futurum; et sic nihil aliud est cognoscere futurum contingens, quam cognoscere causas ejus, secundum ordinem quem habent ad ipsum.... Alio modo potest considerari contingens futurum ratione illius temporis, in quo futurum esse prædicitur: in quo quidem tempore futurum jam præsentialiter est, et per consequens determinatum ad unum. Utroque autem modo Deus de futuris contingentibus scientiam habet. Cum enim suæ cognitionis intuitio sit in momento æternitatis, omnibus temporis partibus videt ab æterno Deus rem secundum statum, quem habet in quolibet puncto temporis, ipse extra tempus existens. Et sic ab æterno videt Socratem sedere, non autem ut futurum sibi, qui est extra tempus, sed ut præsens, futurum autem respectu aliorum, quæ tempore præcedunt* (3). Et alibi: *Tunc aliquid cognoscitur, ut futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis et rei eventum*

(1) Vide v. g. 1 p., quæst. 86, art. 4; 1.ª dist. 38, art. 5; *de malo*, quæst. 16, art. 7.

(2) Vide 1 p., quæst. 57, art. 3, corp.; *de verit.*, quæst. 2, art. 2; 1.ª dist. 38, art. 5; *de malo*, quæst. 16, art. 7; *Quodlibet.* 11, art. 3.

(3) S. Thom. *Ad Hannibald.*, lib. 1, dist. 38, quæst. 2, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

invenitur ordo præteriti ad futurum (1), nempe quando ita res cognoscitur, ut nondum prout est in se ipsa cernatur, sed ordo causarum ac dispositio ex quibus res erit: quo tantum modo v. g. præscit medicus mortem futuram, *in quantum scit naturalia principia esse ordinata ad defectum mortis; et eodem modo astrologus dicitur præcognoscere futuras pluvias aut ventos* (2). Item: *Contingens aliquod dupliciter potest considerari: uno modo in se ipso, secundum quod jam actu est; et sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens, neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum: et propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa, et sic consideratur ut futurum, et ut contingens nondum determinatum ad unum* (3).

Unde etiam S. Thomas non semel hæc duo invicem opponit, cognoscere aliquid ut futurum, et cognoscere ut est in se, dicens Deum intueri contingentia, *prout sunt actu in suo esse, et non solum prout sunt futura et virtute in suis causis* (4); et negat fieri posse, ut *aliqua cognitio respiciens futura in ratione futuri, cognoscat ea in se ipsis* (5); ex quo concludit nullam creaturam posse cognoscere futura in se ipsis, quia omnis cognitio creaturæ subjacet ordini temporis, utpote habens prius et posterius, et attingens objecta eo ordine, quo sunt in tempore (6).

Consentanee ad hæc docet Aquinas agendo de propheticis revelationibus, quandoque futura revelari a Deo prophetis, secundum quod illa sunt actu in se ipsis pro tali tempore, et tunc cognitionem illam propheticam esse penitus infallibilem;

(1) *De Verit.*, quæst. 2, art. 12, corp. Cfr. ibid. ad 1.um, 3.um et 9.um; et art. 11, fin. corp; et quæst. 12, art. 10, corp. et ad 7.um; 1.ª dist. 38, art. 5, ad 3.um; 2.ª 2.æ, quæst. 171, art. 6, ad 2.um; et quæst. 174, art. 1, corp., et ad 1.um; *Compend. Theolog.*, cap. 133, fin.; et cap. 134; 1.ª p., quæst. 57, art. 3.

(2) S. Thom. *de Verit.*, quæst. 12, art. 10, corp. Cfr. *Comp. Theolog.*, cap. 134.

(3) 1.ª p., quæst. 14, art. 13.

(4) *Compend. Theolog.*, cap. 133 vers. fin.

(5) *De malo*, quæst. 16, art. 7.

(6) Ibid.

quandoque autem solum revelari futura, prout continentur in ordine ac dispositione causarum, et tunc fieri posse, ut revelatio illa eventum non habeat, quia licet causæ sint dispositæ ad certum effectum, et ita videantur a propheta, possunt impediri divinitus, ne ponant illum, et sic si solum causarum ordinem ac dispositionem vidit propheta, potest contrarium evenire. Et hoc modo explicantur ab Angelico quædam prophetiæ comminatoriæ, quæ eventum non habuerunt (1).

Hisce pronotatis, plane vides, nihil probari contra nostram doctrinam, ex eo quod S. Thomas scribat Deum futura non cognoscere ut futura, sed ut præsentia sibi, vel in sua præsentialitate; quia nihil aliud significat hisce verbis S. Doctor, nisi quod Deus non videat futura, quatenus solummodo cognoscat, quod causæ dispositæ vel inclinatæ sunt ad certum effectum: quo modo etiam intellectus creatus potest futura cognoscere, saltem probabiliter, ut medicus mortem instantem, astrologus pluvias ac ventos; sed quod insuper videat futura *in se ipsis*, secundum quod actu sunt extra causas pro aliqua differentia temporis. Iterum ergo dicendum, S. Thomam per prædictum modum loquendi noluisse significare æternam futurorum Deo cœxistentiam secundum *esse* illorum reale ac proprium.

Confirmatur, quia sæpe S. Thomas particulam restringentem adhibet, dicens Deum videre futura *quasi præsentia*, vel *ut præsentia* (2).

Prob. 2.° Ipse Aquinas sæpe videtur excludere præsentiam realem futurorum ab æterno; præsentiam vero, quam adstruit, iis coloribus describit, qui omnino referant eam, quam vocavimus præsentiam objectivam in actu primo. *Aliquid potest dici præsens alicui, in quantum subjacet ejus conspectui, quod tamen distet ab eo secundum substantiam* (3).

(1) Vide S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 171, art. 6, ad 2.um; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 154, circa med. Cfr. *de verit.*, quæst. 12, art. 10 corp.

(2) Vide 1.ª p., quæst. 14, art. 9, quæst. 57, art. 3; 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 66, *Amplius, intelligere...*; 4.ª dist. 46, quæst. 2, art. 5; 1.ª dist. 38, art. 5.

(3) S. Thom. 1.ª p., quæst. 8, art. 3, ad 2.um. Cfr. ibid. in corp.; et 3.ª dist. 24, quæst. 1, art. 2, solut. 3, ad 4.um

Et alibi: *Quidquid igitur*, inquit, *per totum decursum temporis agitur, divinus intellectus in tota sua æternitate* intuetur quasi præsens; *nec tamen quod quadam parte temporis agitur, semper fuit existens* (1). Verba videntur manifesta, ut jam superius notabamus.

Idem manifestissime colligitur ex alio doctrinæ capite, secundum quam licet *scientia Dei invariabilis sit et semper eodem modo, tamen dispositio, secundum quam res refertur ad Dei cognitionem invariabilem, non semper eodem modo se habet ad ipsam. Referitur enim res ad Dei cognitionem, secundum quod est in sua præsentialitate; præsentialitas autem rei non semper ei convenit* (2). Quid clarius? Similiter ex Angelico Deus præcessit mundum duratione, non temporis, sed æternitatis (3). Quomodo autem id verum esse potest, si, ut docent adversarii, omnes res etiam temporales in æternitate coëxistunt Deo ab æterno?

Præterea: *In se ipsis... futura cognosci non possunt nisi a Deo, cui etiam sunt præsentia, dum in cursu rerum sunt futura: in quantum ejus æternus intuitus simul fertur supra temporis cursum, ut supra dictum est* (1 p., quæst. 14, art. 13), *cum de Dei scientia ageretur* (4). En quomodo explicat præsentiam eorum, *quæ in cursu rerum sunt futura*. Quid est, quæso, esse *futura in cursu rerum*, nisi nondum *esse* secundum *esse* reale? Et nihilominus hæc ipsa dicuntur esse præsentia Deo cognoscenti, quia *ejus æternus intuitus simul fertur supra temporis cursum*, vel ut magis declarat in loco, quem ipsemet ibidem allegat, *quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate* (5). Nempe ab æterno simul omnia attingit, prout sunt in se ipsis in tempore, vel quia *omnia subduntur divino conspectui*

(1) 1.ª *Contr. Gent.* cap. 66, *Amplius, intelligere...*
(2) *De verit.* quæst. 2, art. 13 fin. corp.; Cfr. 1.ª dist. 38, art. 5, ad 6.um; et *de verit.*, quæst. 1, art. 5, ubi dicitur intellectus divinus ab æterno adæquare potuisse iis, quæ *ab æterno non* fuerunt, sed in tempore sunt facta.
(3) S. Thom., 1 p., quæst. 46, art. 1, ad 8.um; *de potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 2.um
(4) 1 p., quæst. 86, art. 4.
(5) 1 p., quæst. 14, art. 13.

secundum sua præsentialitatem (1). Jam enim superius probavimus *præsentialitatem rei*, in modo loquendi S. Thomæ, esse *ipsum esse rei*, prout est in se extra causas: tunc enim dici proprie solet res esse *præsens*, vel esse *nunc*, non vero *fuisse*, vel *futura esse*: et hanc esse significationem præsentialitatis patet insuper ex contextu (2). Item alibi docet non oportere creaturas ab æterno ponere *nisi in potentia* (3); et creaturas ab æterno non esse nisi in Deo (4); et rem, antequam sit, non habere esse nisi in causis suis (5); item rem, antequam *esse* habeat, nihil esse nisi forte in intellectu creantis, *ubi non est creatura, sed creatrix essentia* (6); et intellectum adæquari non solum his, quæ actu sunt, sed etiam *his, quæ actu non sunt*, præsertim intellectum divinum, cui idem est præteritum et futurum (7).

Adde hæc alia: *Dico igitur, quod intellectus divinus intuetur ab æterno unumquodque contingentium, non solum prout est in suis causis, sed prout est in esse suo determinato; cum enim, re existente, ipsam rem videat, prout in suo esse determinato est, aliter cognosceret rem postquam est, quam antequam fiat, et sic ex eventibus rerum aliquid ejus accresceret cognitioni. Patet etiam, quod Deus ab æterno non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura* (nempe non solum vidit rem in causa), *sed ipsum esse rei intuebatur. Quod qualiter sit, evidenter docet Boëtius in fine de* Consolatione (8). **Omnis enim cognitio est secundum modum cognoscentis... Cum igitur Deus sit æternus, oportet, quod cognitio ejus modum æternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut quamvis tempus sit successivum, tamen æternitas ejus est præsens omnibus temporibus una et eadem, et individualis, ut nunc stans; ita et cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamvis sibi**

(1) Ibid.
(2) Lege attente 1 p., quæst. 14, art. 13.
(3) *De potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 21.um
(4) 1 p., quæst. 20, art. 2, ad 2.um
(5) 1.ª dist. 38, art. 5.
(6) *De potent.*, quæst. 3, art. 5, ad 2.um
(7) *De verit.*, quæst. 1, art. 5, ad 11.um Cfr. in corpore.
(8) Lib. 5, pros. ultim.

succedentia, ut præsentia sibi, nec aliquid eorum est futurum respectu ipsius, sed unum respectu alterius: *unde secundum Boëtium melius dicitur, providentia, quam prævidentia quia non quasi futurum, sed omnia ut præsentia uno intuitu procul videt, quasi ab æternitatis specula* (1), etc. Et ibidem inferius: *Deus non tantum cognoscit ea, quæ sunt nobis* præsentia, sed quæ sunt nobis præterita et futura: supra quæ tamen omnia intuitus divinus cadit, secundum quod suis temporibus præsentia sunt: *unde non sequitur, quod aliquam rem Deus quandoque sciat, quam aliquando nescivit* (2). Hic iterum vides sermonem esse de cognitione Dei, quæ res ut præsentes respiciat, præsentia tamen illa non refertur ad æternitatem, sed ad *tempus*, in quo res ipsæ peraguntur. Quod etiam docuit alibi Angelicus (3).

Insuper S. Thomas prædictam præsentiam diserte revocat alias ad ipsam Dei visionem: *Deus est omnino extra ordinem temporis, quasi in arce æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui subjacet totus temporis decursus secundum unum et simplicem ejus intuitum. Et ideo uno intuitu videt omnia, quæ aguntur secundum temporis decursum et unumquodque, secundum quod est in se ipso existens, non* quasi sibi futurum quantum ad ejus intuitum, prout est in solo ordine suarum causarum, *quamvis et ipsum ordinem causarum videat,* sed omnino æternaliter, sic videt unumquodque eorum, *quæ sunt in quocumque tempore, sicut oculus humanus videt Socratem sedere, in se ipso, non in causa sua* (4). Item: *Cognitio Dei,* inquit, *est elevata supra totum ordinem temporis,* ita quod nulla pars temporis comparatur ad operationem divinam sub ratione præteriti vel futuri, vel totus decursus temporis, et ea quæ per totum tempus aguntur, præsentialiter et conformiter ejus aspectui subduntur. Et ejus simplex intuitus super omnia simul fertur, prout unumquodque est in suo tempore (5).

(1) 1.ª dist. 38, quæst. 1, art. 5 corp.

(2) 1.ª dist. 38, art. 5, ad 7.um. Cfr. ibid., ad 2.um et 3.tium

(3) *De malo*, quæst. 16, art. 7 corp.; et *Periherm.* seu de *Interpretat.*, lib. 1, lect. 14, paragr. f.

(4) *Periherm.*, lib. 1, lect. 14, paragr. f.

(5) *De malo*, quæst. 16, art. 7.

In his aliisque similibus locis (1), S. Thomas non concludit cognitionem vel intuitum divinum in æternitate ex eo, quod res ab æterno existant in æternitate, seu sint realiter præsentes secundum *esse* proprium; sed e converso ex eo quod cognitio divina æternitate mensuretur, nec potest non ab æterno repræsentare, quidquid in tempore repræsentabit, quando in tempore in se ipso existet; concludit res esse ab æterno *divino conspectui subjectas*, et præsentes seu non futuras *quoad ejus intuitum*. Atqui hæc videntur præ se ferre præsentiam duntaxat objectivam in actu primo. Nam si S. Thomas admisisset actualem futurorum præsentiam in æternitate, evidens est nullam futuram esse necessitatem recurrendi ad æternum simplicem ac simultaneum intuitum omnium rerum, ut explicaretur Deum futura ab æterno cognoscere, antequam fiant. Etiam angelicus et humanus intellectus, qui non omnia simul, sed successive intelligunt, si ponantur esse ab æterno, et adesse pariter sibi præsens realiter objectum secundum suum *esse* reale cŏexistens in æternitate, profecto potuerunt tale objectum ab æterno cognoscere.

Idem demum constat ex comparationibus adhibitis a S. Doctore ad rem declarandam: *Secundum Philosophum in quarto Physicorum* (2), *secundum prius et posterius in magnitudine est prius et posterius in motu, et per consequens in tempore. Si ergo sint multi homines per viam aliquam transeuntes, quilibet eorum, qui sub ordine transeuntium continetur, habet cognitionem de præcedentibus et subsequentibus, in quantum sunt præcedentes et subsequentes, quod pertinet ad ordinem loci. Et ideo quilibet eorum videt eos, qui juxta se sunt, et aliquos eorum, qui præcedunt, eos autem, qui post se sunt, videre non potest. Si autem esset extra totum ordinem transeuntium, utpote in aliqua excelsa turri constitutus, unde posset totam viam videre, videret quidem simul omnes in via existentes, non sub ratione præcedentis et subsequentis, in comparatione scilicet*

(1) Vide *de verit.*, quæst. 2, art. 12; quæst. 12, art. 10; 1 p., quæst. 14, art. 9; quæst. 57, art. 3; 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 66, *Amplius, intelligere...*

(2) Text. comm. 100. Vide apud S. Thom., 4.ª *Physicor.* lect. 17, paragr. c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad ejus intuitum; sed simul omnes videret, et quomodo unus eorum alium præcedit. Quia igitur cognitio nostra cadit sub ordine temporis, vel per se vel per accidens..., consequens est, quod sub ejus cognitione cadant res sub ratione præsentis, præteriti et futuri... Et ideo præsentia cognoscit tamquam actu existentia..., præterita autem cognoscit ut memorata, futura autem non cognoscit in se ipsis, quia nondum sunt. Sed Deus est omnino extra ordinem temporis, quasi in arce æternitatis constitutus, quæ est tota simul, cui subjacet totus temporis decursus secundum unum et simplicem ejus intuitum; et ideo uno intuitu videt omnia, quæ aguntur secundum temporis decursum, et unumquodque secundum quod est in se ipso existens, non quasi sibi futurum, quantum ad ejus intuitum... (1). Quam similitudinem satis aptam existimasse dicendus est S. Thomas, quippe qui eamdem sæpæ alias usurpavit ad eamdem rem declarandam (2).

Jam vero, nisi male video, tota intentio Angelici hic est declarare, quomodo res, quæ *nondum sunt*, nec proinde præsentes esse possunt secundum *esse* reale æternitati, cognoscantur a Deo in æternitate. Et probo; quia ratiocinatio S. Thomæ in locis allegatis hæc est: Simili modo se habet prius et posterius secundum tempus, ac secundum magnitudinem vel locum. Atqui licet quæ sunt prius et posterius secundum locum, non possint videri ab eo, qui est in eodem loco, donec sint juxta seu præsentia secundum locum, possunt tamen videri simul, et quasi forent præsentia, quando adhuc sunt procul, ab eo, qui ex alta turri prospiciat. Ergo simili modo quamvis ea, quæ sunt posterius secundum tempus, seu futura, nondum in se ipsis videri possint ab eo, qui ordini temporis subjacet, nempe cum successione intelligendo res, prout contingunt; nihilominus ab eo, qui est in arce æternitatis constitutus, possunt etiam futura, quasi jam existerent, in se ipsis cognosci; seu jam futura pro illo præsentia sunt, non quidem secundum suum *esse*, sed quatenus jam patent oculis divinis, seu sunt intra sphæram objecti

(1) Lib. 1.º *Periherm.*, lect. 14, paragr. *f*. *Nam primo quidem...*
(2) Vide *de malo*, quæst. 16, art. 7; *de verit.*, quæst. 2, art. 12; *Quodlib.* 11, art. 3; *Compend. Theolog.*, cap. 133 fin.

visionis æternæ. Legantur attente loca S. Thomæ, et videbitur profecto, hanc esse illius ratiocinationem. Atqui totus hic discursus manifeste excludit doctrinam adversariorum, nostram vero supponit. Ergo....

Confirmatur 1.º Quia intentio S. Doctoris erat asserere, atque explicare respectu divinæ cognitionis id ipsum, quod in nullo creato intellectu locum habere potest. Atqui id, quod in nullo creato intellectu locum habere potest, est videre res, quando *nondum sunt*, quando nondum coexistunt videnti, quando nondum præsentes sunt secundum *esse* reale. Ergo hoc ipsum, quod creaturis negatur, asseritur Deo a S. Thoma. Quod si mens ipsius fuisset docere, res ab æterno esse Deo realiter præsentes seu cōexistere secundum suum *esse* physicum, nihil peculiare concederet Deo in modo cognoscendi, quod non reperiatur in omni creato intellectu. Commune quippe est omni creato intellectui cognoscere sibi præsentia.

Confirmatur 2.º ex similitudine illa ab Aquinate adhibita ad suæ doctrinæ declarationem: *Sint quinque homines* inquit, *qui successive in quinque horis quinque contingentia facta videant. Possum ego dicere, quod isti quinque vident hic contingentia succedentia præsentialiter. Si autem poneretur, quod isti quinque actus cognoscentium essent actus unus, posset dici, quod una cognitio esset præsentialiter de omnibus illis cognitis successivis. Cum ergo Deus uno æterno intuitu, non successive, omnia tempora videat, omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua* (1). Hic etiam, ut vides, problema solvendum ac declarandum hoc erat, quomodo res, quæ successive erunt, cognosci simul possint ab æterno. Solvitur autem, non dicendo res ipsas secundum *esse* reale cōexistere simul in æternitate, sed dicendo illas apprehendi ab actu simplicissimo et æterno intuitionis, qui in sua simplicitate æquivaleat totidem actibus successive terminatis ad res in ipso tempore, quando res in se ipsis successive existent.

(1) 1.º dist. 38, art. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Probatur 3.º applicando huc argumentum, quo S. Thomas probat Deo non convenire ab æterno *esse* ubique. Cõexistentia Dei cum rebus creatis est quædam relatio ad creaturas fundata super operatione divina, qua illæ ponuntur in *esse*. Atqui, docente S. Thoma, *omnis..... relatio, quæ fundatur super aliquam operationem in creaturas procedentem, non dicitur de Deo nisi ex tempore, sicut Dominus Creator et hujusmodi; quia hujusmodi relationes actuales sunt, et exigunt actu esse utrumque extremorum* (1). Ergo.....

§IV.—SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Solvuntur difficultates realem futurorum coexistentiam respicientes.

96. **Objic. 1.º** Quod nondum existit realiter, sed tantum posterius existet, non est applicatum, sed applicabitur virtuti cognoscitivæ, ut cognoscatur, ac proinde nondum est actu objectum cognitionis, sed erit. Ergo nisi dicantur res futuræ ab æterno physice et secundum suum *esse* reale præsentes, in nullo vero sensu dici possunt præsentes, sed tantum dici potest, quod erunt præsentes, et consequenter non cognoscuntur actu ab æterno, sed tantum cognoscentur.

Respondeo, *dist.* antec.: si sermo sit de intellectu creato, *conc.*; si de increato ac divino, *nego*. Et *nego* conseq.

Nam ex eo solum quod res futuræ aliquando erunt, jam nunc et ab æterno cadunt sub aspectum intellectus infiniti, cujus omnis cognitio æterna esse debet, atque æternitate mensurari; quia ex eo solum quod res aliquando erit, jam dantur omnia prærequisita, ut cognitio æterna Dei existat. Et ratio est, quia Deus ut quidpiam cognoscat, non indiget determinatione ac motione ipsius objecti, sed se ipso, ex sua propria essentia jam determinatus est ad intelligendum quidquid intelligibile est, eo modo quo intelligibile est. Ut vero cognoscat aliquid ut existens, requirit tamquam conditionem necessariam, quod existat. Atqui in quocumque tempore res existat, re vera datur conditio illa objecti existentis, qua data, Deus determinatus est ex sua essentia ad cognoscendum illud existens pro eo ipso tempore, in quo existet. Et quoniam quidquid cognoscit, ab æterno et invariabiliter cognoscit,

(1) 1.º dist. 37, quæst. 2, art. 3.

supposito quod existat aliquod objectum in quavis differentia temporis, jam ab æterno Deus determinatus est, ut illud repræsentet tamquam existens in tali tempore. Et consequenter jam ab æterno tale objectum est intra sphæram divinæ visionis, atque adeo præsens præsentia objectiva in actu primo (1).

Objic. 2.º Si futura ideo sunt præsentia divino conspectui, quia aliquando erunt in tempore, dicendum est illa non esse ab æterno præsentia, sed solum in tempore. Nam præsentia, quæ fundatur super existentia, tunc solum dari potest, quando datur existentia. Atqui ut futura cognoscantur ab æterno, necesse est, ut jam ab æterno sint divinæ menti præsentia. Ergo ut Deus possit ab æterno futura cognoscere, oportet, ut hæc jam ab æterno in æternitate existant.

Respondeo, *neg.* Maj. Et probationem *distinguo*: præsentia physica et realis, *conc.*; præsentia intentionalis, *subdist.*; pro intellectu creato, *conc.*; pro intellectu divino, cujus intuitio æternitate mensuratur, *nego*.

Et *contradist.* Minore, *nego* conseq. «Quamvis enim hæc præsentia, de qua loquimur, supponat realem existentiam futurorum, quæ non est nunc, sed erit in tempore futuro, sufficit illa realis futuritio illius existentiæ, qua præsupposita, res futura concluditur intra latitudinem objecti scientiæ æternæ et infinitæ» (2).

Instabis 1.º «Præsentia futurorum in æternitate est aliquid reale in futuris contingentibus. Ergo non potest illis actu convenire, quamdiu realiter et actu non extiterint ipsa futura» (3).

Respondeo, *neg.* antec. Nam præsentia illa futurorum non est formalitas realis, sed extrinseca denominatio rationis fundata in ipsamet realitate, quæ futura est. «Hitenim realis entitas ipsamet, quæ non fuit realiter ab æterno, nec modo realiter est, sed erit, eo ipso quod realiter et actualiter erit in tempore futuro, fundat extrinsecam denominationem objecti sufficienter apti, determinati et applicati,

(1) Cfr. Ruiz de Montoya, loc. cit., disp. 28, sect. 8, num. 6.
(2) Ruiz de Montoya, ibid., num. 4.
(3) Apud Ruiz, ibid., num. 3, *Confirmatur*.

ut possit a Deo sciri, non in causa determinata ad talem effectum, sed in sui ipsius determinatione. Quapropter futurorum præsentia formaliter est ordo rationis rei futuræ ad intellectum divinum tamquam objectum, habens jam actu, quæ sunt requisita, ut possit ab eo sciri» (1).

Instabis 2.ª Præsentia futurorum in æternitate, prout a nobis asserta, videtur esse pura fictio mentis nostræ. Atqui fictio mentis nostræ nihil conducere potest ad hoc, ut a Deo futura cognoscantur. Ergo...

Respond. *neg.* Major. Nam sicut Deus est realiter ac verissime Dominus, quamvis in Deo nihil sit actuale dominium, et sicut cursus equi præsens realiter, et non per fictionem mentis, dicitur quando adest intra sphæram potentiæ tuæ visivæ, sublatis impedimentis distantiæ, vel interpositi corporis opaci et addita luce, apertisque oculis tuis, licet in ipso equo currente nihil sint hæc omnia adjuncta, ex quibus equi cursus vere præsens denominatur; ita futura sunt vere præsentia Deo, quamvis præsentia hujusmodi formaliter nihil sit; quia existentia futura illorum, quæ supponenda est, ut videri possint, erit aliquid reale, et illud reale quod erit, videtur ab æterno, et ex eo solum quod erit, jam ab æterno adest quidquid requiritur, ut ab intellectu infinito videatur (2).

Instabis 3.ª Si præsentia, quam tuemur, est mera denominatio extrinseca, divina futurorum cognitio pendebit ab aliquo ente rationis. Atqui nihil absurdius dici potest. Nam ens rationis est merus partus intellectus creati. Quomodo autem realis Dei perfectio, qualis est futurorum cognitio, dependeat ab ente rationis, quod mens humana sibi procudat?

Respond. *neg.* Major. Primo, quia non videt Deus futura præcise, propterea quod præsentia eorum objectiva in actu primo nihil reale sit formaliter, sed quia supponit reale fundamentum, realem nempe futurorum existentiam in aliquo tempore, ut nuper declarabamus. Deinde quia præsentia illa non est ens rationis, nisi quatenus fingatur ab intellectu nostro instar entitatis alicujus realis, jam inde ab

(1) Ruiz ibid., num. 5.
(2) Vide Ruiz, ibid., num. 7.

æterno existentis. Cognitio autem divina non pendet ex modo, quo intellectus noster concipiat præsentiam illam, sed solum requirit per modum conditionis, quod res sit scibilis ut existens pro aliqua differentia temporis: in hoc enim consistit præsentia, quocumque tandem modo concipiatur (1).

Objic. 3.ª Si creaturæ omnes non essent Deo ab æterno physice præsentes, Deus in tempore aliquid de novo addisceret: quod absurdissimum est. Et ratio patet, quia rem, dum est, profecto videret Deus ut physice sibi præsentem; antequam vero esset, illam ut adhuc sibi futuram cognoscere. Ergo...

Respondeo. *dist.* antec.; si Deus ab æterno non cognosceret res omnes futuras secundum illud ipsum *esse*, quod habebunt in tempore, *trans.*; si re vera cognoscit illas secundum ipsum *esse* reale, quod habebunt, *nego*.

Ad probationem, *dist.* 2.ªm partem. Antequam res esset, cognosceret illam ut adhuc sibi futuram, id est, nondum cognosceret esse illud, quod adhuc non est, sed erit in tempore, *neg.*; id est, cognoscit, *esse* illud rei, quod intuetur ab æterno, prout erit re vera in tempore, nondum esse, sed futuram esse in se ipsa, *conc.* Nam Deus res etiam futuras, quæ nondum sunt, videt eodem modo, ac *si actu essent*, quia intuitio illius terminatur immutabili modo ad *esse* reale, quod res habebunt in tempore.

Objic. 4.ª Notitia intuitiva in hoc differt ab abstractiva, quod prima ad rem existentem et realiter præsentem terminatur, altera vero abstrahit a reali præsentia et existentia objecti. Atqui Deus habet ab æterno notitiam intuitivam omnium futurorum contingentium. Ergo oportet, dicamus, futura realiter in æternitate existere.

Respond., *dist.* Major. Notitia intuitiva terminatur ad rem existentem et realiter præsentem, id est, refert existentiam rei non tantum possibilem, sed etiam actu exercitam pro aliquo tempore, *conc.*; refert existentiam actu exercitam pro tota duratione, in qua datur intuitio, *subdist.*; notitia intuitiva creati intellectus, *trans.*; increati, *nego*.

(1) Cfr. Ruiz, loc. cit., num. 11-12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

CAPUT V

DE SCIENTIA MEDIA

Scientiæ mediæ descriptio.

Scientiæ mediæ nomine significatur «cognitio quædam futurorum conditionatorum certa et infallibilis, quæ omne absolutum Dei decretum antecedat», ut eam definivit Ferdinandus Bastida, theologus Societatis Jesu, in publica controversia circa auxilia gratiæ Romæ coram Clemente VIII habita (1). *Media* vocata est, quia medium tenere videtur inter scientiam Dei naturalem et liberam, simplicis intelligentiæ ac visionis, quemadmodum superius notavimus, et mox clarius patebit. Quamquam non multum curandum est de nomine, si res ipsa nomine designata teneatur. Res vero, ut ex tradita definitione constat, duo capita complectitur, cognitionem infallibilem conditionatorum et modum illorum cognoscendorum, independenter nempe ab omni decreto, quod actu supponatur in Deo (2). Quod si solam importaret conditionatorum certam notitiam, nulla jam superesset controversia de re inter catholicos de Scientia Media. Ad plenam itaque præsentis quæstionis disputationem, duo illa capita pertractanda sunt; sed prius operæ pretium est objectum ipsum Scientiæ Mediæ exponere.

ARTICULUS I

Quodnam sit objectum Scientiae mediae?

Futura absoluta et conditionata:

97. Futura duplicis generis esse possunt, absolute futura vel conditionate futura. Absolute futura sunt illa, quæ enuntiantur per propositionem absolutam ac proinde exprimunt

(1) Vide apud P. Livin. Meyer, *Historiæ controversiarum de auxiliis*, vol. 1, lib. 5, cap. 41, pag. 400. Venetiis, 1742.

(2) Id agnoscunt etiam ipsi Scientiæ Mediæ adversarii. Vide Didacum Alvarez (*De auxiliis*, lib. 2, disp. 7), Gonet (*Clypeus thomist. De Deo*, tract. 3, disp. 6, *De Scientia Media*), Goudin (*De scientia Dei*, quæst. 2, art. 3), Gotti (*Theologicor. Dogmat., de Deo*, tract. 3, *De Deo sciente*, quæst. 6), Billuart (*De Deo*, dissert. 16, art. 6).

absolutam veritatem, v. g. *Petrus cras peccabit*: et de his egimus in præcedenti capite. Conditionate futura sunt illa, quæ per propositiones conditionales enuntiantur, et veritatem aliquam præ se ferunt a conditione pendentem, v. g. *Si sol lucet, dies est; Si Petrus vocetur tali auxilio Dei, converteretur.*

enucleantur hæc postrema.

In postremis hisce propositionibus, quemadmodum constat ex Dialectica, distinguendæ sunt in primis duæ partes, *conditio* seu *antecedens*, et *conditionatum* seu *consequens*, et præterea habitudo vel consequentia sive nexus inter conditionem et conditionatum. Conditio non affirmatur in hujusmodi propositionibus, conditionatum autem affirmatur, non tamen absolute, sed tantum dependenter a conditione. Habitudo denique seu consequentia potest esse vel necessaria (sive metaphysice, qualis est hæc: *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum laboraverunt, qui custodiunt eam* (1) sive physice, ut est hæc alia: *Si ignis applicatur stuppæ, comburet illam*), vel contingens, talis nempe ut quamvis ponatur conditio, possit non sequi conditionatum. Et sicut difficultas in divina scientia visionis versatur circa futura libera seu contingentia; ita etiam in scientia media tota difficultas revocatur ad contingentia conditionate futura, nam conditionata necessaria, quæ nempe necessario consequuntur, posita conditione, cognosci possunt vel ab intellectu creato, ut hæc v. g.: *Si lapis in aëre non fulciatur, ruet in terram; Nisi Deus mihi cooperari velit, scribere non possum, etc.*

quippe quæ mediæ scientiæ constituunt objectum.

Objectum ergo scientiæ mediæ sunt hujusmodi conditionata libere et contingenter futura; conditionata enim, in quibus conditio necessario infert certum consequens, spectant ad scientiam naturalem Dei, undecumque tandem proveniat illa necessitas (2).

Diversa genera conditionatorum secundum habitudinem antecedentis et consequentis.

Illud etiam notandum venit, duplici modo contingentem habitudinem dari posse inter conditionem et conditionatum. Vel enim conditio conducit ad unam partem contradictionis, potius quam aliam, inferendam in conditionato, ut in hac v. gr.: *Si Petrus audiret talem concionatorem, moveretur ad*

(1) *Psalm.* 126, vers. 2.°

(2) Vide Ruiz de Montoya, disp. 61, sect. 1, num. 14-15.

pœnitentiam, aut in hac alia: *Si vocaretur tali auxilio, religionem ingrederetur:* vel conditio illa omnino disparate se habet respectu unius conditionati vel ejus oppositi, ita ut neutram partem contradictionis inducat, neutram removeat per se. Ita se habet conditio in hac propositione; *Si Turca nunc dormiat Constantinopoli, Petrus Hispali vigilabit;* vel in hac: *Si nunc versarer Matriti, scriberem epistolam.* Hujusmodi propositiones, licet exprimantur sub forma conditionalium, re tamen vera conditionales non sunt, cum nulla sit consequentia vel nexus antecedentis et consequentis; et propterea si sumerentur in sensu ac vi conditionalium, falsæ forent, quia exprimerent nexum partium aut consequentiam, quæ nulla est. Quare hujusmodi propositiones potius sunt dicendæ copulativæ, visque earum est solummodo exprimere concomitantiam vel coexistentiam utriusque membri: quæ quidem concomitantia communiter, ac certe aptius, significatur per adverbium temporis *Quando*, vel *dum*, etc., quam per notam conditionalem; aliquando tamen etiam solet exprimi hoc modo, ut quando dixit Eliseus Joæ regi Israel: *Si percussisses* (jaculo terram) *quinquies aut sexies aut septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem* (1): ubi non est connexio causalis, ut per se patet, inter percussionem terræ jaculo et destructionem Syriæ, sed concomitantia ex voluntate Dei, prophetæ revelata (2).

et de quibus hic sit sermo.

Jam quando quæritur, an Deus cognoscat futura conditionata, quæstio *præcipue* instituitur circa veritates contingentes sub conditione conducente ad unum extremum contradictionis ponendum, potiusquam ad aliud; non tamen exclusis veritatibus contingentibus sub conditione disparata (3).

Quanta scientiæ mediæ amplitudo.

Notandum præterea est, enuntiationes conditionatas considerari posse vel circa personas ac subjecta pure possibilia, v. g.: *Si in altero mundo possibili crearetur homo, peccaret, aut non peccaret;* vel circa personas quidem reales, sub

(1) Lib. 4. *Regum*, cap. 13, vers. 19. Cfr. a vers. 14.

(2) Vide Suarez, opusc. *de scient. futuror. conting.*; lib. 2, cap. 6, num. 4.

(3) Cfr. Martinez, *Deus sciens*, controv. 4, disp. 3, sect. 1; Viva, *Curs. Theolog.*, tom. 1, post. 1, disp. 3, quæst. 6.

conditionibus tamen et adjunctis, quæ nunquam verificabuntur, v. g. *Si Adam tentatus fuisset a serpente, priusquam Eva, peccasset eodem modo, aut non peccasset;* vel denique circa personas reales et etiam in adjunctis et conditionibus, quæ de facto verificabuntur, inspectis tamen in signo priori ad decretum absolutum Dei ponendi tales conditiones et adjuncta, v. g. in hisce propositionibus: *Si Petrus ad atrium Pontificis interrogetur, num sit ex discipulis Christi Domini, negabit Magistrum suum: Si Christus Dominus respexerit Petrum post ejusmodi peccatum, Petrus amare flebit*, in his, inquam, propositionibus subjecta realia sunt, et conditiones atque adjuncta etiam omnia de facto verificata sunt, interrogatio nempe ancillæ in atrio, et misericordia Domini respicientis Petrum; nihilominus in signo antecedenti decretum divinum creandi Petrum, ac tentationem ejus permittendi, ac respiciendi ipsum post peccatum, et negatio et pœnitentia Petri sunt conditionate duntaxat futura. Quare sicut, suppositis illis decretis, negatio et pœnitentia sunt objectum scientiæ visionis, quia *erunt* in tempore; ita si in signo priori ad talia decreta spectentur, constituunt objectum scientiæ conditionatorum seu mediæ. Quapropter scientia conditionatorum non est limitanda, ut versetur circa eos tantum actus, qui nunquam sunt absolute futuri, propterea quod conditio non ponetur; sed extendenda quoque est ad actus etiam absolute futuros, consideratos in signo priori ad decretum de ponenda conditione, ac proinde abstrahendo ab eorum absoluta futuritione, quæ dari nequit nisi præsupposito decreto Dei. Unde illi, qui scientiam medium propugnantes, objectum ejus ad conditionate futura, quæ nunquam in statum obsolutæ futuritionis transibunt, restrinxere, non videntur satis consequenter locuti, quia eo potissimum consilio inducitur scientia conditionatorum, ut explicetur, quomodo Deus, ea prælucente, certam infallibilemque providentiam et prædestinationem, et quamlibet efficacem voluntatem habere possit de nostris actibus, salva libertate voluntatis creatæ, «quatenus præsciens, quid unaquæque voluntas faceret in quibuslibet circumstantiis, constituit hominem in illis, in quibus scit hominem esse operaturum, quod Deus vult eum operari, aut vult permittere». Et hoc est

etiam, quod maxime conantur evertere scientiæ mediæ osores (1).

Ex his patet, quodnam sit objectum scientiæ mediæ, sunt nempe contingentia conditionate futura: de quibus videndum jam est, utrum a Deo cognoscantur certo atque infallibiliter.

ARTICULUS II

Utrum contingentia futura sub conditione certo atque infallibiliter a Deo cognoscantur?

98. Non defuerunt, qui negarent Deo certam conditionatorum scientiam, ut videre est apud Suarez (2), Gabriel, Vazquez (3), Ruiz de Montoya (4) et Gabrielem Henao (5); quæ opinio tribui potissimum solet quibusdam priscis Theologis, qui, exortis controversiis circa scientiam mediam, existimarunt nullam se meliorem viam inire posse ad eamdem funditus evertendam, quam si eriperent Deo certam conditionate futurorum cognitionem, solamque assererent probabilem vel conjecturalem, non quidem subjective, sed objective. Nempe dixerunt, non quidem quod Deus tantum judicium conjecturale haberet de talibus futuris (judicium enim ejusmodi repugnat Deo propter suam ingenitam imperfectionem), sed quod sciret duntaxat (et certo sciret), quod futura hujusmodi conditionata non sunt infallibiliter cognoscibilia, videlicet propter connexionem non necessariam conditionis cum conditionato: ideoque hoc solum de illis certissime judicat Deus, nempe talia futura solum probabiliter vel ut summum cum morali certitudine secutura esse ex suis causis, nec posse propterea plena certitudine

(1) Vide Ruiz de Montoya, disp. 61, sect. 1, num. 2 seqq.

(2) Opusc. *de scient. futur. conting.*, lib. 2, cap. 1, num. 1, et *Prolegom. secund. tractat. de Gratia.*

(3) In 1.am p., disp 67, cap. 1 initio.

(4) Disp. 61, sect. 2.

(5) *Scientia Media historice propugnata*, eventilat. 1.ª

cognosci. Fere sicut supra docuimus, futura ipsa absoluta libera ne ab ipso quidem Deo cognoscibilia esse in suis causis, salva libertate, sed cognoscenda esse in se ipsis; quia prout sunt in causis, non sunt adhuc ad unum determinata, quandoquidem causa libera, quamdiu manet in actu primo, debet posse ad utrumlibet extremum se determinare.

Non me latet, P. Joannem a S. Thoma, præclarum scriptorem e S. Prædicatorum Ordine, non pauca scripsisse, ut suos ab hoc crimine purgaret, graviter ferens, quod nostri homines scriptoribus suæ Familiæ talem opinionem attribuissent, productisque testimoniis quorumdam auctorum, quibus ea doctrina imputabatur, ostendere nititur eos non simpliciter et absolute negasse Deo certam et infallibilem conditionatorum notitiam, sed tantum notitiam antecedentem et independentem a divinis decretis (1). Idemque pietatis opus erga suos exhibuere postea alii ex eadem Venerabili Familia scriptores, ut v. g. Vincentius Ferre (2), Renatus Billuart (3), Goudin, Graveson (4); et nostris diebus R. P. Gayraud (5). At Gabriel Henao defensionem illorum a Joanne a S. Thoma (seu *Thomasio*, ut ipse vocat illum) susceptam, productis aliis contrariis testimoniis, repellere conatur (6), refertque non auctores nostros solum, sed alios quoque vel ex ipso S. Ordine PP. Prædicatorum, qui idem judicium de quibusdam suis Fratribus tulerant. Itaque duo mihi videntur hac de re moraliter certo statui posse: *primum* si qua culpa fuit a nostratibus admissa in tribuenda quibusdam Thomistis ea opinione, ejusdem culpæ reos dicendos esse alios quoque

(1) Joann. a S. Thoma, *Curs. Theolog.*, tom. 1, disp. 20, art. 1, post initium.

(2) *Tractat. Theolog.*, in 1.am p., tom. 2, tract. 6, quæst. 1. Salmanticæ, 1676.

(3) *De Deo*, dissertat. 6, art. 5.

(4) Fr. Ignatii Hyacinthi Amat de Graveson, Ordin. Prædicat. Opera omnia, tom. 17, epist. 5. Venetiis, 1774.

(5) «La connaissance des futurs conditionels n'a jamais été mise en doute par l'école Thomiste». R. P. Hippolyte Gayraud, *Thomisme et Molinisme*, pag. 114. Paris. Lethielleux, 1889.

(6) *Scientia Media historice propugnata*, eventilatio 1.ª

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sertim communissima jam inde a tribus sæculis in omni

Thomistis illis, cum a nostris et ab aliis scriptoribus ista opinio tributa est.

Probatur secunda assertio 1.° Ad rem penitus evincendam unus nobis sufficit Petrus de Ledesma, qui in opere ac loco mox citato a pag. 501 ad 875, nempe usque ad finem tractatus, totus est in eo, ut neget absolute ac simpliciter inesse Deo certam et infallibilem conditionate futurorum notitiam. **Sane** a) diserte ac sine ambagibus sententiam negantem paulo superius approbat, ac tuendam suscipit hisce verbis: «Quinta conclusio, quæ directe respondet ad hanc difficultatem: *Secunda sententia est certissima taliter, ut opposita* (nimirum opinio affirmans nostratum et fere communis) **non sit mihi probabilis**». Idque postea fuse probare contendit. Nec valet respondere cum Joanne a S. Thoma et aliis, Petrum Ledesma tantum voluisse negare, quod conditionate futura sint cognoscibilia ex parte objecti, ita ut nisi admittantur thomistica decreta subjective absoluta et objective conditionata, non possint certo cognosci. Nam præcise in hoc stat præcipua ratio assertionis nostræ, quod ita negavit Ledesma certam et infallibilem cognitionem, ut simul negaverit decreta ista, in quibus alii Thomistæ cognosci conditionate futura contendunt, nec solum decreta, sed quævis alia media, in quibus illa videri queant. Unde

Probatur assertio β). Petrus de Ledesma in describenda prima opinione nimirum affirmante Deum certo atque infallibiliter futura conditionata cognoscere, refert hanc secundum e quatuor modis, quibus illa explicari ac defendi potest: «quod Deus cognoscit hæc futura conditionata in prædeterminatione suæ voluntatis et in decreto illius, quo prædefinivit, quid esset facturus non absolute, sed sub conditione, si hæc vel illa circumstantia poneretur, ut si voluntas hominis vel angeli in hoc vel illo ordine rerum crearetur, et sub his circumstantiis vel sub illis. Quod si quis dicat, quod Deus nihil de his sua voluntate decrevit, cum simpliciter non sit futura; respondent auctores istius modi dicendi, quod Deus non cognoscit hæc futura in absoluto decreto, quo voluit illa esse aut fieri, sed in decreto includente eamdem conditionem in objecto. Itaque existimat, hæc sententia, quod Deus præter ea, quæ decrevit absolute fieri a causis liberis, decrevit etiam omnia, quæ a quacumque voluntate possibili futura essent, si sub hac vel illa conditione crearentur: immo et omnia, quæ ipsamet voluntas divina faceret, si aliæ occasiones vel circumstantiæ ad operandum se illi offerrent.» Ea decreta thomistica subjective absoluta et objective conditionata. Atqui Petrus de Ledesma rejicit omnino hanc doctrinam. Etenim hæc est secunda ejus conclusio, *Prima sententia* (asserens Deo infallibilem conditionate futurorum scientiam) *juxta secundum modum declarata, est falsa et improbabilis* (pag. 582), idque fuse ibidem probatur.

schola evaserit sententia Deo asserens cognitionem contin-

γ) Præterea hæc est una ex rationibus, quibus Ledesma suam probat propositionem. «Futura conditionata ut futura (non ut mere possibilia tantum) non sunt determinata. Igitur non sunt cognoscibilia ab aliquo intellectu, etiam divino, certo et infallibiliter ut futura. Antecedens porro hujus argumentationis probatur, «quia si hæc futura sunt determinate futura, vel determinatio futuritionis convenit eis secundum se, vel in suis causis. Primum non potest dici.... Neque etiam potest dici secundum, quia causæ non sunt determinatæ ad futuritionem horum effectuum. Et quidem *de voluntate Dei videtur certum, quia*, ut jam diximus, «*voluntas divina* **nihil determinavit de facto circa futuritionem horum futurorum conditionatorum**» (ibid. pag. 56, *Secunda ratio*). Viden, quomodo Ledesma positive respuat decreta divina, in quibus conditionate futura cognosci possent?

δ) Inferius vero (pag. 578, *Tertia ratio*) iterum repetit, et exponit Ledesma hoc argumentum, nimirum, quod «voluntas divina *nihil prædeterminavit circa futuritionem horum effectuum conditionatorum*», quod fuse probat.

ε) Sextam porro rationem ex eo petit Ledesma quod, «nullus est modus cognoscibilis ex parte objecti, quo ista futura conditionata possint cognosci ab intellectu creato, sive divino, ut certo et infallibiliter futura (pag. 601), ubi in expositione argumenti excludit iterum omnia media, in quibus cognosci possent. Atqui hoc in ininteligibile foret, si Ledesma solum intenderet evincere impossibilitatem cognoscendi ejusmodi futura, præcisione facta a divinis decretis.

ζ) Denique eadem doctrina confirmatur in responsione ad argumenta contrariæ sententiæ. Nam semper conatur ita explicare testimonia SS. Litterarum, ut ea interpretetur de cognitione conjecturali vel moraliter certa, quæque solam causarum dispositionem et inclinationem referat. Et quamvis in responsione ad locum S. Matthæi (cap. 11, vers. 21), ubi cives Corotzain et Bethsaidæ reprehenduntur, admittat ut *probabilem* (pag. 610) expositionem eorum, qui concedunt quidem ibi agi de certa et infallibili cognitione Dei et Christi Domini, quæ tamen fundetur in prædeterminatione, qua decreverit Deus, si poneretur talis conditio, facere aliquid, ex quo proveniret tale futurum; nihilominus subjicit alias duas textus evangelici expositiones, secundum quas non est sermo de cognitione omnino certa et infallibili, sed tantum de certa «moraliter et cum maxima verisimilitudine et probabilitate, quantum erat ex parte dispositionis» Tyriorum et Sidoniorum, si apud illos facta fuissent, quæ facta fuerant in civitatibus Corotzain et Bethsaida (pag. 611-614).

Frustra ergo Joannes a S. Thoma et alii conantur excusare Petrum de Ledesma, cujus thesis est, non quod conditionate futura

gentium conditionate futurorum certam atque infallibilem, non

non possint certo atque infallibiliter a Deo cognosci independenter et antecedenter ad decreta, sed simpliciter quod non certo cognoscantur, propterea quod Deus nullum habet de illis decretum. Nec necesse est jam loqui de aliis Thomistis, sufficit nobis unus Ledesma ad assertionem nostram demonstrandam.

Probatur 2.ª eadem secunda assertio ex P. Gonzalez Albelda et aliis, qui Thomistis quibusdam opinionem illam nunc communiter desertam attribuerunt. Nam illi scriptores, ac nominatim Gonzalez Albelda, diserte distinguit duas istas quæstiones, utrum Deus certo cognoscat conditionate futura, et in quo illis medio cognoscat; et diserte pariter fatetur circa primam quæstionem Nostratibus consentire Thomistas, exceptis quibusdam modernis, ut supra retulimus, circa secundum acriter disputari inter illos, qui circa primam convenerunt. Ergo evidens est, quod ex mente Magistri Gonzalez Albelda paucos illos Thomistas non negasse certam conditionate futurorum cognitionem, solum præcisione facta a divino decreto, sed illam simpliciter non agnovisse.

Probatur 3.ª posset assertio ex novitate thomisticorum decretorum subjective absolutorum et objective conditionatorum, quæ et inventa fuisse videntur, et solum potuerunt in scholis Thomistarum pererebescere aliquot annis postquam jam disputabatur, utrum Deus certo atque infallibiliter cognosceret conditionate futura. Nam Molinæ liber *de Concordia* primum typis edita est Olyssipone anno 1588, sed doctrina ejus prius nota erat; et jam anno 1581 P. Prudentius de Montemayor Vallisoleti publicis thesibus rejecerat physicas prædeterminationes, et certam atque infallibilem conditionate futurorum cognitionem propugnaverat. Decreta vero thomistica sunt recentiora, sive primus eorum auctor fuerit Franciscus Zumel, sive Magister Didacus Alvarez.

Primus enim volumine 2.º, pag. 167 suorum *Opusculorum*, quæ Salmanticæ sunt anno 1608 edita, hæc habet: ultaque dicit hanc sententiam Deum *sub conditione* etiam *apud se decrevisse* hoc aut illud facere, si hoc aut illa causa poneretur, immo vero ex hoc decreto certo a Deo cognosci futura omnia sub conditione secundum infinitas causarum combinationes, juxta quas omnia apud se statuit quæ alias facturus esset. *Quam ego sententiam ante duodecim annos insinuaveram, quamvis neminem legerim, qui rem hanc prælo mandaverit, licet in certaminibus theologicis id ego aliquando significaverim.* Quæ si vera sunt, Zumel circa annum 1596 decreta ista thomistica proponere cœpisse videtur. Nisi malis nobilem hunc scriptorem jam insinuasse doctrinam eamdem in suo opere *De Deo ejusque operibus*, etc. tom. 1, Salmanticæ typis edito anno 1590, ubi in suis Commentariis in 1.am part., quæst. 14, art. 13, disp. 8, concluso 6.º, pag. 459 scriptum reliquit, non esse improbabilem

solum ex parte Dei (cui repugnat cognitio quæ, non sit meta-

sententiam, edicere et asserere, Deum posse cognoscere futura contingentia etiam conditionata ex eo, quod ex comprehensione suæ essentiæ et voluntatis et omnipotentiæ, *quatenus ordine rationis antecedit liberum decretum expressum voluntatis suæ, certo cognoscit, et comprehendit, ad quos effectus ipsa Dei voluntas se determinabit, seu determinare debuisset, et ad quas non; et quatenus comprehendit, et cognoscit, qui et quales effectus forent, si ad eos divina voluntas se determinaret, et quæ media apponeret, et quem ordinem, ut sic infallibiliter et certo sequantur.*

Alii vero auctorem ac parentem istorum decretorum habent Magistrum Didacum Alvarez, qui ea primum defendisse Romæ dicitur ab anno 1596 usque ad 1607 in collegio S. Thomæ supra Minervam, et ipsemet testatur lib. 1 *Respons.*, cap. 4, num. 11 (Vide Henao, *Scient. media historice defens.*, lib. 1, eventil. 1, num. 14; Livin. Meyer, op. et loc. cit., cap. 44). Qui ergo ante inventa decreta, istiusmodi negarunt Deo certam atque infallibilem scientiam conditionatorum, non censendi sunt negasse solum independenter vel præcisione facta a decretis, quæ ignorabant, sed simpliciter, seu quia ea reputabant non esse cognoscibilia.

Dices. Quid primi Thomistæ ro vera senserint, non melius cognosci potest, quam ex actis Romæ in congregationibus *de Auxiliis*. Jam vero Magister Thomas de Lemos palam professus est, nullam esse inter Thomistas et Patres Societatis controversiam de ipsa certa et infallibili conditionate futurorum cognitione, sed tantum disputari, utrum ea detur in Deo ante decretum.—Respondeo, *neg.* Major. Nam si præter acta congregationum illarum prostent opera scripta indubitatæ fidei, possunt hæc majori pollere auctoritate. Potuit enim Magister Lemos deinpi; potuit deinde loqui de sua ætate, non de prioribus annis; potuit etiam nosse paucos esse, vel etiam fuisse Thomistas, qui negarent prædictam scientiam, eorumque sententiam improbabilem esse, aut etiam male jam sonare auribus Theologorum, ac proinde decernendam penitus esse, ne causa sua in gravius discrimen adduceretur. Potuit ergo bene fieri, quod refert Suarez (*Prologom.* 2.º in tract. de Gratia, cap. 1, num. 2), et alii quoque scripserunt, ac nominatim Revmus. P. Angelus Manrique. Lector primum Salmanticensis Academiæ, ac postea Generalis Superior hispanæ Congregationis Cisterciensis ac tandem Episcopus Pacis Augustæ (Badajoz) in opere suo manuscripto, (lib. 2, controv. 24, cap. 1, num. 8, et cap. 2, num. 1), quem locum se vidisse ac legisse testatur P. Gabriel Henao (loc. paper cit. Cfr. Meyer, loc. cit.), nimirum initio quidem inter Thomistas et Nostrates solum de ipsa hujusmodi scientiæ ac cognitionis in Deo existentia certatum esse, nam negata illa, necesse non erat de medio disputare; postea vero cum jam etiam inter Thomistas invaluerat

physice certa), sed etiam ex parte ipsius objecti (1). Eam semper communiter propugnarunt nostri Scriptores (2), tenentque et Scotistæ ac RR. Patres Prædicatores communi (3) jam pariter consensu, ut nulla nobis amplius controversia cum illis hac in re supersit, nisi circa medium, in quo Deus conditionata cognoscat, usumque scientiæ hujusmodi. Sit itaque

---

vera opinio, ventum esse ad disputationem de modo ac medio cognitionis, et sic excludi cæpisse a Thomistis doctrinam scientiæ mediæ, non quod doceat Deum certo atque infallibiliter conditionata futura cognoscere, sed quod doceat ea cognoscere in se ipsis atque independenter a decretis subjective absolutis et objective conditionatis.

(1) Assertores hujus doctrinæ longo ordine allegatos vide, si lubet, apud Suarez, *Proleg. 2 ad tract. de Gratia*, cap. 1, num. 7 seqq.; ac potissimum apud Ruiz, tota disp. 67, et præsertim sect. 9.

(2) Portento simile est et indignissima calumnia plenum, quod legitur in opere posthumo P. Hyacinthi Serry (*Prælectiones Theologicæ*, etc... a P. M. F. Jacobo Hyacintho Serry, O. P., vol. 2, *de divin. scient.*, disp. 2, prælect. 3.ª pag. 81. Venetiis 1742) in hæc verba: «Gregorius de Valentia, infelix Gratiæ Molinianæ Martyr, in celebribus Congregationibus *de Auxiliis*, disp. 41, coram Clemente VIII ostendit, *non habere Deum de his futuris* (conditionatis) *nisi conjecturalem quamdam notionem:* qua de re a sapientissimis consultoribus damnatus fuit». Fateor me numquam alibi vidisse, nec audivisse tantam falsitatem, contra quam clamant opera ejusdem clarissimi P. Gregorii de Valentia. Vide Commentar. in 1.am part., tom. 1, disp. 1, quæst. 14, punt. 5, paragr. 21. Cæterum notum est lippis ac tonsoribus scientiam futurorum conditionatorum certam atque infallibilem assertam semper fuisse Deo ab omnibus Societatis Scriptoribus.

(3) Quamvis omnes diversarum scholarum scriptores conveniant in admittenda scientia conditionatorum, dissident tamen in quibusdam capitibus. Et primo quidem nonnulli e nostris exceptas volunt propositiones conditionales, quarum extrema sunt prorsus disparata quia nimirum eas reputant esse falsas natura sua (Vide Vazquez, tom. 1, in 1.am part, disp. 67, cap. 5 in fin. et cap. 4), et Lessium in *Apol. de efficacia gratiæ*, cap. 19, num. 3). Alii vero cum Suarez (Opusc. *de scient. futuror. conting.*, lib. 2, cap. 6, num. 4; cap. 7, num. 5 et 13), Ruiz de Montoya (disp. 78, ubi fuse), Albertino (*Corollar. seu Quæstiones* etc., quæst. 4 in quart. Corollar.), Fonseca *Metaphys.*, lib 6, cap. 2, quæst. 4, sect. 10), aliisque prædictam cognitionem extendunt ad quaslibet conditionales propositiones etiam disparatas. Inter Thomistas præterea controvertitur,

99. PROPOSITIO. **Datur in Deo certa et infallibilis cognitio contingentium conditionate futurorum.**

Datur in Deo certa et infallibilis cognitio contingentium conditionate futurorum.

Hæc est, ut dixi, sententia communissima et certa, cujus contrariam parum tutam in fide, immo et erroneam, dixere gravissimi Theologi, quemadmodum refert Gabriel Henao (1). At quoniam Philosophum ago, philosophicis duntaxat utar argumentis; qui Theologica cognoscere volet, adeat Theologos, ac nominatim Suarez, Ruiz, ac Livinum Meyer (2), et passim Cursus theologicos omnium scriptorum.

Prob. 1.° Ex communi hominum consensu. «Nullus enim est ita rusticus, quemadmodum dicere solitum esse insignem virum ex Augustiniana Familia Ludovicum Legionensem refert P. Alarcon (3), qui interrogatus, quid esset futurum, si pater ejus non genuisset, vel si ipse in alio loco esset, etc., non respondeat: *Hoc Deus scit*, et non conjecturaliter et humana scientia fallibili; sed certo, determinate et infallibiliter, utpote cui omnia nuda sunt et aperta» (4); quia talem intendunt Deo tribuere conditionatorum illorum cognitionem, qualem nec sibi arrogant, nec alteri creaturæ attribuunt. Hujusmodi autem est cognitio certa et infallibilis, nam conjecturalem etiam intellectus creatus habere potest, saltem de pluribus conditionatis.

---

utrum scientia hæc certa et infallibilis, quam Deus habet conditionate futurorum extendatur ad omnia omnino futura conditionata, an verum solum ad ea, quæ connexionem habent cum hac Dei providentia et cum gubernatione mundi: qua de re lege Billuart, loc. cit., in fin. art. 5, Petes...

Dissident etiam auctores scientiam conditionatorum cognoscentes circa cognitionem et modum, quo Deus cognoscat actus ac decreta sua libera conditionate futura, utrum nempe et in quo medio Deus cognoscat certo, quidquid pro suo libertate foret conditionaliter volituras. De quo vide Ruiz fuse scribentem (disp. 77), Suarez (Opusc. *de scient. futuror. conting.*, lib. 2, cap. 8), Martinez (*Deus scibus*, controv. 4, disp. 5-6), Viva (*Curs. Theolog.*, 1 p., disp. 3, quæst. 7), Wirceburgenses et alios cursus Theologiæ sub titulo *Scientiæ Mediæ reflexæ*.

(1) Op. et loc. cit., num. 40 seqq.

(2) In locis citatis.

(3) In 1.am p., tract. 2, disp. et cap. 4, num. 7.

(4) Apud Henao, op. cit., Eventil. 1, num. 50.

Præterea viri pii Deum orant, ut aliquid eis concedat, si ad eorum æternam salutem expediat; et sic etiam orandum esse docet Eclessia, cum potissimum bona temporalia petuntur. Atqui hujusmodi preces supponunt persuasum christianis esse, quod Deus futura conditionata cognoscat, et quidem certo cognoscat. Finge enim Deum alicui sub tali conditione petenti dignitatem, respondere: *Habebis dignitatem*. Ille procul dubio nihil hæsitans crederet dignitatem non sibi nocituram esse ad æternam salutem; quod profecto esse non posset, si Deo tantum inesse putaret conjecturalem scientiam illius conditionati (1).

Prob. 2.º Ad perfectionem Dei evidenter spectat, ut nulli quæstioni nesciat satisfacere. Quid enim Deo indignius, quam ut interroganti se quidpiam, respondere cogatur: *Nescio*? Atqui nisi Deus omnia conditionate etiam futura nosset, innumeræ forent quæstiones, quibus, quid respondendum esset, ignoraret. Ergo....

Prob. 3.ª Deus nequit non scire quidquid scibile est, quidquid nempe habet determinatam veritatem. Atqui propositiones enuntiantes contingentia conditionate futura, determinatam habent veritatem. Ergo.... (2).

Major constat, quia, cum verum sit objectum intellectus, immo in tantum sit aliquod objectum verum, in quantum conformari eidem potest intellectus vel scientia aliqua; quidquid verum est, scibile est. At quidquid scibile est, non potest non sciri ab infinita virtute intellectiva.

Probanda ergo est Minor. Ideo non haberent veritatem determinatam prædictæ propositiones, vel α) quia falsæ sunt et impossibiles, vel β) quia sunt quasi suspensæ et incertæ seu indeterminatæ in ordine ad veritatem. Atqui neutrum dici potest (3).

Non primum α). Nam ratio, cur propositiones illæ ut falsæ et impossibiles haberentur, est, quia sunt propositiones conditionales, in quibus non adest illatio et consequentia, cum

(1) Cfr. Ferdinand. Bastida, apud Meyer, loc. cit., lib. 5, cap. 45 vers. fin.

(2) Hoc argumentum præclare evolvit Eximius Doctor in opusc. *de scient. futuror. contingt.*, lib. 2, cap. 5; Ruiz, tota disp. 68.

(3) Vide Suarez, loc. cit., num. 5, 6.

tamen ex doctrina Dialecticorum veritas conditionalium consistat in bonitate illationis. Iam vero licet concedendum sit hujusmodi propositiones, si in sensu illativo sumantur, falsas esse, quia re vera ex conditione non necessario sequitur conditionatum; nihilominus propositiones illæ possunt etiam accipi in sensu pure assertivo et enuntiativo unius de alio in præsentia ac suppositione certæ conditionis, quin significetur illa illatio necessaria vel consequentia ex tali conditione. Nempe cum dicimus: *Si Petrus hodie viveret, in hac occasione hoc faceret;* non affirmamus, Petrum esse talis virtutis aut conditionis, ut necessario hoc esset facturus, vel ut ex ejus existentia talis effectus necessaria illatione inferatur; sed solum affirmamus talem effectum de facto fuisse conjungendum cum illa causa, si extitisset.

Id probo primo ex communi sensu et intentione omnium sic loquentium; neque enim volunt affirmare aliquid per se falsum, sed aliquid quod probabile sit aut verosimile: quod non esset, nisi in illo sensu proferretur. Nam propositiones omnes affirmativæ, nullam habentes consequentiam necessariam, si proferantur, aut intelligantur in sensu stricto conditionali, prædictam consequentiam importante, sunt prorsus falsæ; et e converso veræ sunt negativæ, ut patet. «Unde etiam viri docti non statim rejiciunt has locutiones, vel ab illis dissentiunt ut falsis; sed vel ambigui sunt, vel judicium suspendunt, quia vident rem esse incertam, vel illi parti assentiuntur, quam pluribus conjecturis niti existimant. Signum ergo est, in his locutionibus non affirmari illationem ex vi antecedentis, sed solam conjunctionem unius cum alio in tali eventu (1).

Probatur secundo ex re ipsa, «quia hic sensus et modus significandi et affirmandi unum de alio ex hypothesi, non repugnat rebus significatis, et alioquin est rebus ipsis consentaneus... Nam quidquid mente concipitur, potest etiam enuntiari. Sed totum hoc mente concipitur: *Posito Petro in tali statu et occasione, non quidem necessario peccabit, poterit tamen peccare: et pensatis omnibus conjecturis, verosimilius est illum peccaturum.* Ergo potest de Petro sub conditione talis

(1) Suarez, loc. cit. num. 8.

status et occasionis enuntiari *simpliciter* illum peccaturum. Dico *simpliciter*, quia non est necesse, talem enuntiationem esse modalem, v. g. *probabile vel contingens* ut plurimum esse, illum peccaturum, sed simplicem seu de *inesse*, ut dicunt. Quod non solum in vocali enuntiatione videtur per se notum, sed etiam in humanæ mentis judicio: quia quando homo interius conficit hujusmodi enuntiationem, et de illa judicat, sicut non judicat esse impossibilem aut evidenter falsam, ita non solum judicat probabilem aut verisimilem, ac si hoc ipsum sit pars objecti illius judicii. Alias judicium esset evidens et certum, cum tamen homo non assentiatur evidenter, sed cum formidine. Igitur sicut in propositione de præterito aut de præsente, de cujus veritate non mihi evidenter constat; si tamen habeo probabilem conjecturam vel auctoritatem, non solum judico esse *probabilem*, sed *simpliciter* judico ita esse vel fuisse, quamvis cum formidine: ita in præsenti, proposito illo objecto sub illa conditione, potest intellectus ex conjecturis absolute judicare, hoc esse eventurum, si illud fiat. Hoc ergo ipsum potest simpliciter illis propositionibus significari...» (1).

Dicendum ergo est prædictas propositiones non esse intrinsece falsas et impossibiles, ideoque non ex hoc capite carere illas determinata veritate (2).

Dices 1.° Propositiones illæ conditionales in hoc sensu pure assertivo expositæ, vel sunt categoricæ vel sunt hypotheticæ. Atqui neutrum videtur dici posse.

Respond. 1.° Quæstionem fieri hac de re posse solum de nomine, quæ parum refert. Cum enim constet prædictum sensum exprimi posse per illas locutiones, quid, quæso, interest, utrum vocentur categoricæ, an vero hypotheticæ? **Respond. 2.°** hujusmodi propositiones *formaliter* et ex *vi verborum* esse hypotheticas; quoad sensum vero æquivalere categoricis. Et ratio est, quia locutio istius formæ «ex hypothesi tantum affirmat, et quia illa hypothesis non

(1) Suarez, loc. cit. num. 9 ubi plura.

(2) Vide Suarez, loc. cit. num. 11. Et lege si lubet, eodem modo hanc rem probantem P. Didacum Ruiz de Montoya, disp. 68, sect. 2, et sect. 9.

significatur ut ponenda in re: ideo habet formam et modum conditionalis, et ita nos de illa loquimur. Non tamen est ex illis conditionalibus, quæ fundantur in formali illatione, et quæ affirmant necessariam consecutionem unius ab alio; sed ex illis, quæ affirmant tantum conjunctionem seu dimanationem unius ab alio, non ut necessariam, sed ut *futuram tantum*, si alterum ponatur. Et in hoc participant hæ propositiones rationem conditionalium locutionum, quia non absolute significant aliquid, sed ex hypothesi; et requirunt bonam illationem et consecutionem, non formalem, ut sic dicam, sed materialem, ideoque non necessariam ex vi talis causæ, sed solum ita futuram ex determinatione ejusdem causæ. Neque hic modus conditionalium fuit incognitus Dialecticis; nam ipsi ponunt conditionales, quas vocant promissivas, quæ non significant necessariam illationem, et alias etiam vocant per se probabiles. Quoad sensum autem æquivalent hæ propositiones propositionibus categoricis, in quibus unum simpliciter de alio affirmatur: solumque differunt, quod in his prædicatum non dicitur de subjecto absolute concepto, sed solum posito sub hac aut illa conditione» (1).

Dices 2.° Hujusmodi propositiones ex vi et modo suæ significationis sunt affirmativæ, et de subjecto non supponente, quod ex vi talis affirmationis nec est, nec fuit, nec erit. Atqui propositiones affirmativæ de subjecto non supponente falsæ sunt ex Dialecticorum regulis. Ergo....

Respond. 1.° Non omnes hujusmodi propositiones sunt affirmativæ, sed dantur quædam negativæ, in quibus nempe negatur effectus, ut v. g.: *Si Petrus in tali occasione vocetur, non convertetur*. Ergo saltem istæ, licet de subjecto non supponente, poterunt esse veræ aut non falsæ. **Respond. 2.°**, *neg.* Major. Nam in quacumque locutione, ut vera sit, subjectum debet supponere juxta exigentiam copulæ. «Unde in propositionibus, quæ dicuntur abstrahere a tempore, non requiritur, ut subjectum supponat pro re, quæ aliquando est, fuit, vel erit, sed solum secundum *esse* essentiæ seu possibile. Sic ergo in præsenti, quia hæ propositiones non

(1) Suarez, loc. cit., num. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

significant aliquid absolute futurum, neque ffirmant existentiam unius vel alterius extremi, sed solam conjunctionem unius cum alio, si alterum in *esse* ponatur; ideo non requirunt absolutam suppositionem pro re aliquando existente, sed solum conditionalem, prout per copulam significatur» (1).

Nec dicas 3.° cum Ledesma et Curiel apud Ruiz de Montoya (2), propositiones hujusmodi nihil significare ante decretum divinæ voluntatis, nec subordinari alicui conceptui, sed perinde proferri ab hominibus, ut proferrentur a psittaco. **Respondebo** enim id falsum esse, ut constat ex dictis, et ex sensu communi omnium, tales propositiones audientium (3).

Nec potest dici secundum 3), nempe propositiones hujusmodi esse incertas ac suspensas seu indeterminatas in ordine ad veritatem vel falsitatem. Etenim primo nihil obstat his locutionibus ad determinatam veritatem vel falsitatem ex modo et forma enuntiationis, ut satis constare potest ex dictis in præcedenti parte; tum quia affirmatio vel negatio unius de alio multimodis significari potest; neque ulla repugnantia est in eo, quod aliquis eligat hanc formam conditionalem in sensu pure assertivo; tum quia ex communi modo loquendi et interpretandi locutiones hujusmodi eruitur talem illas habere sensum: unde quando quis ita loquitur, auditores non remanent in anciputi, sed sæpe assentiuntur, vel credunt dictis, vel negant etiam, aut contradicunt, aut dubitant de veritate assertionis, id quod non contingeret, si nihil determinate verum aut falsum exprimeretur illa forma loquendi. Cogita v. g., quid passim intendat loquens, intelligantve audientes hos vel similes locutiones: *Si nunc in vivis esset hujus rex, res publica prospere gereretur; Si venisses domum heri mane, optimum prandium paravissem; Si talis medicus ad pauperem ægrotum vocaretur, gratis curaret illum; Si Petrus esset Romæ, ingrederetur Religionem, etc.* (4).

(1) Suarez, ibid., num. 12.
(2) *De scientia Dei*, disp. 68, sect. 2, num. 9.
(3) Cfr. Ruiz, ibid.
(4) Vide Suarez, loc. cit., num. 13. Fuse et erudite id explanat Ruiz, citata disp. 68, sect 5.

Deinde neque ex parte rei significatæ carent illæ propositiones veritate aut falsitate determinata. Nam jam supra ostendimus in propositionibus de futuris contingentibus absolutis inesse determinatam veritatem. Atqui eædem rationes valent pro istis propositionibus, contingentia solum sub conditione significantibus.

Et hanc Minorem probo 1.°, quia futura etiam absoluta «quamdiu non sunt, nihil sunt, nec in causis suis habent determinationem: et quia conditionalis in hac materia non differt ab absoluta, nisi in conditione, qua completa, propositio redditur absoluta. Et cum proportione sic est determinata veritas in conditionatis, sicut etiam in absolutis locutionibus» (1).

2.° «Si Petrus constitueretur in tali occassione et cum tali tentatione, necessario peccaturus erat, aut non peccaturus; et ita illa conditionalis da disjuncto extremo sine ulla controversia est vera, quia est necessaria. Non poterat autem Petrus utrumque efficere. Ergo *in re* unum erat effecturus, quod in se determinatum esset, quamvis nos lateat, quid illud sit. Ergo si nunc per illam propositionem id affirmatur, quod facturus erat, illa affirmatio est vera, et contradictoria falsa. Vel e converso, si non erat facturus, affirmatio erat falsa, et negatio vera. Ergo in re semper una pars est determinata, etsi nos lateat» (2).

3.° «Si Deus v. g. postquam voluit Petrum creare, et in tali opportunitate constituere, aut permittere, vidit illum peccaturum, jam de illo conditionalis hæc est vera: *Si Petrus creatur, in tali occasione peccabit*. Ergo etiamsi intelligeretur illa oratio prius ratione, quam Deus vellet, vel absolute decrevisset Petrum creare, etiam illa propositio erit vera determinate».

«Prob. conseq.. quia jam habuisset ex tunc conformitatem cum re significata. Hanc enim non fecit, sed ostendit potius, et manifestavit effectus subsecutus (in tempore), postquam Deus voluit Petrum creare, etc., (et constituere vel permittere in illis adjunctis et occasionibus, in quibus

(1) Suarez, ibid.
(2) Id., ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccabit). Ergo eadem ratione omnis conditionalis similis intellecta et cogitata in illo signo, antequam Deus aliquid decreverit, aut voluerit de illo antecedente sub conditione sumpto, est determinate vera, aut determinate falsa, quia statim ac Deus ponere vult in *esse* illud antecedens, absolute determinatum est, quid ex illo sequendum sit, vel non sit. Ergo illud ipsum antea sub conditione prolatum, erat determinate verum, aut determinate falsum juxta exigentiam objecti»... (1).

«Quod si respectu eorum, quæ aliquando futura sunt, hoc recte intelligitur, pari ratione etiam iis, quæ de facto non sunt futura, intelligamus similem veritatem conditionalem inesse, etiamsi conditio nunquam sit ponenda: nam est eadem omnium ratio, et, quantum est de se, eodem modo se habent in illo signo rationis, in quo apprehenduntur ante voluntatis Dei determinationem ad hoc vel illud efficiendum» (2).

Præterea 4.ª probatur eadem Minor principalis argumenti. Quia omnis propositio asserens unum de alio, vel simpliciter enuntians factum, aut determinate vera est, aut determinate falsa. Nam veritas vel falsitas propositionis desumitur ex eo, quod enuntiet, vel non enuntiet quidlibet, prout est in se. Atqui quidlibet in se aut est determinate, aut non est determinate, ex vi principii de excluso medio. Nam licet *necessitas, obligatio* et similia possint non determinate verificari in re; at esse vel factum aliquod necessario aut est determinate, aut non est. Itaque supposito, quod Petrus existat Romæ, quomodo fieri potest, ut neque in re ipsa ingrediatur religionem, neque non ingrediatur determinate? Prout ergo ingrederetur, vel non ingrederetur, propositio alterutrum enuntians aut est determinate vera, aut est determinate falsa (3). Item in omni disjunctiva vera, una pars extremorum contradictoriorum debet verificari in re. Atqui hæc propositio: *Petrus in tali occasione, si illi ofertetur, peccaret, vel non peccaret*, est vera

(1) Suarez, ibid., num. 14. Cfr. Ruiz, disp. 68, sect. 4, num. 3, 1.

(2) Suarez, ibid., num. 15.

(3) Suarez, ibid., num. 15. Cfr. Ruiz, disp. 68, sec. 3.

disjunctiva utpote ex membris oppositis coalescens. Ergo alterutrum verificaretur determinate (1).

Itaque propositiones de futuris conditionatis habent determinatam veritatem, ac proinde scibiles sunt, et consequenter sciuntur ab intellectu infinito Dei.

Probatur propositio 4.ª Scientia conditionatorum mirifice confert ad explicandam certam et infallibilem simul ac suavissimam Dei providentiam; immo sine ipsa non videtur satis concilliari infallibilitas providentiæ divinæ cum creata libertate. Ergo agnoscenda in Deo est scientia conditionate futurorum.

Antecedens probatur per partes: a) *Scientia contingentium conditionate futurorum valde servit ad reddendam rationem infallibilitatis providentiæ, salva libertate creata.* Nam si antecedenter ad quodlibet decretum divinæ providentiæ præsupponamus Deo prælucere notitiam non solum omnium mediorum, ex quibus possint hi vel illi fines obtineri, hi vel illi effectus sequi, sed etiam eorum omnium, ex quibus de facto hi vel illi fines obtinerentur, hi vel illi effectus sequerentur, non quidem ex natura et indole talium mediorum, sed ex libera determinatione voluntatis; plane intelligitur, quomodo providentia Dei hanc vel illam seriem et combinationem causarum et effectuum decernens, hos vel illos fines ex mediis, quæ prædicto modo efficacia prævisa sunt, eligens, certissima simul sit ac suavissima, et consequenter prudentissima. Et sic etiam inter homines usu venit, ut prudentes moderatores, qui suaviter volunt subditos regere ad finem aliquem, aut certas actiones ex iisdem obtinere, quanta possunt sagacitate investigant media illa et opportunitates sive temporum sive adjunctorum, quibus adhibitis, subditi libenter ac liberrime vel sine magna reluctantia adducerentur ad exsequendam voluntatem moderatorum.

Probatur jam antecedens quoad alteram partem β): *Prædicta scientia videtur necessaria, ut certo simul ac suaviter omnia ordinet divina providentia.* Nam providentia Dei, necesse est, ut ab æterno decernat omnia, et fines assequendos et media eligenda. Quando ergo decernit certum aliquem

(1) Vide Suarez, loc. cit., num. 15, ubi plura, si lubet, requira.

finem obtinere, v. g. vocationem S. Petri et aliorum Apostolorum in apostolatum, vel prænoscit certo se per media et auxilia, quæ eligit assecuturum esse illum finem, vel non. Si non præscit, providentia Dei Petrum in apostolatum eligentis certa et infallibilis esse nequit. Si vero prænoscit, vel videt media illa sive auxilia, quæ decernit adhibere, ideo finem obtentura esse, quia ex sua natura sunt incompossibilia cum dissensu, vel non. Si primum dicas, providentia Dei in eo casu certa quidem foret atque infallibilis, non tamen posset, ut videtur, conciliari cum libertate Petri. Quomodo enim Petrus habeat hic et nunc potestatem dissentiendi vocationi, si Deus per talia media decernat illum vocare, quibus resistere nequit? Si vero media, per quæ prænoscit Deus Petrum consensurum esse vocationi, non sunt ex natura sua incompossibilia cum dissensu, adest præcise casus scientiæ contingentium conditionate futurorum: videt nempe Deus antecedenter ad absolutum decretum providentiæ suæ, Petrum, si talibus vocaretur auxiliis, consensurum esse, quamvis auxilia illa non habeant necessariam connexionem cum consensu. Ergo, nisi admittatur scientia hujusmodi in Deo, providentia divina aut erit cæca et imprudens, incerta et fallibilis, aut, si certa sit, non poterit stare cum creata libertate (1).

Dices cum Magistris Didaco Alvarez, Ledesma, Navarrete, Cabrera (2) aliisque, Deum ante decretum suæ voluntatis, non egere alia scientia, quam naturali, per quam novit suam omnipotentiam efficaciamque suæ voluntatis et motionis. Per illam quippe scientiam, non vero per mediam, prænoscit, quod, si ipse voluerit hominem convertere, et dare illi auxilium natura sua efficax, converteret illum.—**Respondeo**, Deum respiciendo duntaxat suam omnipotentiam et efficacitatem motionis non posse habere certitudinem de effectu conversionis secuturo, nisi motio illa et auxilium omnipotentiæ sit natura sua connexum cum consensu, vel incompossibile cum dissensu, qualis est prædeterminatio physica. At hoc est, quod satis perspicere non possumus, prout suo loco fuse probabitur, quomodo talis motio cohæreat cum libertate (1).

(1) Vide Suarez, loc. cit., sect. 4; Ruiz de Montoya, disp. 69 per totam.

(2) Apud Ruiz de Montoya, loc. cit., disp. 69, sect. 2, num. 2.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

100. **Objic. 1.** Non raro sacra Scriptura enuntians prædictiones aliquas hujusmodi futurorum, utitur particulis dubitativis, *forsan*, *forte*, etc. Ex quo videtur colligi notitia solum conjecturalis, quæ Deo insit conditionate futurorum contingentium.

Respond., *neg.* assertum. Nam, ut notat Suarez ex pluribus PP., hæc particula interdum additur alicujus mysterii significandi causa, scilicet vel ad denotandam arbitrii libertatem, ut Hieronymus et alii asserunt; vel ad significandam difficultatem talis effectus, ut ait Gregorius (homil. 18 *in Ezechielem*). Interdum vero (ut Ambrosius, lib. 2, *De pœnit.*, cap. 5) est phrasis et modus loquendi Scripturæ, quæ humano more ad homines loquitur; quod significavit etiam Augustinus (tract. 37 *in Joann.*; et *Enarrat. in Psalm.* 2, circa illa verba: *Ne quando irascatur Dominus*). Uterius in græcis codicibus sæpe est particula, quæ certitudinem potius, quam ambiguitatem denotat, et verti posset: *Utique*, *sane*, etc., ut notat Abulensis et Jansenius, Carthusianus et Titelman (*in Matth.* cap. 11,) et Cardin. Toletus (*in Joann.* 4, 3 et 8)» (2).

Objic. 2.ª Propositiones hujusmodi de contingenti conditionate futuro veritatem determinatam non habent, nec proinde certo scibiles sunt. Ergo neque a Deo sciuntur. Sane, non est major ratio, cur in tali occasione Deus videat Petrum peccaturum esse potius, quam non esse peccaturum, cum utrumvis facere possit.

Respond., *neg.* antec., et probationem *distinq.* Non est major ratio ex parte Dei, *conc.*; ex parte objecti, *nego*. Nam si in hujusmodi orationibus exquiratur ratio ex parte Dei, cur cognoscat ex duobus contradictoriis unum esse futurum

(1) Vide plura de his apud Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 2.

(2) Suarez, loc. cit., lib. 2, cap. 1, num. 7. Qua de re fuse Ruiz de Montoya in disp. 70, sect. 2 seqq.

potius, quam aliud; respondetur, ex parte Dei non esse quærendam rationem, quia ejus virtus seu lumen de se indifferens est ad judicandum et sciendum, quidquid in re sit futurum, sive hoc sit, sive illud, indifferentia, inquam, eminenti seu virtuali et ad omnia sufficiente juxta exigentiam objectorum. Si vero ex parte objecti quæratur ratio, ob quam hoc potius, quam illud, sit scibile, hæc non est alia, nisi quia in re hoc potius futurum esset, quam illud. Quod si ulterius hujus ratio inquiratur, sola... libertas et usus ejus (cum auxilio gratiæ) est ratio talis futuritionis ex parte objecti. Quod si tandem urgeatur, et inquiratur, unde constare possit, quæ sit illa pars, ad quam esset talis voluntas determinanda; respondetur hoc jam esse inquirere modum seu medium illius scientiæ:» de quo in sequenti articulo dicendum est» (1).

Objic. 3.º Si Deus cognosceret enuntiabilia hujusmodi conditionate futura, cognosceret etiam omnia, quæ a nostro intellectu excogitari possunt, atque adeo etiam illa, quæ sunt penitus disparata, in quibus nulla penitus est connexio inter extrema; item, cognosceret propositiones conditionales de subjecto communi, abstrahentes, a singularibus personis vel circumstantiis, qualis est hæc: *Si homo creatur, erit albus;* et similes. Atqui hoc dici nequit. Ergo.... Major patet, quia rationes nostræ, si quid valent, idem evincunt etiam pro quacumque conditionali. Minor vero probatur, quia non apparet, quomodo possit cognosci veritas propositionum disparatarum aliarumque de subjecto communi.

Respondeo. Sunt, ut superius innui, qui majorem propositionem *negent* quoad utramque partem. Ego verum malim *concedere* primam partem, et *negare* secundam. Et ratio prioris est, quia licet conditionales disparatæ, si proferantur ad exprimendum illationem vel dimanationem unius extremi ab altero, falsæ sint; si vero solam significent concomitantiam seu coëxistentiam duorum illorum extremorum in ordine ad eamdem durationem, possunt habere suam veritatem aut falsitatem determinatam, quam Deus sciat, oportet. At

(1) SUAREZ, Op. cit., lib. 2, cap. 6, num. 3, ad 1. = Cfr. RUIZ, disp. 69, sect. 8, num. 3.

conditionales de subjecto communi seu indefinitæ videntur non cognosci a Deo in illa abstractione, nisi quatenus in suis singularibus et ratione illorum veritatem habent; «tum quia, ut Aristotelis alias dixit, hujusmodi prædicata contingentia non conveniunt speciei, nisi quatenus conveniunt alicui individuo, tum quia Deus nihil confuse intuetur, sed distinctissime et intuitive, prout est aut futurum est, aut esset in re; hoc autem modo nihil horum videtur, nisi prout in singulari existit. Visis autem omnibus singularibus, etiam in illis videt Deus naturas communes, et quidquid nos possumus de illis conceptis in confuso vere prædicare. Atque hoc modo, quacumque ratione hæ conditionales a nobis concipiantur, non subterfugiunt scientiam Dei» (1).

Objic. 4.º Admissa scientia conditionatorum, sequitur Deum habere cognitiones contingentes et simul independentes a sua voluntate: quod videtur absurdum. Antecedens constat, quia si Deus scit Petrum, in tali occasione positum, peccaturum esse; quamvis Deus posset non velle aut non permittere Petrum in ea occasione constitui, tamen quod in ea constitutus Petrus non peccet, nequit Deus impedire, cum supponatur præscivisse ita facturum esse.

Respondeo concedendo sequelam, et *negando* Minorem, quia necessitas illa, quæ in tali hypothesi adest in Deo videndi peccatum, non est absoluta, sed pure conditionata, et consequens futuram determinationem causæ liberæ: quæ nullam ponit in Deo imperfectionem, quin potius arguit perfectionem, siquidem ad perfectionem Dei spectat, quod *non possit non* agnoscere rem, prout *est, vel esset*. Quod si hoc imperfectionem importat, imperfectio eadem reperitur in scientia contingentium absolute futurorum, ut per se innotescit. Addo etiam illud, prædictam necessitatem sequi ex usu liberæ voluntatis divinæ, a qua pendet positio conditionis: nisi enim Deus libere creasset Petrum, libereque voluisset, aut permisisset illum constituere in tali occasione, peccatum esse non potuisset: unde tandem scientia peccati

(1) SUAREZ, loc. nuper cit., num. 4.

illius semper importat habitudinem ad voluntatem liberam Dei sub prædicta conditione (1).

Objic. 5.° Scientia conditionatorum nullatenus deservit ad explicandam rationem divinæ providentiæ. Nam ad hoc necesse est, prædictam scientiam præcedere ratione liberam determinationem voluntatis divinæ circa res ad extra agendas. At consequens falsum est. Sane scientia hæc si datur in Deo, non est necessaria, sed libera et contingens. Ergo supponit ex parte objecti liberam determinationem, saltem ut futuram aliquo modo. Ergo multo magis supponit in ipsamet voluntate Dei liberam determinationem, non solum ut futuram, sed etiam ut præsentem et æternam. Patet hæc ultima consequentia, quia jam necessaria est voluntas divina actu existens sub omni conditione suæ actualis existentiæ, sicut est voluntas creata in esse possibili, sub quacumque conditione vel occasione possibili. Unde in quocumque signo rationis intelligitur cognita a Deo voluntas creata, ut possibilis in hac vel illa occasione, intelligitur voluntas increata ut existens actu disposita ad volendum. Ergo sicut ante illam scientiam voluntatis creatæ supponitur ut futurum, quid faceret illa voluntas in tali occasione; ita et in voluntate increata supponitur, quid facit, et quid vult, quia jam tota illa causa non ponitur sub conditione, sed ut existens» (2).

Respondeo, *neg.* assert. Ad probationem, *neg.* Minor. Probatio vero adjuncta nihil contra evincit, «sed ad summum concludit, in eo signo rationis, in quo Deus præscit de omnibus voluntatibus creatis, futuris seu possibilibus, quid facturæ essent sub quacumque conditione, cognoscere etiam de sua voluntate, quidquid volutura est libere, vel absolute in æternitate, si talis determinatio libera tantum supponit ea, quæ intrinsece ac necessario conveniunt ipsi Deo; vel certe sub conditione, si supponit aliquid aliud libere futurum in creatura: utrumque autem horum verum est. Nec inde sequitur, quod libertas divinæ voluntatis destruatur» (3).

(1) Cfr. Suarez, ibid., num. 5, *Ad tertium.*

(2) Apud Suarez, op. cit., lib. 2, cap. 6, num. 4, *Quarto, ex alio capite....*

(3) Suarez, ibid. num. 6. Vide etiam qui disputat Eximius Doctor in eodem libro, cap. 8.

Objic. 6.° Propositio conditionalis solum illationem et consequentiam inter conditionem et conditionatum significat. Ergo conditionales de futuro contingenti, utpote quæ nullam important illationem et consequentiam, falsæ reputandæ sunt. Antecedens patet ex S. Thoma, cujus hæc sunt verba: *Ex dictis potest patere, quod veritas enuntiationis hypotheticæ est in consequentia terminorum, qui sunt in consequente, ad terminos qui sunt in antecedente... Et propter hoc dicitur, quod ad veritatem ejus requiritur, quod antecedens non possit esse verum sine consequente, quia tanta est necessitas consequentis ad antecedens, quod sicut se habet antecedens, ita se habet consequens... Et inde est, quod omnis conditionalis vera est necessaria, et omnis falsa impossibilis, quia ut dictum est, terminus consequentis necessarius sequitur terminum antecedentis* (1).

Respond. *dist.* antec. Propositio stricte conditionalis, *conc.*; propositio, quæ formaliter quidem conditionalis est, virtualiter autem et in sensu assertiva et quodammodo categorica est, *nego.* Resque patet ex dictis in probationibus.

Et similiter solvi potest difficultas, quæ contra libertatem ex admissa veritate conditionalium propositionum circa futura contingentia fit hoc modo: Lex conditionalium est, ut ex positione conditionis sequatur, nec possit non sequi conditionatum. Ergo si vera est hæc propositio: *Si Petrus tali auxilio vocaretur, pœnitentiam ageret;* posito decreto divino, utcumque libero, dandi tale auxilium Petro in tempore, Petrus non potuit non agere pœnitentiam; atque adeo liber non est in assentiendo vocationi Dei.

Ut vides, lex illa conditionalium spectat solum ad conditionales stricte conditionales, in quibus asseritur illatio inter extrema, non vero ad illas, in quibus solum asseritur concomitantia et coëxistentia consequentis cum antecedente absque illatione necessaria.

Objic. 7.° Ut scientia conditionatorum esset infallibilis in Deo, deberet Deus videre infallibilem connexionem inter extrema: secus enim falli posset illa cognitio. Atqui connexio

(1) *Summa totius Logic. Aristot.*, tract. *de enuntiatione*, cap. 4 med. Quæ doctrina supponitur etiam in 1 p., quæst. 14, art. 13, arg. 2, et ad 2.um

hujusmodi infallibilis pugnat cum libertate conditionati. Ergo vel Deus non habet infallibilem cognitionem conditionatorum, vel hæc necessario sequuntur ex conditione.

Respondeo, *neg.* Major., sufficit enim, ut videat infallibiliter connexionem conditionis cum conditionato, quæ de facto detur, quamvis natura sua sit contingens. Quemadmodum ut futura contingentia absoluta infallibiliter videat, necesse non est, ut videat illa infallibiliter aut necessario sequi ex causis eorum, sed quod infallibili cognitione attingat illa, utcumque sint in se ipsis absolute contingentia.

Objic. 8.° S. Augustinus reprehendit (1) ut erroneam scientiam conditionatorum in Semipelagianis. Ergo rejicienda est.

Respondeo, *neg.* antec. Non enim scientiam conditionatorum, sed usum perversum ejusdem reprehendit S. Doctor. Semipelagiani enim docebant, Deum conferre primam gratiam non gratis, sed in præmium meritorum conditionate prævisorum: qua de re videsis Theologos.

Objic. 9.° S. Thomas non uno in loco dividit scientiam divinam in scientiam simplicis intelligentiæ et visionis (2). Ergo nullam admisit scientiam mediam inter utramque. Atqui media vocatur scientia contingentium sub conditione futurorum. Ergo...

Respondeo, scientiam conditionatorum posse revocari vel ad scientiam simplicis intelligentiæ vel ad visionis, ut mox dicetur, et a multis PP. et præcis Doctoribus videtur revocata esse ad scientiam visionis (3).

Objic. 10.° S. Thomas docet, quod *quicumque cognoscit effectum in sua causa tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem* (4). Ergo contingentia ex Angelico cognosci certo nequeunt in se ipsis. Atqui futura conditionata non possunt in se ipsis cognosci, cum non habitura sint unquam *esse* in se ipsis. Ergo...

(1) *De Prædestinat. Sanctor.*, cap. 9.st alibi.

(2) 1 p., quæst. 14, art. 9; 3 p., quæd. 10, art. 2, ad 3.um; art. 3 corp. fin.; quæst. 13, art. 1, ad 2.um; 2.ª *Contr. Gent.*, cap 66 et 69, etc.

(3) Vide Ruiz de Montoya, *de scientia Dei*, disp. 76.

(4) 1 p., quæst. 14, art. 13 et aliis locis supra citatis.

Respondeo, *cons.* antec. et conseq. Minorem subsumptam *nego*. Et probationem *distinguo*: non habent existentiam in se ipsis absolute, *conc.*; conditionate, *nego*. Sed de hoc plura in sequenti articulo.

Mens S. Thomæ circa scientiam divinam conditionatorum futurorum

Si quis porro sciscitetur, quænam fuerit circa præsentem quæstionem mens S. Thomæ et aliquorum Scholasticorum, fatendum in primis est, Doctorem Aquinatem unquam peculiarem instituisse quæstionem de divina scientia conditionatorum, sive ad eam propugnandam, sive ad impugnandam. Negari tamen nequit, Aquinatem agnovisse hujusmodi scientiam, nec semel supposuisse in aliis tractandis quæstionibus.

Nam in primis in *Catena Aurea* sequens Patres antiquiores, ita interpretatur verba illa S. Matthæi (1): *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida*, etc., ut supponat in Deo prædictam scientiam (2).

Alibi exponit conveniens fuisse, ut Deus permitteret primum hominem tentari a diabolo, etiamsi præsciret fore, ut ille tentationi succumberet (3): et mox apertius hæc subjicit: *Sicut Deus sciebat, quod homo per tentationem in peccatum esset deficiendus; ita etiam sciebat, quod per liberum arbitrium resistere poterat tentatori* (4). En scientiam peccati libere futuri, supposita tentatione, et quidem scientiam antecedentem decretum absolutum permittendi tentationem, ut colligitur ex contextu. Tota enim difficultas ibi resolvenda versabatur circa convenientiam permittendi tentationem, supposita prævisione lapsus.

Præterea contra convenientiam creandi fœminam in prima rerum productione hoc sibi objicit S. Thomas argumentum: *Occasiones peccatorum sunt amputandæ. Sed Deus præscivit, quod mulier esset futura viro in occasionem peccati. Ergo non debuit mulierem producere* (5). Hoc argumentum evidenter supponit scientiam præviam ad decretum absolutum creandi

(1) *Matth.* cap. 11, vers. 7.

(2) Lege ibid. integrum locum, *in Matthæum*, cap. 11, paragr. 3.

(3) 2.ª 2.æ, quæst. 165, art. 1. Cfr. 2.ª dist. 23, quæst. 1, art. 2.

(4) Ibid. 2.ª 2.æ, quæst. 164, art. 1, ad 2.um

(5) 1 p., quæst. 92, art. 1, arg. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mulierem, ut patet. S. Thomas vero non solvit illud negando tale suppositum, sed recurrendo ad alia principia (1).

Eadem scientia evidenter supponitur in sententia, quam refert Angelicus (2), dicentium, *quod merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis, ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui, et præordinavit se ei daturum, quia præscivit eum bene usurum gratia; sicut si rex det alicui militi equum, quem scit eo bene usurum.* Hanc tamen sententiam non refutat negando illam scientiam conditionatorum, quod fuisset optimum medium ad repellendum contrarium errorem, si non illam admisisset S. Doctor. Similia docet in quæstione sexta *de veritate* (3).

Sententia veterum Scholasticorum.

Adde, quod alibi (4) etractans S. Thomas rationem Augustini, cur Christus tali tempore voluit incarnari et evangelium prædicari, quia præscivit tunc fuisse plures in eum credituros, illius occasione attingit etiam locum Matthæi (cap. 11) de Tyriis et Sidoniis; et cum eodem Augustino, libro *de Dono Perseverantiæ* (cap. 9) sentit verba illa Christi dicta fuisse per absolutam revelationem pœnitentiæ, quæ futura esset in Tyriis et Sidoniis, si conditio illa in eis fuisset impleta; et occulto judicio divinæ prædestinationis tribuit, quod, non obstante illa præscientia, non fuerint talia signa apud illos facta» (5).

Simile judicium ferendum est de priscis Scholasticis; qui licet ex professo non tractarunt hanc quæstionem de scientia divina conditionatorum, nihilominus scientiam hujusmodi eos agnovisse, colligitur, tum ex eo quod sæpe cum incidérent in sententiam Patrum et Magistri Sententiarum, in quibus prædicta scientia continebatur, aut supponebatur, nullum de hoc dubium moverunt; tum quia et ipsi sæpe proposuerunt, ac solverunt plures alias quæstiones aperte supponentes eamdem conditionatorum cognitionem, ut v. g. de permissione peccati, quod Deus prævidit futurum, vel tentationis hominis, quem casurum prænovit, etc., etc. Hinc P. Didacus Ruiz de

(1) Ibid., ad 3.um.
(2) 1 p., quæst. 23, art. 5. Cfr. ibid. ad 1.um
(3) Artic. 2, ad 1.um et ad 7.um.
(4) 3 p., quæst. 1, art. 5, ad 2.um.
(5) Suarez, Prolegom. 2.° tract. *de Gratia*, cap. 6, num. 6.

Montoya (1) aliique referunt pro hac sententia, præter S. Thomam, Magistrum Sententiarum, S. Bonaventuram, Albertum M., Alexandrum Halensem, Vincentium Bellovacensem, Ægidium Romanum, Richardum, Henricum, Scotum, Durandum, Carthusianum, Argentinatem, Gregorium, Marsilium, Majorem, Gabrielem, Dezam, Hadrianum, Capreolum, Cajetanum, Sotum, Viguerium, aliosque plurimos DD. posteriores.

Unum tamen præterire non possum, pium nempe et eruditum virum ex S. Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini, Abbatem Cellensem, qui sub nomine *Idiotæ* hæc scripsit trecentis prope annis ante exortas controversias de *Scientia media: Nec tantum oculus Dei ea prospicit, quæ aliquando erunt, sed etiam quæ reipsa non erunt, essent tamen, si aliquid aliud poneretur. Sic enim, Davide roganle, an si ipse in Ceila maneret, et Saul eo veniret, Ceilitæ essent eum tradituri, respondit:* Tradent. *Tam ergo perspicax est divinus oculus, ut rem, quæ futura non erat, si David ibi mansisset, et Saul eo venisset, prænoverit perinde, ac si absolute futura fuisset; nimirum illud quod fieret, aut non fieret, si conditio aliqua poneretur, est aliquid verum determinate. Non enim utrumque contradictorium verum aut neutrum, sed alterum duntaxat vere tunc accideret. Cum igitur oculus divinus perspiciat omne verum, non potest Deus hoc ignorare* (2).

Difficultates theologicas missas facimus, ne nimii simus, neve alienis quæstionibus implicemur; eas, qui velit nosse solutas, reperiet apud Ruiz de Montoya, Suarez, aliosque Theologos passim.

ARTICULUS III

In quo medio cognoscat Deus contingentia conditionate futura: et an admittenda sit scientia media.

Ratio difficultatis.

101. Hic est cardo difficultatis in controversia circa divinam cognitionem conditionate futurorum. Hæc enim, si

(1) Ruiz, disp. 67 per totam. Cfr. disp. 62, sect. 1, num. 17, 18.
(2) Tract. *de Oculo mystico*, cap. 15, num. 12 apud Martinez, *Deus scienc.*, controv. 4, disp. 7, sect. 2, fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

res bene perpendatur, videntur non posse in se ipsis immediate cognosci, cum nec sint ex terminis ipsis cognoscibilia, nec unquam sint extitura in se ipsis: aut saltem, si extitura sunt ex vi divini decreti ponendi conditionem; quando ut pure conditionata considerantur antecedenter ad tale decretum, nondum concipiuntur tamquam existentiam absolute habitura. Quare non facile intelligitur, quomodo futura conditionata in se ipsis cognosci a Deo possint, sicut cognoscuntur absoluta. Aliunde vero non apparet, in quo alio medio ista objecta possit Deus intueri (1). Nihil ergo mirum, si plures hac de re excogitate fuerint sententiæ, quemadmodum dictum est etiam de medio, quo Deus cognoscit absolute futura. Et difficultas, ut per se patet, respicit solum medium objectivum. Plane enim constat apud omnes catholicos, quantum attinet ad medium ac principium subjectivum, Deum se ipso suaque essentia cognoscere conditionate futura, sicut reliqua omnia, sive hæc per modum luminis intellectualis, sive per modum speciei intelligibilis, sive per modum actus intelligendi a nobis consideretur; est enim essentia divina suum lumen intellectuale, sua species suusque actus intellectionis.

Prima opinio, unde explicata.

Prima ergo sententia docet Deum cognoscere contingentia conditionate futura in decreto suæ voluntatis. Hoc decretum quidam apud Ruiz de Montoya (2) ita explicabant, ut non vellent Deum de facto habere decretum ullum circa hujusmodi conditionata, sed habiturum esse illud, si conditio poneretur; et in hujusmodi decreto, quod non *est*, sed *foret*, si daretur conditio, Deum videre conditionata. Hæc tamen explicatio aperte supponit Deum scire, quid ipse voliturus aut decreturus esset circa conditionatum, si voluisset alias circumstantias adhibere, quas non adhibet; ideoque supponit in Deo cognitionem conditionatam suorum propriorum actuum, qui procul dubio non viderentur in decreto divino, sed in se ipsis; et sic inducit scientiam mediam circa divinos actus

(1) Vide Suarez, opusc. *de scient. futuror. conting.*, lib. 2, cap. 7, num. 2, ubi lucidissime proponitur summa hujus rei difficultas. Cfr. Ruiz, disp. 73, sect. 1, num. 1, 2, 3.

(2) Disp. 71, sect. 1, num. 3, 7.

conditionate futuros (1). Quare communissime hujus primæ sententiæ assertores rem aliter exponunt.

Decreta subjective absoluta et objective conditionata.

Dicunt Deum conditionata videre in decreto *subjective absoluto* et *objective conditionato*, quia nempe Deus habet actu ab æterno decretum obtinendi conditionatum, si conditio poneretur; v. g. habet decretum eliciendi conversionem a Petro, si daretur ipsi tale auxilium; vel habet decretum, quo statuit, ut pœnitentiam in cinere et cilicio agerent Tyrii ac Sidonei, pro casu in quo apud eos facta fuissent signa, quæ facta sunt Corozaini et Bethsaidæ. Itaque decretum istud ex parte Dei est absolutum, utpote jam actu existens independenter ab ulla conditione, ex parte vero objecti est conditionatum, quia effectus ejus pendet ex conditione, qua non purificata, effectus nunquam erit. «Dicimus... decretum absolutum ex parte actus seu ex parte Dei et conditionatum circa objectum non esse aliud, inquit Magister Joannes a S. Thoma, quam actum de facto et in re positum et habitum a Deo, circa objectum tamen non ponendum de facto et producendum in re, sed sub conditione habendum: quales actus frequentissimi apud nos sunt..., ut si habeam hunc actum: *Si Petrus tali die venerit ad me, parabo illi hospitium*» (2). Cæterum decretum hujusmodi, saltem ut communiter defendi solet, est decretum prædeterminandi; et quoniam tale decretum infallibiliter connectitur cum effectu, ideo statuitur tamquam medium infallibilis certissimæque cognitionis (3). En celeberrimam sententiam RR. Patrum Prædicatorum de decretis subjective absolutis et objective conditionatis, sive illa prius invenetit Magister Didacus Alvarez (4), sive Magister Franciscus Zumel, prout superius retuli (5).

(1) Cfr. Ruiz disp. 71, sect. 5, num. 14; Suarez, opusc. *de scient. futur. conting.* lib. 2, cap. 7, num. 12.

(2) Joann. a S. Thoma, *De Deo*, disp. 20, art. 2, *Decreta libera absoluta pro conditionatis futuris*.

(3) Cfr. Ferdinand. Bastida (apud Livin. Meyer, *Histor. Congreg. de auxil.*, lib. 5, cap. 47), Suarez (Opusc. *de scient. futur.*, lib. 2, cap. 7, num. 8 seqq.), Ruiz (disp. 71).

(4) Vide ipsum, lib. 1 *Respons.*, cap. 4, num. XI.

(5) Vide supra, num. 98, pag. 336 in nota.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Secunda opinio. Alia sententia tenet futura contingentia cognosci posse in comprehensione voluntatis creatæ omniumque auxiliorum et circumstantiarum, quæ possunt ad operandum juvare vel impedire. Hoc est idem ipsum medium, in quo Durandus et Argentinas aliique opinati sunt Deum videre contingentia absolute futura, quemadmodum jam retulimus, ac refutavimus. Hanc etiam sententiam videtur explicasse ac secutus esse P. Ludovicus Molina, cum docuit Deum conditionate futura videre in supercomprehensione voluntatis creatæ. Quamvis enim vix ullam admittat esse possibilem collectionem circumstantiarum, ex qua infallibiliter etiam infallibilitate duntaxat morali inferatur actus liber; adhuc tamen concedit, in voluntate creata cum omnibus circumstantiis, posse Deum omnia futura conditionata cognoscere, «quatenus *altissima et eminentissima comprehensione superat omnes creaturas*, ac subinde comprehendit complexiones omnes contingentes et liberas non modo secundum *esse* possibile, sed etiam secundum *esse* futurum sub conditione et hypothesi, quod Deus statuat creare hunc vel illum ordinem rerum et causarum cum his aut illis circumstantiis» (1).

tertia. Alia est sententia eorum, qui censent Deum conditionate futura videre in suis ideis ac rationibus æternis; quam refert, refutat Molina (2).

quarta. Ultima denique sententia, ut quasdam alias parum diversas omittamus (3), est eorum, qui docent futura hujusmodi Deum cognoscere in se ipsis. Hæc est communis opinatio inter auctores Societatis Jesu cum Suarez (4), Ruiz de

quæ communi. Montoya (5), Fonseca (6), Lessio (7), Martinez (8). Eidemque

(1) Ruiz, disp. 73, sect. 3, num. 18. Cfr. Suarez, opusc. *de scient. futur.*, lib. 2, cap. 7, num. 3. Vide ipsum Molinam in 1 p., quæst. 14, art. 13, disp. 14, conclus. 1.ª; disp. 15, paragr. *Juxta ea ergo...*; disp. 17, paragr. *Triplicem...*

(2) In 1 p., quæst. 14, art. 13, disp. 18, membr. 1, paragr. *Dicunt enim...*

(3) Vide apud Ruiz, disp. 73, sect. 1, num. 5, 14; Suarez, loc. cit. cap. 7, num. 12-13.

(4) Lib. 2.º *de scient. futur. conting.*, cap. 7.

(5) Disp. 75 seqq.

(6) Lib 6.º *Metaphys* cap. 2, quæst. 4, sect. 2 seqq. et sect. 10 fin.

(7) *Apolog. de gratia efficaci et scient. med.*, cap. 20.

(8) *Deus sciens*, controv. 4, disp. 3, sect. 3.

adhærent externi bene multi apud Henao (1) et Jacobum Platelium (2), inter quos præcipuo honore nominandus est recentissimus Doctor Ecclesiæ S. Franciscus Salesius (3). est Nostrorum, quibus alii multi adstipulantur.

Inter has sententias primam duntaxat et quartam, quæ sunt frequentiores, ac de palma concertant, expendam. De cæteris duabus sufficiant ea, quæ scripta sunt circa medium cognoscendi contingentia absolute futura (4). Quænam ex hic sententiis hic tractandæ, quænam omittendæ.

Et idem valere debet etiam de sententia Molinæ. Quia si causæ liberæ proprium est, operari vel non operari posse, præsuppositis omnibus prærequisitis, evidens est, actum primum ipsius non connecti infallibiliter cum secundo ex natura rei. Utcumque ergo comprehendatur vel etiam supercomprehendatur totus actus primus voluntatis creatæ, non poterit in ipso infallibiliter videri actus secundus, utpote qui ita procedit ex illo, ut potuerit etiam non procedere, saltem physice. Nam quando dicitur Deus supercomprehendere voluntatem creatam omniaque adjuncta, «aut hæc vox importat excessum perfectionis in cognitione ex parte cognoscentis (supra comprehensionem humanæ voluntatis, quam angelus etiam habet), aut ex parte rei cognitæ. Primum solum nihil refert, quia si cognitio æque manifestat totum id, quod est in objecto, et quantum ex parte objecti cognoscibile est, etiam manifestat quidquid ex vi talis objecti cognosci potest: immo hoc pertineret ad rationem comprehensionis, et ille excessus ex parte cognoscentis solum quasi materialiter se habet ad cognoscendum unum in alio seu ex alio. Unde si comprehensa tali causa cum omnibus conditionibus ejus, ex vi ejus non cognoscitur, quid faciet; quantumcumque ex parte cognoscentis supercomprehendatur, id est, licet perfectiori actu comprehendatur, nunquam poterit talis effectus ex vi talis causæ cognosci. Si autem dicatur alterum, aperte sequitur alteram illarum cognitionem non esse comprehensionem;

(1) Op. cit., eventilat. 44.

(2) *De Deo*, num. 123.

(3) *Praxis amoris Dei*, lib. 3, cap. 5, parag. 3.

(4) Vide Suarez, opusc. *de scient. futur.*, lib. 2, cap. 7, num. 4 seqq.; Ruiz, disp. 73, sect. 4 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia id comprehenditur, quod omnino est, ut sic dicam, intra comprehendentem, ita ut ex parte objecti nihil illum lateat. Repugnat ergo esse comprehensionem, et superari ex parte objecti ab alia cognitione», quæ vocetur supercomprehensiva. Et sic si angelus comprehendit voluntatem hominis, ut re vera comprehendit, non minus, quam Deus poterit cognoscere in illa actus et effectus ejus conditionate futuros, quod est falsum (1).

Videamus ergo, utra eligenda sit de duabus aliis sententiis.

102. PROPOSITIO 1.ª **Deus non videt futura conditionata in decreto subjective seu ex parte actus absoluto, et objective conditionato.**

Deus non videt conditionate futura in decretis subjective absolutis et objective conditionatis.

Omittimus argumenta, quibus Theologi nostri ostendunt loca Scripturæ ac Patrum, in quibus scientia conditionatorum continetur, non posse præsupponere ullum divinum decretum hujusmodi tamquam medium cognoscendi veritates illas. Qua de re videantur passim auctores nostri ac nominatim Ruiz de Montoya (2) et Suarez (3).

Probatur ergo 1.ª ratione, qua utuntur communiter auctores nostri. Nam decretum hujusmodi non est «medium aptum ad certam et infallibilem cognitionem futurorum conditionalium a causa libera dependentium: ad quod unice fingitur». Ergo...

Prob. anteced. «Vel illud decretum absolutum de objecto conditionato est prædeterminativum voluntatis talisque naturæ, ut impossibile sit ex vi decreti, eo posito, voluntatem non agere, si in talibus circumstantiis ponatur; vel non est prædeterminativum, sed tale, ut adhuc illo posito, maneat voluntas indeterminata, possitque contrarium agere, si in illis circumstantiis constituatur. Si hoc decretum non est prædeterminativum, non est medium aptum ad infallibilem cognitionem conditionalium liberorum: infallibilis enim cognitio non potest haberi ex medio, quo posito non est

(1) Suarez, loc. nuper cit., num. 6. Cfr. Ruiz, disp. 73, sect. 5, num. 7 seqq.

(2) Disp. 73, sect. 2, 3, 4, 5; disp. 62, seqq., ubi fusissime.

(3) *Proleg.* 2, tract. *de Gratia*, cap. 5.

infallibile effectum esse secuturum, sed adhuc sequi et non sequi potest». Et ob hanc præcise rationem Thomistæ confugerunt ad prædeterminativum decretum, tamquam medium necessarium ad obtinendam infallibilem cognitionem.

«Si vero hoc decretum est prædeterminativum, non est medium aptum ad cognoscendum conditionalia libera, sed ad cognoscenda conditionalia necessaria. Hoc enim decretum, si prædeterminativum sit, necessitat voluntatem (ut suo loco fusius ostendetur). In potestate enim voluntatis non est, ut hoc decretum ponatur vel non ponatur: hoc autem decreto posito, non potest voluntas, si in illis circumstantiis constitueretur, agere contrarium ejus, quod a decreto præscribitur. Si vero hoc decretum non poneretur, non posset aliquid agere, etiamsi in eisdem circumstantiis constitueretur. Ergo per decretum, quando ponitur, amittit voluntas potestatem non agendi, seu cessandi ab actu: et quando non ponitur, caret potestate agendi, quorum utrumque est de intrinseca ratione libertatis» (1).

Prob. 2.ª Decreta subjective absoluta et objective conditionata necessaria non sunt. Ergo rejicienda sunt, utpote gratis asserta.

Consequens patet, quia si necessaria non sunt, pendent a libera Dei voluntate. Existentia vero actualis eorum, quæ a libera Dei voluntate pendent, sciri nequit sine revelatione Dei. Atqui Deus nihil revelavit de existentia decretorum hujusmodi conditionatorum.

Probatur antecedens, quia vel necessaria forent ad hoc ut contingentia conditionata sortirentur existentiam, vel solum ad hoc ut cognoscerentur a Deo. *Non ut existentiam sub conditione sortirentur*, quia sicut absolute futura non egent decreto prædeterminativo, ut existant, quemadmodum suo loco ostendetur, quando physicæ prædeterminationes in rutinam revocabuntur; ita etiam contingentia conditionate futura non egent tali decreto ad hoc, ut habeant conditionatam existentiam, cum potissimum, stante tali decreto, futura

(1) Ita Ferdin. Bastida, in Congregat. 35.ª romana *de Auxiliis* coram Clemente VIII, apud Livin. Meyer, op. cit., tom. 1, lib. 5, cap. 47.

desinerent esse contingentia. Immo ad conditionatam existentiam nullum omnino requiritur decretum actu existens, etiamsi sit indifferens et natura sua concialiabile cum dissensu; sed sufficit decretum conditionatum, ut videtur per se patere, et manifeste cernitur exemplo. Sic certissima est hæc propositio: *Si Deus prædeterminaret Petrum ad amorem, infallibiliter amaret.* An vero dices, ut amor ille conditionate daretur, requiri actuale decretum prædeterminativum esse necessarium? Minime sane.

Adde, quod ad quamque futuritionem requiratur non solum decretum aliquod Dei, sed etiam existentia voluntatis creatæ, a qua procedit effectus futurus. An ergo dices, quod ut Petrus aliquid libere operatus *esset* sub conditione jam nunc supponi debeat Petrus actu existens? Ergo idem dic de decreto Dei.

Neque etiam dici potest decreta eadem esse necessaria tamquam medium, ut futura cognoscantur a Deo. Nam si sine tali decreto futura conditionata existentiam possunt habere, haberent etiam suam veritatem determinatam sine illo. Atqui Deus nequit non cognoscere, quidquid habeat determinatam veritatem. Ergo sin ullo decreto subjective absoluto et objective conditionato potest Deus futura conditionata cognoscere (1).

Neque dicas talia decreta spectare ad perfectionem divinæ providentiæ, quia nihil reapse ad hunc scopum juvant, ut per se patet.

103 PROPOSITIO 2.ª **Futura conditionata cognoscentur a Deo in se ipsis: unde datur scientia *quædam media*.**

sed tantum in se ipsis.

Probatur prima pars 1.ª Nam quidquid cognoscitur, vel cognoscitur in aliquo alia medio objectivo, vel non, sed immediate in se ipso. Atqui ostendimus futura conditionata cognosci a Deo, nec posse cognosci in alio medio seu objecto determinante cognitionem illorum. Ergo reliquum est, ut aut non cognoscantur, aut cognoscantur in se ipsis.

(1) Vide fuse de hac materia Suarez, *Proleg.* 2, tract. *de Grat.* cap. 8.

Prob. 2.ª Deus videt in se ipsis omnia, quæ habent in se ipsis determinatam veritatem, et eo modo quo illam habent. Atqui futura contingentia conditionata habent in se ipsis determinatam veritatem, præcise ex existentia, quam posita conditione sortirentur, et non aliunde formaliter. Ergo videt illa in se ipsis.

Major constat ex infinita perfectione divini intellectus. **Minor autem probatur.** Quia veritas fundatur supra rei entitatem, quatenus conformare sibi potest cognitionem vel propositionem aliquam. Cognitio vero ac propositio in tantum conformis est subjecto, ac proinde vera, in quantum illud enuntiat, prout est. Quare ex formali *esse* vel entitate, quam haberet futurum conditionatum, posita conditione, continet suam determinatam veritatem, ac proinde cognoscibilitatem; quandoquidem non aliunde foret vera propositio futurum hujusmodi enuntians, quam ab illo *esse*, quod determinate haberet, posita conditione.

Et confirmatur exemplo contingentium absolute futurorum. Quare enim illa Deus in se ipsis cognoscit ab æterno, nisi quia utcumque indifferentia et indeterminata in suis causis, in se ipsis tamen determinate erunt pro aliqua differentia temporis? Atqui idem valet pro conditionate futuris contingentibus. Nam hæc etiam, posita conditione, aut essent determinate, aut non essent, ut jam supra declaravimus. Ergo ex illo *esse* determinato, quod haberent, si conditio poneretur, certo et infallibiliter cognoscibilia sunt, ac porro cognosci debent ab eo intellectu, qui ob infinitam suam virtutem cognoscitivam ex se ipso determinatus est, ut apprehendat omne *esse* et omne verum.

104. **Secunda pars** propositionis probatione non eget. Nam nomine scientiæ mediæ intelligitur cognitio contingentium conditionate futurorum independenter a decreto divino actu existente. Et ostensum est Deum omnia contingentia conditionate futura cognoscere certo et infallibiliter, nec in decretis suis actu existentibus seu objective absolutis, nec alio modo, quam in se ipsis sine ullo medio objectivo. Ergo...

unde datur scientia media quoad rem ipsam.

Probe autem nota, quando concludimus existentiam *scientiæ mediæ*, duo distinguenda esse, rem et nomen. Doctrina communis Societatis, quoad rem ipsam, est, inesse Deo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejusmodi cognitionem contingentium conditionate futurorum, quæ antevertat omne decretum actu existens circa illa, saltem pro eo signo, in quo cognoscuntur. Quæstio vero deinde esse potest circa *nomen*, quo hujusmodi scientia designanda sit.

De qua quæstione hæc mihi dicenda occurrunt: 1.° certum est nomen istud novum esse, nec antiquius sæculo decimo sexto. 2.° Initio controversiarum inter RR. PP. Prædicatores ac PP. Societatis circa modum divinæ cognitionis, scientia conditionate futurorum a quibusdam revocata est ad scientiam naturalem ac simplicis intelligentiæ; ab aliis vero frequentius ad scientiam liberam ac visionis; ab aliis denique vocata est *media* inter utramque, quasi mixta et aliquid de utraque participans.

Quid dicendum de nomine scientiæ mediæ.

Ratio vero, cur a quibusdam scientia hæc vocata sit simplicis intelligentiæ, ea est, quia convenit cum scientia naturali et simplicis intelligentiæ in aliquibus proprietatibus. Sane scientia conditionatorum a) non est libera Deo. Nam licet Deus impedire potest omnia contingentia absolute futura, ac proinde potuit ex usu libertatis suæ efficere, ut id quod de facto videt ab æterno, v. g. proditio Judæ, non viderit, ut revera non vidisset, si decrevisset non creare Judam; nihilominus Deus non potest ullo modo efficere, ut hoc præcise determinato auxilio collato in hac opportunitate et adjunctis, ex quibus conversio Petri libere sequeretur, conversio illa non sequatur præcise sub illa eadem conditione (1). β) Scientia conditionatorum, sicut etiam simplicis intelligentiæ prioritate rationis antecedit actuale decretum divinæ voluntatis, et prælucet decretis providentiæ, sive naturalis sive supernaturalis, ut jam declaravimus, et solet fusius probari a Theologis nostris. γ) Quamvis scientia conditionata complectatur etiam, ut jam monuimus initio, multa quæ postea, superveniente decreto divino, quo purificatur conditio, transeunt in absolute futura, et objectum sunt scientiæ visionis, nihilominus longe plura sunt, quæ ab eadem scientia attinguntur, quæ remanent in statu puræ possibilitatis, quia nempe Deus non vult, ut conditio purificetur. Tales sunt innumeræ veritates conditionatæ respicientes objecta et personas, quæ

quæ a multis ad simplicis intelligentiæ scientiam,

(1) Vide Ruiz, *De Scientia Dei*, disp. 76, sect. 1, num. 11, 12.

nunquam erunt, vel circumstantias et conditiones personarum etiam realium, quæ non verificantur. Ob has rationes nomine simplicis intelligentiæ donare maluerunt scientiam conditionate futurorum P. Gregorius de Valentia (1), Vazquez (2), Bellarminus (3), Albertinus (4) et alii apud Ruiz (5).

At vero Patres plures ac Theologi antiquiores, ut videtur eidem Didaco Ruiz de Montoya (6), scientiam conditionatorum comprehendisse dicendi sunt sub nomine scientiæ visionis; agentes enim de illa scientia, utuntur vocibus *cernendi*, *prospiciendi*, *intuendi*, *videndi*, quæ scientiam visionis indigitant, si proprio sensu accipiantur.

ab aliis multis ad scientiam visionis revocata est.

Nec desunt rationes, ob quas prædicta scientia potius ad visionem, quam ad simplicem notitiam, revocari possit. a) Primo quia non contemplatur objectum mere possibile, sed conditionaliter existens et contingenter futurum, cum tamen possibilia non sint contingentia secundum possibilitatem. β) Deinde modus cognoscendi conditionata est intuitivus, non vero abstractivus, sicut est modus cognoscendi pure possibilia. γ) Tertio scientia conditionalium non est omnino necessaria, utpote supponens aliquo modo libertatis creatæ determinationem. Deus nequit non scire hominem esse rationalem, et ignem, positis omnibus prærequisitis, combusturum esse; at potuit, absolute loquendo, non vidisse, quod, si Petrus ab ancilla interrogaretur in atrio Pontificis, negaturus esset Christum Dominum; libere quippe Apostolus abnegavit Magistrum suum, et potuisset non abnegare, si ipse voluisset; et, si non abnegasset, Deus non vidisset illum abnegantem, sed confitentem (7).

(1) In 1.am part., disp. 1, quæst. 14, punct. 5, paragr. 2, *Tria tamen sunt observanda*....

(2) In 1.am p., disp. 67, cap. 4, num. 27.

(3) *De Amissione gratiæ et statu peccati*, lib. 2, cap. 17 post initium.

(4) *Corollar. seu quæstiones, etc.* Quæst. corollar. ex quæst. princip. Philos. quæst. 4, num. 5, in responsione ad sextum.

(5) *De scient. Dei*, disp. 76, sect. 1, num. 8. Cfr. Suarez, Proleg. 2 tract. *de Grat.* cap. 6, num. 7.

(6) Loc. cit., sect. 2, num. 1, 2, 3, 4; Suarez, opusc. *de scientia futuror.*, lib. 2, cap. 3, num. 5.

(7) Vide Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 76, sect. 2, num. 5, 6.

ab aliis demum tamquam membrum divisionis distinctum proponitur.

Aliis denique, quia scientia conditionatorum partim convenit cum necessaria et simplici intelligentia, partim cum libera et intuitiva seu visionis (1), placuit illam denotare nomine scientiæ *mediæ*, sub quo illam explicarunt, propugnaruntque Molina (2), Fonseca (3), Suarez (4), Lessius (5), Albertinus (6), Ruiz de Montoya (7) aliique. Et eamdem appellationem, ut congruentem, approbat Vazquez (8), licet magis approbat illam simplicis intelligentiæ. Et hæc deinde appellatio scientiæ mediæ ad designandam scientiam contingentium conditionate futurorum independenter ab omni actuali decreto Dei prævaluit, et communis evasit apud omnes nostros, et apud adversarios doctrinæ illius, qui proinde et nomen et rem nomine significatam impugnant, nempe scientiam conditionatorum in se ipsis.

Conclusitur congrue vocari mediam hujusmodi scientiam conditionate futurorum.

Nos, qui a controversiis de nomine abhorremus, quamquam rem potissimum propugnamus, credimus tamen convenientissimam etiam appellationem scientiæ mediæ propter rationes jam factas. Namque scientia conditionalis, si rite consideretur, media est inter necessariam et liberam, tamquam aliquid participans de utraque, et ideo quatenus convenit cum libera et visionis, discrepat a necessaria et simplicis intelligentiæ, ac vicissim. Quamobrem licet possit omnis scientia revocari ad aliquod ex membris bipartitæ illius divisionis communiter apud omnes receptæ; nihilominus si quis scientiam visionis restringat ad cognitionem eorum, quæ aliquando existent, et ad scientiam simplicis intelligentiæ referat cognitionem objectorum omnium, quæ remanebunt in statu possibilitatis, certum est, quod talis scientia simplicis intelligentiæ duo genera objectorum complectitur, eorum,

(1) Vide supra num. 11, pag. 44.

(2) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, disp. 17, *Triplicem scientiam*, etc., et disp. 18, membr. 1, paragr. *Hæc omnia licet*; et membr. 2, *Auctores præterea*.

(3) *Metaphys.*, lib. 6, cap. 2, quæst. 4, sect. 8, vers. fin., *Ex quibus colligitur*...

(4) Opusc. *de scient. futur.*, lib. 2, cap. 3, num. 4-5.

(5) *Apolog. pro efficac. grat.*, cap. 19.

(6) Loc. nuper cit.

(7) Disp. 76, sect. 3.

(8) Loc. cit., disp. 67, cap. 4, num. 27.

quæ et sunt pure possibilia, et considerantur etiam secundum meram possibilitatem, et eorum, quæ licet sint pure possibilia, quia nunquam erunt absolute in se ipsis, tamen considerantur secundum existentiam, quam haberent, data aliqua hypothesi. Objecta vero possibilia secundum hanc duplicem considerationem adhuc sunt diversa, ut scientia illorum jure merito subdividi posset in scientiam pure possibilium et conditionate existentium. Et e converso si quis ad scientiam liberam et visionis revocaret omnem cognitionem contemplantem existentias contingentes, scientiam necessariam et simplicis intelligentiæ restringens ad repræsentationem necessariarum veritatum puræve possibilitatis; ille profecto sub tali scientia visionis complecteretur duo genera objectorum diversa, contingentium nempe vel absolute vel solum conditionate futurorum, ac proinde ratione talis distinctionis haud inepte subdividere posset illam scientiam liberam ac visionis. Et ad vitandas hujusmodi subdivisiones in aliquo ex membris bipartitæ divisionis, simulque distinguenda omnia objecta aliquo modo diversa, quæ terminant divinam cognitionem; recte inseritur inter scientiam necessariam ac liberam, simplicis intelligentiæ ac visionis, alia scientia media, quæ nempe contemplatur in se ipsis futura conditionata.

ARTICULUS IV

Solvuntur difficultates adversus praecedentem doctrinam.

105. **Objic.** 1.° Conditionalis de futuro contingente antecedenter ad decretum divinæ voluntatis non est determinata ad veritatem ratione sui, neque ex natura subjecti, nec propter determinationem aliarum causarum vel adjunctorum. Ergo nullo modo est determinata ad veritatem, et consequenter non est scibilis. Antecedens patet, quia nihil est ratione sui determinatum ad existentiam nisi solus Deus, ideoque nihil de creaturis affirmari potest, quod ratione sui vel ex natura subjecti sit determinatum, ut sit verum. Rursus cæteræ causæ et adjuncta concurrentia ad liberam operationem ante decretum divinæ voluntatis prædeterminantis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sunt indifferentia ad inferendam vel non inferendam operationem.

Confirmatur 1.° Quia in illo priori signo, in quo nondum intelligitur decretum divinum, nulla potest intelligi potentia exercendi actionem in causa secunda, utpote quæ dependet essentialiter a causalitate causæ primæ, quæ vicissim præsupponit decretum voluntatis divinæ. **Confirmatur** 2.° Quia quæ *nunquam erunt*, nequeunt habere veritatem determinatam. Sed conditionaliter futura nunquam *erunt*, sed tantum *essent*, si poneretur certa conditio. Major probatur. Nam quæ nunquam *erunt*, non habebunt entitatem et determinationem in se ipsis; neque etiam in causis, quia supponuntur liberæ. Ergo... Ita fere Didacus Alvarez, Navarrete et Curiel apud Ruiz de Montoya (1).

Respondeo, *dist.* antec. quoad primam partem, *concessis* aliis duabus. Propositio conditionalis de futuro antecedenter ad decretum divinæ voluntatis non est determinata ad veritatem ratione sui, si sermo sit de decreto prædeterminante aut etiam de alio quovis decreto absolute existente, *neg.*; si sermo sit de decreto pure conditionato respiciente consentaneum concursum divinum, sine quo, etiam posita conditione, non potest sequi conditionatum ex operatione causæ creatæ, *conc.*

Et *nego* conseq. Itaque licet futuritio contingentium absolute futurorum præsupponat æternum decretum Dei dandi ea omnia, sine quibus illa nequeunt existere; at futuritio conditionata non requirit ullum decretum actu in Deo existens pro illo signo. Nam evidens est, quod ad hoc ut habeat conditionatam futuritionem objectum hujus assertionis: *Si Petrus vocaretur tali auxilio, converteretur*, non requiri absolutum decretum concurrendi cum Petro ad conversionem, sed sufficere conditionatum, quod hoc modo exprimitur: *Si Petrus vocaretur tali auxilio, haberetque paratum sibi concursum divinum consentaneum, converteretur* (2).

Ad 1.um confirmationem eadem esto responsio.

(1) Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 68, sect. 8, num. 1-2. Cfr. disp. 71, sect. 6, num. 1.

(2) Vide Suarez, *Proleg.* 2, tract. *de gratia*, cap. 9, num. 3-4.

Ad 2.um *dist.* antec. Quæ nunquam erunt, sive absolute sive conditionate, nequeunt habere veritatem determinatam, *conc.*; quæ nunquam *erunt* absolute, *erunt* tamen, vel *essent* conditionate, *nego*. Et probationem simili modo explico, quia hujusmodi futura re vera haberent, data conditione, entitatem determinatam in se ipsis, et hæc entitas fundat veritatem et cognoscibilitatem eorum respectu luminis intellectualis infiniti, quale est divinum, ut patet ex dictis (1).

Instabis. «Ita se habet decretum Dei absolutum in ordine ad futurum absolute, sicut decretum conditionatum in ordine ad futurum conditionate. Sed implicat, quod aliquid sit futurum absolute, nisi præcedat decretum Dei absolutum, decernentis, quod illud fiat. Ergo implicat etiam, quod sit aliquid futurum conditionatum, nisi præcedat decretum Dei, statuentis, ut futurum illud fiat, si adimpleatur conditio». Ergo ante hujusmodi decretum non est scibile, v. g. Petrum esse consensurum in hypothesi, quod accipiat tale vel tale auxilium (2).

Respondeo, *dist.* Major. Ita se habet decretum Dei absolutum ad futurum absolutum, sicut decretum conditionatum *actu existens*, seu decretum objective tantum conditionatum, *nego*; sicut decretum conditionatum *actu non existens*, seu decretum tum subjective tum objective conditionatum, *conc.*

Minor *transeat*, quamvis falsa sit in sensu adversariorum; ut enim aliquid sit absolute futurum, non requiritur decretum divinum *prædeterminativum* neque prædefinitivum, saltem respectu omnium actionum etiam pravarum, sed sufficit decretum concurrendi ac præbendi quæcumque prærequiruntur ad operationem causæ creatæ.

Tum *nego* conseq. Et ratio disparitatis est hæc: ut aliquid sit absolute futurum, requiritur, ut Deus concurrat, ad concurrendum vero applicatur divina omnipotentia per æternum decretum: ideoque nihil potest unquam existere in rerum natura, quin præsupponatur ab æterno aliquod decretum Dei circa illud. At vero conditionate futurum non *erit*,

(1) Cfr. Ruiz de Montoya, loc. cit., disp. 68, sect. 8, num. 3 seqq. Cfr. disp. 71, sect. 6, num. 2 seqq.

(2) Apud Ruiz de Montoya, disp. 71, sect. 6, num. 5.

saltem pro eo signo, in quo ut pure conditionatum consideratur, sed *esset*. Ad hoc autem ut aliquid *esset* sub aliqua hypothesi, non est necesse, ut actu *sit* ab æterno decretum, sed ut *esset* pro ea hypothesi, seu sufficit decretum conditionatum tum objective tum subjective (1).

Objic. 2.° Ad perfectionem divini intellectus pertinet omnia scire quæcumque voluntas creata in quibusvis casibus eligeret. Ergo similiter ad perfectionem divinæ voluntatis spectat actu decernere, quidquid voluntas creata eligeret in quibuscumque circunstantiis.

Respond., *neg.* conseq. Ad perfectionem enim intellectus divini spectat intelligere omne scibile; non autem spectat ad perfectionem divinæ voluntatis actu velle, quidquid potest esse objectum voluntatis; secus volitio Dei non foret libera, cum non posset abesse a Deo, ne deesset illi aliqua perfectio propria (2).

Instabis 1.° Perfectio divinæ voluntatis est actu velle posito decreto ea, quæ futura sunt absolute. Ergo etiam perfectio ejusdem voluntatis erit actu velle conditionate futura decernendo absolute, ut ea forent, si poneretur certa conditio. Respond., *neg.* iterum conseq. Et ratio est, quia decretum hujusmodi absolutum subjective et objective conditionatum est prorsus inutile, cum necessarium non sit sive ad cognitionem futurorum conditionatorum, sive ad eorumdem futuritionem, ut jam probavimus.

Instabis 2.° Viri prudentes quandoque laudabiliter eliciunt actu volitiones de objectis conditionatis, ut si quis v. g. ita proponat in corde suo: *Etiamsi mihi tyrannus acerbissimos cruciatus mortemque minaretur, fidem catholicam nollem abnegare.*

Respondeo quæstionem non esse, utrum dari possint actu necne *aliqua decreta conditionata* in Deo, sed utrum dentur *decreta conditionata* circa ipsum consequens enuntiationis conditionatæ, quod consequens libere contingeret per exercitium creatæ libertatis (3). Itaque hoc tantum negamus,

(1) Cfr. Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 6 seqq.; Suarez, *Proleg.* 2, tract. de grat., cap. 6, num. 16.
(2) Cfr. Ruiz de Montoya, disp. 71, sect. 11, num. 2.
(3) Cfr. Suarez, *Proleg.* 2, tract. de gratia, cap. 8, num. 8 seqq.

inesse in Deo hujusmodi decreta, nam de illis solis est præsens controversia. Et sic *negatur* consequens et paritas propositæ objectionis. Hujusmodi enim decreta conditionalia, de quibus antecedens agit, virtute includuntur in decretis aut propositis generalioribus, quæ utilissima sunt, ac possunt etiam esse necessaria, ut illud propositum oppetendi mortem pro fide continetur in proposito amandi Deum super omnia, et implendi omnia ejus præcepta. Hujusmodi decreta conditionata virtualiter inclusa in aliquo universali decreto, quod actu absolute detur, vocat Ruiz de Montoya decreta mixte conditionata (1), docetque plurima posse esse in Deo, «quoniam recta ratio providentiæ postulat a Deo decerni plurima generaliter, quorum generalitas quidditative claudit admixtum conditionale decretum circa particularia. Quemadmodum generale decretum conferendi gloriam cuicumque perseveranti in gratia, claudit admixtum conditionale decretum conferendi gloriam Judæ, si perseveraret in gratia» (2), ut patet ex multis locis Scripturæ (3), ac nominatim ex testimonio S. Pauli, quo docente, *Deus vult omnes homines salvos fieri* (4), «Subintelligitur enim, si a Deo excitati et adjuti consentire voluerint, ut exponunt Hieronymus, Ambrosius, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius et alii» (5). Hujusmodi decreta mixte conditionata possunt esse medium infallibiliter cognoscendi futura non solum pro Deo, sed etiam pro hominibus. Quis enim dubitat, posito in Deo decreto efficaci generali salvos faciendi omnes in gratia perseverantes, posse me cognoscere, quod, si Judas perseverasset in gratia, salvus fieret? Hujusmodi enim futura, quæ subaudiunt in Deo existens actu decretum mixte conditionatum, colliguntur ex eo per illationis necessitatem (6). At decreta, quæ nobis adversarii obtrudunt, respicientia futura conditionata, quæ in præsentem controversiam adducuntur, non continentur virtualiter in alio generali atque

(1) Disp. 71, sect. 7.
(2) Ruiz, ibid., num. 4.
(3) Vide apud Ruiz, ibid., num. 6-9-10-11.
(4) *Timoth.* cap. 2, vers.
(5) Ruiz, ibid., num. 7.
(6) Vide Ruiz, ibid., sect. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

efficaci decreto, et vocantur a Ruiz mere conditionata; eaque tamquam otiosa nec Deo necessaria negari debent (1).

Objic. 3.° Si Deus sciat independenter a suo decreto lapsum Adami fore, posita tentatione, daretur aliqua veritas creata sine voluntate Dei. Atqui hoc absurdum est. Ergo..... Major patet. Nam quod Deus videt independenter a decreto suo futurum esse, illud profecto ante decretum Dei futurum erit. Minor etiam patet. Quia tunc Deus, posita hypothesi, v. gr. tentatione Adami, non posset impedire effectum, videlicet peccatum, atque adeo Deus non posset impedire idipsum, quod Adamus aut quævis alia creatura libera posset impedire. Quis autem non videat id esse contra dominium et omnipotentiam Dei?

Respondeo, *dist.* Major. Si Deus ante decretum videat, peccatum Adami fore ante vel independenter a decreto suo, *conc.* Si sciat quidem ante decretum, non tamen sciat peccatum fore ante, sed post decretum permissivum Dei, *nego.*

Distinguo etiam Minor. Repugnat, ut sit veritas creata, quæ non supponat decretum Dei actuale vel conditionatum, *conc.*; actuale, *subdist.*; si sermo sit de veritate contingentium absolute futurorum, *conc.*; si de veritate conditionate futurorum, *nego.* Et *nego* conseq. Aliud nempe est scire independenter a decreto, Adamum peccaturum esse, et aliud est scire, Adamum peccaturum esse independenter ab omni decreto Dei. Primum asserimus nos, secundum negamus. Aliud est etiam, quod peccatum Adami *esset* independenter a decreto, quod jam *nunc* detur in Deo, et aliud, quod peccatum illud *esset* independenter a decreto, quod *tunc* daretur: primum existimamus esse verum, alterum falsum, ut non semel observatum est.

Majoris probationem simili modo *distinguo*: quod Deus videt futurum esse independenter a decreto, independenter a decreto erit, *conc.*; quod Deus independenter a decreto videt futurum esse, erit independenter ab eodem, *nego.* Et ad **Minorem** respondeo non esse absurdum, quod Deus, posito voluisse creatam voluntatem remanere liberam et dominam sui

(1) Vide Ruiz, disp. 71, sect. 11, num. 5. Cfr ibid., sect 9 per totam. Videatur hac de re Suarez, fuse disputans in *Proleg.* 2 tract. *de Grat.*, cap. 8.

actus in aliquo casu ac in determinatis adjunctis talis auxilii talisve tentationis, non possit impedire peccatum, quod ipsa creata voluntas posset impedire: dominium enim ac libertas voluntatis creatæ postulat, ut sibi relinquatur determinatio sui actus. Neque vero id derogat aut dominio aut omnipotentiæ divinæ. Si enim, Deus quamvis *posset* multis modis efficere, ut voluntas creata non peccet, etiam supposita gravissima tentatione, v. g. negando concursum ad consensum, vel necessitando ad oppositum, sublata libertate, etc., non *vult* adhibere illos modos, per quos impediret peccatum, sed vult permittere illud, sinendo voluntatem creatam se determinare; non exuit se dominio vel omnipotentia sua, sed non *vult uti* absoluta potestate ac dominio suo. Sicut e converso Deus in sententia adversariorum, dum prædeterminat voluntatem, non potest impedire hic et nunc actum illius; nec tamen propterea dicitur se exuisse dominio suo vel omnipotentia (1).

Objic. 4.° Admissa scientia media seu scientia conditionatorum in se ipsis, dicendum est præscientiam divinam pendere ab existentia conditionata futurorum. Atqui pendere ab hujusmodi existentia absurdissimum est et imperfectissimum, non solum respectu Dei, sed etiam respectu cujuslibet intellectus creati; nihil enim pendere potest ab ea re, quæ nunquam *erit*, sed *foret* sub aliqua conditione. Ergo.....

Respondeo, *dist.* Major. Dependeret dependentia propria, importante ordinem effectus ad causam, sive conditionem aut dispositionem, a qua recipit *esse* in aliquo genere causæ, *nego.* Dependeret tamquam a pura conditione præsupponenda, ut divina cognitio repræsentet futura conditionata, *concedo.*

Et contradistincta Minore, *neg.* conseq. Licet dependentia generatim imperfectionem importat, ideoque, si in sensu proprio et usitato accipiatur, negranda sit in scientia divina respectu objecti sui; nihilominus si sumatur in sensu latissimo et improprio, importante meram habitudinem potentiæ ad terminum, circa quem versetur, non implicat imperfectionem, nec est, cur ea deneganda sit præscientiæ divinæ sive absolute sive conditionate futurorum, nam pro

(1) Cfr. Martinez, *Deus sciens*, contr. 4, disp. 4, sect. 1, *Secunda difficultas*.

utrorumque præscientia eadem est ratio. Hujusmodi impropria dependentia tantum abest ab imperfectione, ut e converso sit in Deo infinitæ perfectionis excludentis quamlibet imperfectionem; ea enim provenit ex eo, quod divina scientia non possit versari nisi circa verum nec referre objecta, nisi prout sunt in se; et sic presupponere debet terminum, quem adamussim repræsentet. Si enim sermo sit de cognitione speculativa, in tantum est vera, in quantum conformatur rei repræsentatæ, quæ proinde prius supponenda est, quam idealiter exprimatur per talem cognitionem.

Objic. 5.° Præscientia Dei actualiter est ab æterno; conditionalium vero existentia non est ab æterno, nec etiam unquam erit, sed tantum *esset*, si daretur aliqua hypothesis. Atqui quod non est, nec unquam erit, sed tantum esset, non potest determinare ullo modo intellectum, ut in se ipso videatur. Ergo conditionate futura videri in se ipsis nequeunt, neque etiam ullo modo cognosci, nisi actu supponatur in Deo aliquid, puta decretum æternum, quo viso in cognitionem illorum deveniat.

Respondeo, *neg.* Minor. Nam ex eo solum quod aliquid sub aliqua conditione futurum foret, habet jam determinatam veritatem: id quod sufficit, ut jam ab æterno determinet divinam cognitionem, vel potius id sufficit, ut infinitum lumen intellectuale ex sua infinita perfectione determinatum sit, ut illud repræsentet, nec possit non repræsentare. Neque enim, ut aliquid in se ipso cognosci a Deo possit, requirit aliquam entitatem realem actualem, «quia..., non concurrit ad illam cognitionem ut principium ejus, sed mere terminando: et ad hoc non requiritur actualis existentia, si alioquin in cognoscente sit sufficiens virtus et principium talis cognitionis» (1). Et ita fit etiam, ut ipsa quoque futura absoluta cognoscantur a Deo in se ipsis ab æterno, atque adeo antequam in se existant.

Instabis 1.° Ex eo quod futura conditionata *forent* in certa hypothesi, solum licet inferre, quod in casu *quo forent*, deberent cognosci a Deo, non autem quod actu nunc ab

(1) Suarez, opusc. *de scient. futur.*, lib. 2, cap. 7, num. 15. Vide etiam num. 16.

æterno cognoscantur. Unde in hoc est discrimen manifestum inter futura absoluta et conditionata: illa enim propterea determinant de facto æternam Dei prævisionem, qtia eorum existentia non est suspensa per conditionem, sed absolute futura est realiter in aliqua differentia temporis (1). Confirmatur. Nam quod non *est* determinatum, sed *esset*, non potest determinare, sed tantum *determinaret*, quia eodem modo determinat scientiam, quo ipsum est determinatum. Sed in se non est *nunc* determinatum conditionate futurum. Ergo *nunc* non determinat scientiam divinam, sed determinaret.

Respondeo. Futura conditionata *in casu quo forent*, seu reapse existerent, cognoscerentur a Deo ut *absolute futura*, non vero ut conditionate futura; *nunc* autem cognosci debent tanquam *conditionate futura*, et non ut absolute futura. Ut vero non cognoscantur tamquam conditionate futura, aliud non requiritur, nisi quod in *hypothesi conditionis* futura re *vera essent*. Et ex eo solum quod futura essent, non possunt non cognosci a Deo futura esse, quia si futura essent, habent determinatam veritatem, et consequenter cognoscibilitatem. Videlicet si futura essent, posita conditione *verum* est, quod futura essent; et si verum est, quod futura essent, id est enuntiabile per propositionem aliquam et cognitionem verum. Et declaratur amplius, quia quemadmodum, ut ab æterno Deus videret me scribentem in tempore, non est necesse, ut scriptio mea fuerit ab æterno; sic etiam ut Deus nunc sciat actum conditionate futurum, satis est fuisse futurum, si conditio illa poneretur (2). Discrimen autem, quod in objectione notatur, inter futurum absolutum et conditionatum, solum probat conditionate futurum non posse determinare prævisionem, qua judicetur illud esse absolute futurum, minime vero probat non posse determinare judicium de futuritione solummodo conditionata (3). Quæ cum ita sint,

(1) Vide apud Ruiz, disp. 75, sect. 2, num. 11.

(2) Cfr. Ruiz de Montoya, disp. 76, sect. 4, num. 21.

(3) Vide Ruiz, ibid., num. 12. Cfr. Martinez, *Deus sciens*, controversia 4, disp. 4, sect. 2, in resp. ad *quartam difficultatem*.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ad confirmationem respondeo, *distinguendo* Major. Quod non *est* determinatum, sed *esset*, non determinat scientiam, ut asserat absolute rem de præsenti, *conc.*; ut asserat, quod *esset*, si poneretur conditio vel hypothesis, *nego* (1).

Instabis 2.° In tantum futurum conditionatum *haberet*, supposita conditione existentiam in se ipso, in quantum produceretur in virtute decreti divini. Ergo non potest futurum conditionatum videri in se ipso nisi respiciendo decretum, in cujus virtute produceretur.

Respondeo, *dist.* antec.: in quantum produceretur in virtute divini decreti prædeterminantis, *neg.*; indifferentis seu non natura sua infallibiliter inferentis existentiam futuri conditionati, *transeat*. Tum *neg.* consequens, quia etiamsi actu existens supponatur in Deo hujusmodi decretum, nequit esse medium infallibile, ut jam notatum est inter probationes.

Objic. 6.° Deus omnia cognoscit in se ipso, docente S. Thoma (2). Ergo nihil cognoscit extra se ipsum. Atqui si futura conditionata cognosceret Deus in se ipsis, non cognosceret in se ipso, sed extra se ipsum. Ergo..... Ita Nuñez Cabezudo apud Ruiz (3).

Respondeo, *dist.* Major. Deus omnia cognoscit in se ipso tamquam medio *quo* et quasi motivo formali, cognitionem determinante, *conc.*; tamquam in objecto medio ducente in cognitionem aliorum, *subdist.* Omnia sive possibilia sive absolute existentia, *trans.*; conditionate tantum futura, *nego*.

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Nam licet circa possibilia mens S. Thomæ sit, quod cognoscantur a Deo in se ipso tamquam in medio (4), et licet futura etiam absoluta ex doctrina ejus non uno ex capite dicantur videri a Deo in se ipso (5), nihilominus etiam hæc videri in se ipsis, multoties traditur ab Aquinate, ut paulo ante probavimus (6); id vero multo magis dicendum est de futuris conditionatis,

(1) Vide P. Nicol. Martinez, ibid., ubi plura, si lubet, require.
(2) Vide 1 p., quæst. 15, art. 3, 1.° *Contr. Gent.*, cap. 66 fin., cap. 68 initio.
(3) *De scientia Dei*, disp. 75, sect. 5, num. 4.
(4) Vide supra, num. 52, pag. 153.
(5) Vide supra, num. 86, pag. 285.
(6) Vide supra, num. 88, pag. 299.

utpote quæ nullum decretum divinum actuale requirunt, ut cognosci queant, quod pariter probatum reliquimus.

Cæterum cum S. Thomas data opera non scripserit de scientia conditionate futurorum, sicut scripsit de cæterorum objectorum scientia, nihil nos cogit existimare, quod S. Doctor etiam conditionate futura comprehensa voluisset, cum docuit Deum omnia in se ipso cognoscere.

Objic. 7.° «Quodlibet objectum aut constituitur verum veritate per se nota, aut veritate per aliud nota. Sed conditionaliter futurum non est verum veritate per se nota. Ergo veritate per aliud nota. Quapropter cognosci debet in alio, videlicet in divino decreto: et alioqui non erit cognoscibile». Sane «veritates conditionalium non sunt primæ, et ex se ipsis seu ex terminis cognoscibiles; quia termini earum non habent immediatam et intrinsecam connexionem». «Confirmatur....., quia quam connexionem habent res in se ipsis, eamdem servare debent in cognitione divina» (1).

Respondeo. «Conditionaliter futurum non est verum veritate per se nota, prout per se notum significat prima principia, quorum termini necessario et immediate uniuntur, ideoque nullo modo possunt a priori probari. Nec est per se notum quasi objectum formale, quod ratione sui cognoscitur, et ratione cujus cognoscuntur omnia objecta materialia. Nihilominus idem conditionaliter futurum est per se notum quodammodo in ratione materialis objecti, quatenus ejus realis existentia et veritas conditionaliter futura præsupponitur, ut in se ipsa præsentialiter cognoscatur, simul etiam cognoscendo divinam et humanam voluntatem, a quibus libere causarentur» (2). Et explicari res potest exemplo visionis nostræ, per quam videmus sine medio facta, quæ nequeunt dici enuntiabilia immediata vel veritates per se notæ (3).

Ad confirmationem respondeo. «Quam connexionem res habent in se ipsis, eamdem servare debent in cognitione divina *quantum ad hoc, quod Deus judicet illam, et non aliam*

(1) Apud Ruiz, op. cit., disp. 75, sect. 5, num. 8.
(2) Ruiz, ibid., num. 9.
(3) Cfr. *Logic. Major.*, num. 191, pag. 762 seqq.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

connexionem in rebus esse. De cætero longe diversam connexionem res habent in cognitione divina *quantum ad modum cognitionis*. Quamvis enim fumus ab igne procedat ut a causa, cognitio fumi non procedit a cognitione ignis ut a causa, nec in Deo nec in nobis. Nec hominis cognitio componitur ex cognitione corporis et cognitione animi tamquam ex materia et forma, licet homo his partibus componatur; nec cognitio accidentis inhæret ut subjecto cognitioni substantiæ. Quapropter ut Deus omnia futura, sive absoluta sive conditionata, cognoscat, frustra quæritur causæ cognitio, in qua cognoscatur effectus, cum per se ipsum immediate cognosci valeat, maxime cum nulla sit causa determinata sufficienter, ut ea possit effectus certo cognosci» (1).

Objic. 8.° Admissa scientia conditionatorum in se ipsis independenter a divino decreto, quod actu existat in Deo, α) læditur, vel imminuitur divina omnipotentia et universalissima causalitas Dei, *qui*, teste Apostolo, *operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ* (2): β) læditur summa ejus libertas: γ) læditur summa ejus providentia, quæ independens esse debet ab omni alio extra se: δ) læditur supremum Dei dominium supra creaturas, in quocumque statu considerentur. Ergo rejicienda est scientia media.

Prob. antec. quoad α) et β). Nam supponamus Deum independenter vel antecedenter ad omne decretum suum videre, quod Petrus constitutus in atrio Pontificis in certis adjunctis, timeret, ac negaret Christum, vel quod David si tali die manaret Ceilæ, traderetur a Ceilitis. Quæro, num Deus, stante hujusmodi visione, possit velle oppositum, vel non possit. Si possit velle oppositum, prædicta scientia jam non esset infallibilis antequam consuleret, utrum sua voluntas in ea hypothesi esset volitura; si enim hæc vellet oppositum, nempe quod Petrus non timeret, nec negaret Christum, vel quod David non traderetur Ceilitis, id obtinuisset cum sit omnipotens, et consequenter scientia divina de lapsu Petri ac de traditione Davidis falsificaretur. Si vero stante illa visione conditionatorum, Deus non posset velle oppositum,

(1) Ruiz, ibid., num. 10.
(2) *Ephes.* cap. 1, vers. 11.

divina potentia libertasque voluntatis imminuta manifeste maneat. Tunc enim Deus nec velle nec efficere poterit id, quod ipsa creata voluntas potest velle atque efficere. Nam sicut Petrus in ea hypothesi libere erat peccaturus, ita potuisset non peccare, nec porro peccasset, si voluisset.

Prob. antec. quoad γ). Providentia etiam divina imminuitur in eadem sententia, quia determinationes liberæ pro statu conditionato penitus subtrahuntur a jurisdictione Dei.

Et hinc patet ultimum δ) de dominio Dei, quod valde restrictum apparet, ita Joannes a S. Thoma (1).

Respondeo, *neg.* prorsus antecedens quoad omnia quatuor membra.

Ad probationem α) et β) primi et secundi membri, respondeo *concedendo* Majorem, sed eligo primum membrum, nempe stante scientia conditionata, potest Deus velle oppositum voluntate efficaci. Tum *neg.* Minor. quoad primum membrum.

Nempe in nostra sententia, futuri contingentis scientia præsupponit conditionate decretum divinum concurrendi conferendo omnia, quæ necessaria forent ad existentiam illius futuri ex parte Dei, posita conditione. Nisi enim supponatur, quod Deus non negaret concursum suum Petro, ut in atrio Caiphæ timore perterritus Magistrum suum abnegaret, non posset dari etiam conditionate talis abnegatio, ut patet. Jam vero stante hujusmodi cognitione Petri Christum abnegantis, potuit procul dubio Deus non velle tale peccatum, et sic impedisset illud; sicut in simili casu, stante conditionata visione traditionis Davidis factæ a Ceilitis, non voluit illam, sed impedivit, faciendo ut David fugeret ex illa urbe. An vero dices in hac hypothesi scientiam conditionatam falsificari? Minime sane. Nam posita hujusmodi voluntate contraria Dei, quid tandem fiet? Nihil profecto aliud, nisi quod illud, quod conditionate *futurum erat*, absolute non *sit*, ut apparet in exemplo Davidis, qui re vera traditus non fuit a Ceilitis, quia Deus non voluit, ut traderetur. Licet autem David *de facto traditus non fuit*, semper remanet verum, quod

(1) *Curs. Theolog.*, tom. 1, disp. 10, art. 4, *Inconvenientia alia...*

traditus fuisset, si Ceilæ remansisset, et hoc solum est objectum scientiæ illius conditionatæ.

Dices fortasse, te non loqui de voluntate contraria Dei, per quam de facto impediretur futuritio absoluta conditionati, sed de voluntate contraria, qua impediretur ipsa *futuritio conditionata*, quæ per divinam præscientiam antecedenter ad decretum absolutum in sententia nostra videtur.—Respondeo. Si hæc est vis argumentationis factæ, dicam, Deum non posse hujusmodi voluntatem contrariam habere. Et ratio est, quia tunc Deus haberet duas voluntates contrarias. Si ante scientiam conditionatam supponitur Deus habere conditionate voluntatem concurrendi et ponendi omnia, quæ ex parte sua necessaria sunt, ut actus aliquis a creata voluntate fieret, v. g. ut Petrus negaret Christum in atrio Pontificis, quomodo, stante tali voluntate, est possibilis in Deo voluntas efficax opposita, voluntas nempe, ex qua impediretur conditionata futuritio negationis Petri? Voluntas permittendi negationem concurrendo ad ipsam cum Petro et voluntas impediendi negationem, pugnant inter se in quocumque statu, sive in absoluto sive in conditionato.

Neque vero inde sequitur coarctari divinam libertatem aut omnipotentiam, ut adversarius colligebat, nisi dicamus libertatem atque omnipotentiam Dei extendi ad volendum et faciendum pugnantia. Quod ut melius videas, retorqueo argumentum in ipsum adversarium hoc modo: Quoniam futura conditionata, in ejus sententia, nec sunt, nec cognosci possunt nisi in decreto Dei subjective absoluto et objective conditionata; quæro ab ipso, num stante in Deo scientia conditionata, v. g. negationis Petri, possit Deus oppositum velle, vel non. Si potest, falsificatur divina scientia: si non potest, coarctatur libertas Dei. Quid, quæso, aliud respondebit huic argumento, nisi quod Deus non possit velle oppositum, quia supponitur habere decretum prædeterminandi Petrum ad negationem, ac proide istæ duæ volitiones in Deo pugnarent inter se? Idem ergo nos etiam respondemus, supposita in Deo voluntate conditionata concurrendi cum creata voluntate.

Ad illud vero, quod in fine probationis opponebatur, quod absurdum sit, Deo integrum non esse velle ac facere id,

quod creata voluntas ex sua libertate potest velle ac facere; jam superius respondimus, *negando*. Supposito enim, quod Deus ab æterno decrevit permittere creaturæ, ut utatur dominio suo, eligendo quidquid voluerit, et constituere illam in talibus adjunctis, in quibus illa libere vellet eligere malum, in sensu composito talis decreti, quo permittitur hic et nunc eligere malum, jam Deus ligatam habet suam voluntatem, non quidem ex impotentia vel imperfectione, sed ex perfectione suæ immutabilitatis.

Jam ad probationem γ) antecedentis, respondeo *negando* suppositum, quod providentia Dei sit de futuris in statu conditionato existentibus; nam providentia respicit ea, quæ actu aliquando existent. Itaque contingentia conditionate futura non subjacent, prout talia, actuali providentiæ divinæ, sed tamen serviunt eidem maximo opere, ut ostendimus in probationibus. Subjacerent autem omnino, si a statu conditionatæ futuritionis transirent in statum futuritionis absolutæ per voluntatem Dei. Cæterum non est inconveniens conditionate futura non subjacere actuali providentiæ Dei, sicut non est inconveniens pure possibilia eidem providentiæ non subjacere.

Ad probationem δ) respondeo pariter *negando*, ut patet abunde ex dictis.

Objic. 9.° In sententia scientiæ mediæ, nequit explicari, quomodo efformetur objectum illud conditionatum, ad quod talis scientia terminetur. Nam in ea sententia, ut jam apparet ex dictis, «Deus cognoscit, quod Petrus faciet hoc, si in tali occasione ponatur, *et similiter si habuerit concursum Dei, ita quod Deus non suspendat illum*. Posito autem concursu ex parte conditionis, objectum redditur necessarium, pertinetque ad scientiam simplicis intelligentiæ; si enim ponatur concursus Dei, est omnino veritatis necessariæ, quod talis effectus fiat. Si vero concursus Dei non ponitur pro conditione, non potest Deus videre effectum futurum, si enim concursum suspendat, nihil fiet». Ita M. Joannes a S. Thoma (1).

(1) *Curs. Theolog.*, tom. 1, disp. 20, art. 4 vers. fin., *Specialis difficultas*...

«Hæc difficultas, pergit idem Auctor *mordet acriter defensores scientiæ mediæ*. Et dividuntur: quidam docent, objectum scientiæ mediæ formari ex ipso actu vel effectu sub conditione posito et ex concursu Dei indifferenti ad unam partem et ad oppositum, ad consensum vel ad dissensum, et consequenter ex decreto indifferenti offerendi utrumque concursum: alii vero formari ex concursu Dei jam determinato, v. g. pro consensu determinate, vel pro dissensu determinate, et ex decreto dandi talem determinatum concursum. Et primi putant sine indifferenti concursu destrui objectum scientiæ mediæ...; secundi vero putant, stante indifferenti concursu ex parte conditionis requisitæ, non poni infallibilitatem in scientia media...» (1).

Respondeo facile cum P. Nicolao Martinez, *negando* assert. Ad probationem, *dist.* primum membrum Minoris. Posito concursu Dei *in actu primo* ex parte conditionis, objectum conditionatum redditur necessarium, *nego*; posito concursu Dei *in actu secundo* ex parte conditionis, *conc.* *Nego* alterum membrum *Minoris*, quod nempe si concursus Dei non ponitur ex parte conditionis, non potest Deus videre effectum futurum.

Ratio vero adjuncta nihil evincit, quia quamquam verum est, quod, suspendente Deo concursum, nihil fiet; nihilominus Deus etiam videt per scientiam mediam, utrum, posita conditione, ipse negaturus esset concursum, necne, ut tenet longe communior nostrorum sententia.

Rem totam sic dilucide explicat P. Nicolaus Martinez: «Suppono nomen hoc, *concursus Dei*, significare tum concursum Dei in actu primo, tum concursum Dei in actu secundo. Concursum Dei in actu primo est decretum seu voluntas seu actus Dei offerens voluntati indifferenter concursum suum in actu secundo, determinandum ab ipsa voluntate ad bonum vel ad malum, prout libuerit eligere. Concursus in actu secundo est ipsa causalitas actioque Dei identificata cum actione voluntatis eligentis bonum, aut causalitas actioque Dei identificata cum actione ejusdem voluntatis eligentis malum. Hinc constat concursum Dei in

(1) Magister Joannes a S. Thoma, ibid.

actu primo non inferre potius actum bonum, quam malum, consensum, quam dissensum nostræ voluntatis, quia talis concursus in actu primo est indifferens ex se, et determinandus in actu secundo a voluntate. Concursus vero in actu secundo non est indifferens ad bonum actum et ad malum, ad dissensum et consensum; sed qui est, et deservit in actu secundo ad malum, non potest deservire ad bonum, et qui ad bonum, non potest deservire ad malum. Posita hac distinctione concursus in actu primo et in actu secundo, alterius quidem indifferentis ad bonum et malum, alterius determinati ad bonum vel determinati ad malum;

«Tripliciter potest considerari et exponi hypothesis et objectum scientiæ mediæ. Primus indubitanter rejicitur ab omnibus nostris Doctoribus defendentibus scientiam mediam, nullo excepto. Secundus modus indubitanter recipitur ab omnibus iisdem, nullo excepto. Tertius modus ab aliquibus ex nostris non admittitur, sed ab aliis magis communiter admittitur, quibus nos assentimur,

«Primus modus est, si concursus Dei in actu secundo ad actum bonum vel ad actum malum ponatur ex parte hypothesis: et hic modus rejicitur uno ore ab omnibus ab objecto scientiæ mediæ; non quia conditionalis non sit vera determinate, sed quia necessario vera. Nam ex hypothesi includente concursum in actu secundo, infallibiliter ac necessario et essentialiter infertur futurum actum bonum. v. g. *Si Deus concurrat in actu secundo ad consensum cum voluntate creata Petri, Petrus consentiet.* Hujusmodi autem conditionales necessariæ veritatis, et non contingentis et liberæ, pertinent procul dubio ad scientiam simplicis intelligentiæ; ideoque cognoscuntur a Deo ante omne decretum liberum, tam in nostra, quam in adversariorum sententia, quibuscum de his conditionalibus numquam fuit, et ut spero, nunquam erit disputatio.

«Secundus modus est, si ex parte hypothesis involvatur concursus Dei in actu primo cum cæteris prærequisitis constituentibus actum primum proximum libertatis creatæ, qui apud nos debet esse indifferens ad utrumque et compossibilis cum utroque extremo contradictionis: v. g. *Si vocavero Petrum, et illi exhibuero per decretum indifferens meum concursum,*

ipse consentiet. Et hic modus componendi hypothesin ab omnibus nostris Auctoribus defendentibus scientiam mediam addmittitur, quem explicuit P. Vazquez citatus ab adversario in eodem loco, quem citat, ut necesse sit dicere noluisse intelligere, ut impugnaret. Quando enim Vazquez ait, hanc conditionalem: *Si vocavero Petrum, et cum illo concurrero, ipse consentiet*, pertinere ad scientiam mediam, per illud verbum: *concurrero*, intelligit concursum in actu primo expresse; sic enim immediate dixerat: «*Nilominus dicendum est, ita Deum certo cognoscere futura sub conditione, ut etiam sub conditione intelligatur Dei decretum de concurrendo cum arbitrio*». Hæc Vazquez (1). Decretum autem concurrendi non est concursus in actu secundo, sed concursus in actu primo. Nec propterea dicimus, ut imaginatur prædictus auctor, per illum actum scientiæ mediæ a Deo non videri concursum in actu secundo determinatum. Videt quidem, sed non est idem videri, ac importari ex parte hypothesis. Nam ipse actus voluntatis consentientis videtur, et non importatur ex parte hypothesis. Uterque ergo concursus importatur, concursus in actu primo ex parte hypothesis, concursus in actu secundo ex parte conditionati. Ille est indifferens ad bonum et malum, hic determinatus, quia est ipse actus secundus, qui fieret a voluntate. Quid clarius dici potest?...

«Tertius modus est, si ex parte hypothesis importetur vocatio v. g., sed non importetur decretum Dei de concurrendo. Et hic modus ab aliquibus admittitur ex nostris, ab aliis non admittitur. Qui negant Deum cognoscere per scientiam mediam suos actus liberos [scientia media reflexa (2)], negant etiam Deum cognoscere, an, posita vocatione,

(1) In 1.am p., disp. 67, cap. 4, num. 22.

(2) Scientia media dividitur sin *directam* et *reflexam*: quarum prima circa conditionata creaturis immediate libera, secunda vero circa conditionata Deo immediate libera versatur. Hinc per scientiam mediam directam cognoscit Deus, quid sua libertate creatura operaretur, si ipse eam in talibus vel talibus rerum adjunctis hoc vel illo auxilio instructam per suum decretum constitueret: per scientiam vero mediam reflexam videt, quid ipse sua libertate decerneret, si creatura aliqua his vel illis auxiliis ad agendum excitata et adjuta in determinatis rerum adjunctis sua propia libertate ageret. Scientiam

ipse ponet concursum suum in actu primo indifferentem, quia concursus hic est actus solius voluntatis divinæ. Qui vero concedunt tam Deum nostros, quam suos actus cognoscere ut conditionate extituros per scientiam mediam, concedunt etiam Deum cognoscere, an, posita vocatione, ipse obtulisset suum concursum oblatione indifferenti. His auctoribus nos assentimur, qui sunt fere omnes defensores scientiæ mediæ, paucis exceptis; et ideo cum communissima sententia dicimus Deum cognoscere, an, posita vocatione, ipse ex parte sua habuisset decretum oblativum concursus. Et si videt se illum habiturum, videt etiam, an voluntas illo esset usura determinando se ad bonum an ad oppositum: et utrumque videt per scientiam mediam. Si autem videt se non habiturum tale decretum, videt etiam voluntatem carituram libertate ad utrumque extremum. Et in hoc sensu locutus est P. Arrubal (1), quem citat adversarius, explicans modum duplicem conditionalium, alterum, in quo ex parte hypothesis importatur vocatio et voluntas Dei de concurrendo; alterum, in quo ex parte conditionis importatur sola vocatio, et ex parte conditionati tum voluntas Dei indifferenter offerens concursum, tum consensensus creaturæ» (2).

mediam directam ut monstrum horrendum ingensque oppugnant Banneziani, prædeterminationum physicarum ardentissimi assertores; unanimi autem consensu defendunt Congruistæ, juxta quos verum ac reale monstrum est prædeterminatio physica humanæ libertatis eversiva. Scientia media reflexa displicet, præter Thomistas, aliquibus e Nostris cum Molina (in 1 p., quæst. 14, art. 13, disp. 17, et *Concord.* quæst. 14, art. 13, disp. 50) qui et libertati Dei adversam putat, et ex eo etiam capite repugnare docet, quod non se Deus supercomprehendat, sed simpliciter comprehendat. Suarezius tamen (lib. 2, *de scient. conting.* cap. 8), Vazquez, (in 1 p., disp. 67), et nostri generatim eam tuentur. Mendive, *De Deo uno*, num. 208, pag. 134, 325. Verum de scientia reflexa non est nostrum hic disputare: videri possunt Theologi nostri.

(1) Disp. 47, cap. 5, num. 8.

(2) Martinez (*Deus sciens*, contr. 4, disp. 4, sect. 2, in respons. ad quintam difficultatem). Cfr. Viva (*De Deo*, disp. 3, quæst. 6, in resp. ad Confirmat. Object. 4.m) cum Haunoldo et Mauri ibi citatis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vide ergo, quam parum *mordeat* nos difficultas illa specialis M. Joannis a S. Thoma, quamque falso imputentur auctoribus nostris doctrinæ ac discordiæ imaginariæ (1).

Objic. 10.° Futura conditionata cognosci nequeunt, nisi habeant determinatum *esse*. Atqui determinatum *esse* non possunt habere nisi in virtute alicujus decreti divini. Ergo...

Respondeo, *conc.* Major., *dist.* Minor. Futura contingentia nequeunt habere *esse* determinatum nisi in virtute decreti divini, quod actu absolute ex parte Dei debeat existere, *neg.*; quod existeret, si daretur conditio, *concedo*. Nam sicut per adversarios licet conditionate futurum non existeret nisi per operationem voluntatis ac præmotionem physicam, non est necesse, ut jam nunc existat voluntas et præmotio physica, unde tale futurum existeret, sed sufficit, ut data conditione, existeret etiam voluntas et præmotio; ita per nos, ut conditionatum *esse* determinatum habeat, non requiritur actu esse decretum divinum.

Objic. 11.° Scientia media dicitur talis inter scientiam simplicis intelligentiæ ac visionis. Atqui inter has duas nequit dari ulla media. Ergo omnis scientia adæquate dividitur in duo illa membra. Nam scientia simplicis intelligentiæ respicit possibilia, visionis autem scientia respicit existentia. Atqui inter possibile et existens nihil datur medium. Ergo...

Respondeo 1.° Quæstionem hanc esse de puro nomine, cum tota huc revocetur, utrum scientia conditionatorum revocanda sit ad scientiam simplicis intelligentiæ vel visionis, vel sit alia diversa: manifestum autem est, quidquid hac in controversia dicatur, posse firmam remanere doctrinam de existentia scientiæ conditionatorum.

Respondeo 2.°, *conc.* Major., *neg.* Minor. Ad probationem, *conc.* Major., dist. Minor. Inter possibile et existens sive absolute sive conditionate non datur medium, *conc.*; inter possibile et absolute existens non datur medium, *subdist.*; quoad ipsum *esse* reale, *conc.*; quod cognoscibilitatem, *nego*. Nam licet in rerum natura omne ens aut actu existit in aliqua temporis differentia, aut est pure possibile,

(1) Alias difficultates theologicas, quas fuse urget idem Joannes a S. Thoma, dissipat Martinez in citata contr. 4, disp. 4, sect. 3 seqq.

certum est, quod res non solum sunt cognoscibiles secundum *esse* pure possibile, et secundum *esse*, quod actu erit aliquando, sed etiam secundum *esse*, quod, licet non erit absolute, *foret* tamen, si poneretur aliqua conditio. Et hæc vocantur claritatis ac distinctionis gratia futura conditionata.

Instabis 1.° Inter contradictoria non datur medium. Atqui scientia naturalis et libera proprietatibus gaudent contradictoriis. Ergo inter scientiam Dei necessariam et liberam non datur alia media.

Respondeo, *conc.* Major., *dist.* Minor. Si nomine scientiæ liberæ comprehendatur illa, quæ determinatur ad enuntiabilia, quæ potuerunt aliter esse per quamcumque potentiam, sive divinam, sive creatam, *conc.*; si scientia libera non tanta amplitudine sumatur, *nego*. Nam illam summam amplitudinem scientiæ liberæ jure partiri possumus in duas, alteram limitatam ad objecta, quæ voluntas creata de facto poterit impedire in aliqua differentia temporis, et de facto libere producet, quæ proinde non solum creatæ voluntati, sed etiam Deo sunt liberæ, et hanc dicimus esse scientiam visionis stricte sumptam, inter quam et scientiam naturalem mediat alia pars scientiæ liberæ respicientis ea tantum objecta, quæ voluntas de facto nunquam producet, nec de facto poterit impedire, sed produceret et posset impedire, si talis conditio poneretur, licet Deus non posset impedire sub eadem conditione: quæ scientia nullo modo est libera Deo, sed tantum arbitrio creato libera est, non propter id quod libere faciet, sed propter id quod libere faceret.

Instabis 2.° Scientia Dei vel antecedit omnem liberam determinationem Dei, vel subsequitur: et iterum inter hæc duo non datur tertium. Si primum, est necessaria; sin alterum, visionis. Ergo...

Respondeo, *conc.* Major., et *dist.* Minor. quoad 1.um membrum. Si scientia Dei antecedit omnem liberam determinationem, quæ vel actu existat et absolute ex parte Dei, vel quæ licet actu non existat, existeret tamen in aliqua hypothesi, est necessaria, *conc.*; si scientia Dei antecedat quidem liberam determinationem, quæ actu sit, sed tamen præsupponit liberam determinationem, quæ foret in aliqua hypothesi, *nego*. *Distinguo* etiam 2.um membrum Minoris: si scientia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dei subsequitur liberam determinationem, quæ actu sit in Deo, *conc.*; quæ actu non sit, sed foret in aliqua hypothesi, *nego*. Et *nego* conseq.

Instabis 3.° Omnis notitia vel est intuitiva vel abstractiva: nec datur tertium genus intermediæ scientiæ. Atqui omnis abstractiva est simplicis intelligentiæ et omnis intuitiva visionis. Ergo.....

Respondeo, *dist.* Major. Si nomine abstractivæ notitiæ sumatur scientia respiciens res, non prout actu existentes, sed solum prout capaces existentiæ, ac nomine intuitivæ generatim scientia omnis respiciens res, prout actu existentes, sive absolute sive conditionate, *conc.*; si nomine notitiæ abstractivæ intelligatur illa, quæ considerat res prout possibiles, intuitivæ autem nomine illa, quæ considerat res, prout absolute existentes pro aliqua temporis differentia, *nego*. *Transeat* Minor, et *nego* conseq. (1)

Objic. 12.° Scientia media dicitur esse libera ex parte voluntatis creatæ, ac necessaria ex parte Dei. Atqui hoc absurdum penitus videtur. Nam α) omnis creata libertas participatur a libertate Dei. Ergo quod non est liberum Deo, non est liberum creaturæ. β) «Ex terminis videtur absurdum, aliquid contingens et creatum non esse sub libera potestate Dei. Ergo absurdum erit concedere, quod Deus non posset efficere, ut voluntas creata non esset volitura illud, quod præscit esse volituram». γ) «Inde sequeretur omnes volitiones creatas fortuito et casualiter evenire comparatione divinæ providentiæ» (2).

Respondeo, *neg.* Minor.

Ad probationem α), *dist.* antec.: omnis creata libertas participatur ab increata libertate, quatenus creatura ex libera voluntate Dei, habet omnia, quæ requiruntur, ut libere possit velle, ac porro velit, *conc.*; quatenus etiam hisce omnibus ex parte Dei præsuppositis, æque liberum sit Deo ac creaturæ operatio hujus in omnibus adjunctis, *nego*.

Et sub hac explicatione *nego* conseq. Non potest dari libertas creata, nisi a Deo creetur potentia libera, et a Deo

(1) Vide de his Ruiz, disp. 76, sect. 3.
(2) Apud Ruiz, disp. 76, sect. 4, num. 3.

etiam tamquam a causa prima et principali actus liber creaturæ procedat. Cum hoc tamen bene stat, quod, posito Deum creavisse me, ac præparasse omnia, quibus egerem ad scribendum, ac decrevisse etiam ab æterno concurrere mecum, relinquendo nempe scriptionem arbitrio meo; si ego, vellem scribere, jam non esset integrum Deo in sensu composito horum omnium, ut ego non scriberem, quia, hisce omnibus præsuppositis, jam nequiret impedire scriptionem meam, nisi in virtute novi alicujus decreti contrarii præcedentibus. Et nihilominus ego etiam in sensu composito horum omnium libere adhuc scriberem, et possem impedire scriptionem meam.

Ad probationem β), *dist.* antec. Ex terminis absurdum videtur, aliquid contingens et creatum non esse sub libera potestate Dei, absolute et nulla facta suppositione, *conc.*; facta suppositione, quod Deus libere voluerit talia auxilia, tales circumstantias concursumque præbere, quibus in potestate voluntatis creatæ relinqueret electionem ac determinationem, *nego*. «Id enim absurdum non est, sed opus proprium infinitæ sapientiæ atque potentiæ producentis liberum arbitrium ad sui imaginem.» Sic etiam in visione absolute æterna, quam Deus habet hujus scriptionis meæ, idem apparet in omnium sententia; nam suppositis omnibus illis, quæ requiruntur, ut ego sim in actu primo proximo constitutus ad libere scribendum, Deus non potest efficere, ut ego non scribam, quamdiu volo scribere, et nihilominus possum ego non scribere in illo priori.

Ad probationem γ), *nego* assertum (1).

Accusatio novitatis adversus mediam scientiam jactata

Objic. 13.° Scientia media prorsus novam doctrinam continet, antiquitati incognitam, ut ipsemet Molina fatetur (2) et Vazquez (3). Atqui novitatis vitium caute fugiendum est, potissimum in re adeo connexa cum sacrosancta Fide. Ergo... Novitatem scientiæ mediæ agnovit etiam P. Claudius Tiphanius

(1) Vide hæc et plura alia apud Ruiz, disp. 76, sect. 4, num. 4 seqq.
(2) Vide *Concord.*, quæst. 23, art. 4, et 5, disp. 1, membro ultimo in fine *Longior fui*....
(3) In 1.um p., disp. 67, cap. 4, num. 27.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

e Societate Jesu, cum scripsit «nullum alium Theologum ante Molinam, ne per somnium quidem, de scientia media cogitasse, nec eam ullibi supposuisse vel adhibuisse ad ullam sive Scripturæ sive Theologiæ Scholasticæ difficultatem expendendam» (1).

Disputatur. **Respondeo 1.°** Retorqueo argumentum contra sententiam PP. Prædicatorum in hac materia. Quis enim inter Sanctos PP. et Doctores Ecclesiæ vel inter Scholasticos docuit cognitionem conditionatorum in decretis subjective absolutis et objective conditionatis ante M. Didacum Alvarez vel M. Zumel? Si ergo nova est scientia media, nova est etiam minimeque in antiquitate fundata doctrina adversariorum.

Respondeo 2.° dist. Major. Scientia media continet novam simpliciter doctrinam, id est, novam quoad ipsam substantiam et principia doctrinæ, *neg.*; novam secundum quid, nempe secundum nomen et expressiorem ac ordinatam declarationem eorum, quæ jam in antiquitate virtualiter simpliciterque continebantur, *concedo*.

Et *contradist.* Minore, *nego* conseq. Duplex apprime notanda et distinguenda est novitas; altera respicit substantiam, altera doctrinæ accidentia. Prima in eo consistit, quod doctrina aliqua nec implicite contineatur in sacris litteris vel Traditione vel in libris antiquorum Scholasticorum. Talis est novitas in hæresibus, et generatim in omnibus doctrinis, quæ dogmatibus Ecclesiæ repugnant, quas propterea et *profanas novitates* vocat, et fugiendas docet Apostolus (2). A qua novitate non satis recedunt, quæ non possunt sufficienter probari, nec per validam rationem ex antiquitate derivari. Et hujusmodi novitas Catholicis optimo jure suspecta semper fuit periculosa et fugienda: eamque solebant Patres objicere contra nascentes hæreses (3). Altera novitas respicit vel solum nomen, qualis fuit novitas vocis *omousion* inducta a Patribus Nicænis, vel formulæ, *qui ex Patre Filioque procedit*, additæ Niceno Symbolo, vel evolutionem et expressam

(1) *Libr. de Ordine deque Priori et Posteriori*, cap. 25.
(2) *Timoth.*, cap. 6, vers. 20.
(3) Vide apud Ruiz, *de scientia Dei*, disp. 60, num. 1 seqq.

declarationem eorum, quæ implicite et in semine continentur in antiquis dogmatibus ac doctrina, licet vel expressa ejus mentio saltem eo ordine ac modo nullibi reperiatur in antiquitate. Has novitates, quando rationabili causa inducuntur, non esse reprehendendas docent diserte Patres (1), immo necessarias esse posse persuadet historia præteritorum seculorum, in quibus pro temporum necessitate non pauca in particulari et expresse credenda proposita fuere ab Ecclesia Catholica, quæ prius solum implicite continebantur in sacro Fidei deposito. Sufficiat unum meminisse dogma Immaculatæ Deiparæ Conceptionis.

Jam scientia media nullam habet doctrinæ novitatem quoad substantiam. In primis enim quantum attinet ad cognitionem infallibilem futurorum conditionatorum, quod est primum elementum illius, jam supra monuimus, eam esse doctrinam communissimam in antiquitate, et expresse contineri in Sacris Litteris ac Patribus ostendunt fuse Theologi nostri. Quod vero hæc futura conditionata Deus non videat in suis decretis subjective absolutis, patet primo, quia silet antiquitas universa de hujusmodi decretis. Fuerunt quidem nonnulli, ut suo loco notavimus, qui decreta divina assignarent pro medio cognoscendi contingentia absolute futura, sed pro conditionate futuris nullus, quem ego sciam, allegatur anterior sæculo decimo sexto inclinante, qui tale cognitionis medium proponeret. Deinde, quoniam decreta illa, si non sunt prædeterminantia, nequeunt esse medium infallibile, si vero sunt prædeterminantia, videntur penitus exscindere creatam libertatem, et facere etiam Deum auctorem peccati, ut mox. Deo favente probabimus; jure concluditur prædicta decreta novam continere doctrinam, quæ non satis apparet, quomodo conærere possit cum certissimis Fidei dogmatis. Hinc eodem jure colligitur futura conditionata non posse cognosci nisi in se ipsis, modo exposito, neque, enim exclusis decretis, aliud satis aptum medium excogitari adhuc potuit. Id quod confirmatur etiam ex affinitate cum futurorum absolutorum cognitione, quæ, docente diserte Angelico Doctore aliisque bene multis, videntur a Deo in se ipsis.

(1) Quos vide apud Ruiz, ibid., disp. 60, num. 7 seqq.

Quæ cum ita sint, etiam hoc alterum caput doctrinæ scientiæ mediæ, sin minus explicite, virtualiter certe atque implicite in antiquitate continetur, quandoquidem necessarium prorsus videtur ad conciliandam certitudinem divinæ scientiæ cum creata libertate. Quomodo erit contra sacram et antiquitatis doctrinam, quoad substantiam, ille modus scientiæ, qui dogmata Fidei egregie declarat, atque ab omnibus, sive veterum sive recentium hæreticorum telis protegit?

Denique idem dicendum est de usu scientiæ mediæ ad exponenda dogmata divinæ providentiæ, prædestinationis atque efficacis gratiæ. Nihil ergo novi quoad substantiam doctrinæ inest in scientia media.

At Molina et nostri auctores quæstionem de scientia conditionata, nunquam antea peculiari disputatione discussam, pertractarunt, expeditis singillatim ejusdem difficultatibus. Tum doctrinam de scientia media, firmissimo argumentorum robore stabilitam, ad dogmata providentiæ, prædestinationis, gratiæ efficacis libertatisque enucleanda adhibentes, tale systema composuerunt, quo et veritates abstrusissimæ, quantum assequi licuit humano ingenio, illustrarentur, et dogmata quæ pugnare inter se videri possunt, in concordiam redigerentur, ac demum novatorum pestiferi errores, qui plurimorum mentes invaserant, penitus profligarentur. Et basi ac fundamento hujus integri systematis nomen fecerunt scientiæ mediæ, probe scientes, quod *licet cuicumque rei cognitæ, quæ nullum habeat usitatum nomen, quodlibet nomen imponere*, ut scribit S. Augustinus (1); cum potissimum non desint probabilissimæ rationes, quas superius proposuimus, ad illud nomen imponendum scientiæ conditionatorum. Tota ergo novitas ab auctoribus nostris inventa pure accidentalis est minimeque reprehendenda. Si enim non licet in Theologia doctrinam aut certam aut solidissime fundatam assumere ad aliorum dogmatum illustrationem, interdicendus penitus erit usus systematum in sacra disciplina, immo delenda est universa Scholastica Theologia (2).

(1) Lib. *Octoginta quinque Quæstion.*, quæst. 46, sub initium.

(2) Plura de his apud P. Ruiz de Montoya, *De scient. Dei*, disp. 60, et disp. 76, sect. 6.

Et in hoc sensu scripsit Vazquez antiquos Scholasticos nihil omnino disputasse, aut meminisse hujus scientiæ mediæ (1), quia, ut ipsemet paulo ante dixerat (2), ex professo non tractarunt hanc controversiam, ideoque noluit eorum auctoritate nostram doctrinam confirmare, contentus *manifestis et Scripturæ et Patrum testimoniis et perspicua ratione* (3).

Idemque manifeste ostendit Molina, cum scripsit suam rationem conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione a nemine, quem ipse viderit, prius traditam esse (4), nempe tam expresse et enucleate. Sic enim in alio opere loquitur: «Auctores..., cum quibus disputamus...., inde rejiciendam censent mediam scientiam, quod tam facile ac dilucide ex eo capite omnia consentiunt, cum tamen SS. Patres tantopere in illis conciliandis laboraverint, semperque exactam libertatis arbitrii cum iliis quatuor (præscientia, providentia, prædestinatione ac reprobatione) et cum divina gratia conciliationem, tamquam unum e difficillimis existimaverint. At profecto cum verum vero consonet, a falso autem cito discrepet verum; quod tam facile ac perspicue illa quatuor ex capite præscientiæ mediæ cum arbitrii libertate cohæreant, signum est manifestum nos integram legitimamque rationem conciliandi ea omnia tradidisse. Quod si a Fidei dogmatibus, a SS. Patrum Doctorumque catholicorum intento aut ab eorumdem indubitatis sententiis, vel tantillum in nostra hac via ea omnia conciliandi discreparemus, jure sane suspecta haberi posset. Cæterum *quod in labores eorum introeuntes totque concertationibus et egregiis aliorum dictis atque inventis illustrati, dilucidius aliquantulum radicem attigerimus, unde hæc omnia consentiant, et difficultates omnes facile enodentur*, atque a tringinta annis (5) in privatis et publicis disputationibus, a viginti vero in nostris ad *Primam partem* commentariis eam sub nomine scientiæ

(1) In 1.am p., disp. 67, cap. 4, num. 27.

(2) Ibid., num. 10, in fin. cap. 2. Cfr. cap. 1, initio.

(3) Ibid., cap. 2, num. 10.

(4) In *Concord.*, quæst. 23, art. 4 et 5, membr. ultim. in fine.

(5) Edita sunt hæc typis Conchæ anno 1592.

UNIVERSIDAD ANTONIO DE NEBRIJA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturalis idcirco tradiderimus, quod libera in Deo non sit, omnemque divinæ voluntatis liberum actum antecedat; novissime autem exactius, quam unquam antea, sub nomine scientiæ mediæ eadem in nostra docuerimus *Concordia*; nemo sane potest jure id nobis vitio vertere. Præsertim cum *SS. Patres, quamvis neque distinctione scientiæ liberæ et naturalis in Deo, quod recorder, sub eis verbis fuerint usi, neque item scientiæ mediæ inter liberam et mere naturalem, unanimi tamen consensu docuerint ea contingentia futura, quæ a nostro arbitrio pendent, non idcirco futura esse, quia a Deo futura præsciuntur, sed idcirco Deum, quia Deus est, hoc est altitudine sui intellectus supra illorum naturam illa futura cognovisse, quia ita pro arbitrii libertate erant, futura, ut disputatione præcedente a nobis relatum est. Et cum iidem etiam Patres ex hoc ipso capite unanimi consensu nostri arbitrii libertatem cum divina præscientia cohærere docuerint*, si tam quæ disputatione præcedente, quam disputatione tertia et alibi ex ipsismet Patribus relata sunt, consulas: *quæ plane non aliud sunt, quam scientiam mediam, si non nostris verbis, re tamen ipsa affirmares* (1).

Ex quibus etiam patet, quid veri vel falsi contineatur in assertione P. Claudii Tiphanii (2).

(1) Ludovic. Molina, in 1.am p., quæst. 14, art. 13, disp. 18, membr. 2. *Auctores præterea*...

(2) Auctoribus vero et Romanis Theologis, quos Joannes a S. Thoma (in 1.am part. quæst. 14, disp. 20, art. 6) laudat tamquam Molinianæ doctrinæ de media scientia infensos, possemus multos alios opponere. Verum de his et de judicio Pauli V, Pontificis Maximi circa controversiam de Auxiliis nuper a P. Schneemann primum edito, inferius agendum erit in disputatione de divino concursu.

CAPUT VI

DE IDEIS EXEMPLARIBUS DIVINIS

Exemplar externum

Postrema jam restat de divino intellectu controversia, ideas exemplares Dei respiciens. Quid sit idea et exemplar alibi declaravimus (1). Nimirum duplex distinguitur exemplar, internum et externum. Externum est res extra mentem posita, quam quis imitandam sibi proponit; internum vero est similitudo operis faciendi prælormata in mente artificis aut operantis, sine qua proinde externum exemplar nihil prodest. Neque enim res externa potest imitatione exprimi, nisi prius forma illius mente concipiatur, atque idealibus quasi coloribus ac lineamentis depingatur. Internum istud exemplar vocari solet *idea* non sane sumpta pro cognitione generatim, quemadmodum passim a recentioribus accipitur, sed pro cognitione practica, quæ fuit vis hujus vocis apud veteres Scholasticos multo communius usurpata (2). De hac dea nunc prima instituenda est quæstio (3).

et internum.

ARTICULUS I

Utrum admittenda sit in Deo idea exemplaris.

Recolenda ex Ontologia.

106. Ideam esse veri nominis causam, videlicet causam exemplarem, aliasque controversias ad naturam ejus pertinentes in *Ontologia* tractatas reliquimus, ubi etiam dubium illud proposuimus, utrum idea exemplaris sit conceptus formalis, an objectivus: qua de re disputabant prisci sapientes (4).

(1) Vide *Ontolog.* num. 425, pag. 1191 seqq.

(2) Cfr. *Psycholog.* vol. 3.tium, pag. 676. Vide S. Thomam, 1.am dist. 36, quæst. 2, art. 1.

(3) Varia nomina, quibus exemplaris idea designatur, videre potes erudite exposite apud P. Didacum Ruiz de Montoya, *De scient. Dei*, disp. 81, sect. 1.

(4) *Ontolog.* num. 428, pag. 1195.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Utrum idea exemplaris, sit conceptus objectivus, an formalis.

Verum si supponamus conceptum formalem et objectivum re non distingui, sed unum eumdemque mentis actum prout in se atque entitative spectatum dici formalem conceptum, objectivum vero, quatenus relative consideratur seu prout est intentionalis objecti repræsentatio; componi fortasse poterit dissidium. Nam saltem plures eorum, qui exemplarem ideam describentes, actum ipsum divinæ mentis indigitarunt, intelligendi esse videntur non de conceptu subjective aut entitative, sed objective considerato; nam res singulæ creatæ imitantur ideam divinam, secundum quod est repræsentatio earum.

Idea pertinet, prout hic sumitur, ad scientiam practicam, et quomodo definiri queat.

Idea ergo pertinet ad cognitionem vel scientiam practicam (1), cujus notionem superius enucleatam reliquimus (2), ac definiri potest, ut in *Ontologia* exposuimus, cum S. Thoma (3), forma mente præconcepta, ad cujus imitationem aliquid fit per se et ex intentione agentis. Ea enim est forma, quam artifex respicit, dum operatur id, quod animo destinaverat, ut Seneca loquitur (4). Vocem *ideam* primum invectam esse a Platone referunt Cicero (5) et S. Augustinus (6), qui tamen non dubitavit, quin res jam ante ab aliis sapientibus nosceretur (7). Utrum autem Plato reapse voluerit ideas esse formas quasdam ortus et interitus expertes atque a rebus ipsis singularibus separatas et extra omnem intellectum existentes, quemadmodum retulit Aristoteles; disputant veteres scriptores (8), nec quidpiam interest, ut hic a nobis definiatur.

Quid differunt idea, ratio et exemplar.

Prius autem quam proposito dubio respondeatur, juvat aliquid observare circa vim vocum *idea*, *ratio et exemplar*, quæ non raro promiscue usurpantur, vel certe ad res valde

(1) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 15, art. 3; *de verit.*, quæst. 3, art. 3.

(2) Vide supra, num. 16, pag. 45 seqq. Cfr. *Logica Major*, num. 254, pag. 987 seqq.

(3) *De verit.*, quæst. 3, art. 1.

(4) Seneca, epist. 66.

(5) *Tusculanar.* lib. 1.

(6) In lib. *Octoginta trium quæstionum*, quæst. 46.

(7) Qua de re lege P. Didacum Ruiz de Montoya, *De scient. Dei*, disp. 80, sect. 1, num. 5, 6.

(8) *Logic. Major.* num. 154, pag. 662; *Psychologr.*, vol. 2.um, num. 131, pag. 454.

affines significandas. Discrimen autem harum vocum desumitur ex S. Thoma (1), secundum quem, ut scribit Suarez (2), idea est quasi commune nomen significans eamdem rem, quæ et exemplar et ratio esse potest: exemplar in quantum est ratio factiva alicujus, ratio vero in quantum est principium formale, quo talis res cognoscitur. Addit vero, nomen exemplaris significare habitudinem ad res faciendas, sicut nomen providentiæ vel prædestinationis, et ideo exemplaria proprie non esse in Deo nisi respectu earum rerum, quas aliquando est effecturus. Rationes vero rerum, tam de rebus aliquando futuris, quam de possibilibus nunquam futuris esse posse. Ac subinde ideam, ut tantum ratio est, esse de utrisque, et ita esse posse tam in scientia speculativa, quam in practica, ut vero est exemplar, esse de rebus aliquando futuris. Quod totum pertinet ad usum vocum tantum, in quo fides adhibenda est peritis in arte. Potest tamen facile usus esse diversus vel esse mutatus, nam solent etiam vocari exemplaria, quæ de se talia sunt, ut ad eorum imitationem possit aliquid fieri, licet faciendum non sit, sicut supra diximus, scientiam illam esse practicam, in actu primo, quod fortasse vocat D. Thomas *esse practicam virtute*, in eodem art. 3, ad 2.um 3.

107. PROPOSITIO 1.ª **Necesse est in Deo admittere ideas exemplares rerum, quas efficit.**

Exemplares ideæ admittendæ sunt in Deo.

Probatur. In omni agente intellectuali, qui non temere vel casu neque ex naturæ impetu operatur, oportet ponere ideam exemplarem operis sui. Atqui Deus est agens intellectuale, nec naturale, sed liberum mundi rerumque mundanarum. Ergo Deus ideas habet rerum faciendarum (3).

Minor certissima est ex divina perfectione, simplicitate ac libertate. Quia nisi pantheismi deliria sequaris, necesse tibi asserere erit nihil extra Deum procedere per emanationem ex ejus substantia, sed omnia *esse* ab illo accipere per effectionem

(1) 1 p., quæst. 15, art. 3.

(2) *De Deo*, etc., lib. 3, cap. 5, num. 8.

(3) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 15, art. 1; quæst. 44, art. 3; 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 2; *de verit.* quæst. 3, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel creationem secundum consilium suæ sapientiæ ac voluntatis, suas cuique assignans naturas specificas, proprietates modosque se habendi; nefas enim est casum ac temeritatem in divinis operibus statuere.

Major quoque patet. Quia agens quidem naturale per suam naturam determinatum est ad modum ac mensuram operationis et effectus sui; verum agens intellectuale ac libere operans, nisi casu operetur et præter intentionem, necesse est, ut ex proprio consilio ac deliberatione rationem operis faciendi sibi præstituat. Secus enim fieri non poterit, ut hoc determinatum opus fiat potius, quam aliud, hoc potius modo, quam alio, etc. Neque vero ad id sufficit exemplar externum; siquidem eatenus externum exemplar juvare potest ad determinandam mensuram rationemque operis, quatenus cognitum ac mente præformatum actionem dirigere valeat, quod perinde est, ac ideam in operantis intellectu prælucere (1).

Veritatem hanc multi confirmant, ac traditam existimant a S. Paulo in illis verbis: *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, ut ex* **invisibilibus** *visibilia fierent* (2), quemadmodum interpretatur S. Thomas (3). S. Anselmus etiam postquam prius locum hunc explicuisset de formatione orbis *ex materia invisibili et informi* prius ex nihilo creata (4); hunc alium subjicit commentarium: *Vel ex invisibilibus facta sunt visibilia, id est,* **ex intellectuali modo visibilis; invisibilis enim mundus in scientia Dei erat, et ad illius imitationem factus est iste visibilis** (5). Et quamquam interpretatio hæc non necessaria prorsus esse videatur, negari tamen nequit eam egregie quadrare in Paulinum testimonium, et convenit doctrinæ Patrum ac Theologorum communi, Deo ideas rerum creandarum asserentium.

108. PROPOSITIO 2.ª **Ideæ divinorum operum directrices non sunt extra Deum, sed sunt ipsa ejus substantia,**

(1) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 1.
(2) *Hebr.*, cap. 11, vers. 3.
(3) *Ad Hebræos*, cap. 11, lect. 2.
(4) Cfr. *Genes.*, cap. 1, vers. 2.
(5) S. Anselm., in prædict. loc epist. ad *Hebræos*.

nec supponunt ullum exemplar extraneum præter essentiam Dei, quæ est exemplar omnis possibilis et creabilis creaturæ.

Ideæ divinorum operum directrices non sunt extra Deum.

Prima pars: *ideæ non sunt extra Deum:* quod adeo verum reputat S. Augustinus, ut dicat *sine impietate negari non posse* (1). Et alibi (2) sin hunc modum intelligit verba illa Joannis (cap. 1, vers. 3, 4): *Quod factum est, in ipso vita erat.* Distinguit enim hanc totam sententiam e præcedentibus, et exponit, *omnia quæ facta sunt*, prout sunt in Deo per ideas, *esse ipsam vitam* et rationem increatam sapientiæ Dei, quæ est vita per essentiam. Quam expositionem Beda, Rupertus, D. Thomas et alii sequuntur. Est autem tantum probabilis, nam ille locus aliis modis legitur, et exponitur probabiliter» (3). Communissima enim est hæc alia verborum illorum divisio: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, quod factum est: in ipso vita erat, etc. Cæterum facile

Probatur propositio 1.ª Nam ideæ rerum sunt similitudines existentes in mente intellectualis operantis, ut constat ex ipsa earum notione ac probatione, qua illarum necessitatem, atque adeo existentiam, demonstravimus in præcedenti assertione. Ergo divinæ ideæ non possunt esse extra Deum.

Prob. 2.ª Ideæ divinæ necessario debent esse increatæ, ideoquæ æternæ atque immutabiles, quemadmodum notaverat dudum S. Augustinus (4). Nam si essent creatæ, per aliam priorem ideam creari debuissent a Deo, qui nihil potest efficere nisi per ideam: unde illa esset vera idea divina, per quam cæteras, quas fingere cuivis liceat, creasset. Atqui nihil increatum est extra Deum et præter Deum. Ergo idea vel ideæ divinæ non sunt extra Deum. Idque eleganter expressit Severinus Boëtius versiculo illo:

(1) S. August., in libr. *Octoginta trium quæstion.*, quæst. 46.
(2) *De Genesi ad litter.*, lib. 5, cap. 14; et tract. 1.º *in Joann.*
(3) Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 5. Vide volum. 1.um *Theodic.* num. 72, pag. 234-236.
(4) Libr. *Octoginta trium quæstion.* quæst. 46.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens similique in imagine formans. Et sic rejectum manet Platonicum somnium de ideis separatis, si vere illas docuit unquam Plato.

eæ sunt ipsa Dei substantia.

Secunda pars: *Ideæ divinæ sunt ipsa Dei substantia*, sequitur ex priori parte, et intelligenda est de ideis subjective et secundum suam entitatem spectatis.

Probatur autem, quia ideæ secundum hanc considerationem sunt actus mentis. Atqui actus divinæ mentis est ipsa Dei essentia. Ergo... Hanc veritatem expresserunt plures Ecclesiæ Patres, ut S. Dionysius (1) et S. Augustinus (2). Hinc vero efficitur ideas divinas esse increatas, æternas et immutabiles, quemadmodum scripsit idem S. Augustinus (3).

ec ullam præsupponunt ternum exemplar præter ipsam et essentiam.

Tertia pars: *Ideæ divinæ non præsupponunt ullum externum exemplar præter essentiam Dei, quæ est exemplar omnis possibilis et creabilis naturæ.*

Probatur 1.° Egere alieno aut externo exemplari arguit imperfectionem, siquidem ostendit artificem non habere in se solo sufficientiam omnem sui operis. Atqui repugnat Deo omnis imperfectio et egestas supplenda subsidiis alienis. Ergo ideæ divinæ non possunt præsupponere alienum.

Prob. 2.° Extraneum exemplar, quod ideæ divinæ præsupponerent, vel esset increatum aliquod vel creatum. **Non increatum**, quia nihil est increatum præter Deum. **Non creatum**, quia illud non potuisset creari nisi ab ipso Deo, et quidem respiciendo aliquod exemplar ex probatis in præcedenti propositione. Ergo exemplar istud, quod Deus respexisset in creando, vel esset ipsa ejus essentia, vel aliquid aliud prius creatum. Si esset essentia, ergo essentia fuisset primum, atque adeo unicum exemplar Dei sufficientissimum ad cætera creanda. Si vero fuisset aliquid aliud prius a Deo creatum, eadem iterum quæstio esset instituenda, donec

(1) *De divin. nomin.* cap. 7.

(2) *De civit. Dei*, lib. 11, cap. 29; *de Genes. ad litter.*, lib. 5, cap. 13; *in Joann.*, cap. 1.

(3) In libr. *Octoginta trium quæstion.*, quæst. 46. Vide P. Didacum Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 2.

tandem sisteretur in essentia divina, ad cujus imitationem cætera omnia crearentur.

Prob. 3.° Ea vero est intima et fundamentalis ratio, quia essentia Dei est plenitudo essendi, in qua unite, indivisibiliter ac simplicissime inest omnis perfectio possibilis, ita ut nihil reapse possit esse aut creari, quod non præ se ferat similitudinem aliquam divinæ substantiæ, atque eatenus sit possibile ac creabile, quatenus possit aliquam guttulam participare illis infinitæ perfectionis, in Deo tamquam in inexhausto fonte residentis. Totam hujus propositionis doctrinam breviter complexus est S. Augustinus in loco superius exscripto (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

109. Objic. 1.° Ideæ sunt, ut per eas cognoscantur res. Atqui Deus non cognoscit per ideas. Ergo non dantur ideæ in Deo (2).

Respondeo, *dist.* Major. Ideæ, quatenus pertinent ad cognitionem speculativam, sunt, ut per eas cognoscatur res, *trans.* (3); quatenus spectant ad cognitionem practicam, *nego*, vel *subdist.*: primario, *nego*, nam primus earum finis est opus dirigere; secundario, *transeat*; jam enim superius concessimus ideas in aliqua sensu posse esse medium, *in quo* Deus futura contingentia cognoscat (4). Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Deus omnia cognoscit in se ipso, id est, cognoscendo se ipsum. Atqui Deus se non cognoscit per ideam. Ergo neque alia (5).

Respondeo, *neg.* conseq. et suppositum totius argumentationis, quia ideæ, de quibus hic agimus, sunt exemplares, quæ non ponuntur ad cognoscendas res, sed ad dirigendam earum efficientiam.

(1) Lege supra num. 56, pag. 186, in respons. ad *Objic.* 7.°

(2) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 15, art. 1; *de verit.*, quæst. 1 art. 1, argum. 6.

(3) Hac de re vide superius scripta, num. 52, pag. 152 seqq.

(4) Vide supra num. 70, pag. 271 seqq.

(5) Apud. S. Thom. 1 p., quæst. 15, arg. 2.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Instabis. Etiamsi idea hic necessaria asseratur, quatenus est principium non cognoscendi, sed operandi, adhuc supervacanea censenda, est, si in ipsa Dei essentia, nulla alia re superaddita, sit sufficiens principium operandi. Atqui essentia Dei, nulla alia re superaddita, est sufficiens principium operandi. Ergo..... (1).

Respondeo, *dist.* Major. Idea necessaria non est in Deo, si ipsa essentia, nulla re alia superaddita, quæ sive realiter sive etiam ratione distinguatur, sit sufficiens operandi principium, *conc.*; si essentia, nulla alia re superaddita, quæ sit realiter distincta, sit sufficiens operandi principium, *nego*. Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Quamvis enim idea sit reapse unum cum essentia, distinguitur tamen ratione, quia importat non nudam essentiam, sed essentiam ut imitabilem ad extra.

Objic. 4.° Eatenus Deus indiget ideis, quantenus eget regulis ad operandum. Atqui ens sapientissimum, quod deficere nullatenus potest in operando, non eget ullis regulis. Ergo.....

Respondeo, *dist.* Major. Quantenus eget regulis ad operandum distinctis realiter ab ipsa sua essentia, *nego*, quatenus eget regulis realiter non distinctis, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. (2)

Objic. 5.° Omne exemplatum servat propositionem cum exemplari. Atqui nulla res creata potest servare proportionem cum ideis divinis, potissimum si hæ cum essentia identificantur. Ergo non sunt admittendæ in Deo ideæ exemplares.

Respondeo, *dist.* Minor. Nulla res creata potest servare proportionem determinatæ alicujus mensuræ, cum ideis divinis, *conc.*; nulla res creata potest servare proportionem, quæ non importet determinatam aliquam mensuram ac distantiam, *nego* (3); nam ubi est aliqua similitudo, necessario adest etiam aliqua proportio, vel si mavis, proportionalitas,

(1) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 15, art. 1, argum. 3.
(2) Cfr. S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 1, ad 8.um
(3) Cfr. S. Thom., loc. nuper cit. ad 7.um Et vide *Ontolog.* num. 65, pag. 195, 196.

et inter Deum ac res creatas non potest non intercedere similitudo (1)

Objic. 6.° «Perfectius est agens, quod non eget in sua actione ad exemplar respicere, quam quod exemplari indiget. Sed Deus est perfectum agens. Ergo non est sibi opus ideis, ad quarum exemplar faciat res» (2).

Respondeo, *quod si Deus indigeret respicere in aliquod exemplar extra se, esset imperfectum agens. Sed hæc non contingit, si essentia sua exemplar omnium rerum ponatur; quia sic, intuendo essentiam suam, omnia producit* (3).

Objic. 7.° Docente Aristotele, dicere ideas exemplaria esse, vaniloquum est, et pœticas metaphoras dicere (4). Ergo non sunt admittendæ exemplares ideæ in Deo.

Respondeo, Aristotelem ibi carpere voluisse ideas exemplares, non prout a nobis asseruntur, sed prout Platoni tribuebantur instar formarum naturalium separatarum et per sese existentium (5).

ARTICULUS II

Utrum sit una, an vero plures in Deo ideæ exemplares

Ratio dubitandi

110. Ex altera parte videtur una tantum posse esse in Deo idea, ne videlicet multitudo simplicitati divinæ officiat; ex altera vero parte non satis intelligitur, quo pacto una possit esse cunctarum rerum creandarum forma. Nihilominus, distincta ideæ duplici consideratione, sive prout est subjective atque entitative in se, sive objective ac respectu rerum, quæ ad illius imitationem produci queunt, arduum non est propositum dubium explicare (6).

(1) Vide vol. 1.um *Theodic.* num. 75, pag. 244, 245, num. 78, pag. 252 seqq.
(2) Apud S. Thom., 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 1, argum. 2.
(3) S. Thom. ibid., ad 2.um
(4) Aristot., *Metaphys.* lib. 1, text. 32.
(5) S. Thom. 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 1, ad 1.um
(6) Vide P. Didacum Ruiz de Montoya, op. cit. disp. 85.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROPOSITIO. **Quamquam ideæ divinæ non sint nisi una res vel actus in Deo, recte tamen dicuntur plures pro diversis gradibus et modis, quibus res creatæ simplicissimam essentiam imitantur.**

Idea divinæ sunt una simplex res in Deo.

Prima pars: *Ideæ divinæ non sunt nisi una res vel actus in Deo*, nempe subjective aut entitative non sunt plures, sed una duntaxat. Et ratio plane est evidens, quia idea divina, ex superius probatis, est ipsa Dei essentia, quæ una est in se ac simplicissima in sua infinita perfectione. Ergo quæ dicuntur ideæ divinæ, non possunt esse in se nisi una simplicissima res.

Nihilominus recte dicuntur plures esse divinæ ideæ, pro diversis gradibus et modis, quibus res creatæ Dei essentiam imitantur.

Secunda pars: *Ideæ divinæ recte dicuntur plures*, nimirum objective spectatæ, *pro diversis gradibus et modis, quibus res creatæ Dei essentiam imitantur*. Probatur cum S. Thoma (1).

1.° In operante, qui totum aliquod per se intendit cum omnibus suis partibus, necesse est plures ponere ideas secundum diversitatem partium totum illud conflantium. Atqui Deus creans mundum, totum per se intendit ac singulas ejus partes. Ergo...

Major constat ex probatis in præcedenti articulo circa ideæ necessitatem et existentiam in Deo. Si enim in omni operante libero, qui producit effectum per se intentum, necesse est ponere ideam, Deus non potuit mundum et partes ejus omnes per se intendere ac creare absque ideis cunctarum illarum partium mundum conflantium, utpote quæ diversissimæ sunt secundum suas species et genera et differentias individuales.

Minor etiam patet. Quia Deus, utpote perfectissime sapientissimeque agens, nihil potest temere vel casu agere, sed per se atque ex intentione. Atqui totus mundus cum omnibus et singulis ejus partibus est opus Dei. Ergo totus cum omnibus ac singulis partibus per se ac distincte ab eo intenditur. Jam enim alibi explosum reliquimus (2) commentum illorum, qui autumabant, Deum per se atque immediate

(1) 1 p., quæst. 15, art. 2; *de verit.*, quæst. 3, art. 2.
(2) Vide *Cosmolog.* num. 58 fin. et 59, pag. 183, 184 seqq.

solos creasse angelos, quibus deinceps reliqua creanda commiserit. Lege S. Thomam (1).

Dices. Quamvis Deus habeat ideas omnium rerum creatarum, si tamen iis a parte rei non respondet nisi unica simplicissima entitas, non est ratio, cur plures dicendæ sint ideæ, potius, quam una sola.—**Respondeo**, *negando* assertum, et inde

Probatur 2.ª propositio. Idea ex communissima vocis acceptione importat essentiam et entitatem divinam, non

(1) *De verit.*, quæst. 3, art. 2, ubi: *Quidam*, inquit, *ponentes Deum per intellectum agere, et non ex necessitate naturæ, posuerunt eum habere intentionem unam tantum, scilicet creaturæ in universali, sed creaturarum distinctio facta est per alias causas: dicunt enim, quod primo Deus condidit unam intelligentiam, quæ produxit tria, scilicet animam, orbem et aliam intelligentiam; et sic progrediendo, processit pluritas rerum ab uno primo principio: et secundum hanc opinionem esset quidem in Deo idea, sed una tantum totius creaturæ, toti enti communis; sed proprie ideæ singulorum essent in causis secundis, sicut et Dionysius narrat in V cap. de divinis Nominibus, quod quidam Clemens philosophus posuit principalibus entia exemplaria inferiorum esse. Sed hoc stare non potest: quia si intentio alicujus agentis feratur ad aliquid unum tantum, præter intentionem ejus erit et quasi casuale, quidquid sequatur, quia accidit ei, quod est principaliter intentum ab eo, sicut si aliquis intenderet facere aliquod triangulatum, præter intentionem ejus esset, quod esset magnum vel parvum. Cuilibet autem communi accidit speciale contentum sub eo; unde si intentio agentis est ad aliquod commune tantum, præter intentionem ejus esset, quod qualitercumque determinaretur per aliquod speciale; sicut si natura intenderet generare solum animal, præter intentionem naturæ esset, quod generatum esset homo vel equus. Unde si intentio Dei operantis respiciat tantum ad creaturam in communi, tota distinctio creaturæ casualiter accidet. Inconveniens est autem dicere, quod sit per accidens per comparationem ad causam primam, et sit per se per comparationem ad causas secundas: quia quod est per se, prius est eo, quod est per accidens: prius autem est comparatio alicujus ad causam primam, quam ad causam secundam, ut patet in libro de Causis; unde impossibile est, quod sit per accidens respectu causæ primæ et per se respectu secundæ; potest autem accidere e converso, sicut videmus, quod ea quæ sunt casualiter quoad nos, sunt Deo præcognita, et ordinata ab ipso. Unde necesse est dicere, quod tota distinctio rerum sit prædefinita ab eo. Et ideo necesse est ponere in Deo singulorum proprias rationes, et sic plures ideas.* Cfr. 1 p., quæst. 15, art. 2.

absolute et subjective prout est in se, verum secundum quod est exemplar imitatum a rebus creatis. Sic essentia divina est idea hominis, quatenus est imitabilis in specifico gradu hominis, et est idea leonis, rosæ, ferri vel auri, etc., quatenus est imitabilis in gradu specifico leonis, rosæ, ferri auri, etc., ergo pro varietate graduum istorum imitabilitatis rectissime idea dicetur multiplex. Atqui plurimi sunt gradus imitabilitatis essentiæ divinæ; cum enim ipsa sit infinita, nec possit ab ulla re creata perfecte atque adæquate imitatione exprimi, tot erunt possibiles gradus imitabilitatis, quot sint species et genera rerum magis minusve participantes divinam perfectionem, vel magis minusve deficientes ab adæquata repræsentatione divini exemplaris. Ergo rectissime dicuntur, et sunt plures ideæ divinæ (1).

Primum antecedens patet ex modo loquendi scriptorum. **Consequens** etiam non eget probatione, nam aliud est essentia divina, prout imitabilis ab homine, et aliud eadem, prout imitabilis a leone, rosa, ferro, auro, etc., ac proinde multiplex, non quidem re, sed virtute ac considerationc. **Minor**

(1) Argumentum istud sic egregie lucidissimeque evolvit S. Thomas: *Cum hoc nomen idea nuncupet essentiam divinam secundum quod est exemplar imitatum a creatura, divina essentia erit propria idea cuiuslibet rei secundum determinatum imitationis modum. Et quia alio modo imitantur eam diversæ creaturæ, ideo dicitur, quod est alia idea vel ratio, quæ creatur homo et equus; et exinde sequitur quod secundum respectum ad plures res, quæ divinam essentiam diversimode imitantur, sit pluralitas in ideis, quamvis essentia imitata sit una: v. g., sicut ex prædictis (dist. 2, quæst. 1, art. 3) patet, quidquid perfectionis in rebus est, hoc totum Deo secundum unum et idem indivisibile convenit, scilicet esse, vivere et intelligere et omnia hujusmodi. Cum autem omnes creaturæ imitentur ipsam essentiam quantum ad esse, non tamen omnes quantum ad vivere: nec iterum illa, quæ imitantur ipsam quantum ad esse, eodem modo esse participant, cum quædam aliis nobilius esse possideant: et ex hoc efficitur alius respectus essentiæ divinæ ad ea, quæ habent tantum esse et ad ea, quæ esse habent vivere, et similiter ad ea, quæ diversimode esse habent: et ex hoc sunt plures rationes ideales, secundum quod Deus intelligit essentiam suam ut imitabilem per hunc vel illum modum. Ipsæ enim rationes imitationis intellectæ seu modi, sunt ideæ; idea enim, ut ex dictis patet, art. præced., nominat formam ut intellectam, et non prout in natura intelligentis.* S. Thom. 1.ª dist. 36, quæst. 2, art. 2.

subsumpta per se innotescit, et postrema consequentia recte, ni vehementer fallor, infertur.

Atque hæc profecto causa est, cur S. Augustinus (1) dicat plures esse ideas Dei; idemque tenent S. Thomas (2), Halensis (3), Albertus M., S. Bonaventura et Hervæus (4), Richardus (5), Scotus (6), Durandus (7), Capreolus (8) et generatim Theologi, uno alterove excepto, ut scribit P. Franciscus Suarez. «Ad modum autem loquendi sufficit communis usus: nam ex eodem etiam habetur, per illam mutationem vel pluritatem non significari pluritatem rerum, sed ratio num objectivatum, quæ correspondet nostris conceptibus inadæquatis, quos de illa idea divina formamus» (9).

Quod si quæras, quænam ratio esse potuerit communis hujus usus loquendi, omissis aliis explicationibus (10), responderi potest cum Eximio Doctore, «ideam et exemplar esse mensuram rei, cujus est idea, ideoque significari et concipi, ut adæquatum terminum relationis mensurati, seu mensurabilis ad mensuram suam. Unde quia creaturæ sunt plures simpliciter, et unaquæque suo peculiari modo commensuratur exemplari divino, ideo etiam ideas illarum plures simpliciter nominari. Et ideo etiam potest hæc pluralitas intelligi æterna in intellectu divino, ut D. Thomas docet, quatenus Deus intelligit suum conceptum, quem de creaturis habet, posse esse adæquatum terminum plurium creaturarum, quæ respiciunt ipsum, ut mensuratæper ipsum. Quapropter, licet Deus non confingat relationem aut distinctionem rationis, cognoscit nihilominus plures creaturas, ut mensurabiles per suam scientiam practicam, et ibi cognoscit esse fundamentum sufficiens ad illam denominationem. Præsertim quia

(1) In libr. *Octoginta trium quæstion.*, quæst. 46.
(2) 1 p., quæst. 15, art. 2; 1.º dist. 36, quæst. 2, art. 2; *de verit.* quæst. 3, art. 2; 2.º *Contr. Gent.*, cap. 54.
(3) 1 p., quæst. 23.
(4) 1.º dist. 35.
(5) 1.º dist. 36, art. 2, quæst. 3.
(6) 1.º dist. 36, quæst. 1.
(7) 1.º dist. 36, quæst. 4.
(8) 1.º dist. 36, quæst. 1, art. 1.
(9) *De Deo*, etc. lib. 3, cap. 5, num. 15.
(10) Vide apud Suarez, loc. nuper cit., num. 16.

etiam cognoscit distinctionem rationis, quam mens humana potest in sua idea concipere» (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

111. **Objic. 1.°** Eadem ratio est, ut scientia quoque Dei et ars objective spectatæ dicantur plures ac ideæ. Atqui neque scientia neque ars Dei dicuntur plures. Ergo nec ideæ debent.

Respondeo, *neg.* Major.; tum «quia scientia et ars non ita significantur per modum mensuræ, sicut idea et exemplar; tum «quia scientia et ars potius significantur ut habitus, qui non multiplicantur ex materialibus objectis et rebus scitis, sed ex ratione formali sciendi, quæ in Deo est una et universalissima. Exemplar vero seu idea significatur per modum actualis conceptus adæquati rei cognitæ et per modum imaginis repræsentantis unamquamque rem, sicuti est, et ideo juxta rerum varietatem multiplicantur» (2).

Objic. 2.° Ideæ non possunt dici plures secundum respectum ad diversa objecta. Nam «pluralitas idearum est ab æterno. Si ergo ideæ sunt plures, creaturæ autem sunt temporales: ergo temporale erit causa æterni (3).— **Respondeo**, *neg.* conseq., quia *hujusmodi respectus, quibus multiplicantur ideæ, non causantur a rebus, sed ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res* (4); idea enim est ipsa Dei essentia, prout intelligitur imitabilis hoc vel illo gradu, secundum hanc vel illam rationem specificam. Et quia id intelligi potest a Deo ab æterno, antequam res ipsæ divinam essentiam imitantes existant, ideo possunt esse æternæ ideæ (5).

Instabis. Ideæ divinæ non possunt multiplican per diversitatem respectuum ad creaturas. Nam «nulla relatio, quæ est inter Deum et creaturas, est in Deo, sed in creatura tantum.

(1) Suarez, *De Deo*, etc. lib. 3, cap. 5, num. 17.
(2) Suarez, ibid., num. 18. Cfr. Sylvius in 1.am p., quæst. 15, art. 2, *Si præterea...*; et S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 2, ad 2.um
(3) Apud S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 2, argum. 3.°
(4) S. Thom. ibid., ad 3.um
(5) Vide S. Thom., 1.° dist. 36, quæst. 2, art. 2, ad 2.um; *de verit.*, quæst. 3, art. 2, ad 7.um

Sed idea vel exemplar importat relationem Dei ad creaturam. Ergo ista relatio non est in Deo, sed in creatura. Cum ergo idea sit in Deo, per hujusmodi respectus ideæ multiplicari non possunt» (1).

Respondeo, *dist.* assert. Ideæ divinæ non possunt multiplicari per diversitatem respectuum aut relationum realium ad creaturas, *conc.*; per diversitatem respectuum rationis, *subdist.*; nisi hæ relationes supponant in creaturis realem relationem ad Deum diversæ repræsentationis et commensurationis ad illum, *conc.*; si supponant in creaturis hujusmodi relationem, *nego*.

Ad probationem similiter *dist.* Major. Nulla relatio inter Deum et creaturas est realiter in Deo, *conc.*; intentionaliter et ut cognita, *nego*. Et *contradist.* Minor. Ideo importat relationem realem in Deo, *nego*; intellectam, *subdist.*: ita ut indigitet in creatura realem relationem ad Deum, *conc.*; secus, *nego*. Tum *distincto* similiter primo consequente, alterum *nego*. Nempe *relatio, quæ est inter Deum et creaturam, non est in Deo secundum rem; est tamen in Deo secundum intellectum suum prout scilicet intelligit* (Deus) *respectum rerum ad essentiam suam; et sic respectus illi sunt in Deo ut intellecti ab ipso* (2).

Objic. 3.° «Quæ essentialiter dicuntur in Deo, non minus sunt verè in eo, quam illa quæ dicuntur in ipso personaliter. Sed pluralitas personalium proprietatum inducit pluralitatem Personarum, secundum quas Deus dicitur trinus. Cum ergo ideæ sint essentiales, quia sunt communes tribus Personis; si sint plures in Deo secundum pluralitatem rerum, sequitur, quod non solum sint tres Personæ in ipso, sed infinitæ» (3).

Respondeo, *nego* conseq. et paritatem. Nam *proprietates personales ideo inducunt distinctionem Personarum in diversis, quia ad invicem opponuntur oppositione relationis: unde proprietates non oppositæ non distinguunt Personas, ut communis spiratio et paternitas. Ideæ autem et alia essentialia attributa*

(1) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 4, art. 2, arg. 8.
(2) S. Thom. *de verit.*, loc. cit., ad 8.um
(3) Apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 2, argum. 1.°

non habent ad invicem aliquam oppositionem; et ideo non est simile (1).

Plura, si lubet, apud S. Thomam require in locis citatis.

ARTICULUS III

Quarum rerum Deus habeat ideas.

112. Postrema hæc controversia breviter expedienda est, quia, nisi lites fiant de verbo, vacat difficultate.

PROPOSITIO 1.ª **Si sumatur idea, quatenus spectat ad speculativam cognitionem, et est generatim principium formale cognitionis, dantur in Deo ideæ omnium rerum, non solum, quæ unquam erunt, vel fient, sed etiam quæ possent fieri aut esse; si autem idea sumatur, prout in hac disputatione intellecta est, quatenus spectat ad cognitionem practicam, non sunt in Deo proprie ac simpliciter ideæ nisi eorum, quæ in aliqua temporis differentia fiant.**

Si idea sumatur, prout spectat ad scientiam speculativam, dantur rerum omnium ideæ; si autem sumatur idea, prout spectat ad practicam cognitionem, non sunt in Deo proprie ac simpliciter ideæ nisi earum rerum, quæ in aliqua temporis differentia existentiam sortientur.

Prima pars manifesta est, quia idea secundum quod spectat ad cognitionem speculativam, ad ea omnia se porrigere debet, ad quæ se porrigit scientia divina speculativa. Atqui scientia divina speculativa non circumscribitur ad existentia, sed ad omnia quoque possibilia sese extendit. Ergo.....

Altera etiam pars facile probatur. Et ratio desumitur ex superius prælacta notione scientiæ simpliciter practicæ. Etenim ideæ exemplares proprie ac simpliciter earum duntaxat rerum dicendæ sunt, quæ pertinent ad scientiam Dei proprie ac simpliciter practicam. Atqui scientia proprie ac simpliciter practica solum dicitur ea, quæ talis est ratione finis, videlicet, quæ ad opus dirigitur. Ergo... (2).

Et ita etiam diserte docet S. Thomas: *Eorum, quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, non est idea in Deo, secundum quod idea* **significat exemplar** (id est, *secundum quod est principium factionis rerum..... et ad practicam cognitionem pertinet*), *sed solum secundum quod significat rationem* (3), id est,

(1) S. Thom. loc. nuper cit., ad 1.um

(2) Vide supra num. 16, pag. 46.

(3) S. Thom. 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 3.um.

secundum quod principium cognoscitivum est, et potest etiam ad scientiam speculativam pertinere (1).

Dices. Hæc sunt disertissima verba Aquinatis, quibus oppositum videtur aperte contineri: *Exemplar, quamvis importet respectum ad id, quod est extra, tamen ad illud extrinsecum habitudinem importat causæ. Et ideo proprie loquendo ad cognitionem pertinet, quæ est practica habitu vel virtute, non autem solum, quæ est actu practica. Quia aliquid potest dici exemplar ex hoc, quod ad ejus imitationem potest aliquid fieri, etiamsi nunquam fiat. Et similiter est de ideis* (2).

Verum respondeo, nullam esse in Angelici doctrina contradictionem, si præ oculis habeantur, quæ circa notionem scientiæ practicæ ex ejusdem principiis tradidimus. Nimirum scientia practica *simpliciter* et *actu* practica dicitur illa, quæ non solum versatur circa objectum operabile, illudque considerat operabili modo, sed etiam ad actualem operis directionem ordinatur ex decreto voluntatis; scientia vero, quæ non ordinatur ad operis directionem, non potest *actu* et *simpliciter* dici practica, quamquam dici potest practica *secundum quid* vel *virtute ac potentia*, dummodo versetur circa objectum operabile, illudque operabili modo contempletur (3). S. Thomas ergo in objecto loco non aliud intendit, nisi quod idea et exemplar, quamvis simpliciter non sit eorum, quæ nunquam erunt, seu quorum non datur in Deo scientia simpliciter practica, possit tamen esse in aliquo sensu etiam eorum, quæ operabili modo cognoscuntur, seu quorum datur scientia virtualiter practica; nam scientia hujusmodi utpote objectum operabili modo contemplans, quantum est de se, habet quidquid ex parte scientiæ sufficit, et requiritur, ut sit idea et exemplar operationem valens dirigere, solumque caret actuali directione ex defectu voluntatis (4). Et hæc sufficiant de re, multum pendente

(1) S. Thom. ibid. in corp.

(2) S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 3, ad 3.um. Cfr. ibid. art. 6, corp. et ad 3.um et 4.um.

(3) Vide supra num. 16, pag. 46.

(4) Hanc esse veram Angelici Doctoris mentem constat etiam ex disertissimis ejusdem verbis: *Quod in hac quæstione versatur, utrum eorum, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, quæ tamen Deus,*

ex modo loquendi. Nunc autem dubia quædam expedire oportet.

Utrum Deus habeat ideas singularium rerum

113. **Et primo quidem quæri potest,** utrum Deus habeat ideas singularium rerum; nam id negasse dicitur Henricus Gandavensis (1). Verum certa et indubitabilis est affirmativa sententia, quam tenent unanimi consensu Philosophi ac Theologi catholici cum SS. Agustino (2), Thoma (3), Bonaventura et aliis Scholasticis (4). Ratio vero perspicua ea est, quia Deo asserendæ sunt ideæ atque exemplaria effectuum, qui producuntur, et eo modo, quo produci queunt. Atqui nihil producitur, nec produci potest nisi singulare et individuum. Ergo....

Dices. Quamvis hoc verum esse videatur, cum res faciendæ dissimiles sunt inter se, at si res faciendæ perfectissimæ similes essent, nonne sufficeret una forma omnes illas repræsentans? Et sic videtur in humanis artificibus, qui unicum exemplar mente recogitatum solent mox in diversis individuis exprimere: ita etiam passim innumera numismata et icones uno typo excuduntur.

---

facere potest, sit idea. Videtur dicendum, quod si idea secundum completam rationem accipiatur, scilicet secundum quod idea nominat formam artis, non solum intellectu excogitatam, sed etiam per voluntatem ad opus ordinatam, sic prædicta non habent ideam; si vero accipiatur secundum imperfectam rationem, prout scilicet est solum excogitata in intellectu artificis, sic habent ideam. Patet enim in artifice creato, quod excogitat aliquas operationes, quæ nunquam operari intendit. In Deo vero quidquid ipse cognoscit, est in eo per modum excogitati; cum in ipso non differat cognoscere actu et habitu. Ipse enim novit totam potentiam suam, et quidquid potest: unde omnium, quæ potest, habet rationes quasi excogitatas. S. Thom. *de potent.*, quæst. 1, art. 5, ad 11.um; Cfr. Capreol. (1.° dist. 35, quæst. 2, art. 2, in responsione ad ea, quæ secundo loco et tertio inducebantur contra 1.am conclusionem), Cajetanus (In 1.am p., quæst. 14, art. 16, *circa hanc partem*), Bañez (In 1.am p., quæst. 15, art. 3), Ferrariensis (In lib. 3.um *Contr. Gent.* cap. 25, arg. 4.°, *Ad evidentiam...*), Suarez (*De Deo* etc. lib. 3, cap. 4, num. 12; *Metaphys.* disp. 44, sect. 13, num. 37 seqq.), Ruiz de Montoya (*De scient. Dei*, disp. 16, sect. 6).

(1) *Quodlib.* 3, quæst. 1; et *Quodlib.* 7, quæst. 5.

(2) Epist. 175 fin.

(3) 1 p., quæst. 15, art. 3 ad 4.um; *de verit.*, quæst. 3, art. 8.

(4) 1.° dist. 35 et 36.

Respondeo, *nego,* assertum de Deo, quidquid esset dicendum de humano artifice. Deus enim ita operatur, ut efficiat quidquid est entitatis ac realitatis in effectu, et operatur cognoscendo illum comprehensive: unde oportet, ut habeat ideam totius rei efficiendæ secundum omnem etiam individualem rationem. Idem forme proportione dicendum est de humano artifice, quando per se ipsum exsequitur opus, quia eatenus efficit artificium hujus, et non illius figuræ, magnitudinis, coloris, cæterorumque lineamentorum, quatenus tale sibi mente præformavit exemplar. Quod vero dicebatur de formis illis ac typis, quæ in varis individuis exprimi possunt, nihil valet, quia in primis eæ sunt formæ individuales, non autem proprie universales. Si quid vero est in illis formis adhuc opere ipso determinandum magis, ut accedit v. g. in numismatibus, quæ, quamvis ex eodem exemplari expressa, differunt aliquo modo inter se; major istiusmodi determinatio ac discrepantiæ non debentur artifici ipsi, qui typum excogitavit, sed aliis causis, ideoque nec artificiose procedunt, sed præter intentionem, ac proinde sine idea et exemplari artificis ipsius. Nihil autem hujusmodi potest dici de Deo, qui nihil præter intentionem operatur, sed considerat etiam omnia quæ artificis et causæ creatæ advertentiam et intentionem effugiunt.

et an et quo pacto sint in Deo ideæ rationum universalium,

114. **Quæritur secundo,** an et quo pacto sint in Deo ideæ rationum universalium. Henricus Gandavensis mox laudatus arbitratur tam generum, quam specierum, asserendas Deo esse ideas. At S. Thomas negat dari de generibus ideas ab ideis specierum distinctas (1): ex quo videtur sequi, quod admiserit ideas specierum, sicut eas admiserat S. Augustinus (2). Sed, ut verum fatear, eadem est ratio, ut rejiciantur ideæ generum distinctæ ab ideis specierum, ac ut rejiciantur ideæ specierum ab ideis individuorum distinctæ. «Primo quidem, quia species non fiunt nisi in individuis, unde non fiunt nisi per ideas individuorum. Secundo, quia Deus non habet conceptus confusos objectorum universalium, sed distinctissime omnia cognoscit, ut sunt. Unde licet negari non possit, ita cognoscere Deum singularia, ut

---

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 4.um

(2) Epist. 115.

cognoscat etiam virtutem formalem, seu similitudinem specificam, quam inter se habent; nihilominus non intelligimus nos in Deo duos conceptos ratione distinctos, unum speciei, alium individui. Tum quia prior esset confusus et imperfectus, ut in nobis est. Tum etiam quia eadem ratione distingrendi essent conceptus generis et speciei» (1).

generum et specierum.

Dicendum igitur est, dari quidem ideam et exemplar rationum universalium, generum et specierum, sed indistinctam ab idea et exemplari singularium vel individuorum. Quæ est etiam diserta sententia Aquinatis: *Si loquamur de idea propria, secundum quod est rei eo modo, quo est in* esse *producibilis, sic* una idea respondet singulari, speciei et generi, *individualis in ipso singulari, eo quod Socrates, homo et animal non distinguitur secundum* esse (2). Addit autem continuo S. Doctor, quod *si... accipiamus ideam communiter pro similitudine, sic, cum diversa sit consideratio Socratis ut Socrates est, et ut homo est, et ut est animal, respondebunt ei plures ideæ vel similitudines.* Quæ ut veritatem habeant, interpretanda esse videntur de idea vel cognitione, prout in nobis adest, qui varias rerum rationes præcisive cognoscimus. In Deo enim non dantur cognitiones istiusmodi præcisivæ, quemadmodum in præcedenti volumine docuimus (3), secundum quam doctrinam Deus sicut in idea practica seu exemplari completo individui habet ideam speciei et generis in illo contenti, simili modo cognoscens per ideam, speculative sumptam, singularia prout in se ipsis sunt, videt etiam rationes specificas et genericas eorumdem, videlicet intelligendo singularia illa genere cum quibusdam aliis similitudinem naturæ perfectam seu specificam, et cum quibusdam aliis imperfectam et genericam.

et substantiarum completarum.

115. Quæritur 3.° an et quo pacto Deus habeat ideam substantiarum completarum seu suppositorum et partium eorumdem. Circa substantias completas nulla esse potest dubitatio ex dictis; quam illæ per se atque ex intentione producuntur a Deo, quare prævium requirunt exemplar. Porro

(1) Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 5, num. 11.
(2) S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 8, ad 2.um
(3) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 100, pag. 316.

cum partes substantiarum completarum aliæ possint esse substantiales, aliæ accidentales, de utrisque adest aliqua dubitatio. Et primo quidem circa partes substantiales.

et materiæ primæ.

116. Quæritur 4.° utrum materia prima habeat ideam propriam in Deo. Nam de forma substantiali non est tanta ratio dubitandi, cum sit præcipua compositi pars, dans *esse* specificum. At de materia prima existimat S. Thomas, quod *si proprie de idea loquamur, non potest poni, quod materia prima per se habeat ideam in Deo distinctam ab idea formæ vel compositi: quia idea proprie dicta respicit rem, secundum quod est producibilis in esse; materia autem non potest exire in esse sine forma, nec e converso. Unde proprie idea non respondet materiæ tantum, nec formæ tantum; sed composito toti respondet una idea, quæ est factiva totius et quantum ad formam et quantum ad materiam* (1). Et solum concedit dari in Deo, materiæ primæ ideam in sensu largiori sumptam pro similitudine vel ratione. Quam doctrinam tuentur etiam Cajetanus et alii Thomistæ, quorum illud est generatim fundamentum, quod materia est pura potentia, nullum habens *esse* nec actualitatem nisi per formam, quare «nec fieri nec cognosci potest nisi cum illa et per illam, atque adeo per ideam et rationem totius» (2). Verum sicut alibi contrarium docuimus tamquam probabilius relate ad *esse* materiæ primæ, quod nempe habeat illa suam propriam entitatem atque actum entitativum et proprium *esse*, contradistinctum ab *esse* formæ, ita ut ex esse et entitate utriusque resultet *esse* atque entitas compositi (3); ita nunc dicendum videtur materiam in se distincte ac proprio conceptu cognosci, licet cum habitudine transcendentali et dependentia, quam habet a forma, et consequenter dari etiam saltem partiale quoddam exemplar materiæ, præsertim quia est entitas realis realiter distincta, quæ per divinam omnipotentiam esse, atque adeo creari, potest separata a materia, quemadmodum alibi probatum

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 5. Cfr., 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 3.um; et 1.° dist. 36, quæst. 2, art. 3, ad 2.um
(2) Suarez, *De Deo*, etc., lib. 3, cap. 5, num. 12.
(3) Vide *Cosmolog.*, num. 150, pag. 570.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

reliquimus (1). Quare valde probabilis est sententia Magni Alberti (2) aliorumque admittentium ideam propriam materiæ.

accidentium

117. Quæritur 5.° An et quo pacto Deus habeat ideam accidentium. Negavit Plato, ea permotus ratione, quod putaret accidentia immediate produci ab ipsa substantia, quare concludebat non esse necessariam nisi solius substantiæ ideam (3). *Sed quia nos ponimus Deum* (esse) *immediatam causam untuscujusque rei, secundum quod in omnibus causis secundis operatur, et quod omnes effectus secundi ex ejus præ-definitione proveniunt; ideo non solum primorum entium, sed aliam secundorum ideas ponimus: et sic substantiarum et accidentium*, inquit S. Thomas (4), et cum eo communissime alii scriptores.

Quod porro modum attinet, valde probabilis est Angelici Doctoris sententia duo genera distinguentis accidentium, propriorum seu proprietatum, quæ ex principiis subjecti causantur, vel dimanant, ideoque nec separari saltem naturaliter possunt ex iisdem; et communium, quæ non dimanant ex principiis sui subjecti, nec illud necessario et inseparabiliter consequuntur, sed contingenter eidem adveniunt. Et priorum quidem accidentium una communis datur in Deo idea cum accidentibus, nempe idea substantiæ cum omnibus suis partibus et attributis necessario convenientibus; aliorum vero accidentium est in Deo idea distincta ab idea substantiæ (5). Demum

(*) Vide *Cosmolog.* num. 155, pag. 580 seqq.

(2) 1.° dist. 35, art. 10.

(3) Vide apud S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 7.

(4) Loc. supercit.

(5) *Quædam*, inquit S. Doctor, *sunt accidentia propria ex principiis subjecti causata, quæ secundum esse nunquam a suis subjectis separantur; et hujusmodi una operatione in esse producuntur cum suo subjecto; unde, cum idea, proprie loquendo, sit forma rei operabilis, in quantum hujusmodi, non erit talium accidentium idea distincta, sed subjecti cum omnibus accidentibus ejus erit una idea; sicut ædificator unam formam habet de domo et omnibus, quæ domui accidunt, in quantum hujusmodi, per quam domum cum omnibus talibus accidentibus simul in esse producit, cujusmodi accidens est quadratura ipsius, et alia hujusmodi. Quædam vero sunt accidentia, quæ non sequuntur inseparabiliter suum subjectum, neque ex ejus principiis dependet; et talia producuntur in esse alia operatione præter operationem, qua producitur subjectum; sicut non ex hoc ipso quod homo est homo, sequitur quod sit grammaticus, sed per aliquam aliam operationem; et talium accidentium est in Deo idea distincta ab idea subjecti; sicut etiam artifex concipit formam picturæ domus præter formam domus.* S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 7. Cfr. 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 4.um

et mali.

118. Quæritur 6.° Utrum malum ideam habeat in Deo. Responderi potest cum S. Thoma, *quod idea secundum propriam sui rationem, ut patet ex dictis* (art. 3, quæst. 3, *de verit.*) *importat formam, quæ est principium formationis alicujus rei: unde, cum nihil quod est in Deo, possit esse mali principium, non potest malum ideam habere in Deo, si proprie accipiatur idea: sed nec si accipiatur communiter pro ratione vel similitudine; quia, secundum Augustinum* (lib. de vera Religione, cap. XVIII circa medium; et tract. 1 in Joann. super illud, *Sine ipso factum est nihil*), *malum dicitur ex hoc ipso, quod non habet formam. Unde, cum similitudo attendatur secundum formam aliquo modo participatam, non potest malum similitudinem aliquam in Deo habere; cum aliquid dicatur malum ex hoc ipso, quod a participatione divinitatis recedit* (1). Cæterum assertionem istam ipsemet Aquinas intelligit de malo formaliter, ut malum est, non autem de malo materialiter, et ut est res quædam. *Malum*, inquit, *in quantum malum, nihil est, cum sit privatio quædam, sicut cæcitas. Et ideo rei malæ idea quidem in Deo est, non in quantum mala est, sed in quantum res est: et ipsum malum per oppositum bonum cognoscitur a Deo, a quo res privationi subjecta deficit* (2). Quod confirmat alibi, scribens malum pœnæ habere ideam in Deo, quia malum ejusmodi procedit a Deo sub ratione ordinis justitiæ, et sic bonum est, et ideam in Deo habet (3).

Quæ adversus præcipuas hujusce articuli assertiones objici possent, facile solvuntur, et videri queunt apud S. Thomam in laudatis locis.

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 4. Cfr. 1 p., quæst. 15, art. 3, ad 1.um

(2) S. Thom. 1.° dist. 32, quæst. 2, art. 3, ad 1.um

(3) S. Thom. *de verit.*, quæst. 3, art. 4, ad 8.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DISPUTATIO QUINTA

DE DIVINA VOLUNTATE

Scientiam atque intellectum divinum sequitur nostro modo concipiendi voluntas et volitio, de qua posset hic fusa suavissimaque institui tractatio; sed quia quædam jam in præcedenti volumine declarata sunt, multa vero alia naturalem ordinem et cognitionis modum excedunt, breviter expedienda res est, remisso lectore ad scholasticam Theologiam, cujus est omnia plene ac cumulate pertractare.

CAPUT I

DE NATURA ET OBJECTO VOLUNTATIS DIVINÆ

ARTICULUS I

Utrum admittenda sit in Deo veri nominis volitio et voluntas.

Voluntas Dei asserta communiter, paucis exceptis.

119. Vix reperietur unus inter Scriptores, qui velle Deo diserte detraxerit. Quamquam enim Magnus Albertus referat (1) multos Peripateticorum negasse voluntatem esse Deo asserendam, at ipsemet sic interpretatur mentem illorum, ut noluerint removere a Deo voluntatem immobilis complacentiæ in bonis habitis et possessis, nec etiam voluntatem, qui sit liber animi motor, sed tantum voluntatem, quæ sit appetitus boni non habiti, quo volens perficiatur (2); namque talis voluntas manifeste involvit indignam Deo imperfectionem. Potuerunt tamen implicite negare voluntatem illi, qui

(1) Albert. in libro *de Causis* apud Dionys. Cartusian. 1. dist. 45, quæst. 1, col. 3.

(2) P. Didacus Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, disp. 1, sec. 1.

generatim docuerunt nominibus divinis designari non reales perfectiones, quæ formaliter sint in Deo, sed tantum *habitudinem ejus ad creata, ut cum dicimus:* **Deus est bonus**, *sil sensus:* **Deus est causa bonitatis in rebus**; *et eadem est ratio in aliis* (1). Quibus accensentur illi, qui *dixerunt, quod per hoc quod Deo scientiam attribuimus, vel aliquid hujusmodi; nihil in eo ponimus, sed significamus ipsum esse causam scientiæ in creatis*, etc. (2), quemodmodum etiam retulimus, agentes de veritate scientiæ in Deo (3). Communis vero sensus omnium tenet Deo asserendum esse veri nominis *velle* ac voluntatem, quamvis non omnes, qui id generatim admittunt, recte sentiant de ipsa natura et ratione divini *velle*. Primo itaque in tuto collocanda est existentia divini velle ac voluntatis, abstrahendo a modo ejus, deinde sincera veraque ratio declaranda.

§ I.—OSTENDITUR DEO CONVENIRE VOLUNTATEM.

120. PROPOSITIO 1.ª **Datur in Deo voluntas ac velle perfectissimum.**

Datur in Deo voluntas et velle.

Prima pars: *Datur in Deo voluntas ac velle*, est certa fide divina ex infinitis Sacrarum Litterarum testimoniis, ut illa: *Non mea* voluntas, *sed tua fiat* (4). *Non sicut ego* volo, *sed sicut tu* (5): *Qui operatur omnia secundum consilium* voluntis *suæ* (6): Voluntas *Dei fuit, ut cito mihi occurreret, quod volebam* (7): *Omnia quæcumque* voluit, *Dominus fecit in cælo in terra in mari et in omnibus abyssis* (8): *Subest enim tibi, cum* volueris, *posse* (9).

Supervacaneum est Patrum doctrinam exponere, quia nihil frequentius in eorum verbis librisque scriptis recurrit quam voluntas Dei *bona* et *beneplacens* et *perfecta*.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 13, art. 1.
(2) S. Thom. *De verit.* quæst. 2, art. 1.
(3) Supra num. 3, pag. 9.
(4) *Luc.* cap. 22, vers. 42.
(5) *Matth.* cap. 26, vers. 39.
(6) *Ephes.* cap. 1, vers. 11.
(7) *Genes.* cap. 27, vers. 29.
(8) *Psalm.* 134, vers. 6.
(9) *Sapient.* cap. 12, vers. 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Communis etiam hominum sensus, doctorum et indoctorum, in agnoscenda divina voluntate conspirat. De Philosophis etiam ambigendum non est, ac nominatim de Aristotele (1) ac Platone (2); neque enim quispiam finxit Deum vitæ sensusve expertem. Quod si aliquando Philosophus (3) et Plato (4) gaudium videntur Deo negasse; nihil est, tum quia nec amor nec gaudium complectuntur universam voluntatis activitatem, ideoque ex amoris gaudive negatione non sequitur negatio voluntatis, quippe quæ latius patet; tum quia Stagirita non amorem quemlibet, sed illum, qui passio sit, contineatque aliquid pudore dignum, judicasse censendus est indignum divina Majestate. Plato vero de tristitia quidem recte sensit, nam cadere in Deum propter suam imperfectionem nequit; at gaudium exclusisse dicendus est illud solum, quod passionem importat, aut possessionem boni prius non habiti, afferatve augmentum felicitatis ex objecto extrinseco advenientis.

Quæ cum ita sint, universalis iste consensus valere potest instar argumenti ad propositionem confirmandam. Ratione vero

Probatur 1.ª asserta veritas. Deus est ens, quo nihil præstantius esse neque excogitari potest. Atqui si Deus careret voluntate ac *velle*, posset sane aliquid eo melius excogitari, quod nempe voluntate præditum est. Ergo.... *Major* constat ex probatis de divina perfectione in primo *Theodicex* volumine.

Prob. 2.º Velle ac voluntas est perfectio, in suo formali conceptu nullam implicans imperfectionem pugnamve cum majori perfectione. Atqui Deo formaliter inest omnis ejusmodi perfectio, quemadmodum probatum reliquimus in præcedenti volumine. Ergo.....

Prob. 3.º Deo, utpote causæ atque auctori omnium rerum creatarum, tribuenda est omnis perfectio relucens in illis,

(1) Vide lib. 7 *Ethicor.* cap. ultim.; lib. 10, cap. 8. Cfr. auctor lib. *de Mundo*, prope fin.

(2) In *Alcibiade primo*, in fine; et in *Timæo*, ante med.

(3) Libr. 2 *Magnor. Moral*, cap. 11, non procul a princip.

(4) In *Philebo*, prope med.

et quidem formaliter, si nullam ea in suo formali conceptu contineat imperfectionem. Atqui dantur entis creata voluntate prædita, eaque, ut modo dicebamus, est perfectio nullam in formali suo conceptu involvens imperfectionem. Ergo necessario asserenda est Deo voluntas.

Prob. 4.º a priori. Voluntas naturaliter sequitur intellectum, ita ut ens intellectivum debeat esse naturaliter volitivum. Atqui Deus est ens intellectivum. Ergo....

Minor constat ex præcedenti disputatione. **Major vero probatur**, quia quælibet res inclinatur in bonum sibi consentaneum, quæ inclinatio vocatur *appetitus*. Ergo sicut res cognitione carentes habent appetitum *innatum* seu naturalem ad formam convenientem, ita res cognitione præditæ, necesse est, ut habeant appetitum formæ vel boni, quod aprehendunt ceu sibi conveniens, appetitum videlicet sensitivum boni sensibus apprehensi, intellectualem vero seu rationalem, qui voluntas nominatur, boni cogniti per intellectum (1). Brevi, omne quod habet virtutem cognoscitivam, potest dijudicare conveniens et repugnans; et quod apprehenditur ut conveniens, oportet esse volitum vel appetitum (2).

Secunda pars: *Voluntas et velle divinum est perfectissimum*, non eget probatione, quia in ente infinito et præstantissimo nihil potest esse non perfectissimum. Illudque perfectissimum.

(1) Cfr. *Psichology*, vol. 2, num. 21, pag. 110. Egregie S. Thomas: *Illud, quod consequitur omne ens, convenit enti, in quantum est ens. Quod autem est hujusmodi, oportet, quod in eo maxime inveniatur, quod est primum ens. Cuilibet autem enti competit appetere suam perfectionem et conservationem qui esse, unicuique tamen secundum suum modum. Intellectualibus quidem per voluntatem, animalibus per sensibilem appetitum, carentibus vero sensu per appetitum naturalem. Aliter tamen, quæ habent, et quæ non habent. Nam ea, quæ non habent, appetitiva virtute sui generis desiderio tenduntur ad adquirendum quod eis deest; quæ autem habent, quietantur in ipso. Hoc igitur primo enti, quod Deus est, deesse non potest. Cum igitur ipse sit intelligens, inest sibi voluntas, qua placet sibi suum esse et sua bonitas.* S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 72 *Amplius, illud* ... Cfr. 1 p., quæst. 19, art. 1, et ibid. Cajetan., Valentia et alii commentatores.

(2) S. Thom. 1.º dist. 45, quæst. 4, art. 1.

Voluntas ac velle divinum non est accidens nec actio producta.

Ad hanc porro perfectionem pertinet, quod voluntas et velle divinum sit ipsa Dei essentia (1), non vero accidens aliquod, nec actio producta, prout generatim docuimus de omnibus attributis in præcedenti volumine, et necessario sequitur ex eo, quod Deus sit actus purus et substantia simplicissima, expers omnis potentialitatis et compositionis. Quam ad rem proportione quadam huc afferri possent multa, quæ superius scripta sunt de perfectione divinæ cognitionis atque intellectus (2). Unde etiam constat voluntatem vel velle divinum non ita esse putandum idenficari cum essentia Dei, ut etiam constitutivum ejusdem habendum sit (3).

nec essentiæ divinæ constitutivum.

Objectiones solutæ.

121. **Objic 1.°** Actus voluntatis est tendere in finem. Atqui Deus non potest tendere in finem. Ergo...

Respondeo. *dist.* Major. Actus voluntatis est tendere in finem, id est, operatione aliqua versari circa finem, *trans.*; id est, movere se ad assequendum finem, *subdist.*; id est proprium voluntatis creatæ, quæ potest carere fine, *conc.*; id est proprium omnis voluntatis etiam increatæ, *neg.* Et *contradist.* Minore, *nego* conseq. (4).

Instabis. Quicumque versatur operatione aliqua circa finem, finem habet. Atqui nullus potest Deo assignari finis. Ergo...

Respondeo, *dist.* Major.: habet finem, qui sit talis sive proprie ac realiter, sive virtualiter, *trans.*; qui sit talis realiter, *subdist.*: si sermo sit de ente creato, *trans.*; si sit sermo de increato ente, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Finis proprie ac realiter est bonum ab appetente vel operante distinctum, quod moveat illum, vel alliciat ad operationem; et nullum potest esse bonum aut finis istiusmodi respectu Dei. Finis solum virtualiter talis dici potest bonum indistinctum ab ipso appetente, nullam in eum exercens causalitatem, et cujus ille possessione atque amore penitus quiescit, ac beatur: et hoc sensu Deus dicitur habere finem se ipsum suamve bonitatem, quia nullum alium finem habet, sed in se suaque bonitate delectatur, non

(1) Vide S. Thom lib. 1.° *Contr. Gent.*, cap. 23.
(2) Vide supra num. 41 pag. 14 seqq.
(3) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 82, seqq. pag. 270 seqq.
(4) Cfr. S. Thom. 1.ª dist. 45, quæst. 4, art. 1, ad 2.um

minus quam quævis alia res in sui proprii ac realis finis possessione conquiescit (1).

Objic 2.° Voluntas est appetitus quidam. Atqui appetitus ingenitam imperfectionem importat, siquidem appetimus rem, quam non habemus. Ergo...

Respondeo, *conc.* Major., et *neg.* Minor., cujus probationem *distinguo:* et in appetitu, ac potissimum in rationali seu voluntate, datur solum actus appetendi, quæ non habemus, *neg.*; datur etiam actus amoris et delectationis boni, quod possidemus, *conc.*; et *neg.* conseq. Nam appetitus *quamvis ab appetendo nominetur, non tamen hunc solum habet actum, ut appetat quæ non habet, sed etiam ut amet quod habet, et delectetur in illo. Et quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur, quæ semper habet bonum, quod est ejus objectum, cum sit indifferens* (indistinctum) *ab eo secundam essentiam* (2).

Objic. 3.° Voluntas, teste Philosopho (3), est movens motum, quandoquidem movetur a suo objecto. Atqui Deus, cum sit primum movens immobile, moveri nequit. Ergo nec habet voluntatem.

Respondeo, *dist.* Major. Voluntas, cujus objectum principale est bonitas extra ipsam voluntatem posita, est movens motum, *conc.*; cujus objectum principale est ipsa volentis bonitas, *neg.*

Et *concessa* Minore, *nego* conseq. Quemadmodum enim mox videbitur, *objectum divinæ voluntatis est bonitas sua, quæ est ejus essentia: unde cum voluntas Dei sit ejus essentia, non movetur ab alio a se, sed a se tantum, eo modo loquendi, quo intelligere et velle dicitur motus, nempe in sensu largissimo et improprio* (4). *Et secundum hoc Plato dixit* (5), *quod primum movens movet se ipsum* (6).

(1) Cfr. S. Thom. *de verit.* quæst. 23, art. 1, ad 3.um
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 1, ad 2.um. Cfr. *de verit.*, quæst. 1, ad 8; 1.ª dist. 45, quæst. 4, art. 1, ad 1.um
(3) Aristot., *de Anim.* lib. 3, text. 54.
(4) Vide *Cosmolog.* num. 278, pag. 1.001, 1.002.
(5) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 33, pag. 131, 132.
(6) S. Thom., 1 p., quæst. 29, art. 1, ad 3.um Cfr. *de verit.*, quæst. 23, art. 1, ad 7.um; et 1.ª dist. 45, quæst. 4, art. 1, ad 3.um
Quædam aliæ objectiones solutæ videri possunt apud S. Thomam, *de verit.*, quæst. 23, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ II. UTRUM DETUR IN DEO VOLUNTAS PER MODUM POTENTIÆ VEL ACTUS PRIMI.

Quæstionis status aperitur.

122. Quæstio est similis est illi, quam supra de divino intellectu tractata est (1), et simili etiam modo resolvenda. Nimirum ex dictis in altera parte præcedentis propositionis colligitur, voluntatem in Deo non esse habitum nec accidentalem aliquam potentiam substantiæ, sed ipsam substantiam vel essentiam, a qua nullatenus potest re distingui, salva simplicitate. Colligitur etiam, *velle* divinum sive actualem operationem volendi non esse actionem aliquam ita ab essentia vel voluntate profluentem, ut ab ea realiter distinguatur, ideoque voluntas respectu illius habenda sit instar potentiæ cujusdam physicæ respectu sui actus, vel instar actus primi re distincti ab operatione vel actu secundo inde procedente (2). Et ad hoc significandum dici solet, in Deo non tam esse voluntatem, quam *velle*, quamquam hoc *velle* repræsentare aut potius imaginatione fingere solemus instar actionis elicitæ a voluntate, fere sicut repræsentare solemus angelum specie juvenis formosi.

Dubitari autem potest, utrum detur in Deo voluntas seu potentia, non quidem propne physica, sed quasi physica et formalis ex natura rei vel virtualis intrinseca, quam superius explicatam reliquimus, cum sermo esset de intellectu et in-

et resolvitur.

tellectione. Et negandum videtur propter rationes ibidem allatas, quæ huc afferri possunt (3). Affirmari tamen probabilius potest, quamvis id quoque non pauci negent, esse in Deo voluntatem tamquam potentiam quamdam metaphysicam. Verum quia hæc satis patent ex dictis de divino intellectu, et iisdem argumentis probanda essent, lectorem remito ad laudatum locum, ubi satis enucleata sunt (4). Itaque eodem fere modo, quo ratio volitivi distinguitur in Deo ab

(1) Vide num. 6, pag. 28 seqq.
(2) Cfr. superius dicta relate ad intellectum et intellectionem divinam, num. 6, pag. 29, *Primum itaque...*
(3) Vide supra, num. 7, pag. 30 seqq.
(4) Vide num. 8 et 9, pag. 32, 33.

essentia tamquam attributum ratione distinctum secundum traditam in præcedenti volumine doctrinam, videtur etiam distingui voluntas a *velle*, quia nempe possumus hos duos veros conceptus efformare de Deo, *potens velle* et *volens*; quorum primus non expresse ac clare exprimit ipsum *velle*, a quo proinde, saltem imperfecte ac penes implicitum et explicitum, præscindit secundum nostrum modum concipiendi divina per species rerum creatarum.

§ III. UTRUM CONVENIAT DEO APPETITUS INNATUS.

Duplex appetitus.

123. Cum alibi distinxerimus appetitum in elicitum, qui cognitionem sequitur, et innatum, qui et naturalis dici solet, et cognitionem non subaudit, sed naturaliter insitus est, ideoque reperitur etiam in entibus cognitionis expertibus quæret quispiam, utrum Deo convenire queat ejusmodi appetitus (1). Ratio dubitandi est, 2) quia ex suo conceptu vitalis non est, unde et convenit etiam non viventibus; at appetitus ejusmodi videtur imperfectionem importare. 3) Appetitus innatus videtur proprius esse illarum rerum, quæ ex se ipsis non obtinent consumatam perfectionem, secus enim nihil esset, quod naturaliter appeterent. Planum autem est id dici non posse de Deo. Quod si dicas, in Deo esse appetitum naturalem, non ad propria commoda, sed ad aliarum rerum bonum; 7) sequitur, vel Deum se necessario aliis communicare, vel appetitum Dei non expleri, quorum utrumque manifeste repugnat (2).

Rationes dubitandi.

Hac de re non una est scriptorum sententia vel potius modus loquendi. Satis communiter videntur convenire in eo, quod Deo tribui possit aliquo modo appetitus innatus; sed nonnulli, ut PP. Jacobus Granado (3) et Didacus Ruiz de Montoya (4), existimantes sub appetitu presse sumpto nonnihil imperfectionis includi, nempe vel carentiam boni, quod

ac varia Doctorum sententiæ.

(1) Cujus et notionem et discrimen ab elicito appetitu explicuimus in limine voluminis tertii *Psychologiæ*.
(2) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 3.
(3) In 1.am part., tom. 2, controv. 3 generalis, tract. 1, disp. 1, num. 5.
(4) *De voluntate Dei*, disp. 1, sect. 2, num. 18 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

appetitur, vel aliquam potentialitatem perfectibilem per illud bonum, quod appetitur, negant appetitum innatum in stricto sensu Deo convenire. P. Arrubal arbitratur, dari ejusmodi appetitum in Deo respectu eorum, ad quæ habet Deus aliquam rationem principii activi, non autem respectu suorum internorum bonorum perfectionumve naturalium, ad quas non habet rationem activi principii, quandoquidem cum illis identificatur (1). Idemque aliis verbis sentit P. Carleton Compton (2). Alii absque distinctione ac limitatione concedunt Deo appetitum innatum sive erga suas perfectiones sive erga creaturarum productionem; quæ est sententia Francisci Suarez (3), Valentini Herice (4), thomistæ Vincentii Ferre (5) aliorumque.

Status quæstionis.

Ut vides, tota præcipue controversia huc revocatur, utrum appetitus in stricto sensu acceptus necessario implicet in subjecto ex sese carentiam aut absentiam boni, quod appeti dicitur, et utrum requirat disiunctionem appetentis et boni, quod appetitur. Alii affirmant, alii negant, et sic tandem quæstio fit de voce, nam in re ipsa facile convenire possent diversi scriptores. Nos in primo paragrapho hujus articuli negavimus cum S. Thoma, ad essentiam appetitus pertinere, ut absens sit objectum, siquidem unus ex actibus ejus est delectari in bono possesso (6). Cur ergo repugnet Deo appetitus non quidem boni, quo carere queat, et desideret, aut quærere debeat, sed boni, quo perfruatur? Nam jam suo loco notatum reliquimus, plures actus considerari posse in appetitu innato per analogiam actuum appetitus eliciti, nempe actus amoris, desiderii, gaudii, etc. (7).

Resolvitur breviter controversia.

Simili modo non apparet, cur ad rationem ac nomen appetitus innati requirenda sit realis distinctio subjecti appetentis et objecti; etenim passim dicitur quælibet res appetere suum *esse* suamque entitatem, quæ profecto non est aliquid

(1) Arrubal, In 1.am part., quæst. 19, art. 1, disp. 50, cap. 2 et 3.
(2) *De Deo*, disp. 30, sect. 5.
(3) *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 4 seqq.
(4) Tract. 2, disp. 12, de *voluntate Dei*, cap. 4.
(5) In 1.am part., tract. 9, qu est. 1, paragr. 5.
(6) Vide supra num. 121, pag. 433 in resp. ad *Object.* 2 am,
(7) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 15 pag. 4, 5.

re distinctum ab appetente. Et per appetitum elicitum rationalem etiam in stricto sensu dicitur aliquis se ipsum amare: quare nullum idoneum argumentum proferent adversarii, ut evincant aliter loquendum esse de innato appetitu (1). Quæ cum ita sint, existimo valde probabiliter asserendum esse Deo appetitum innatum saltem relate ad bona interna internave attributa et perfectiones ipsius.

et confutatur ipsius primæ rationis dubitandi.

124. Duæ vero priores rationes dubitandi initio propositæ nihil valent. 2) Prima quidem, quia quid refert, quod hic appetitus communis sit rebus inanimatis? multa enim prædicata sunt Deo et ipsis communia, ut esse substantiam, ens, etc. Quocirca non omnis ratio, quæ abstrahit, vel præscindit a vitalitate, imperfecta est, sed illa tantum, quæ condistinguitur, et opponitur vitæ; quæ vero est quasi transcendens, et intime inclusa etiam in ipsa vita, perfectionem simpliciter dicere potest; ita vero se habet naturalis appetitus ad vitalem, et hoc modo solet distingui ipsamet voluntas in naturam et voluntatem ut sic. Unde non solum in voluntate creata, quatenus est potentia, sed etiam in ipsomet actu elicito, inhibitur naturalis appetitus; nam actus amoris, verbi gratia, Dei, ut est talis entitas, naturalem propensionem habet ad Deum, et ad suum proprium esse, et ita appetit semper esse, et sic de aliis. Ergo quamvis in Deo nihil sit, quod non sit vita, imo licet nihil sit, quod non sit vitalis amor, nihilominus in eo intelligitur includi ratio appetitus naturalis» (2).

3) Altera etiam ratio facile solvitur negando appetitum innatum esse exclusive proprium earum rerum, quæ per se ipsas non habent consummatam perfectionem, sed aliunde illam assequuntur. Nec opponas communem loquendi modum; nam reapse non est communis apud scriptores nec in scholis ille vocis usus, quo appetitus adhibeatur solum ad designandum actum facultatis appetitivæ, tendentis ad bonum absens, quandoquidem unus ex actibus appetitus est amor, qui præscindit ab hoc, quod bonum absens sit, vel possideatur ab

(1) Egregie in hanc rem P. Franciscus Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 4.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 6.

appetente, et alter gaudium aut delectatio, qua quis quiescit in bono præsenti ac possesso.

Utrum Deus innatum appetitum habeat respectu bonorum externorum.

125. Idem dicendum esse censent plures de appetitu naturali rei relate ad res externas et creatas, quibus suam communicat perfectionem, quod in tertia ratione 7) dubitandi tangebatur. Probantque primo, quia bonum, qua tale, testante S. Dionysio (1), est diffusivum sui. Ergo summe bonum est summe diffusivum, habensque propensionem maximam ad se diffundendum et aliis communicandum. *Ipsam, ut opinor, divinam essentiam,* inquit laudatus Dionysius, *bonitatem appellantes, quod hoc ipso quod bonum est, ut bonum per se est essentia sua, in ea, quæ sunt, omnia bonitatem diffundat. Ut enim sol noster,* non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, omnia illustrat, *quæ ejus lumen pro modo suo capere possunt; sic etiam ipsum bonum, quod ita præstat soli, ut prima species tenui obscuræque imagini, per se ipsaque essentia sua iis, quæ sunt, omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emittit.* Atque hoc sensu SS. PP. et Doctores Scholastici docere solent conveniens fuisse, ut Deus humanam naturam assumeret (2).

Præterea omnis potentia activa inclinatur ad operationem suam consentaneam, ideoque rationem induit naturalis appetitus. Atqui est in Deo perfectissima potentia agendi ad extra. Ergo et appetitus communicandi aliis suas perfectiones.

Denique quamvis nullæ res creatæ sint necessariæ ad perfectionem et beatitatem Dei, sunt tamen bona quædam extrinseca ejus, et pertinent ad ejus gloriam, cultum, honorem, notitiam atque amorem. Quæ omnia naturaliter appetibilia sunt, nec eorum appetitus dedecet Deum. Ergo videtur esse horum quoque appetitus in Deo (3).

Auctoris sententia.

Credidérim tamen, salvo meliori sapientiorum judicio, appetitum istum naturalem aut non esse proprium et strictum, aut certe non ejusdem rationis ac appetitus naturalis Dei relate ad interna sua bona. Nimirum appetitus proprie et

(1) *De divin. nom.* cap. 4, initio.

(2) Vide S. Thom. et interpretes ejus ac Theologos passim, in 3 part., quæst. 1, art. 1, vel in limine ipso tractatus *de Incarnatione.*

(3) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 7; Didac. Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, disp. 1, sect. 2, num. 10 seqq.

stricte naturalis est jus quoddam et exigentia termini alicujus vel propensio per se naturaliter tendens ad illud, quod appeti dicitur. At Deo, salva ejus plenissima independentia ab omni creatura et summa libertate in omni opere ad extra, non potest, opinor, convenire hujusmodi propensio; ideoque appetitus communicandi suas perfectiones in Deo videtur mihi concipienda esse non instar exigentiæ cujusdam operandi, sed instar perfectissimæ aptitudinis, aut etiam liberrimæ convenientiæ, fere sicut perfecte liberæ voluntati convenit operari, sed cum pleno dominio ac independentia, et sicut optimo liberalissimoque viro valde conforme est magnifica dona largiri ultra omne jus ac debitum meritumve cujuslibet generis ex parte recipientium, atque adeo præter omnem etiam expectationem; quia nimirum in hoc potissimum relucet largitus donantis, ut, quin teneatur ulla debiti necessitate erga alterum, ob solam suam bonitatem munificentiam exerceat, etiamsi nullatenus culpandus esset aliter agendo. Quæ sane propensio agendi valde diversa est a propensione naturalium potentiarum ad efficiendas consentaneas actiones, quæ de se ineluctabilis est, ac transcendentalem ordinem fundat respectu earum, ideoque jure merito vocatur appetitus innatus, quemadmodum concludebat secunda probatio, quæ proinde non evincit stricte sumptum appetitum naturalem, sed alium modo descriptum. Idemque judicium ferendum esse videtur de aliis duabus probationibus in contrarium adductis, ut jam per se constat ex dictis. Quæ cum ita sint, nihil contra istam doctrinam concludit tertia 7) ratio dubitandi in limine hujus controversiæ proposita.

ARTICULUS II

Quotuplex sit voluntas Dei.

Ratio distinguendi multiplicem in Deo voluntatem.

120. Quamvis una sit in Deo simplicissima realitas, quæ voluntas appellatur, eademque penitus identificata cum essentia, nequit tamen tota ejus virtus explicari a nobis una voce unove conceptu: quare solemne est Theologis, multiplicem distinguere voluntatem, ratione videlicet, ac per

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ordinem ad diversa objectorum et actuum vel effectuum genera.

Voluntas beneplaciti et signi

Primo itaque dividitur voluntas divina in voluntatem *beneplacili* ac *signi*. Voluntas beneplaciti dicitur respectu actus, quo Deus aliquid formaliter vult, sive positive approbando sive permittendo; voluntas vero signi dicitur non respectu actus ipsius formalis et interni, quo Deus vult, sed respectu actus, qui est signum et manifestatio interioris volitionis. Quapropter voluntas signi non vocatur proprie ac formaliter, sed improprie ac metaphorice, fere sicut testamentum vocatur ultima voluntas testatoris, quia est signum et effectus ac manifestatio illius. Voluntas ergo beneplaciti per oppositionem ad voluntatem signi sumitur hic in sensu longe latiori, ac sumitur interdum pro voluntate Dei efficaci (1). Cæterum quinque numerantur a Theologis cum S. Thoma signa ejusmodi voluntatis divinæ, videlicet *præceptum, prohibitio, permissio, consilium et operatio*, quæ memoriæ juvandæ causa hoc versiculo solent comprehendi:

Hæc voluntas beneplaciti distinguenda est a voluntate efficaci.

Quot signa divinæ voluntatis.

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet (2).

Aliæ enim actiones, ut *promissio, præparatio, comminatio*, etc., quæ a quibusdam assignantur, ab aliis ad aliquem ex illis quinque revocari solent.

Voluntas efficax et inefficax.

127. **Secundo** dividitur voluntas *in efficacem et inefficacem*. Prima est, quæ habet effectum; altera, quæ non sortitur effectum.

absoluta et conditionata.

128. **Tertio** dividitur in absolutam et conditionatam. Illa est, qua Deus independenter ab ulla conditione vult rem aliquam: talis est v. g. voluntas creandi mundum. Conditionata est illa, qua vult quidem rem, sed dependenter ab aliqua conditione, quæ potest poni vel non poni; ut voluntas salvandi justum dependenter ab ejus consensu gratiæ divinæ præstito ac bonis operibus. Sunt, qui hanc divisionem cum præcedenti confundant, sed alii distinguunt, quia voluntas conditionata, potest esse efficax et inefficax, prout conditio, a qua effectus pendet, ponatur vel non ponatur, ut

(1) Vide P. Ruiz de Montoya, *De volunt. Dei*, disp. 8, sect. 4.

(2) Lege, S. Thom. 1. p., quæst. 19, art. 2; *de verit.*, quæst. 23, art. 3; 2.ª dist. 45, art. 4. Cfr. 1 p., quæst. 19, art. 11.

constat in voluntate salvandi homines. Fateor tamen in his posse aliquam esse diversitatem loquendi pendentem ex opinionibus circa controversias alias.

necessaria et libera.

129. **Quarto** voluntas divina dividitur in *necessariam et liberam*. Per illam fertur Deus in bonum necessarium modoque necessario, v. g. in suam infinitam bonitatem. Per liberam autem tendit in bona creata, prout aliquando existentia vel non existentia.

Antecedens et consequens.

130. **Quinto dividitur voluntas** *in antecedentem et consequentem*, cujus divisionis meminit primum S. Joannes Chrysostomus sub nomine *primariæ et secundariæ* voluntatis (1), et mox S. Joannes Damascenus (2) sub hac eadem apellatione jam communi apud Scholasticos cum S. Thoma (3), quamvis non eodem modo ab omnibus declaretur, potissimum (4) pro sententiarum varietate inter Thomistas et Nostrates circa gratiam et prædetestinationem. «Divisio voluntatis in antecedentem et consequentem, inquit cardinalis Gotti, sumitur ex *diverso statu, in quo objectum aliquod* potest considerari, ita ut antecedens sit ea, *quæ versatur circa objectum, ut est in specie sua, seu ut abstractum et præcisum ab omnibus circumstantiis particularibus, in quibus in individuo et a parte rei reperitur*; consequens vero sit ea, *quæ versatur circa objectum non solum ut in specie consideratum,*

quæ divisio ab aliis declaratur: explicatio Thomistarum.

(1) Serm. 1 in epist. ad *Ephes.*

(2) *De fid. orthod.* lib. 2, cap. 29.

(3) 1 p., quæst. 19, art. 6, ad 3.um; *de veritate*, quæst. 23, art. 2.°; 1.° dist. 46, quæst. 1, art. 1.

(4) *Potissimum*, inquam, quia propter expositiones hujusce divisionis, quæ a Thomistis et Nostratibus dantur, et his exponendæ veniunt, adest tertia opinio, quam sic describit Eximius Doctor «Quidam dicunt voluntatem antecedentem vocari, quando non terminatur ad rem aliquam in se, sed ad aliam antecedentem, ex qua sufficienter potest altera fieri, licet fortasse impedienda sit, ne fiat. Ita videtur exponere Durandus (in 1.° distinct. 47, quæst. 1, num. 5), et ibid. Bonaventura (art. 1, qu. 1). Hervæus (dist. 46, quæst. 2), Gabriel (quæst. 1), et alii, quos refert in relectione 1.ª disp. 1, sect. 2, num. 8. Exemplo declarant, quia vult Deus reprobos salvari, non quia velit eis gloriam: sed quia vult sufficientem gratiam, in qua veluti antecedenter continetur gloria. Suarez, *De Deo*, etc. lib. 3, cap. 8, num. 4, ubi hæc expositio confutata videri potest.

sed in individuo, seu cum omnibus circumstantiis, quibus in individuo a parte rei reperitur (1).

Totam hanc declarationem derivant Thomistæ ex illa Doctoris Angelici sententia: *Quæ quidem distinctio* (voluntatis antecedentis et consequentis) *non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum considerandum est, quod unumquodque, secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet: sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, et malum est eum vivere: unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnes homines salvari, sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid: quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in se ipsis sunt, in se ipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus: quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod judex justus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid velle eum vivere, scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas, quam absoluta voluntas. Et sic patet, quod quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, non fiat* (2). Ubi vides voluntatem antecedentem ex hac Aquinatis expositione esse voluntatem secundum quid et inefficacem, ac potius velleitatem.

(1) Gotti, *Theolog. dogmat. Scholast.* tom. 1, tract 5, quæst. 1, dub. 4, paragr. 2, num. 15. Cfr. Billuart, *De Deo*, dissert. 7, art. 5.

(2) S. Thom 1 p., quæst. 19, art. 6, ad 1.um, Cfr. 1.ª dist. 46, quæst. 1; art. 1, et in epist. 1.am ad *Timoth.* cap. 2, lect. 1; itemque *de verit.* quæst. 23, art. 2, corp. et ad 2.um

explicatio Nostrorum.

Paulo aliter nostri scriptores describunt voluntatem antecedentem et consequentem Dei: primam nempe dicunt esse illam, qua Deus vult aliquid ex nativa propensione suæ bonitatis antecedenter et independenter a nostris operibus prævisis. Hoc pacto vult Deus salutem ac beatitatem omnium prorsus hominum. Consequentem vero voluntatem dicendam esse contendunt eam, qua Deus aliquid decernit, vel vult, supposita præscientia operum nostrorum, vel dependenter a meritis aut demeritis nostris absolute prævisis. Sic Deus vult sontem puniri propter sua peccata, quamvis antecedenter ad illa nullatenus vellet illum damnare (1). Declaratio hæc manifestissime desumitur ex S. Joanne Chrysostomo (2) et S. Joanne Damasceno (3) aliisque multis Patribus et sacrarum Literarum testimoniis (4), ex quibus omnibus colligitur, Deum de se, seu ex indole sua et antecedenter ad peccata et impedimenta ab ipsis hominibus posita, velle omnium prorsus bonum ac salutem, et non nisi ob eorumdem peccata de viis misericordiæ ad justitiam deflectere, ac supplicia velle. Audiatur S. Damascenus in *Dialogo contra Manichæum: Neque enim, ait, cur sceleratus pœnas luat, judex causa est, etiamsi ipse volens sententiam ferat. Verum is, qui facinus admisit, pœnam sibi ipsi accersit: judex autem justitiæ causa est. Justitiam porro bonam rem esse constat. Quamvis enim volens judicet, non tamen primariæ voluntatis ratione judicat; sed secundariæ. Primaria enim voluntas est id, quod quispiam ex se ipso vult. Secundaria autem id, quod earum rerum, quæ contingunt, causa vult. Primarie namque Deus ex se ipso vult, omnes homines salvos fieri, atque ad veritatis agnitionem venire. Cum autem peccamus utilitatis nostræ causa nos castigari vult. Ita primaria Dei voluntas bonitatis est, secundaria justitiæ.*

quæ ut confirmatio Patrum ac Scripturarum doctrinæ appendatur.

Similiter S. Bernardus: *Verum id quidem*, inquit; **Cui vult, miseretur, et quem vult, indurat.** *Sed quod miseretur, proprium*

(1) Vide Suarez, *De Deo*, lib. 3, cap. 8, num. 6; Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, disp. 19, sect. 2.

(2) In Epist. ad *Ephes.* serm. 1.

(3) In *Dialogo contr. Manich.* vers. fin.; *et de ortodox. fide*, lib. 2, cap. 29.

(4) Vide apud. P. Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 1 et seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illi est; ex se enim sumit materiam et veluti seminarium miserendi (en voluntatem antecedentem). *Nam quod judicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus* (en voluntatem consequentem disertissime descriptam secundum nostrorum scriptorum expositionem). Et mox idem S. Doctor confirmat Deum vocari Patrem misericordiarum, non judiciorum, ob eam præsertim rationem *quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro* (1). His consona scripserunt Tertullianus (2), S. Joannes Chrysostomus (3), S. Hieronymus (4), S. Gregorius (5) aliique. Eamdemque rei declarationem tribuit plerisque Scholasticis P. Didacus Ruiz de Montoya (6).

Expenditur ultima utriusque explicationis.

Ut vides, discrimen harum expositionum in eo est, quod secundum S. Thomam et Thomistas prioritas et posterioritas voluntatis antecedentis et consequentis petatur ex parte volitorum; nam quia prius est res absolute et secundum naturam suam, quam secundum circumstantias considerata, ideo voluntas sumit nomen ac rationem antecedentis vel consequentis, prout versetur sub prima vel sub altera consideratione. At vero in SS. Patrum ac nostrorum scriptorum declaratione, ratio prioris et posterioris aliunde desumitur, nempe ex nativo, ut ita dicam, instinctu atque impetu voluntatis divinæ, quæ prius est nostra consideratione, quam actus ejusdem voluntatis consequens opera creaturæ. Vel aliis verbis, ex nostrorum hominum sententia, voluntas Dei dicitur antecedens vel consequens in ordine ad actus liberos creaturæ, vel in ordine ad merita vel demerita prævisa. Jam si res bene perpenditur, in utraque expositione adest congrua ratio denominationis (7), et sub hoc respectu posset quis existimare totam diversitatem spectare ad quæstionem de voce. Nihilominus non desunt inter Thomistas et Nostrates in ipsis rebus

(1) S. Bernard., serm. 5 in *Natal. Domini*, in med.
(2) *Contra. Marcion.* lib. 2, cap. 11, prop. med.
(3) Homil. 1.ª in epist. ad *Ephes.*, num. 2.
(4) *In Ezech.* cap. 16, vers. 52; et in *Malachiam*, cap. 1, vers. 6.
(5) In lib. 1.um *Regum*, lib. 2, cap. 2.
(6) *De volunt. Dei*, disp. 19, sect. 3, num. 15. Cfr. cardin. Franzelin, *De Deo*, *Thesis* 48.
(7) Cfr. Suarez, *De Deo*, etc. lib. 3, cap. 8, num. 8.

haud parvi momenti gravissimæ dissensiones, cum hac varietate declarandi prædictas voluntates connexæ.

Capita doctrinæ omnera cum hac variata explicandi voluntatem antecedentem et consequentem.

Et 2) primo quidem quoniam voluntas Dei antecedens, prout a Thomistis declarata, non est voluntas simpliciter, sed tantum secundum quid et velleitas, ut modo notavimus, non pauci Thomistæ, ut Bañez, Zumel et Navarrete apud Franciscum Sylvium (1), qui eisdem adhæret, aliis tamen dissentientibus, inter quos Billuart (2) et Gotti (3); contendunt voluntatem antecedentem salutis omnium esse in Deo non proprie ac formaliter, sed solum eminenter et per tropum, sicut pœnitentia et alii affectus imperfectionem in suo conceptu involventes. Contra quam doctrinam tenent Nostrates, et multi etiam Thomistæ, Deum voluntate antecedente vera et propria, seria et sincera velle omnium prorsus hominum salutem.

3) Conveniunt quidem omnes in eo, quod punitio sontium sit objectum voluntatis divinæ consequentis, sed rationem rem explicandi diversissimam reddunt. Nempe nostri totam radicem inflictæ pœnæ repetunt ex perversa hominis voluntate, rejicientis gratiam divinitus præstitam, et male operantis; quandoquidem Deus, quantum est de se, non vult ullius hominis mortem: Thomistæ vero alias præterea inducunt causas æternæ damnationis præter peccata hominum, nempe *decorem universi, rationem providentiæ universalis, ostensionem attributorum divinorum*. Nam «Thomistæ, inquit Billuart, fatentur quidem, Deum non velle homines salvos facere nisi volentes, volitione tamen, non quam ab eis expectet (4), sed quam in eis ipsemet vi gratiæ suæ operatur (5): unde non voluit voluntatem Dei sic esse conditionatam, quasi pendeat ab ipsa volitione tamquam a conditione, cum ipse eam, quando vult, operetur, sed dicunt esse conditionatam hoc

(1) In 1.um part., quæst. 19, art. 6, *Quæritur* 2.°
(2) *De Deo*, dissertatio 7, art. 6, paragr. 2, *Dico* 2.°
(3) *De Deo*, tract. 5, quæst. 2, dub. 1, paragr. 2.
(4) Intelligi debet volitio bona non ex viribus naturæ, *sed ex gratia Dei habita*, prout auctores nostri *semper* docuerunt, quantumvis contrarium ipsis a quibusdam calumniosissime imputatum fuerit.
(5) Id nostri quoque scriptores docent, negando tamen gratiam hujusmodi esse prædeterminantem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sensu, si nempe non obstet *majus bonum, puta, decor universi, mutabilitas arbitrii, ratio providentiæ universalis, manifestatio attributorum*, etc. (1) Quibus similia docent Magister Didacus Alvarez et Gonet, quorum primus: «Voluntas antecedens, inquit, importat formaliter in Deo actum conditionatum, quo *vellet* salutem omnium, *nisi* ex hoc impediretur *pulchritudo universi, et bonum universale divinæ justitiæ et misericordiæ*» (2). Gonetus vero scribit, voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes ideo conditionatam dici, «quia importat actum conditionatum, quo Deus *vellet* salutem omnium hominum, nisi hoc *repugnaret ordini suæ providentiæ*, et nisi ex hoc *impediretur bonum universale suæ justitiæ et manifestatio suorum attributorum*» (3).

7) Hinc etiam in graves incidunt Thomistæ angustias ad explicandam reprobationem peccatorum. Multi enim, ut Alvarez, Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Gonet, Contenson aliique apud Billuart, «reponunt reprobationem negativam tam angelorum, quam hominum, in exclusione positiva a gloria tamquam a beneficio indebito, sicque esse gratuitam et ante prævisa demerita. Ex hac autem intentione excludendi positive a gloria volunt Deum progredi ad præparandum medium, quo hæc exclusio habeatur, scilicet permissionem peccati, qua prævisa, sic exclusis decernit æternam damnationis pœnam, nempe pœnam sensus et pœnam damni, quæ est ipsa exclusio a gloria, non amplius ut a beneficio indebito, sed tanquam pœna pro culpa. Nolunt enim primam exclusionem a regno esse pœnam, sed tantum secundam. Quia, inquiunt, prima est mera negatio rei indebitæ; secunda est privatio propter culpam. Sicut si rex deneget alicui dignitatem, quæ ipsi non debetur, non est pœna; si autem ipsi neget propter ejus demerita, alioquin concessurus, est pœna» (4).

(1) Billuart, loc. cit. in fin. paragr. 1.º et art. 6.º, paragr. 2, *Dices* 3.º

(2) Alvarez, *De auxiliis*, disp. 34, num. 5.

(3) *Clypeus Theologiæ Thomisticæ*, tom. 1, tract. 4, disp. 4, art. 4, paragr. 1 *Dico igitur...*

(4) Billuart, loc. cit. dissert. 9, art. 9, paragr. 2.

Quæ doctrina vehementer displicet etiam multis Thomistis ut videre est apud ipsum Billuart et alios, qui alias ineunt vias ad rem explicandam. At in nostrorum scriptorum sententia ratio reprobationis lucidissime declaratur ex voluntate Dei consequente prævisionem peccatorum absolute futurorum ob malitiam hominis respuentis auxilia Dei, ad recte operandum sufficientissima; saltem in frequentiori opinione prædestinationis post prævisa merita. Nam in opinione prædestinationis ante prævisa merita non tam facile res declaratur. Verum hæc nobis delibasse sufficiat, ut constet quanti sit momenti divisio voluntatis divinæ in antecedentem et consequentem.

ARTICULUS III

De quibusdam divinæ voluntatis proprietatibus.

131. Unitatis brevitatisque gratia, hic plura in unum articulum concludimus, quæ, *qualis* sit divina voluntas, magis declarent.

§ I.—DIVINÆ VOLUNTATIS IMMUTABILITAS ET LIBERTAS.

Immutabilitas et libertas divinæ voluntatis.

Immutabilitas divinæ voluntatis est ea, quam in primo Theodiceæ volumine *moralem* diximus et fuse vindicatam reliquimus (1); libertatem etiam ibidem satis accurate pro modulo nostro tractavimus (2). Quamobrem necesse non est hic iterum de hisce rebus sermonem instituere.

§ II.—UTRUM VOLUNTAS DIVINA SIT CAUSA RERUM.

Causalitas voluntatis divinæ.

132. Sensus hujus controversiæ, quam non uno in loco tractat S. Thomas (3), non est, utrum libera sit operatio, per quam Deus operatur ad extra, sed tantum utrum ad

(1) Vide, *Theodic.*, vol. 1.um, num. 167, pag. 520, num. 164, pag. 521, 522, num. 166, pag. 529 seqq.

(2) Vide, *Theodic.* volum. 1.um, num. 167, seqq. pag. 536, seqq.

(3) 1 parte, quæst. 19, art. 4; 1.º dist. 45, art. 3.º; de *potent.* quæst. 3, art. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

agendum in Deo requiratur omnino voluntas, sive ea libera sit, sive necessaria, qua de re alibi disputat S. Doctor (1), et nos etiam in præcedenti volumine disputavimus. Responsio vero communis et certa est affirmativa.

PROPOSITIO 1.ª **Voluntas Dei ita est causa rerum, ut Deus non producat res per suam naturam immediate ac præcise ut natura est, sed per intellectionem et voluntatem suam.**

Voluntas Dei est causa rerum.

Ita docent sacræ Litteræ ac Patres Ecclesiæ passim, ut videre est apud Theologos (2). Nam Deus omnia quæcumque voluit, *fecit* (3); et *operatur* omnia secundum consilium voluntatis suæ (4).

Tribus rationibus rem demonstrat S. Thomas. 1.º Quia agens per intellectum et voluntatem est prius agente per naturam. Atqui Deus est primum agens, utpote primum ens primaque causa. Ergo ... Major probatur, quia omne agens agit propter finem cognitum et intentum vel ab eodem agente, si est intellectuale, vel ab alio agente superiore, a quo actio inferioris agentis dirigatur in finem, ut accidit in operatione causarum irrationalium, quæ operantur secundum naturales vires ac tendentias ad certos fines impressas ab auctore naturæ (5) Cum ergo Deus nequeat habere agens prius aut superius, a quo directionem ad finem accipiat, necesse est ipsum agere propter finem a se ipso cognitum et intentum.

2.º Agentis naturalis proprium est agere semper idem eodemque modo, et quantum potest, nisi aliunde impediatur. Atqui valde varia sunt opera Dei, multisque modis patrata, nec facit omnia quæ potest, quamvis a nullo alio cohibeatur, nec possit cohiberi. Ergo Deus non est agens naturale, sed voluntarium.

(1) 1 p., quæst. 19, art. 3.

(2) Vide v. g. apud P. Ruiz de Montoya, *De volunt. Dei*, disp. 14, sect. 1.ª

(3) *Psalm.* 113, vers. 3.

(4) *Ephes.* cap. 1, vers. 11.

(5) Vide *Cosmolog.* num. 86, pag. 295; num. 88, pag. 303 seqq. in respons. ad *Object.* 4.ºm

Declarari et confirmari potest amplius hæc ratio ex eo, quod divina potentia cum sit infinita, non determinatur ex sese, ut hoc potius, quam illud in tanta possibilium varietate producat. Et scientia quidem potest aliquantulum potentiam determinare, monstrando illi diversas species et modos essendi; verum adhuc scientia non est sufficiens determinativum, quia scientia se habet ad opposita, cum sit et bonorum et malorum, itemque per se indifferenter se habet, ut una potius, quam alia species ex iis, quas representat, efficiatur. Nec indifferentia hujusmodi tollitur, donec accedat imperium voluntatis, decernentis, quænam ex infinitis possibilibus producenda sint (1).

3.º Effectus procedunt a causa, secundum quod in ea præexistunt; siquidem omne agens agit sibi simile. Atqui effectus creati continentur in Deo secundum intellectum et voluntatem, quæ prorsus unum sunt cum essentia; nam res creatæ præexistunt in ideis divinis et in potestate imperandi eorum effectionem (2).

Confirmatur, quia ostendimus in præcedenti volumine, Deum libertate pollere circa rerum omnium creatarum existentiam. Atqui libertas est dos voluntatis, nec potest quis libertate pollere circa rerum existentias, nisi quatenus ab ejus voluntate pendeat, ut illæ existant, vel non existant.

Quædam difficultates, quæ objici possent, apud eumdem Aquinatem solutæ legi possunt in laudatis locis. Porro quoniam in præcedenti disputatione vidimus scientiam quoque Dei esse causam rerum:

Unum voluntas sit causa propinquior intellectu.

133. Quæret quispiam, utra sit propinquior causa, intellectusne vel scientia, an voluntas. Cui quæstioni, quamvis non eodem modo responderi soleat (3), tamen sat probabilis reddi potest responsio ex S. Thoma, cujus hæc est disertissima doctrina: *Unius et ejusdem effectus, etiam in nobis, est*

(1) S. Thom. 1.ª dist. 45, art. 1.

(2) Vid. S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 4.

(3) Duos refert P. Didacus Ruiz de Montoya opiniones: prima tenet scientiam Dei esse causam magis proximam *in ratione dirigentis*, voluntatem vero *in ratione moventis*, itemque a divino intellectu propinquius causari specificationem effectus, a voluntate autem exercitium. Durandus (1.ª dist. 45, quæst. 2) et Vasquez (in 1.ºm disp. 81, cap. 2) putant voluntatem esse causam proximam,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causa scientia, ut dirigens, qua concipitur forma operis, et voluntas ut imperans; quia forma, ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod sit, vel non sit in effectu, nisi per voluntatem; unde intellectus speculativus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exsequens, quia nominat immediatum principium operationis; sed hæc omnia in Deo unum sunt (1). Unde sequi videtur, scientiam esse causam voluntate remotiorem, quippe quæ nihil potest efficere, nisi hujus accedat imperium et applicatio ad opus. Ob similem rationem potentia, *saltem quatenus exsequens*, dici posset causa propinquior ipsa voluntate (licet sub alio respectu dicenda videatur remotior, quandoquidem per voluntatem determinanda est generalitas et indifferentia potentiæ ad quemlibet ex infinite possibilibus effectibus); nihilominus nolo quidpiam de hoc nunc definire, quia nondum soluta est a nobis controversia de divinæ potentiæ a voluntate distinctione vel identitate, quæ in sequenti disputatione commodius tractanda erit.

§ III.—UTRUM VOLUNTATIS DIVINÆ POSSIT DARI CAUSA VEL RATIO?

Utilitas controversiæ.

134. Controversia hæc instituitur a S. Thoma non uno in loco (2), estque valde utilis ad naturam divinæ voluntatis cognoscendam, et ad varias resolvendas controversias theologicas, quibus disputatur, quam ob causam Deus hoc aut illud decreverit, v. g. cur Deus quempiam prædestinaverit, aut reprobaverit, cur Deus naturam humanam assumpserit, etc. Quamvis itaque jam alias veram hac de re doctrinam insinuaverimus (3), hic tamen est locus proprius eam

remotam intellectum. Ipse vero Ruiz opinatur voluntatem esse causam remotiorem, propinquiorem intellectum, non quidem quatenus proponit opus et modum operandi, ut possibilem et convenientem; sed in quantum dictat, hoc aut illud esse jam decretum a voluntate, ac proinde exsequendum de facto tali tempore, loco et mensura. Lege, si lubet, Ruiz de Montoya, disp. 14, sect. 2; et Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 50.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 4.um

(2) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 5; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 86, et 87. Cfr. *de verit.* quæst. 6, art. 2.°; 1.° dist. 41, art. 3.

(3) Vide v. g. *Ontolog.* num. 424, pag. 118; *Cosmolog.* num. 89, pag. 313.

tractandi. Controversia ergo huc revocatur, utrum Deus quidquid velit, velit *propter aliquid*. Porro velle propter aliquid duo potest importare, alterum quod perfectionem imperfectioni mixtam, alterum quod puram perfectionem importat. Imperfectioni mixtam perfectionem importat, quod unus actus voluntatis sit alterius causa, qui *propter* primum haberi dicitur. Sic media dicimur velle et eligere propter finem, quia finis appetitio movet ad eligenda media: simili modo in intellectu assensus conclusionis causatur ab assensu principiorum aut præmissarum, vel conclusio ponitur *propter* principia. In quibus exemplis vides illico imperfectionem sitam in multitudine actuum, quorum alter dependet, ac producitur ab altero. Unum velle propter aliud nullam importat imperfectionem, si particula illa *propter*, tantum significat, quemplam non velle rem unam temere, sed cum ordine ad aliud, seu cum ratione ac consilio; id enim nihil vetat etiam fieri absque multiplicitate actuum, sed cum uno simplicissimo actu sic ordinate respiciente diversa objecta, ut rursum unum *propter* aliud, vel ratione alterius, aut cum ordine ac respectu ad illud. Ideo duo quæsivimus in ipsa hujusce paragraphi enuntiatione, videlicet utrum divinæ voluntatis assignari queat *causa* vel *ratio*, quæ comprehendunt duplicem istam significationem particulæ *propter*.

135. PROPOSITIO 2.ª **Divinæ voluntatis datur quidem ratio, nulla tamen potest dari causa proprie dicta (1).**

Probatur prima pars: *divinæ voluntatis datur ratio*. 1.° Sæpe in sacris Litteris ac Patrum libris redduntur rationes, quare Deus aliquid voluerit, vel decreverit, ac fecerit. Sic enim *universa propter semetipsum operatus est Dominus* (2). Et in Prophetis passim hæc locutio invenitur: **Propter hoc** *ait Dominus* (3). Et relictis aliis Patribus, S. Augustini est illa vox: *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse?* (4).

Divinæ voluntatis datur quidem ratio.

(1) Ita S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 86 et 87; 1 p., quæst. 19, art. 3.

(2) *Proverb.* cap. 16, vers. 4.

(3) Vid v. g. *Isaiæ* cap. 1, vers. 24; cap. 3, vers. 14, etc. etc.

(4) In lib. *Octoginta trium quæstion.*, quæst. 46.

Prob. 2.° Atque hinc sumitur prima ratio assertionis. Nam si nulla daretur divinæ voluntatis ratio, Deus omnia temere nulloque ordine vellet, atque operaretur. Atqui hoc nefas est cogitare, cum omnia Deus in sapientia faciat, ac decernat. Ergo.....

Prob. 3.° Agere propter certam rationem de se perfectionem involvit, dummodo admixtam non afferat causalitatem actuumve multiplicitatem, quemadmodum nuper explicuimus. Ergo tenendum est dari rationem divinæ voluntatis.

Explicatur hæc ratio. Nam in primis ad perfectionem Dei attinet, ut velit res secundum mutuum ordinem, quem in se servant. Atqui hoc perinde est, ac unum velle propter aliud vel ratione alterius. Sic rerum creatarum universitas cedit in gloriam Dei, et consequenter volens Deus suum bonum, recte ordinatissimeque vult universum *propter* se suæque gloriæ bonum. Similiter res mundanæ complent ordinem universi secundum gradum gloriæ ac manifestationis bonitatis divinæ a Deo electum. Unde rectissime volet singulas species *propter* hoc universi complementum, aut etiam directe *propter* manifestationem suæ gloriæ. Item posito quod voluit hominem creare, rectissime volet propter hominem plurima, quibus eget homo, quæve hominem respiciunt tamquam finem. Simili modo generatim quæ *sunt* in se ipsis media, rectissime volet ut talia *propter* finem; et præmium ac pœnam *propter* merita ac demerita, etc. Vides ergo ad magnam perfectionem spectare posse, ut Deus alia velit propter alia. Deinde non est in hoc timenda multiplicitas actuum, nam Deus uno actu attingit, quæ voluntas creata non potest attingere sine multis actibus, et ita quidem ut in illo unico actu considerari possit ordo diversus respectu diversorum objectorum; nam unicus actus divinus in sua infinita virtualitate sufficit ad attingenda simul omnia, quæ creata voluntas infinitis et successivis actibus attingere potest. Denique nec timenda est causalitas ulla rerum aliarum in voluntatem Dei ex eo, quod Deus alia velit propter alia. Nam cum nihil sit bonum in creatis, nisi quatenus divinam participat bonitatem, Deus in sua sola bonitate habet, quidquid sufficit ad quamlibet rem appetendam, cum præsertim nulla res creata possit addere quidpiam

perfectioni ac bonitati Dei. Ergo pro Deo nihil extra se habet appetibilitatem, ut possit voluntatem illius movere, et sic sive rem aliquam quasi seorsum ac solitarie velit, sive unum propter aliud, non ex externæ bonitatis motione vult, sed ex amore suæ bonitatis sic extrinsecus communicatæ ac manifestatæ, quæ est ratio prima et suprema volendi omnia. Sua porro bonitas non potest Deum proprie movere, quia est unum idemque cum sua essentia et voluntate atque actu voluntatis; nihil autem potest esse causa sui ipsius.

Probatur jam altera pars propositionis: *nulla dari potest causa divinæ voluntatis*. Causa proprie dicta vel est efficiens, vel materialis, vel formalis, vel finalis. Atqui voluntatis Dei nulla istarum causarum assignari potest. Nam voluntas sive considerata ut actus sive ut potentia, est ipsamet essentia Dei. Atqui essentiæ Dei nefas est vel dubitare, num conveniat efficiens causa, cum sit ens a se. Item simplicitas essentiæ divinæ excludit ab ea omnem compositionem sive materiæ sive formæ (1).

sive tamen causa.

Solum potest esse aliqua difficultas circa finalem causalitatem, et quidem respectu divinæ bonitatis, utrum nempe ipsa bonitas Dei possit dici et esse causa finalis suæ volitionis; cum enim causalitas finis dicatur motio metaphorica, non tam clare apparet repugnantia, ut bonitas divina possit finalem causalitatem in suam volitionem exercere. Unde Paulus Soncinus admisit in divina voluntate causalitatem (2). Et idem censet verbo tenus P. Didacus Ruiz de Montoya, quamvis re ipsa non admittat veri nominis causalitatem (3), sed communem sequatur doctrinam (4), secundum quam

Utrum bonitas divina possit habere rationem causæ finalis pro se.

Probatur assertio nostra excludens etiam finalem causalitatem. α) causalitas finalis veri nominis non habet locum nisi in ordine ad efficientem causalitatem, siquidem eatenus causat finis, quatenus allicit, et movet voluntatem ad

(1) Cfr. vol. 1.um *Theodic.* num. 126, pag. 214, seqq.; num. 146, pag. 456, seqq.

(2) *Metaphys.*, disp. 5, lib. 5, quæst. 2.

(3) Vide ipsum, *de voluntate Dei*, disp. 13, sect. 1 et 5.

(4) Vide Scholasticos id communiter sentientes apud Suarez (*Metaphys.* disp. 23, sect. 5, num. 3), Ruiz de Montoya (loc. nup. cit. sect. 3).

operandum. Ergo ubi repugnat efficientia physica novi actus in voluntate, ibi repugnare dicenda est finalis quoque causalitas. Atqui metaphysice repugnat in voluntate divina omnis actus de novo productus, vel qui non sit ipsa essentia increata Dei, prout initio hujus disputationis notavimus, et aliunde constat ex generali tractatione divinæ simplicitatis. Ergo...

Idque confirmatur β), ac simul declaratur amplius, quia actus divinæ voluntatis bifariam potest considerari, primo secundum entitatem sibi essentialem ac necessariam, ac deinde prout libere terminatur ad creaturas. Et sub prima quidem consideratione non potest habere illam veram causam in quovis demum genere, quia ut sic est ens per essentiam atque omnino independens, quale profecto non posset esse si finalem causalitatem pateretur. Neque sub altera etiam consideratione potest habere realem causam veri nominis, etiam finalem, quia secundum rei veritatem terminatio illa, quam importat actus liber, nihil reale addit actui necessario et entitativo, qui est ipsa Dei essentia increata (1), prout fuse probatum reliquimus in primo Theodiceæ volumine, cum sermo esset de ratione actus liberi (2). Tota hæc doctrina legi potest apud S. Thomam (3).

Objectiones disquiruntur.

130. Nec vero argumenta in contrarium afferri solita quidquam valent. *Dicunt* 1.° Causalitas finis est motio metaphorica. Atqui motio metaphorica non repugnat Deo, sed potius cadit in Deum; nam Deus *est*enus agit, quatenus bonitate sua movetur ad agendum, ut omnes passim loquuntur. *Dicunt* 2.° Deus amat se propter suam bonitatem tamquam propter finem. Atqui hoc perinde est, atque asserere Deum bonitatate sua moveri ad amandam suam essentiam. *Dicunt* 3.° Simili modo Deus dicitur cætera propter suam bonitatem amare. Atqui amare unum propter aliud idem valet, ac ex amore unius metaphorice moveri in alterius amorem.

Respondeo generatim, «quod sicut Deus eminentissimo modo se per se ipsum amat sine ulla causalitate, vel effectiva circa amorem, quatenus a nobis concipitur ut vitalis

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 9, num. 4.
(2) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 178, 181, pag. 570 seqq.; 581 seqq.
(3) 1 p., quæst. 19, art. 5.

actus, vel formali circa ipsum amantem, quatenus tali amore amans constituitur; ita intelligendum est Deum eminentissimo modo amare se propter se, et alia etiam propter bonitatem suam absque ulla causalitate finali circa eumdem amorem vel sui vel aliorum. Atque ita cum dicitur se amare, metaphorice motus vel illectus a bonitate sua, locutio est metaphorica, sumpta ex modo, quo nos concipimus res divinas ad modum humanarum (1).

Ad 1.um *conc.* Major., *nego* Minor., ad cujus probationem *dist.* assert. Deus eatenus agit, quatenus bonitate sua movetur ad agendum veri nominis dicta motione, *nego*; non veri nominis motione etiam metaphorica, sed quæ tantum sit ratio agendi, *conc.* Aliter intelligenda est motio metaphorica, cum sermo est de voluntate divina et de creata. «Nam in nostra ita illa motio dicitur metaphorica, ut tamen sit vera causalitas, quia est vera dependentia in actu, propter finem elicito, ab ipso fine; in divina autem voluntate, non est talis motio metaphorica, sed est eminens quædam amandi ratio, quæ sicut est sine distinctione actuum vel potentiarum, ita etiam est sine ulla vera motione etiam metaphorica. Quare cavenda est æquivocatio in vocabulo metaphoricæ motionis; nam respectu nostri illa particula *metaphoricæ* additur ad distinguendam illam notionem a motione efficientis causæ, non vero ad excludendam illam a tota latitudine motionis et causalitatis realis proprie dictæ; cum vero Deus dicitur moveri aut allici a bonitate sua, tota locutio est metaphorica, ad explicandam solam rationem divinæ voluntatis» (2).

Ad 2.um *dist.* primam partem Majoris. Deus se amat *propter* suam bonitatem, si particula hæc disignet causalitatem, *nego*; si designet tantum rationem amandi, *conc.* Et alteram partem Majoris *nego* prorsus. Nam Deus nequit amare se tamquam *propter finem*, proprie loquendo, quia sicut non habet principium nec est ipse sui principium, ita non habet finem, nec dici potest sui finis, nisi forte in sensu negativo, ad denotandum, quod non habeat alium finem, sicut in præcedenti volumine explicuimus, Deum esse *ens a se* in sensu

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 9, num. 4.
(2) Suarez, ibid., num. 6.

negativo, quatenus nempe excludit causam a qua producatur (1).

Ad 3.um eadem esto responsio. *Nam sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem, sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem: vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc* (2).

Dices præterea. In volente, qui nulla alia causa inductus operatur, non est causa alia effectus assignanda præter ipsam ejus voluntatem. Sed voluntas Dei est causa omnium rerum. Ergo si nulla datur causa divinæ voluntatis, non oportebit in rebus naturalibus alias causis quærere præter divinam voluntatem; et sic supervacaneæ erunt naturales scientiæ, quæ proprias effectum causas et rationes investigant (3).

Respondeo, *dist.* Major. Non est quærenda causa alia prima et independens præter voluntatem ita volentis, *conc.*; non est quærenda alia causa proxima et dependens, *nego. Dist.* etiam Minor. Voluntas Dei est causa omnium, id est rationum et proprietatum, quas scientiæ investigant in ordine ideali, *neg.* Est causa omnium quoad existentiam, *subdist.*: est causa proxima et ab aliis dependens, *neg.*; ultima et independes, *conc.* Tum *neg. conseq.* In primis scientiæ potissimum investigant causas vel rationes essentiarum, non autem generatim existentiarum. At ultima causa vel ratio essentiarum profecto non est in voluntate divina, sed potius in essentia, cujus participatio et imitatio est omnis essentia creata. In ordine existentiæ utique omnia pendent a voluntate Dei, non tamen tanquam ab unica causa, sed tanquam a prima, quæ non excludit alias secundas et creatas (4).

Utrum admitti queat causa finalis respectu

137. Et hæc quidem probant, respectu actus ipsius immanentis voluntatis divinæ, qui est formalis volitio, non posse dari veri nominis causam finalem. Quæri autem potest,

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 11, pag. 13.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 5, fin. corp.
(3) Vide apud. S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 5, arg. 2.
(4) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 5, ad 2.um. Vide, si lubet, apud eumdem S. Doctorem quædam alia, quæ facile solvuntur ex dictis.

effectuum divinæ voluntatis.

utrum admitti queat causa finalis respectu effectuum ipsorum et respectu actionis transeuntis in exteriorem materiam, saltem si hæc sit aliquid re distinctum ab essentia Dei. Posset aliquis dicere respectu actionum et effectuum externorum in Deo admitti posse finem, non autem causam finalem; quandoquidem causa finalis non causat effectum nisi media causalitate in voluntatem operantis, videlicet movendo illam prius, et alliciendo, id quod cadere in Deum nequit. Ut enim probe notat Gabriel Biel (1), finis et causa finalis non sunt idem, «nam finis ut sic solum dicit terminum, ad quem tendit operatio, vel ad quem motus ordinantur; causa autem finalis est, quæ movet agens ad operandum. Quapropter, si detur finis, qui non moveat agens per propriam causalitatem, poterit dari finis, qui non sit causa finalis in proprietate et rigore sumpta. Sic igitur vere dici potest Deus omnia operari propter se, ut propter finem ultimum, in quem omnia ordinantur, non tamen per causalitatem finis, sed per eminentiorem modum ab omni causalitate liberum» (2). Nihilominus jam alias concessimus admitti posse finalem causalitatem respectu actionum et effectuum divinorum, ita ut hi vere pendeant, et causentur a Deo non solum in genere causæ efficientis sed etiam in genere causæ finalis. Quod quia breviter alibi probatum reliquimus (3): necesse non est hic rursus demonstrare. Nec vero ratio dubitandi urget; quod enim causa finalis non causet effectum, nisi prius causalitatem exercendo in ipsam voluntatem operantis, non est de essentia causæ finalis, sed proprium tantum agentis intellectualis creati, quod ut se applicet, vel determinet ad agendum vel volendum, indiget reali motione boni. At Deus sine ulla sui mutatione realive additione, causalitate aut dependentia ab ullo alio, simplicissima et eminentissima ratione se determinat ad libere amandum, et operandum. Consistit autem finalis causalitas Dei «respectu effectuum ad extra in hoc, quod Deus intuitu et amore suæ bonitatis effectus extra se producit; unde ipsumet operatio, quam ad extra habet,

(1) 2.us dist. quæst. 5, initio.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 9, num. 8.
(3) Vide *Ontolog.*, num., 424, pag. 1189 fin., 1190,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

essentialiter pendet a Deo tum in ratione efficientis, tum etiam in ratione finis, quia respicit Deum et ut omnipotentem et ut summe bonum, qui ratione suæ bonitatis et dignus est, ut omnia ad ipsum ut ad finem ordinentur, et se ipsum dicto eminenti modo inclinat ad communicandam aliis suam bonitatem propter ipsam» (1).

§ IV.—AN VOLUNTAS DIVINA POTUERIT AB ÆTERNO MANERE OMNINO SUSPENSA ERGA RES CREATAS, ITA UT ILLAS NEC VELLET, NEC NOLLET ACTU POSITIVO.

Status quæstionis aperitur.

138. Trifariam potissimum concipi potest Deus se habere ab æterno circa objecta, erga quæ libera est ejus voluntas: primo, positive illas volendo, ut nunc in hac œconomia libere ab æterno voluit mundum condere, secundo, positive nolendo illas: tertio, nullum ponendo actum sive volitionis sive nolitionis (2). Et quæritur nunc, utrum Deus circa propositam rem aut operationem quamlibet earum, quæ positæ sunt in ejus libertate, possit omnem suspendere aut omittere actum, ut nec velit illam, nec nolit, v. g. nec velit creare, salvare, etc., Petrum, nec nolit creare, salvare, etc., eumdem Petrum. Controversiam hanc nonnulli proponunt etiam sub illis terminis, utrum detur in Deo libertas contradictionis, ita videlicet ut non solum se habere possit contrario modo, ponendo actus positivos sive volitionis sive nolitionis rei cujusvis, sed etiam modo contradictorio, ponendo actus eosdem sive volitionis sive nolitionis, et etiam nullum eorum ponendo, sed utrosque omittendo. Controversiam hanc, circa quam jam alias negantem sententiam innuimus, breviter tractandam nunc suscipimus ad complementum doctrinæ de divina voluntate.

(1) Suarez, loc. nup. cit. num. 9.

(2) Id adhuc bifariam intelligi potest: primo per puram omissionem omnis actus, sive directe sive indirecte respicientis aliquam rem creatam; secundo per actum positivum quasi reflexum, quo decernatur nec velle nec nolle aliquid, sed mere suspensive se habere circa illud. Verum hic secundus modus suspensionis repugnare dicendus est, si primus repugnet; siquidem Deus non potest reflexe velle suspensionem omnis actus positivi, si ejusmodi suspensio in se ipsa non possit sibi convenire.

Sententiarum varietas.

Affirmant posse divinam voluntatem sic suspensum manere plures Thomistæ, ac nominatim Petrus Godoy et Joannes Baptista Gonet (1), Ferrariensem et Cajetanum aliosque recentiores secutus. Sententia tamen procul dubio communior apud Thomistas negat voluntatem Dei manere posse suspensam: quam tuentur Joannes a S. Thoma (2) et Vincentius Ferre (3), Navarrete (4), et Gonzalez (5), ac Salmanticenses (6), cardin. Gotti (7), Billuart (8), atque e nostratibus PP. Suarez (9), Granado (10), Vazquez (11), Didacus Ruiz de Montoya (12), Petrus Fonseca (13), Joannes Salas (14), Quiros (15), Arrubal (16) et alii. Secundum quam sententiam sit

139. PROPOSITIO 3.ª **Divina voluntas nequit ita manere suspensa circa objecta creata, ut nec velit, nec nolit aliquid eorum, sed mere negative se habeat.**

Divina voluntas nequit manere suspensa circa objecta creata.

Probatur 1.º Deus est actus purissimus, nec habet voluntatem instar potentiæ ab actu distinctæ, sed instar actualis perenniter volitionis, quemadmodum superius probatum reliquimus. Atqui si Deus posset suspendere actum omnem voluntatis circa quodlibet creatum objectum, non esset purus actus, et voluntas ejus consideranda esset instar

(1) *Clypeus Theologiæ thomist.*, tom. 1, tract. 4, disp. 3, art. 4, num. 123.

(2) Apud card. Gotti, *De Deo*, tract. 5, dub. 5, paragr. 1.

(3) Tract. 9. *De volunt. Dei*, quæst. 5, paragr. 13.

(4) *Controversiar.* tom. 2, controv. 1, ad art. 3, quæst. 19, paragr. *Nihilominus*, et paragr. *Ex quo sequitur*.

(5) In 1.am part., quæst. 19, art. 3, disp. 52, num. 15, disp. 53, sect. 1, num. 11, disp. 61, num. 2.

(6) Tract. 4, disp. 5, dub. 3, paragr. 2.

(7) Loc. nup. cit., paragr. 2, 3.

(8) *De Deo*, dissert. 7, art. 4, *Potes* 2.ª

(9) *Metaphys.* disp. 30, sect. 9, num. 59.

(10) In 1.am part., tom. 2, controv. 3, tract. 3, disp. 6.

(11) In 1.am part., disp. 79, cap. 3.

(12) *De volunt. Dei*, disp. 8, sect. 3, num. 2 seqq.

(13) *Metaphys.*, lib. 7, cap. 8, quæst. 5, sect. 3, ante med.

(14) In 1.am 2.æ tom. 1, tract. 3, disp. 1, sect. 7 fin.

(15) *De Deo*, tract. 5, disp. 67, sect 2.

(16) In 1.am part., quæst. 19, disp. 56,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

puræ potentiæ indifferentis ad actum volitionis vel nolitionis habendum, quem actu non haberet. Ergo impossibile est, ut Deus omnem actum sive volitionis sive nolitionis suspendat circa ullum objectum creatum; sed necesse est, ut ab æterno exerceat voluntatem suam circa omnia alia objecta, sive volendo illa, et decernendo ut sint, sive nolendo.

Prob. 2.ª paritate intellectus divini. Non minus purissime actualis est divina voluntas circa quælibet volibilia, quam intellectus circa intelligibilia. Atqui divinus intellectus debet se actu porrigere ad omnia prorsus scibilia, sive necessaria sive contingentia. Ergo et voluntas debet versari, vel actu se exercere circa quodlibet volibile, sive volendo illud sive nolendo.

Minor constat ex probatis circa objectum intellectus. **Major** autem per se patet, quia actus purus excludit in quavis linea perfectionum omnem potentialitatem; secus enim non esset actus simpliciter purus.

Confirmatur, quia actus voluntatis non sunt minus immanentes, quam actus intellectus. Ergo si qua volitio vel nolitio actualis deesset in Deo propter istam, de qua disputamus, suspensionem, reapse Deus carere dicendus esset actu immanenti, quem potuisset habere. Atqui hoc stare nequit cum infinita Dei perfectione. Ergo...

Dices forte 1.º Actus voluntatis liber, consideratus prout terminatur ad quodvis objectum creatum, nullam addit perfectionem distinctam actui necessario. Ergo potest impune omitti volitionis aut nolitionis actus, non quidem quatenus est necessarius, ac terminatur ad Deum, sed quatenus liber et contingenter ad creata objecta terminatus. 2.º Diverso modo se habet Deus respectu intellectionis et volitionis, quia, supposito quolibet objecto etiam creato, non est liber intellectus ejus, ut illud repræsentet, vel non repræsentet: at supposito quovis objecto creato, potest Deus velle, aut non velle, quia voluntas illius libera est respectu cujuslibet objecti creati.

Respondeo ad 1.um α) *retorquendo* argumentum. Nam ipsa terminatio divinæ scientiæ ad hoc vel illud objectum creatum libera est seu non necessaria, nec addit novam perfectionem supra terminationem ejusdem scientiæ ad Deum;

et nihilominus, latentibus cunctis, supposito quolibet objecto creato, intellectus divinus non potest non illud repræsentare. Ergo quod terminatio voluntatis divinæ ad quodlibet objectum sit libera, nec addat perfectionem novam distinctam supra terminationem necessariam, non est ratio sufficiens, ut suspendi queat actus unius sive volitionis sive nolitionis circa objectum aliquod creatum, quemadmodum tu contendis; secus enim posset quoque suspendi omnis actus intellectionis circa creata objecta.

Respondeo β) *neg. conseq.* Quia quamvis terminatio, *qua parte respicit externum objectum*, nihil perfectionis realis addat supra necessarium divinæ voluntatis actum, tamen ubicumque adest illa, denominat Deum actu determinatum respectu objecti; et ubi ea non adest, neque Deus dici potest actu determinatus, sed tantum potentia: at actum purum omnisque potentialitatis expertem concipi, ac denominari prout nondum determinatum, repugnat, ut constat ex terminis.

Ad 2.um respondeo, *dist.* assertum. Diverso modo se habet Deus respectu intellectionis et volitionis, diversitate se tenente ex modo attingendi objectum, *conc.*; diversitate se tenente ex positione vel suspensione actus, *neg.* In modo attingendi objectum est diversitas inter intellectum divinum et voluntatem, quia intellectus, posito objecto, non potest non illud intentionaliter repræsentare; dum voluntas, coram proposito quovis objecto creato, potest illud vel probare atque amare, vel respuere ac rejicere pro suo arbitrio. Verum circa positionem actus perfectissime conveniunt intellectus et voluntas divina, ut ex adductis modo probationibus innotescit. Sicut enim intellectus divinus, objecto proposito, nequit retinere vel cohibere actum intentionalis repræsentationis; ita etiam voluntas, quippe quæ nec est, nec concipi vere potest ut potentia distincta ab actu, sed ut actualis operatio appetitus, non potest cohibere actum, sed necessario debet ponere illum, non præcise volitionis neque nolitionis determinate, quia liber est Deus circa utrumlibet actum et objectum singillatim, sed aut volitionis aut nolitionis; quamvis alterequin volitio et nolitio libera, ex alibi probatis, non sunt duo actus in Deo subjective distincti,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed unicus, diversimode respiciens objectum, quæ est eminentia incomprehensibilis actus liberi divini (1).

Prob. 3.ª propositio. Si Deus posset ab æterno suspendere actum volendi aut nolendi res creatas, posset illas postea incipere velle aut nolle in tempore. Atqui hoc importaret mutabilitatem in Deo. Ergo rejicienda est opinio contraria.

Major patet. Quia res creatæ, a quibus volendis aut nolendis Deus ab æterno abstinuisset, reapse volibiles forent adhuc aut nolibiles, tum absolute, ut per se patet, tum etiam ex suppositione, secundum quam Deus hactenus respectu illarum mere suspensive aut negative se habuisset; quia suppositio reddens rem aliquam, quam potuisset Deus libere velle, jam non volibilem, est decretum contrarium Dei. At in casu nostro nullum decretum Dei extaret, quo impediretur velle aliquid vel nolle.

Difficultatis solutio.

140. **Objic. 1.º** Etsi voluntas Dei nullum actum habuisset circa creaturas, nulla ei defuisset perfectio, quandoquidem actus liber nihil realis perfectionis addit actui necessario. Ergo potuit Deus suspendere omnem actum positivum sive volitionis, sive nolitionis circa quamlibet creaturam. Unde nemo detraxerit Deo perfectionem, quod nolit exercere actum aliquem liberum misericordiæ, justitiæ, etc.

Respondeo., *dist.* anteced.: nulla Deo deesset formaliter ac præcise perfectio ex sola omissione actus liberi, qua talis, secundum terminationem ad objectum creatum, *transeat.*; nulla deesset perfectio arguitive, *nego*; quia, ut jam probavimus, si Deus posset se ita suspensive habere, desineret esse actus purus, et sic careret hac præclarissima perfectione, quasi fonte cæterarum omnium perfectionum. Ad exempla allata eadem aptanda est responsio: actus ipsi *externi* misericordiæ, justitiæ, etc., non addunt perfectionem Deo; quamvis enim *posse* misericordiam exhibere sit perfectio in Deo, sicut generatim *posse* se communicare ac *diffundere* ad extra, sed *ipsa actualis* misericordia vel communicatio non auget perfectionem in ipso Deo, sed tantum in termino actionis ad extra: quare si Deus omittat illos actus *externos* per

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 181, pag. 589, 590, *Dices 4.º*

actum positivum nolitionis, eamdem explicat perfectionem, ac si eos reapse poneret per positivum actum volitionis. At si illos omitteret per suspensionem omnis actus interni, profecto imperfectus argueretur, nempe actus non purus, sed potentialitati admixtus.

Objic. 2.º Eatenus voluntas divina posset creaturam aliquam velle, aut nolle, quatenus libera est. Atqui libera quoque est ad ipsum actum volitionis aut nolitionis. Ergo potest carere omni actu ejusmodi.

Respondeo. *conc.* Major., *dist.* Minor. Voluntas divina libera est ad ipsum actum volitionis aut nolitionis determinate, *conc.*; vage ac sub disjunctione, *nego*. Nam Deus ex probatis necessitatur ad actum vel volitionis vel nolitionis sub disjunctione, sicut nos quamvis libere sedeamus, et libere non sedeamus, tamen non possumus non aut sedere aut non sedere sub disjunctione. Quæ necessitas vaga non provenit in Deo ex conditione objecti, sed ex sua purissima actualitate, prout jam explicatum manet.

Objic 3.º Datur in Deo libertas contradictionis respectu objectorum creatorum; nam ejusmodi libertas est perfectio quædam. Atqui libertas proprie contradictionis stat, non in eo quod velit vel non velit, aliquid per duos actus, alterum volitionis, nolitionis alterum, quippe qui potius contrarie opponuntur, sed in eo quod velit actus positivos volitionis, aut non velit, omittendo actum volitionis hujusmodi. Ergo... Accedit, quod probabile est dari puram omissionem liberam, quemadmodum constat ex Theologia (1). Atqui suspensio ista, qua de agimus, tandem nihil aliud est præter puram quamdam omissionem liberam. Ergo...

Respondeo ad primum, *dist.* Datur in Deo libertas contradictionis, contradictione se tenente tantum ex parte objecti, ut nempe possit idem objectum velle et non velle, *conc.*; contradictione se tenente etiam ex parte actus, ita videlicet ut Deus respectu cujushibet objecti possit et actum (sive volitionis sive nolitionis) habere, et etiam omni carere actu, *nego* ex superius probatis: neque enim ejusmodi libertas est

(1) Cfr. *Psycholog.* vol. 3.um, num. pag.

pura perfectio, sed perfectio admixta imperfectioni potentialitatis. Ad alterum similiter respondeo, quidquid sit de voluntate creata, omissionem liberam cadere in divinam voluntatem non posse.

Objic. 4.° Potest absque imperfectione concipi divina voluntas suspensa ab omni actu pro signo prædicatorum essentialium et divinarum processionum; nam in eo signo nondum concipitur a nobis Deus libertatem suam exercens circa creata. Ergo non est reapse imperfectio concipere divinam voluntatem sine actuali volitione et sine actuali nolitione circa creatum aliquod objectum.

Respondeo, *neg.* conseq. «Signum enim prædicatorum essentialium non est signum exercitii libertatis, sed præcisivum ab omni libertatis exercitio. Unde non est imperfectio in divina voluntate, si pro eo signo nullum in ea concipiatur decretum: sicut nulla est imperfectio in divina essentia, si pro signo essentiæ concipiatur præcisive ab attributis. Esset quidem imperfectio, si in signo exercitii libertatis, nullum in divina voluntate adesset exercitium libertatis, ut asserunt contrarii» (1).

Ex quibus facile solvantur cætera, quæ apud laudatos auctores videri queunt.

§ V.—UTRUM VOLUNTAS DEI SEMPER IMPLEATUR.

141. Quæstio hæc facile expediri potest, si præ oculis habeantur variæ divisiones voluntatis divinæ in præcedenti articulo declaratæ.

Voluntas signi non semper impletur, nec voluntas beneplaciti,

Et primo quidem voluntas signi non semper impletur, ut constat in divinis præceptis et prohibitionibus, quæ interdum servantur, interdum non servantur a rationalibus creaturis. Voluntas etiam beneplaciti, quatenus opponitur voluntati signi, non semper impletur. Quod si aliquando Theologi docent voluntatem beneplaciti semper efficacem esse (2), vocem hanc in sensu restrictiori accipiunt; non vero in illa latiori significatione ambiente omnem voluntatem, quæ non est signi

(1) Cardin. Gotti, loc. cit., num. XXI.

(2) Vide apud Ruiz de Montoya, *de volunt. Dei*, disp. 18, sect. 4.ª

tantum, sed formalis ac proprie dicta voluntas, sub qua latitudine voluntas beneplaciti subdividitur in antecedentem et consequentem, ac proinde in efficacem et inefficacem.

Quod attinet divisionem voluntatis in antecedentem et consequentem, postrema hæc semper impletur; antecedens vero sæpe impletur, sæpe alias inefficax est, vel certe non impletur omni ex parte, non quidem ex defectu virtutis, sed ex attemperatione vel accomodatione atque ordinatione ipsius Dei, nolentis creatæ voluntati vim inferre, vel libertatis usum auferre, in quo nihil est, quod Deum dedeceat, aut infirmum imperfectumve arguat. Undenam enim probatur, quod Deus omnia efficaciter velit aut ea etiam, quæ serio ac vere vult, debeat absolute et ineluctabiliter decernere?

nec antecedens; consequens autem semper est efficax.

Denique voluntas absoluta Dei videtur efficax semper esse, at conditionata potest esse efficax vel inefficax.

voluntas omnino absoluta semper est efficax, secus conditionata.

Quæ cum ita sint, facile intelliges, de qua voluntate sermo sit, cum sæpe in sacris Litteris et operibus Patrum docetur, voluntati Dei resisti non posse. Ceterum undenam proveniat ineluctabilis hæc efficacitas divinæ voluntatis, cui resisti non possit vel ab ipsa voluntate libera creaturæ, an videlicet ex decreto prædeterminante ac natura motionis, an vero aliunde, controversia gravissima est, philosophicam investigationem transcendens, in qua solvenda inde a tribus amplius sæculis clarissima Theologorum ingenia desudarunt.

§ VI. AN VOLUNTAS DEI REBUS IMPONAT NECESSITATEM.

143. Responsio negativa est communis inter Scholasticos cum S. Thoma (1). Probarique primo posset experientia ipsa et sensu communi: videmus enim multas causas, nominatim liberas, ita operari, ut effectus earum potuerit impediri, aut aliter esse. Deinde si Deus rebus omnibus necessitatem imponeret, tolleretur liberum arbitrium in causis rationalibus, unde nec locus esset meritis nec consiliis nec legibus, nec vere darentur præmia nec pœnæ, prout jam fusius declaravimus in demonstranda libertate. Tandem ratio a priori est

Voluntas Dei rebus necessitatem non imponit.

(1) 1 p., quæst. 19, art. 8; *de verit.*, quæst. 21, art. 5; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 85.

bonum universi, ad quod spectat, ut sint varii gradus rerum et causarum necessariarum et contingentium. Sed consonum est, ut voluntas divina, saltem generatim, se accomodet conditioni rerum naturali. Ergo Deus ita vult, et ordinat vices rerum et causarum effectuumque cursum, ut necessaria necessario, contingentia contingenter, prout natura et conditio cujusque postulat, sint, et operentur.

Quæ contra hæc objici possent, facile solvuntur, et videri queunt apud S. Thomam (1).

Undenam proveniat necessitas et contingentia mundanarum actionum effectuumque.

143. Quæri hic posset, undenam proveniat necessitas et contingentia mundanarum actionum et effectuum. Et sermo est supposito modo agendi in Deo secundum exigentias naturales causarum; nam si consideretur absoluta Dei potentia, qui miracula patrare potest, actiones et effectus necessarii procedere queunt a causis formaliter liberis, si nempe Deus non sinat ea libere agere. At posito ordinario modo agendi in Deo, necessitas effectuum et actionum proxima, in causas naturales refundenda est, quæ ita operantur, ut non possint non operari; remote autem in Deum Auctorem naturæ, qui effectibus necessariis producendis vires ac potentias causis necessarias indidit. Quamvis enim relate ad Deum absolute nullus sit effectus necessarius, quandoquidem mundus cum omnibus suis entibus est libere creatus; nihilominus mundus semel libere a Deo productus constat innumera phænomenorum effectuumque necessariorum vicissitudine, quæ omnia jam non pro solo motu et arbitrio Dei contingunt, sed per consentaneas causas necessarias cum consentaneo etiam concursu Dei, se accomodantis naturalibus viribus et exigentiis causarum.

radix necessitatis.

radix contingentiæ.

Quod autem attinet effectuum et actionum contingentiam, duplex est, prout superius etiam notatum reliquimus, distinguenda contingentia, altera quæ potest dici intrinseca et per se, quæ sequitur intrinsecam causarum quarumdam indifferentiam in operando, et proprio nomine vocatur libertas; causa enim libera ex intrinseca perfectione sua, dat contingentia actioni vel effectui, quandoquidem, positis omnibus

(1) Locis citatis. Cfr. quæ objecta et soluta sunt superius adversus divinam futurorum contingentium præscientiam.

ad operandum requisitis, potest operari et non operari. Al- alia extrinseca
tera contingentia, quæ potest dici extrinseca et per accidens, procedit potius ex defectu virtutis, superare non valentis, quæ actioni obstant impedimenta: unde quod actio vel effectus non necessario sequatur, sed posset etiam non sequi, seu contingenter sequatur, accidit ex intrinsecis impedimentis, quæ facile occurrere possunt, ex aliarum contrariarum causarum interventu. Sic sæpe advenit, ut causæ naturales de se necessariæ contingenter operentur ex resistentia et conflictu aliarum causarum. Itaque contingentiæ hujus postremæ radix, non est reponenda in libertate aliqua, sed proxime in tali natura et conditione causæ secundæ, cujus effectus impediri possunt, adjuncto tali ordine ac serie aliarum rerum et causarum naturalium, ex quo solet tale impedimentum occurrere. Prima vero radix istiusmodi contingentiæ est in Deo, propterea quod est prima causa omnium effectuum universi; quia nimirum tales causæ secundæ ab ipso fuerunt et creatæ et ita dispositæ atque ordinatæ, ut ab eis hujusmodi effectus contingentes provenirent. Ad hoc autem, formaliter loquendo, nihil refert, quod prima causa libere hæc omnia produxerit; eadem enim contingentia sequeretur, etiam si ex necessitate creasset, dummodo eodem pacto illa ordinasset, et postea ad eorum operationes concurreret.

At vero loquendo de intrinseca contingentia effectuum, alia intrinseca
radix illius immediata sita est in libertate causæ proximæ et aliquo usu ejus. Nam sufficit interventus unius causæ liberæ etiam in aliarum necessariarum serie vel collectione, ut effectus contingentiam obtineat, quemadmodum accidit v. g. in occisione hominis per instrumentum libere applicatum ac directum ab occisore. Primordialis tamen radix ejusmodi contingentiæ posita est in libertate causæ primæ, quandoquidem si ipsa non esset libera, non posset ulla causa libertate pollere (1).

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 10, num. 11; et sect. 3, num. 5, quibus in locis alia tractantur, ad plenam hujusce controversiæ intelligentiam valde conducentia.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II

DE OBJECTO DIVINÆ VOLUNTATIS.

Multiplex objecti divisio et declaratio.

Objectum potest esse vel materiale vel formale, primarium vel secundarium, adæquatum aut extensivum aut terminativum et proportionatum ac motivum. Quæ partitiones ex alibi non semel datis notionibus facile intelliguntur. Nam pure materiale dicitur illud, quod a potentia attingitur, non tamen per se, sed propter aliud: et in idem recidit objectum pure terminativum et extensivum, ad quod potentia terminatur, vel sese porrigit. Formale autem ac motivum est illud, quod determinat actum potentiæ. Primarium est objectum principale, quod propter se attingitur, et est etiam ratio attingendi alia: quod vero minus principaliter et ratione alterius terminat actum potentiæ, dicitur secundarium (1). Videndum itaque, quodnam sit objectum, ad quod terminari potest voluntas Dei, et quodnam rationem habeat objecti formalis et primarii; nec objectum solum considerandum est, sed modus etiam, quo in illud terminatur divina voluntas.

ARTICULUS I

Utrum Deus velit se solum, an etiam alia, et quo pacto.

144 Duo quæruntur in hoc articulo, materiale objectum divinæ voluntatis et modus, quo hæc fertur in illud.

§ I.—AD QUÆ OBJECTA SE PORRIGAT DIVINA VOLUNTAS.

Status quæstionis.

Non intendimus nunc singillatim definire omnia objecta, quæ Deus vult, aut potest velle, qua de re non nihil mox

(1) Cfr. superius declarata de objecto divinæ scientiæ, atque in *Psycholog.* vol 2.° de objecto intellectus humani.

dicetur, sed hoc unum inquirimus, utrum Deus se solum velit, aut amet, an vero etiam aliqua alia.

PROPOSITIO 1.ª **Deus non vult se solum, sed alia quoque multa, et quidem vere ac proprie, et secundum esse intrinsecum proprium illorum.**

Deus vult non se solum, sed alia quoque multa,

Prima pars: *Deus vult non solum se, verum etiam alia multa*, est certissima, de qua nulla veri nominis esse potest controversia. Et primo quidem Deus se ipsum vult, nempe amando se, atque se delectando. Nam est bonus et infinite bonus, immo ipsa bonitas, et omnis boni bonum (1), ac proinde summe amabile. Præterea esse hujusmodi bonum convenit essentialiter Deo. Ergo divina voluntas terminatur ad se amandum. Nam, ut in *Ontologia* declaravimus, objectum voluntatis est bonum et conveniens appetenti.

Quod vero Deus non se solum, sed alia quoque velit, probatur primo experientia ipsa, quia videmus innumeras res, quæ esse non possent, nisi Deus vellet illas esse. Deinde quia sunt etiam alia præter Deum, in quibus relucet bonitas Dei, participata secundum diversos gradus. Quapropter habent in se bonitatem aliquam atque appetibilitatem. Atqui voluntas, sicut etiam intellectus, est potentia universalissima capax se extendendi ad omnem rem, in qua relucet ratio propria sui objecti, nempe boni. Ergo Deus præter se ipsum alia quoque velle dicendus est.

Estque veritas hæc innumeris sacrorum Bibliorum testimoniis comprobata. Diligis *omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti* (2). Et alibi: *Vita in* voluntate *ejus* (3): item: *Qui operatur omnia secundum consilium* voluntatis *suæ* (4); et: *In charitate perpetua* dilexi *te* (5), etc.

et quidem vere ac proprie

Secunda pars: *Deus vult alia vere ac proprie*, intendit excludere aD eo voluntatem aliorum, quæ solum metaphorice prædicetur. Ratio vero est, quia Deo proprie ac non

(1) Vide *Theolic.* vol. 1.um, num. 121, 122, pag. 400 et 403 seqq.
(2) *Sapient.* cap. 11, vers. 25.
(3) *Psalm.* 29, vers. 6.
(4) *Ephes.* cap. 1, vers. 11.
(5) *Hierem.* cap. 31, vers. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

metaphorice asserendæ sunt illæ omnes prædicationes, quæ nullam in suo conceptu involvunt imperfectionem. Atqui hujusmodi est volitio aliarum rerum præter Deum, ut per se patet, magisque constabit ex difficultatum solutione. Ergo....

ac secundum esse proprium reruin.

Tertia pars: *Deus amat alia secundum esse proprium et intrinsecum eorum*, et non solum secundum *esse* illorum eminentiale, quod habent in divina essentia. Nam *esse* istud eminentiale non est aliud, quam ipsa Dei essentia, et velle alia duntaxat secundum illud, non est proprie velle alia, sed velle ipsam suam essentiam. Atqui non solum essentia Dei, sed etiam res creatæ suam habent propriam ac distinctam bonitatem, ac proinde appetibilitatem, quamvis participatam a summa et infinita Dei bonitate. Ergo res aliæ terminare possunt divinam voluntatem secundum suum intrinsecum et proprium *esse*. Et confirmatur, quia voluntas Dei terminatur ad alias res secundum *esse*, secundum quod creantur, aut sunt creabiles a Deo. Atqui res aliæ creantur, aut sunt creabiles, non secundum *esse* eminentiale Dei, sed secundum *esse* formale ac limitatum, in quo subsistunt in se ipsis. Ergo Deus etiam vult alia secundum *esse* proprium atque intrinsecum eorum.

Objectiones dissipatæ.

145. **Objic. 1.°** Volitum movet volentem ac voluntatem, sicut appetibile appetitum. Ergo si Deus vellet alia a se, moveretur ab illis. Atqui hoc repugnat, nam Deus est movens immobile. Ergo.....

Respondeo, *dist.* antec.: si volitum non appetatur propter se, sed propter aliud, *neg.* si propter se appetatur, *trans.*, vel *subdist.*: movet motu sive proprio sive improprio, qui tantum importet rationem determinantem absque ulla veri nominis causalitate, *conc.*; movet motu proprio, *neg.* Simili modo *dist.* conseq. Et *contradist.* Minore subsumpta, *neg.* conseq. Itaque cum ratio formalis volendi aut amandi alia pro Deo sit non ipsa eorum intrinseca bonitas creata, sed tantum infinita bonitas Dei, quemadmodum statim probandum erit, res aliæ in ordine ad appetitionem divinæ voluntatis se habent sicut illa media, quæ nullam in se retinent appetibilitatem, sed tantum appetuntur propter finem, qualis est v. gr. potio amara propter sanitatem; ejusmodi enim media *terminant* quidem appetitum, sed non

movent, quia non appetuntur propter intrinsecam eorum bonitatem, sed tantum propter bonitatem finis (1).

Objic. 2.° Velle divinum est ipsum *esse* Dei. Sed Deus non *est* aliud a se. Ergo nec vult aliud a se.

Respondeo, *dist.* Major. Velle divinum est ipsum *esse* Dei realiter, *conc.*; ratione quoque ac conceptu, *neg.*, quia velle dicit certam habitudinem ad objectum, quam non dicit *esse*. Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Nam distinctio illa rationis sufficit, ut Deus vere prædicetur *velle* etiam ea, quæ non sunt ipsum *esse* ejus (2).

Objic. 3.° Cui sufficit aliquid volitum, ille non quærit aliud ab eo distinctum. Sed Deo sufficit sua infinita bonitas, qua plenissime satiatur. Ergo Deus non potest velle alia a se.

Respondeo, *dist.* Major. Cui sufficit aliquid, non quærit aliud ab eo distinctum, tamquam aliquid principaliter et propter se dilectum, *conc.*; tamquam aliquid solum ratione alterius prioris dilectum, *neg.* Et *concessa* Minore, *nego*, vel si mavis, eodem modo *distinguo* conseq. Etenim *ex hoc quod voluntati divinæ sufficit sua bonitas, non sequitur, quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud velit, nisi ratione suæ bonitatis. Sicut etiam intellectus divinus, licet sit perfectus ex hoc ipso, quod essentiam divinam cognoscit, tamen in ea cognovit alia* (3).

Objic. 4.° Actus voluntatis multiplicatur secundum objecta volita. Ergo si Deus velit alia a se, multiplicem habet actum voluntatis, et consequenter multiplex *esse* quod est absurdum.

Respondeo, *dist.* antec. Actus voluntatis multiplicantur secundum objecta volita, quæ distinctam rationem formalem habeant, *trans.*, quæ unam eamdemque rationem formalem habeant, *neg.* Et *neg.* conseq. (4).

Objic. 5.° Actus volendi relationem transcendentalem importat ad objectum. Atqui Deus nequit relationis vinculo ligari cum rebus creatis. Ergo non potest Deus alia velle.

Respondeo, *dist.* Major. In voluntate creata, *transeat.*; in Deo, *subdist.*; relationem quamdam rationis, *transeat.*;

(1) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 2, ad 2.um
(2) Cfr. S. Thom., ibid., ad 1.um
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 2 ad 3.um
(4) Cfr. S. Thoma., loc. sup. cit., ad 4.um

realem, *nego;* jam enim in primo *Theodiceæ* volumine exclusimus a Deo reales relationes erga res creatas. Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

§ II.—UTRUM DEUS OMNIA NECESSARIO VELIT

An Deus omnia necessario velit.

146. Sequitur, ut de modo, quo Deus se et alia vult, disputemus. Se quidem necessario amat, quemadmodum communis et certa profitetur doctrina. Quod vero alia quoque Deus necessario velit, docuerunt, et docent nonnulli Philosophi atque hæretici, quos alibi retulimus (1), et confutatos reliquimus (2). Unum porro probe notatum velimus, non esse nostram mentem nunc disputare, utrum Deus omnia prorsus, quæcumque vult præter se, libere velit, quemadmodum nec definivimus adhuc singula divinæ voluntatis objecta. Itaque sicut in demonstrando Deum alia etiam multa præter se velle, tantum meminimus rerum existentium vel creandarum, quæ solæ profecto sufficiunt ad rem evincendam; ita nunc cum de necessitate aut libertate divinæ volitionis respectu aliorum agitur, ad solas res existentes sermonem restringemus, relicta in alium articulum disputatione circa res possibiles, de quibus major potest esse difficultas.

147. PROPOSITIO 2.ª **Deus se ipsum necessario, cætera vero, quæ unquam existentiam sortientur, libere vult et amat.**

Deus se ipsum necessario amat.

Prima pars: *Deus se ipsum necessario amat,* **probatur.** Objectum summe appetibile pleneque explens appetitus tendentiam in bonum, non libere, sed necessario appetitur. Atqui Deus est objectum hujusmodi. Ergo non libere Deus, sed necessario a se ipse amatur.

Major constat ex probatis in *Psychologia* (3). **Minor** vero per se patet, quia Deus æque infinitus est in ratione essentiæ atque objecti boni et appetibilis, ac in ratione voluntatis appetentis. Ergo Deus explet plenissime totam appetitivam

(1) *Theodic.* vol. 1.º, num. 167, pag. 537.
(2) Ibid. num. 168, pag. 538 et seqq.
(3) Vide vol. 3.um, num. 103, pag. 339 seqq.

virtutem suam, ita ut se penitus satietur, quin aliud quidpiam præter se desiderandum habeat.

Prob. 2.º Deus non potest non perfectissima frui felicitate. Atqui sine amore sui non potest Deus perfecte felix esse, quandoquidem amor Dei aut essentiam constituit felicitatis, aut certe naturale corollarium est ejusdem. Ergo...

Prob. 3.º Deus non potest cessare ab amore sui sive voluntarie sive involuntarie. Ergo se necessario vult, et amat.

Antecedens probatur per partes. *Non potest cessare involuntarie,* quia nec amor sui per suam essentiam repugnat Deo, nec potest ab ullo alio præter aut contra voluntatem cohiberi; tum quia præter Deum nihil est, nisi entia limitata et libere creata a Deo, tum quia internus actus voluntatis non potest extrinsecus vim pati (1). *Non potest cessare voluntarie,* quia quænam ratio, quæso, fingi potest, ob quam Deus, qui se ipsum comprehensive cognoscit ut summe bonum et infinite amabile, a suo amore cesset?

Dices, ipsam hanc amandi necessitatem videri quamdam imperfectionem, tum quia est modus operandi similis operandi modo causarum naturalium, tum quia dominium et libertas operandi censetur esse major perfectio.

Respondeo, nego assertum. *Et ad primam probationem* dico adesse quamdam similitudinem, sed admixtam dissimilitudine maxima, non solum quia necessarius amor Dei, secus atque actio naturalium causarum, est vitalis, sed quia in eo ipsa necessitas operandi non oritur ex imperfectione voluntatis, sicut in causis naturalibus, quæ ex sua intrinseca conditione carent libertate ac dominio in omnibus actibus, sed ex summa perfectione objecti. Unde *ad secundam probationem* respondetur, libertatem circa summum bonum non pertinere ad perfectionem sed potius ad imperfectionem. Libertas enim perfectio quidem est, non tamen quomodolibet, sed secundum capacitatem duntaxat objecti. «Circa objectum ergo summe bonum summeque necessarium summa perfectio erit summa necessitate illud amare; et e contrario libertas in tali amore esset magna imperfectio, quia includeret potestatem carendi illa; loquimur enim proprie de libertate

(1) Vide *Psychol.* vol. 3.um, num. 120 seqq., pag. 375 seqq.

indifferentiæ, quæ necessitati opponitur. Adde, necessitatem hujus amoris non esse causalem, ut sic dicam, seu ex causa, sed formalem, quia, sicut Deus necessario est, non ex causa, sed formaliter ex se, ita hic amor eodem modo est necessarius, quia et essentialiter Deus est, et ipse est de essentia Dei, juxta illud: *Deus charitas est* (1). Et sic etiam Beati in cœlo Deum videntes non possunt ab ejus amore cessare, et nihilominus amor ille longe excellentior est, ac amor quivis, etiam supernaturalis, libere elicitus in statu viæ.

Prob. 4.m Demostrari quoque posset pars hæc propositionis argumento illo theologico: Deus (Pater et Filius) se amando producit Spiritum S. Atqui amor hic necessarius est, nam est ipse Deus, ens simpliciter necessarium. Ergo Deus se necessario amat, aut vult. Verum hæc relinquantur Theologis.

reliqua libere. Secunda pars propositionis: *Deus reliqua omnia præter se libere vult, vel amat*, non eget speciali probatione post scripta in primo *Theodicææ* volumine. Nam si Deus vere gaudet libertate indifferentiæ in operationibus ad extra, profecto libere vult omnia objecta existentia, quæ termini sunt hujusmodi operationum. Atqui Deus reapse gaudet libertate indifferentiæ in omnibus operibus ad extra. Ergo....

Major per se patet. Minor fuse probata est alibi (2).

§ III—UTRUM DEUS SALTEM MORALITER TENEATUR AD OPTIMUM.

Status quæstionis. 148. Posset etiam hic occasione divinæ libertatis ad extra, quæri, utrum Deus teneatur ad optimum volendum. Et quæstio est non de necessitate consequente aut ex suppositione, sed de antecedente; nec de metaphysica vel physica necessitate, qua Deus ad optimum cogatur, nam omnes conveniunt in excludenda duplici hujusmodi necessitate, sed tantum de morali, utrum nempe, quamvis Deus physice libertimus sit in qualibet re facienda vel quolibet gradu perfectionis in rebus eligendo, moraliter tamen adigatur ad optimum. Qua de re plures Theologi agebant vel hic in materia de divina voluntate vel in tractatu Incarnationis.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 17.

(2) *Theodic.* volum. 1.º, num. 168, pag. 538 seqq.; num. 570, 544 seqq.

Quidam, inter quos P. Ruiz de Montoya (1), Granado (2), Sylvester Mauri et Viva, contendunt Deum ad optimum teneri, non quidem in iis, in quibus reapse non datur optimum, sed potest dari melius et melius sine fine, verum in aliis, in quibus datur optimum inter plura, ut accidit inter contradictoria, in quibus unum est alio melius, ut v. g. melius est mundum esse, quam non esse, et Incarnatio melior est negatione Incarnationis. Fautores optimismi.

Verum negat Deum ad optimum vel moraliter teneri communissima sententia cum Zumel (3), Suarez (4), Vazquez (5), Valentia (6), Tanner (7), cardin. Lugo (8), Arriaga (9), Carleton Compton (10), Struggl (11), etc. Controversiam hanc nolumus nunc aggredi, quia theologica potius est; quantum vero a Philosophia tractari potest, sufficere possunt, quæ de ea ex communi sententia in *Cosmologia* scripta reliquimus circa perfectionem hujus mundi contra Leibnitzianos et quosdam alios (12). Solum addam, rem plane mihi videri indubitabilem ex perfectissima Dei libertate in operibus ad extra, et ex perfectissima beatitate, quam in se solo habet. Moralis autem necessitas, aut etiam vehemens inclinatio major ad faciendum optimum vel inter contradictoria, multum deprimit, ut jam alias innui, perfectionem divinæ libertatis, quam oportet asserere in pleno æquilibrio et immunem ab omni, etiam morali, necessitate antecedente. Bene ad hanc rem Struggl: «Non datur necessitas moralis antecedens ad faciendum optimum; ideoque Deus ex mero quibus opponitur communissima sententia.

(1) *De divin. volunt.*, disp. 10.

(2) In 1.am part., tom. 2, controv. generv. 3, tract. 1, disp. 1.

(3) Opusc. tract. 3, disp. 4, sect. 5, ad 2.um ration.

(4) *De Incarnat.* tom. 1, disp. 4, sect. 1 in fine; *Relect. de libert. volunt. divin.*, disp. 1, sect. 1, num. 8.

(5) In 1.am part., disp. 107, et in 3.am part. disp. 1, num. 18.

(6) In 1.um part., disp. 1, quæst. 25, punct. 3, *Sequitur quinto.*

(7) In 3.am part., disp. 1, sect. 2, num. 45.

(8) *De Incarnat.*, disp. 2, sect. 1, num. 9.

(9) In 1.am part., seu tom. 1, disp. 27, sect. 2.

(10) *De Deo*, disp. 32.

(11) *Theolog. univers.* tom. 1, p. 1, tract. 1, disp. 5, quæst. 1, art. 3.

(12) *Cosmolog.* num. 27 seqq., pag. 69 seqq.

suo decreto libero, non vero ex quadam inclinatione et necessitate morali, produxit hoc universum. Ratio vero hujus est: quia Deus ex se ipso est infinite beatus, et voluntas adæquate satiatur per bonitatem et perfectiones Deo intrinsecas; ergo nulla necessitate antecedente necessitatur ad faciendum optimum. Dixi: *nulla necessitate antecedente:* quia, cum Deus omnia operetur propter se ipsum et gloriam suam extrinsecam, ex suppositione quod velit agere ad extra, non potest producere solas creaturas irrationales, v. gr. solum tuguriolum plenum scarabæis; sed concomitanter inclinatur ad producendas creaturas intellectuales, quibus perfectiones divinæ manifestari possunt. Item ex supposito quod velit producere creaturas intellectuales, et illis det gratias supernaturales ad orandum, aut bene operandum, voluntate consequente magis inclinatur ad exaudiendas preces, et remuneranda merita justorum, quam ad oppositum. Ratio horum est, quia ex supposito quod velit operari, non potest nisi sapienter et juste operari. Hinc etiam ortum est axioma: *Deus semper facit optimum*, nempe formaliter seu secundum ideas, motivum formale et finem intentum».

ARTICULUS II

Quodnam sit objectum formale ac primarium voluntatis divinae.

Status quæstionis.

149. Principio notandum probe est, in quo sensu quæramus formale objectum divinæ voluntatis in omni volitione. Nempe objectum formale dici solet, ut paulo superius notavimus, illud quod determinat actum potentiæ, non præcise ad exercitium actus, sed potissimum ad speciem illius; quia movendo potentiam efficit, ut illa hanc potius, quam aliam specifice operationem ponat. Quo pacto motivum formale objectum voluntatis est id, quod bonitate sua movet, atque allicit ad aliquid volendum aut amandum. Jam vero motivum aut objectum formale, saltem in creatis, importat veram causalitatem finalem prius atque immediate exercitam in ipsam voluntatis potentiam, alliciendo illam ad operandum, ac mediate in ejusdem operationem aut effectum. Jam autem ostendimus paulo superius, non posse ullam admitti hujusmodi

causalitatem in actu divinæ volitionis. Non ergo inquirimus motivum vel objectum formale in hoc stricto sensu, causalitatem aliquam importante. Objectum formale voluntatis in latiore sensu tantum significat rationem sufficientem, cur detur volitio aut amor terminatus ad hoc vel illud objectum, ita ut sine illo non posset dari talis volitio aut amor, et eo posito adsit plenissima sufficientia, ut voluntas vere dicatur habere aut posse habere talem volitionem vel amorem. Itaque quoniam in omni actu volitionis creato plena et completa sufficientia illius exsurgit præter virtutem volitivam ex concursu objectivo aut finali boni moventis atque allicientis potentiam ad actum; quærimus, utrum possit etiam, ac debeat in actu divinæ volitionis concipi aliquid dans hujusmodi sufficientiam, utique absque ulla veri nominis causalitate, et quid sit illud, utrum nempe quidpiam divinum, an vero extraneum. Ut vides, simili sensu quærimus objectum formale divinæ volitionis, ac superius quæsivimus motivum vel quasi principium formale intellectionis (1), illudque ita intellectum exprimi potest nomine *motivi formalis, finis rationisque* divinarum volitionum atque operationum. Cæterum finis hujusmodi potest esse vel ultimus aut primarius, vel proximus aut secundarius, prout fuerit suprema ratio, cujus gratia datur operatio, vel tantum proxima et pendens ab alia superiori: atque uterque potest dividi, prout in *Ontologia* explicatum reliquimus, in finem *qui* aut *cujus*, finem *cui* et finem *quo* (2).

150. PROPOSITIO 1.ª **Motivum aut objectum formale cujuslibet volitionis divinæ est ipsa Dei bonitas: unde licet possint assignari variæ rationes creatæ proximæ divinorum operum; at ratio ultima in cæteris latens, iisque suam tribuens appetibilitatem, est ipsa summa bonitas, non quidem in se acquirenda vel augenda, sed aliis communicanda.**

Motivum vel objectum formale

Prima pars: *Motivum aut objectum formale cujuslibet volitionis divinæ est ipsa Dei bonitas*, continet communem, quoad

(1) Vide supra num. 28, pag. 61; nam quæ ibi dicta sunt, juvare possunt ad melius intelligendum statum hujus quæstionis.

(2) *Ontolog.* num. 417 et 418, pag. 1275 et 1278.

cujuslibet divinæ volitionis est ipsa Dei bonitas.

rem ipsam, doctrinam, quamvis possit esse varietas in modo loquendi. **Probatur** 1.° Perfectissimæ volitionis, qualis est omnis divina volitio, debet esse perfectissimum objectum formale perfectissimusque modus volendi. Atqui perfectissimum objectum formale est essentia et bonitas Dei, ac perfectissimus modus volendi est illam velle atque amare propter se et super omnia et in omnibus, cæteraque propter illam et in illa velle et amare. Ergo.....

Prob. 2.° Objectum formale cuilibet volitioni suam confert perfectionem specificam aut quasi specificam; nam actus specificantur per sua formalia objecta (1). Atqui impossibile est, ut divinus actus suæ perfectionis quasi speciem sortiatur per aliquid ab ipsa essentia et bonitate, cum qua identificatur, distinctum. Ergo impossibile est, ut objectum formale ullius divinæ volitionis sit alius præter ipsam Dei bonitatem. Verissime itaque scribit S. Bernardus, loquens de amore, quo Sponsus divinus sponsam diligit: *Amat et Deus, nec aliunde hoc habet, sed ipse est, unde amat* (2).

Prob. 3.° Objectum formale ac finis comparatur ad voluntatem, ut movens ad rem motam. Ergo nisi Deus in sua propria bonitate haberet totam sufficientiam ac rationem capacem determinandi ad quidlibet volendum, esset aliquid aliud, a quo moveretur, et ad volendum impelleretur. Atqui repugnat enti a se ac summe independenti, ut ab alio expectet rationem ac motivum suæ volitionis. Ergo....

Plura videri possunt in *Cosmologia*, ubi eadem res ad aliud propositum probata est (3).

* et quænam ejusmodi bonitas sit.

Cæterum si quæras, quænam bonitas sit illa, quæ formale objectum divinæ voluntatis constituat, bonitasne solius essentiæ, an etiam attributorum, sive absolutorum sive etiam personalium; Theologi probabilius, respondent totum Deum, quantus est, et quidquid est in Deo, rationem habere objecti formalis, quod proinde quasi integratur ex bonitate essentiæ atque attributorum, saltem respectu volitionis et amoris

(1) Vide *Psycholog.* vol. 1.um, num. 48, pag. 201.

(2) Serm. 59 in *Cantica*, sub initium. Vide P. Ruiz de Montoya, *De volunt. Dei*, disp. 3, sect. 1 et 2, ubi plura in hanc rem argumenta congeruntur.

(3) *Cosmolog.* num. 54, pag. 329 seqq. arg. β), γ), δ), ε).

necessarii: nam respectu liberæ volitionis concedunt plures modo hanc, modo illam perfectionem, quam Deus opere suo specialiter velit manifestare, posse dici formale objectum in sensu præcisivo ac formali, et secundum modum nostrum concipiendi, nam in sensu reali et identico semper motivum formale sunt omnes perfectiones divinæ. Verum hæc ad Theologos spectant (1).

Possunt quidem diversæ rationes creatæ proximæ divinorum operum assignari.

Secunda pars: *Possunt assignari diversæ rationes creatæ proximæ divinorum operum*, constat 1.° ex ipsis sacris Litteris atque Ecclesiæ doctrina, in quibus exprimuntur quædam rationes hujusmodi a divina bonitate distinctæ. Sic *propter nos et propter nostram salutem descendit de cælis, et incarnatus est* Jesus Christus, Dominus noster, decernente Deo. Quo sensu etiam, ut alia nunc omittam, finis proximus atque immediatus mundi corporei dicitur esse homo (2).

Prob. 2.° Quando res ac rationes rerum sunt in se ipsis invicem ordinatæ atque inter se colligatæ, non est imperfectio, ut Deus etiam eas illo eodem ordine atque unius ad alteram subjectione velit, prout paulo superius declaratum reliquimus (3). Ergo negari nequit posse assignari varias rationes divinorum operum ac volitionum, non quidem ultimas, quod vetat prima pars hujus propositionis, sed proximiores.

Consequens patet: antecedens vero probatur, tum quia velle isto pacto et ordine res non excludit, quod Deus velit omnes tandem propter suam bonitatem; tum quia nec ad sic volendum res omnes indiget Deus diversis actibus, sed uno simplicissimo, et cum essentia sua identificato, potest omnia certo quodam ordine objectivo prioris et posterioris complecti vel attingere.

ut ratio ultima in cæteris latens iisque tribuens appetibilitatem est ipsa Dei bonitas aliis communicanda.

Tertia pars: *Ratio ultima in cæteris latens iisque suam tribuens appetibilitatem est ipsa summa Dei bonitas aliis communicanda*, probatur. Quia in primis si qua ratio creata per suam propriam et intrinsecam bonitatem posset determinare Deum ad sui appetitionem, jam motivum formale cujuslibet

(1) Vide, v. gr., Ruiz de Montoya, *de volunt. Dei*, disp. 3, sec. 3; Gotti, *De Deo*, tract. 5, quæst. 1, dub. 2, paragr. 4.

(2) Vide id probatum in *Cosmolog.* num. 92, pag. 322 seqq.

(3) Supra num. 135, pag. 403, *Prima pars.....*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

volitionis non esset increata Dei bonitas, contra ac demonstratum in prima parte reliquimus. Deinde vero cum bonitas sua in se plenissime possideatur a Deo, ita ut nec augeri nec minui in se possit, nec quidquam sit in aliis rebus, quod Deo sit per se dignum, aut divinam voluntatem valeat allicere; relinquitur, ut ea non aliter possit determinare Deum ad aliorum amorem, nisi ut iis communicet suam bonitatem, ponendo in illis plura pauciorave dona, quæ sint totidem similitudines ac limitatæ participationes infinitæ bonitatis. Quo pacto Deus in omnibus quærit, et obtinet gloriam suam, quemadmodum alibi declaratum fuit (1).

Quæ cum ita sint, finis ultimus *cui* cujuslibet divinæ bonitatis, est ipse Deus, in cujus gloriam reliqua ordinantur, ob eamque solam possunt a Deo amari: finis vero *cui* proximus possunt esse alii, ut v. g. homo, in cujus utilitatem et commodum a Deo multa ordinantur (2). Fines etiam *qui* proximi possunt assignari multi, nempe diversi gradus bonitatis, quos Deus vult ponere in rebus, at finis *qui* supremus unus est, Dei bonitas ab aliis imitanda.

151. PROPOSITIO 2.ª **Objectum primarium divinæ voluntatis est solus Deus vel ejus infinita bonitas; reliqua vero sunt objecta secundaria.**

Objectum primarium divinæ voluntatis est solus Deus vel infinita ejus bonitas, cætera sunt objecta secundaria.

Propositio hæc non est nisi corollarium præcedentis, ac plane respondet illi, qua superius probavimus Deum esse primarium objectum intellectus sui. Porro quod Deus sit suæ voluntatis objectum primarium primitate dignitatis ac nobilitatis, per se constat. Quod vero sit etiam primarium primitate virtutis,

Probatur 1.º ex præcedenti propositione. Nam quodnam, quæso, potest esse objectum magis primarium, quam quod per se attingitur, et cætera per illud?

Probatur 2.º Infinita Dei bonitas non solum est objectum summe amabile, sed etiam summe, nempe per identitatem, conjunctum divinæ voluntati, et applicatum per

(1) Vide *Cosmolog.* num. 94, pag. 330 seqq. num. 96, pag. 336 seqq.

(2) Cfr. *Cosmolog.* num. 92, pag. 322.

comprehensivam cognitionem. Ergo primo ac primario amanda necessario est. Nam voluntas perfectissima nullatenus potest impediri, ut eo ordine singula velit, ametque, quo in se merentur amari.

Probatur 3.º «Sicut est impossibile simul intelligere multa æque primo et principaliter una simplici intellectione; sic etiam est impossibile simul amare multa, æque primo et principaliter una simplici volitione. Sed Deus se ipsum et creaturas simul una volitione diligit; ergo non æque primo et principaliter se ipsum et creaturas diligit. Quod si creaturas principalius et prius amaret Deus, quam se ipsum, pro multitudine creaturarum esset multiplicandus divinus amor, quia nihil creatum est, quod possit esse ratio formalis amandi cætera cuncta» (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

152. Objic. 1.ª Hæc est sententia S. Augustini, verba illa *Genesis: Dixit Deus:* Fiat lux; *et facta est lux*, interpretantis: *Si quærimus, quis fecerit, Deus est. Si per quid fecerit,* dixit, **et facta est.** *Si quare fecerit,* quia bona est (2). Ergo intrinseca bonitas lucis fuit motivum et ratio creandi lucem, ex S. Augustini doctrina. Quare etiam scripsit S. Thomas. *Bonum universi est ratio, cur Deus vult unumquodque bonum particulare in universo* (3).

Respondeo, *dist.* conseq. Intrinseca bonitas fuit motivum et ratio creandi lucem, id est, **motivum latius sumptum pro simplici ratione proxima objectiva**; quæ ne partialiter quidem concurrat ad constituendum objectum formale ac rationem sufficientem, quæ Deum ad volendum determinet, sed sit instar cujusdam conditionis, *conc.*; motivum et ratio creandi Deum per se movens ac determinans ad volendum, *nego.* Jam enim ostendimus objectum formale divinæ volitionis totaliter atque adæquate solam esse bonitatem Dei. Nec contrarium probat Aquinatis

(1) P. Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 2, num. 11.

(2) Lib. 1 in *Genes.*

(3) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 86.

testimonium; sicut enim nec bonum generale totius universi in se potest Deus velle, quia moveatur ab intrinseca bonitate illius, ita nec bonum quodvis particulare in universo. Bonum ergo universi potest esse ratio proxima volendi bonum aliquod particulare tamquam necessarium ad illius integritatem, non vero finis ultimus nec formale motivum.

Objic. 2.° Si sola bonitas Dei esset formale objectum cujuslibet volitionis divinæ, Deus omnes creaturas æqualiter amaret, nam omnes reapse amaret unico actu infinito et ob eamdem infinitam bonitatem; immo omnes amaret sicut se ipsum. Atqui hoc absurdum est; quandoquidem Deus magis amat hominem, quam belluam, magisque Christum Dominum aut Beatissimam Virginem, quam cæteros homines. Ergo...

Respondeo, *neg.* Major., tum quia non omnibus æqualia communicat bona, tum quia non ab omnibus æque repræsentatur divina bonitas: *Dicimus autem aliquem magis alio amare, cui volumus majus bonum, quamvis non magis intensa voluntate. Et hoc modo necesse est dicere, quod Deus quædam aliis magis amat* (1). Nam quamvis *intensive* possit Deus omnia æqualiter amare, non tamen *appretialive*, quia non in omnibus adest expressus idem gradus divinæ bonitatis ac perfectionis. Nec rationes ad probandam Majorem allatæ rem evincunt: cum enim *amare nihil aliud sit, quam velle bonum alicui* (2), æqualitas amoris non satis probatur ex unitate atque identitate sive actus sive objecti formalis. Nec probari potest id, quod in fine addebatur, nos diligi a Deo, sicut se ipsum diligit: primo quia *propter quod unumquodque tale, illud magis*, unde cum Deus creaturas diligat propter se, magis se, quam illas, diligat, necesse est. Deinde quia creaturas existentes libere amat, et potuisset non amare. Demum quia se amat infinite merito non solum subjecti, sed etiam objecti, quod cum sit infinitum, non diligitur pro merito sui, seu quantum diligibile est, nisi amore infinito, secus vero creaturæ diliguntur amore infinito ex merito duntaxat subjecti seu ex excessu voluntatis infinitæ, quæ non potest habere actum nisi perfectionis infinitæ.

(1) S. Thom., 1 p., quæst 20, art. 3.
(2) S. Thom., 1 p., quæst. 20. art. 2.

Objic. 3.° Si Deus omnia alia vellet propter se ipsum, non posset amare rationales creaturas amore benevolentiæ vel amicitiæ. Atqui Deus angelum et hominem justum amat, amore amicitiæ, ut docent Theologi. Ergo..... Major probatur, quia in hoc differt amor benevolentiæ et amicitiæ ab amore concupiscentiæ, quod iste quærat bonum proprium amantis, ille vero sistat in bono amati.

Respondeo, *neg.* Major. Ad probat. *disting.* primam partem asserti. In hoc differt amor benevolentiæ ab amore concupiscentiæ, quod iste quærat bonum proprium amantis, commodum nempe et utilitatem, *conc.*; quodvis aliud bonum, *nego*. *Distinguo* pariter alteram partem. In hoc differt, etc., ut amor benevolentiæ sistat in bono amati, nisi bonum ipsum amati omnino referatur ad bonum amantis, *conc.*; si bonum amati omnino referatur in bonum amantis, *nego*. Et *neg.* conseq. Amor concupiscentiæ amat rem ut bonam et utilem sibi. Deus autem nihil creatum, nedum rationalem creaturam, in cujus utilitatem tot res creavit, sic amat, nec amare potest. Immo vero nullus amor benevolentiæ etiam in homine potest esse honestus, si ultimo sistat in creatura cjusve bono, secus enim creatura constitueretur finis ultimus talis amoris, quod absurdum est; sed debet referri ad ipsum Deum, qui est finis ultimus omnium. Cæterum in amore Dei ita mirifice et harmonice omnia componuntur, ut maximum bonum, quod Deus possit rationali creaturæ conferre ex amore benevolentiæ ac purissimæ amicitiæ, nimirum visio et amor beatificus, essentialiter atque inseparabiliter conjungatur cum maximo bono, utique extrinseco, maximæ suæ gloriæ, quod intendere Deus valeat in hac rerum universitate. Et sic potest Deus creaturam perfectissime amore amicitiæ diligere, quamvis omnia velit et agat propter gloriam suam (1).

Objic. 4.° Voluntas Dei debet amare omnia eo modo, quo sunt amabilia. Sed quævis res amabilis est propter suam intrinsecam bonitatem. Ergo non cujuslibet volitionis divinæ formale objectum est bonitas Dei.

(1) Cfr. *Cosmolog.* num. 97, pag. 344, *Objic. 4.°*

Respondeo, *dist.* Major. Pro voluntate creata, *transeat*; pro divina, *subdist.* Spectata re ipsa, ad quam terminatur amor divinus, *conc.*, quia reapse nullus gradus modusve amabilitatis est, quæ non sit materiale objectum divinæ voluntatis. Spectato motivo amandi, *nego*, quia hoc pacto nulla est bonitas creata, quæ ad sui amorem allicere valeat Deum, quemadmodum jam demonstratum est.

Objic. 5.º Tota hæc controversia, prout a nobis tractatur, nihi videtur illa opinione, quæ tenet media, prout talia, nulla gaudere intrinseca bonitate, nec proinde in se appeti, sed tantum appeti finem, ad quem illa conducunt. Cum enim res creatæ non sint finis, sed tantum media ad externam Dei gloriam procurandam, ideo dicuntur amari solum propter divinam bonitatem. Atqui doctrina illa est valde controversa, immo et a nobis ipsis alibi rejecta (1). Ergo assertio nostra parum habet firmitatis.

Respondeo, *nego*. Majorem. Quamvis enim quidam videantur controversiam præsentem ita tractare, quasi doctrinam illam circa mediorum bonitatem supponeret; nos certe illam non supponimus. Nam ad communem hanc nostram tuendam assertionem, necesse non est negare mediis intrinsecam bonitatem; habeant sane, ut certissime habent, suam propriam bonitatem, propter quam possunt etiam in se ac propter se amari a voluntate creata. Et hæc ipsa bonitas propria cujusque rei et intrinseca est etiam objectum voluntatis divinæ, sed tantum materiale, nullatenus vero formale, quia non potest per se vel partialiter atque inadæquate allicere ac movere voluntatem increatam ad sui amorem.

ARTICULUS III

De objecto secundario divinæ voluntatis

Status quæstionis.

153. Diximus objectum secundarium divinæ voluntatis esse porrigere ad omnia alia præter Deum. Et quamquam agentes de amore aliarum rerum ac de libertate divina jam

(1) *Psycholog.* vol. 3.º, num. 46, 47, pag. 109 seqq.

sæpius supposuimus id, quod per se patet, Deum velle res creatas, utpote quæ sunt effectus voluntatis ejus; nunquam tamen speciatim declaravimus, quænam sint rerum genera, quæ sub secundario objecto continentur. Objecta enim varia, quæ hac in re possent excogitari, aut sunt bona, aut mala: et bona, vel sunt existentia vel pure possibilia. De quibus omnibus nonnihil dicere oportet. Unum tantum probe notatum velim, cum sermo est de objectis, ad quæ divina voluntas se extendit, quæstionem intelligendam esse de actu volendi prosecutivo seu amore. Nam si vera sunt, quæ paulo superius statuimus circa impossibilitatem suspensionis omissionisve actus omnis circa ullum objectum, evidens est, nullum esse objectum, etiam pure possibile, circa quod saltem actu positivo nolitionis non versetur divina voluntas. Ne ergo sit supervacanea præsens controversia, intelligenda est de objectis, ad quæ divina voluntas se porrigere queat, vel non queat, actu prosecutivo amoris vel volitionis.

§ I.—UTRUM DEUS VELIT AMETVE OMNES RES CREATAS, SIVE PRÆSENTES, SIVE PRÆTERITAS, SIVE FUTURAS.

154. Inter creaturas, quæ unquam existentiam sortiuntur in successione temporum, aliæ sunt actu; aliæ non amplius sunt nunc, sed fuerunt; aliæ nondum sunt, sed erunt.

PROPOSITIO 1.ª **De actu existentibus nulla est ratio ambigendi, quin Deus amet illas.**

Deus amat omnia actu existentia.

Et probatur, quia omnis entitas, ubilibet existens extra Deum, est effectus Dei præcise per voluntatem, voluntas enim Dei, ex probatis, est causa rerum (1). Atqui catenus sunt res effectus Dei per voluntatem, quatenus Deus eas vult, ac decernit esse, ac proinde amat illas; nam hoc est amare, velle bonum alicui. Ergo... Quare in libro *Sapientiæ* legitur: *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti* (2), etc.

(1) Vide supra, num. 132, pag. 460.
(2) *Sapient.*, cap. 11, vers. 25.

Atque idem dici debet de rebus, quæ actu quidem non sunt, sed tamen vel fuerunt, vel erunt. Amare enim, ut modo dicebam, est velle bonum. Atqui Deus ab æterno voluit bonum cunctis præteritis et futuris pro tempore, in quo existentiam sortirentur. Ergo.....

Apposite S. Thomas: *Licet creaturæ ab æterno non fuerint nisi in Deo, tamen per hoc quod ab æterno in Deo fuerunt, ab æterno Deus cognovit res in propriis naturis*, et eadem ratione amavit (1).

Objectiones solutæ.

155. Dices 1.° Creatio non potest referri nisi ad tempus, in quo res efficitur, et conservatur, nempe ad tempus præsens. Ergo simili modo volitio et amor limitandus est ad tempus, in quo res sunt, ac proinde solum præsentia potest Deus velle, atque amare non vero præterita et futura: quare sicut non *potest dici Deus esse creator vel Dominus, vel Pater nisi eorum, quæ sunt, ita non potest dici velle nisi ea, quæ sunt* (2).

Respondeo, *neg.* conseq. et paritatem. Etenim velle est operatio in voluntate manens, per quam non est necesse, ut aliquid extra producatur, quamdiu ipsa est; unde possumus velle, quæ non sunt, ut v. gr. sanitatem ægroti. Sed *facere* et *creare* et *gubernare significant actionem terminatam ad exteriorem effectum, sine cujus existentia hujusmodi actio non potest intelligi* (3).

Dices 2.° Regius Psaltes sic verissime scripsit: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem* (4). Atqui nihil simul amatur, et odio habetur. Ergo non omnia Deus amat.

Respondeo, *dist.* Major. Odit Deus peccatores ratione naturæ, nego; ratione quod non est a Deo, sed a perversa prævaricantis voluntate, *trans.* Et *concessa.* Minore, *nego* conseq. (5).

Dices 3.° «Duplex est amor, scilicet *concupiscentiæ* et *amicitiæ*. Sed Deus creaturas irrationales non amat amore

(1) S. Thom., 1, p. quæst. 20, art. 2, ad 2.um
(2) Apud S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 79. *Præterea*,..
(3) S. Thom., ibid., in fine capitis.
(4) *Psalm.* 5, vers. 7.
(5) Vide S. Thom., 1 p. quæst. 20, art. 2, ad 4.um

concupiscentiæ, quia nullius extra se eget; nec etiam amore amicitiæ, quia non potest ad res irrationales haberi... Ergo Deus non omnia amat» (1).

Respondeo, *conc.* Major., *neg.* Minorem quoad primum membrum. Etenim *amicitia non potest haberi nisi ad rationales creaturas, in quibus contingit esse redamationem et communicationem in operibus vitæ, et quibus contingit bene evenire vel male secundum fortunam et felicitatem, sicut et ad eas proprie benevolentia est. Creaturæ autem irrationales non possunt pertingere ad amandum Deum, neque ad communicationem intellectualis et beatæ vitæ, qua Deus vivit. Sic igitur Deus, proprie loquendo, non amat creaturas irrationales amore amicitiæ, sed amore quasi concupiscentiæ, in quantum ordinat eas ad rationales creaturas et etiam ad se ipsum; non quasi eis indigeat, sed propter suam bonitatem et nostram utilitatem, concupiscimus enim aliquid et nobis et aliis* (2). Quæ doctrina tenens Deum amare creaturas rationales amore amicitiæ, concupiscentiæ autem irrationales, est communissima inter Theologos (3).

§ II.—AN ET QUO PACTO DEUS AMET POSSIBILIA.

Status quæstionis

156. Controversia hæc longe præcedenti est incertior minusque constans inter scriptores. Ut vero statum quæstionis rite percipias, non quæritur, utrum Deus velit, ametve creaturas pure possibiles, secundum illud *esse* eminentiale ac virtuale, quod habent in Deo; cum enim hujusmodi *esse* sit prorsus indistinctum ab *esse* ipsius Dei, ambigi nequit, quin sit objectum, et quidem necessarium, amoris voluntatisque divinæ. Verum dubitatur, utrum Deus amet etiam possibilia secundum illud *esse* formale, quod haberent in se, si a Deo crearentur, distinctum secundum suos gradus specificos et individuales. Cum enim certum sit, quod divina cognitio terminatur ad possibilia secundum hujusmodi *esse*

(1) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 20, art. 2, argum. 3.
(2) S. Thom., loc. cap. cit., ad 3.um
(3) Vide Scotum (1.° dist. 12, quæst. unic. ad 2.um) Durand. (ibid. quæst. 1), Suarez (*De D. o. et attrib.* lib. 3, cap. 7), Vazquez (In 1.am p., disp. 84, cap. 2), Ruiz de Montoya (op. cit. disp. 52, sect. 6), Molina (In 1.am p., quæst. 20, art. 2), Granado (In 1.am p., tom. 2, tract. 6, disp. 1, sect. 3) etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

distinctissimum ab *esse* Dei, ut ea comprehensive ac perfectissime intelligat, quemadmodum suo loco probatum reliquimus, nosse juvat etiam, utrum volitio divina terminetur ad amanda ista possibilia.

et sententiæ prima.

Negat prima sententia, quam longe frequentius tuentur Thomistæ, ut Navarrete (1), Joannes a S. Thoma (2), Godoy (3), Gonet (4), Ferre (5), Salmanticenses Carmelitani (6) alique. Et eadem sententia tribuitur Eximio Doctori (7), qui, relata opinione asserentium Deo amorem quemdam simplicis complacentiæ, eumque necessarium, erga possibilia, præfert oppositam opinionem. Hi scriptores docent consequenter, Deum quidem esse omniscium et omnipotentem, non vero *omnivolum*, quia quamvis omnia sciat, et producere queat, etiam possibilia, non tamen vult, aut amat omnia. Pro qua doctrina solent etiam e veteribus laudari præter S. Thomam, Alexander Halensis (8) et S. Bonaventura (9).

secunda.

Non minus communis est altera sententia affirmans Deo amorem aliquem, non quidem efficacem, sed inefficacem et simplicis complacentiæ erga creaturas possibiles. Cui opinioni favere dicitur Scotus non uno in loco, itemque S. Thomas, et eamdem tenent plures Scotistæ (10), et communissime nostrates cum Vazquez (11), Arrubal (12), Ruiz de Montoya (13), Tanner (14), Valentino Herice (15), Granado (16),

(1) *Controversiar.* tom. 2, controv. 3.
(2) Tract. 4, disp. 5, dub. 1, paragr. 4.
(3) Tract. 6, disp. 51.
(4) *Clypeus*, tom. 1, tract. 4, disp. 2, art. 4.
(5) Tract. 9, quæst. 4, paragr. 3.
(6) Tract. 4, disp. 5, dub. 1, paragr. 4.
(7) *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 38, 42.
(8) 1 p., quæst. 34, membr. 4.
(9) 1.° dist. 45, art. 1, quæst. 2.
(10) Vide Claudium Frasson et Henno, *Theolog. dogmat. moral.*, tomo 1, *De Deo uno*, disp. 6, quæst. 5, corolus. 3.°) Boyvin *Theologia Scoti*, tom. 1, cap. 3, disp 5, quæst. 7), etc.
(11) In 1.am part., disp. 79, cap. 2.
(12) In 3.am part., disp. 52, cap. 2, 3.
(13) *De volunt.*, disp. 6, sect. 2.
(14) 1.ª p., disp. 2, quæst. 10, dub. 1, num. 6 et dub. 4, num. 5.
(15) Tract. 2, disp. 18.
(16) In 1.am part., tom. 2, tract. 2, disp. 1.

Alarcon (1), Arriaga (2), Becano (3), Fassolo (4), Carleton Compton (5) allisque: item non pauci Thomistæ, ut Marcus Serra (6), Bancel (7) et cardin. Gotti (8), quibus etiam adstipulantur e S. Ordine Servorum B. M. V. Rev. P. Marcus Struggl (9) et alii. Horum proinde doctrina est, Deum non solum esse omniscium et omnipotentem, sed etiam aliquo modo *omnivolum*.

Altera controversia.

Disputatur autem, utrum hic amor possibilium sit liber in Deo, an necessarius. Et quamvis nonnulli velint necessarium esse solum quoad speciem, liberum autem quoad exercitium actus, unde etiam in materia de processionibus divinis negant Spiritum S. procedere ex amore possibilium creaturarum, tamen longe communior est illorum sententia, qui docent necessarium prorsus esse et quoad speciem et quoad exercitium, quemadmodum docent Vazquez, Ruiz de Montoya, Arrubal, Granado, Herice, Carleton Compton, Arriaga, Struggl, et cardin. Gotti.

157. PROPOSITIO 2.ª **Probabilius dicendum est Deum amare creaturas possibiles amore simplicis complacentiæ inefficaci, eoque necessario.**

Deus amat creaturas possibiles amore inefficaci simplicis complacentiæ.

Prima pars: *Deus amat creaturas possibiles amore inefficaci simplicis complacentiæ*, probatur 1.° Ad amorem inefficacem simplicis complacentiæ sufficit quævis bonitas, quamvis sit parva et secundum quid. Atqui datur in pure possibilibus quædam bonitas. Ergo stat propositio.

Major probatur, quia amabilitas sequitur bonitatem, sicut cognoscibilitas veritatem: unde bonum a posteriori definitur id, quod omnia appetunt. Quare ad infimum gradum amoris et affectus simplicis complacentiæ, sufficere debet quævis ratio bonitatis, quamtumvis parvæ.

(1) Tract. 3, de *volunt. Dei*, disp. 3, cap. 3.
(2) Tom. 1, disp. 24, sect. 5.
(3) Tract. 1, cap. 3, quæst. 6.
(4) In 1.am part., quæst. 10, art. 3.
(5) *De Deo*, disp. 27, sect. 6.
(6) In 1.am part., quæst. 20, art. 2.
(7) De *voluntate* Dei, quæst. 5, art. 1, paragr. 1.
(8) *De Deo*, tract. 5, quæst. 1, dub. 3, paragr. 2.
(9) *De Deo*, tract. 1, disp. 5, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Minor etiam probatur, quia bonitas respondet entitati, quandoquidem omne ens est bonum. Atqui possibilia sunt aliqua ratione entia, licet non actualia, et consequenter suam habent intrinsecam entitatem coalescentem ex suis notis specificis et individualibus, secundum quas mente cogitantur, et possent etiam, decernente Deo, in se ipsis existere, atque actualem bonitatem possidere. Ergo et habent in statu possibilitatis suam proportionatam bonitatem.

Prob. 2.º Bonitas possibilis sufficit ad excitandam simplicem complacentiam. Atqui possibilibus inest profecto possibilis bonitas. Ergo...

Minor constat, quia bonitas sequitur entitatem, ac proinde ubi adest possibilis entitas, non potest non adesse possibilis bonitas.

Major probatur 1.º quia bonitas, ut possit appetitum ad amorem excitare, non debet actu extra mentem existere, sed sufficit ut mente apprehendatur, quemadmodum et experientia constat, et alibi docuimus. Bonum enim non movet ex eo præcise, quod est, sed ex eo quod *prout tale cognoscitur*: unde sicut bona existentia non possunt movere, nisi cognoscantur, ita quæ bona cognoscuntur, movere possunt, etiamsi re nondum existant (1). 2.º Ostendimus alibi cum sat frequenti sententia impossibilem bonitatem menti relucentem posse gignere effectum inefficacis complacentiæ (2). Ergo a fortiori bonitas possibilis poterit eam excitare. 3.º Bonitas rei possibilis nondum cognita ut futura, sed cognita ut possibilis est sufficiens objectum, quod possit amari a Deo amore efficaci. Ergo poterit etiam amari amore inefficaci. Probatur antecedens: enam bonitas non cognoscitur ut futura, nisi supposita voluntate efficaci producendi illam... Quapropter prius quam supponatur efficax decretum producendi bonitatem illam, non proponitur ab intellectu, quasi futura bonitas. Rursus prius quam divina voluntas efficaciter decernat rem aliquam producere, necessario prærequiritur cognitio proponens illius

(1) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 4, pag. 9; Suarez, *Metaphys.* disp. 23, sect. 7.

(2) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 7, pag. 14.

bonitatem. Sed ea bonitas non proponitur ut futura, sicut nuper probatum est. Ergo proponitur tantum ut bonitas possibilis: atque talis intellectio, solam possibilitatem proponens, erit sufficiens ut voluntas efficaciter decernat illam bonitatem producere» (1).

Probatur 3.º In amore possibilium inefficaci simplicis complacentiæ nulla potest ostendi imperfectio aut indecentia. Ergo tribuendus est Deo.

Prob. conseq., quia complacentiæ amor non est mera negatio, sed positivus actus, qui proinde aliquam perfectionem essentialiter importat. Perfectio vero hujusmodi pura est, ac proinde asserenda Deo, si nulli admixta sit imperfectioni.

Probatur itaque antecedens: Amor possibilium in primis nullam involvit imperfectionem α) *ex parte objecti*, quia ut jam demonstravimus, possibilia bonitatem habent, imperfectum autem non est ex parte objecti bonum amare. β) Nec involvit imperfectionem *ex modo tendendi*, nam Deus supponitur tendere ad possibilia propter suam ipsius bonitatem, quia nempe inest illis participatio ac similitudo suæ bonitatis atque essentiæ. γ) Nec denique adest imperfectio in amore possibilium ex ipsa ratione simplicis complacentiæ, quia fatentibus omnibus, Deus simpliciter complacet, immo et desiderat plura, quæ non vult efficaciter, ut statim videbimus; quare genus ipsum amoris inefficacis ac simplicis complacentiæ non dedecet Deum. Ostendant ergo adversarii, quo ex capite sit imperfectus, Deove repugnans amor possibilium.

Prob. 4.º Certum est ex sacra Theologia Deum velle plura pure possibilia inefficaci amore. Atqui eadem est ratio pro omnibus. Ergo...

Major constat, quia Deus vult salutem omnium hominum; at salus plurimorum est pure possibilis. Vult etiam, ac desiderat pœnitentiam ac resipiscentiam innumerorum hominum, quæ remanet in statu pure possibilitatis.

Minor etiat patet, quia ex hisce exemplis ostenditur, amorem pure possibilium Deo non repugnare. Quod si non

(1) P. Didacus Ruiz de Montoya, *De volunt. Dei*, disp. 6, sect. 2, num. 6.

repugnat, non est ratio, cur non possit Deus inefficaciter amare omnia possibilia, cum in omnibus illis reluceat aliqua bonitas et imago infinita bonitatis, in qua complaceat.

neque necessario.

Secunda pars: *amor simplicis complacentiæ, quo Deus prosequitur possibilia, necessarius est tam quoad specificationem, quam quoad exercitium actus*, probatur 1.° Quia Deus non potest non amare illa, quæ cum sua omnipotentia et essentia necessario connectuntur. Atqui ostendimus alibi (1) omnipotentiam et essentiam divinam necessario connecti cum possibilibus. Ergo.....

Major probatur, quia si possibilia necessario connectuntur cum Deo, jam se habent respectu Dei ceu media ad finem necessaria, quæ necessario amantur, docente Aquinate, cum scripsit: *Ea quæ sunt ad finem, non necessitate volumus volentes finem, nisi* sint talia, sine quibus finis esse non potest: *sicut volumus cibum volentes conservationem vitæ, et navem volentes transvetare* (2). Unde in hoc manifeste cernitur differentia inter res existentes et possibiles, quia entitas et bonitas actualis earum non necessario connectitur cum bonitate et essentia divina, et præterea libere amatur a Deo, sicut amantur media non necessaria ad finem: at bonitas illa et entitas quantulacumque possibilium metaphysica necessitate connectitur cum Dei essentia, ita ut, repugnante possibilitate intrinseca possibilium, ipsa Dei essentia mutaretur, et corrueret, ut suo loco explicatum reliquimus.

Prob. 2.° Bonitas illa possibilium propria est prorsus necessaria et immutabilis atque indefectibilis, nec ullatenus pendens in se a divina voluntate, sicut pendet actualis bonitas rerum existentium. Ergo non est, unde divina voluntas possit non amare possibilia.

Mens S. Thomæ expenditur.

158. Si jam mentem S. Thomæ velis cognoscere, video esse aliquam difficultatem et dissidium in ea interpretanda. Duo genera testimoniorum afferri solent ex S. Doctore pro sententia negante Deo simpliceni complacentiam possibilium: α) alia, in quibus dicitur Deus, quamvis cognoscat

(1) Vide supra, num. 52, pag. 152.

(2) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 3.

omne verum, non tamen *velle omne bonum, nisi in quantum vult se, in quo totum bonum virtualiter existit* (1). Itemque negat Deum amare, ac velle nisi in ordine ad effectionem et existentiam a se tribuendam (2). Verum hæc testimonia ipsemet Magister Joannes a S. Thoma fatetur rem non evincere, quia «explicari possunt de voluntate efficaci, qua vult aliqua ponere in esse» (3), quo pacto profecto nemo dicit Deum amare possibilia. Immo vero in contrarium solet ille afferri locus: *Secundum quod unumquodque se habet ad esse, ita se habet ad bonitatem. Sed impossibilia sunt, quæ non possunt esse. Ergo non possunt esse bona. Ergo nec volita a Deo, qui non vult nisi ea quæ sunt, vel* possunt esse bona (4). Atqui possibilia saltem possunt esse bona.

β) Alia sunt testimonia, in quibus Angelicus Doctor negat rationem boni et appetibilis rebus, nisi ut subsunt alicui *esse*, vel per ordinem ad aliquod *esse*, et quidem actuale (5). Hinc materiæ primæ, quia est de se pura potentia seu ens in potentia, vel non concedit nisi bonitatem in potentia, aut secundum quid (6); vel si tribuit per se ac simpliciter bonitatem, eam concedit, solum quia materia prima dicit ordinem et appetitum ad formam, et per eam ad *esse* actuale, quod composito convenit ratione formæ substantialis in doctrina Aquinatis (7). Et res etiam mathematicas, quamvis in se habeant bonitatem, quia habent *esse*, negat tamen eam habere in consideratione mathematica, quia mathematicus præscindit ab *esse* quantitatis (8). Quæ doctrina videtur fuisse constans in mente S. Thomæ etiam tum, cum entibus in potentia

(1) 1 p., quæst. 19, art. 6, ad 2.um Cfr. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 81, fin.

(2) 1 p., quæst. 20, art. 2; *de verit.*, quæst. 23, art. 4, ad 13 um; 1.° dist. 45, quæst. 1, art. 2, ad 2.um

(3) Joann. a S. Thom. loc. cit. tomo 2, quæst. 19, disp. 4, art. 6, num. 15.

(4) S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 81, fin.

(5) Vide 1 p., quæst. 5, art. 2, ad 3.um et ad 4.um

(6) 1 p., quæst. 5, art. 3, ad 3.um

(7) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 48, art. 2.

(8) *De verit.* quæst. 1, art. 2, ad 4.um; 1 p., quæst. 5, art. 3, ad 4.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

largitur bonitatem simpliciter, nam semper illam explicat per ordinem ad *esse* actuale (1).

Verum est, quod S. Thomas approbat dictum S. Dionysii scribentis (2), *quod bonum se extendit ad existentia et non existentia* (3), etiam secundum prædicationem, quatenus videlicet bonum prædicari possit de existentibus et non existentibus. Nihilominus crediderim, ex mente S. Thomæ inter ista non existentia, de quibus potest prædicari ratio boni, non posse computari pure possibilia; tum quia ipsemet S. Doctor in exemplum hujusmodi non existentium affert materiam primam, quæ profecto secundum Aquinatem non est realitas pure possibilis; tum quia in iisdem locis materiæ ideo tribuit bonitatem, quia et appetit bonum, nempe formam et *esse*, et appetit ordinem ad *esse* actuale; quorum neutrum, opinor, competit pure possibilibus, utpote quæ ex sese non ordinantur ad *esse*, sed tantum non habent repugnantiam ad *esse*, ex divina vero ordinatione nunquam *esse* sortientur.

Itaque quamquam non ignorem esse quosdam Thomistas, ut Mag. Gonet (4), qui contendunt Angelicum Doctorem non negare pure possibilibus omnem bonitatem; equidem non video rationabilem solutionem eorum testimoniorum, quæ secundo loco ex Aquinate protulimus. Non ideo tamen puto labefactari probabilitatem nostræ sententiæ, quæ et auctoritate patronorum et rationum pondere non parum valet.

Objectiones dissipatæ.

159. Objic. 1.° Creaturæ possibiles nullam in se habent bonitatem, quandoquidem fundamentum omnis bonitatis est existentia, vel certe ordo ad illam. Sed creaturæ possibiles nec existunt, nec ordinem habent ad existentiam. Ergo.....

Respondeo, *neg. Major.*, et ad probationem *desting.* Fundamentum omnis bonitatis realis seu extra mentem existentis. *conc.*; fundamentum omnis bonitatis objective menti relucentis, *neg.* Tum *neg.* conseq. Quamvis ergo in

(1) Vide v. g. *Contr. Gent.*, lib. 3, cap. 20, *Inter partes etiam...*: et *de malo*, quæst. 1, art. 2, corp., et ad 8.um, 9.um, 14.tum, et 15.um

(2) S. Dionys. *de divin. nomin.* cap. 4.

(3) 1 p., quæst. 5, art. 1, ad 1.um; et *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 20, *Inter partes etiam...*

(4) *Clypeus...* tom. 1, tract. 4, disp. 2, art. 4, paragr. 3, num. 74 seqq.

Ontologia de hac re sententiam, quam putamus esse S. Thomæ cum Suarezio innuerimus (1), hic contrariam subaudimus, ut communissimam doctrinam stabilitæ propositionis ceu probabilem tueamur.

Objic. 2.° Amare est velle bonum. Sed pure possibilibus Deus nullum vult bonum. Ergo non amat illa.

Respondeo, *dist. Major.* Amare amore efficaci, *conc.*; inefficaci et simplicis complacentiæ, *neg.* Et *concessa Minore*, *neg.* conseq.

Objic. 3.° Si daretur amor possibilium in Deo, aut esset liber, aut necessarius sive quoad specificationem sive quoad exercitium. Atqui neutrum dici potest. Ergo.....

Prob. Minor. per partes. α) *Non liber*, quia si qua est in possibilibus bonitas, ad quam terminari queat amor divinus, ea necessaria est atque invariabilis, quæque respui nequeat, ut nos ipsi argumentabamur. β) *Non necessarius*: 1.° quia S. Thomas ubicumque amorem creaturarum vel aliarum rerum præter Deum meminit, liberum pronuntiat (2). 2.° Quia quoad specificationem nulla potentia necessitatur nisi a suo formali et adæquato objecto; quale certe non est bonitas creaturarum possibilium respectu divinæ voluntatis. Nec quoad exercitium potest necessitari voluntas Dei nisi a bonitate per essentiam, quæ adæquetur virtuti appetitivæ. 3.° Si in divina voluntate esset aliquis amor necessarius creaturarum, ex illo procederet Spiritus Sanctus, quia procedit ex amore Dei naturali et necessario, sicut procedit Verbum ex cognitione naturali et necessaria, etiam possibilium; quod tamen non videtur esse admittendum (3).

Respondeo, *conc. Major.*, et eligo alterum membrum. Primæ partis probationem *concedo*.

Ad 1.um probationem alterius partis respondeo, in illis locis S. Thomam agere de voluntate efficaci, qua diligit creaturas existentes in aliqua temporis differentia. Unde etiam reddit S. Doctor rationem, cur Deus alia a se libere diligat, quia videlicet divina bonitas non connectitur cum earum

(1) *Ontolog.*, num. 156, pag. 459.

(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 3; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 81, 82; *de verit.*, quæst. 23, art. 4.

(3) Vide Gonet, loc. cit., num. 63, 65.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

existentia, sed potest esse plena et immutabilis etiamsi illa non sint.

Ad 2.am probationem, *nego* assertum. Quemadmodum enim jam probavimus, amor possibilium necessarius est et quoad specificationem et quoad exercitium; quamvis necessitas hæc non repetatur præcise ex ipsis creaturis, sed ex divina bonitate, quæ necessariam importat habitudinem ad creaturas possibiles, quibus est communicabilis. «Sicut enim cognitio vel scientia, qua Deus easdem creaturas cognoscit, eamdem habet necessitatem, non ab ipsis creaturis, sed a divina essentia, quæ cum necessariam dicat habitudinem ad illas, non potest adæquate cognosci et comprehendi, quin cognoscantur possibilia; sic neque poterit divina bonitas amari amore adæquato et comprehensivo, quin amentur omnia, quibus necessario est communicabilis. Hinc quidquid hac in re objiciunt adversarii de amore divino, instari potest, et in ipsos retorqueri ex iis, quæ docent de scientia possibilium» (1). Unde adjectæ probationes nihil evincunt.

Ad 3.am probationem transmittitur totum, cum quia res tangitur propria Theologiæ dogmaticæ, et supra consideratinem philosophicam posita; tum quia ipsi Theologi divisi sunt. Alii enim concedunt, immo et contendunt Spiritum S. procedere ex amore simplicis complacentiæ naturali et necessario creaturarum possibilium, omnino sicut Verbum procedit ex possibilium cognitione; alii negant Spiritum S. procedere ex amore possibilium, quia non est efficax, sed inefficax et simplicis complacentiæ.

Objic. 4.° Si Deus pure possibiles creaturas necessario amaret, α) amaret eas sicut se ipsum. Aqui hoc absurdum est, quia Deus amore sui est beatus; quis autem dicat eum esse beatum etiam amore possibilium? β) Si Deus amaret simplici complacentia possibilia, non posset decreto efficaci eorum nolle existentiam, quin ageret contra inclinationem suæ voluntatis: quod videtur lædere perfectam libertatem divinam volendi vel non volendi, producendi vel non producendi quamlibet rem.

(1) Gotti, *De Deo*, tract. 5, quæst. 1, dub. 3, paragr. 3, num. 18.

Respondeo ad α), *neg.* Major. Nam *propter quod unumquodque tale, et illud magis*. Est enim Deus objectum formale, propter quod reliqua omnia diligit, quæ proinde solum ut objecta materialia, et multo minus quam ipse Deus amantur. Itaque licet amor, quo Deus se ipsum et creaturas possibiles prosequitur, re sit unus idemque, distinguitur tamen ratione terminorum; et quatenus ad se ipsum terminatur, infinitus est merito et exigentia ipsius objecti, et per se ac form liter beatificus, at quatenus terminatur ad possibilia, est infinitus merito duntaxat potentiæ infinitæ, non autem merito objecti, et solum identice beatificus.

Respondeo ad β), *neg. assert.*, quia simplex complacentia et nolitio existentiæ terminantur ad diversos terminos, videlicet complacentia ad bonitatem possibilem, et nolitio ad existentiam: et prima, cum sit prorsus ineficax, nec determinat, nec etiam inclinat Deum ad existentiam. Neque id arduum est intellectu, cum et nos ipsi interdum complaceamus in iis, quæ nolumus existere.

Dices. Mercator in suis mercibus complacens, contra voluntatis suæ propensionem faceret si eas in profundum maris projiceret. Ergo a pari...

Respondeo, *nego* paritatem, quia complacentia mercatoris est in mercium existentia et possessione, ac propterea valde dolens et invitus projicit eas, cum cogitur tempestate.

Objic. 5.° Si Deus necessario complaceret in creaturis possibilibus, etiam complaceret in peccato pure possibili: nam eadem est ratio pro possibilium quorumlibet complacentia, videlicet quia et connexa est cum illis omnipotentia divina, et bonitatem Dei quodammodo participant. Atqui absurda est sequela, utpote divinæ sanctitati injuriosa. Ergo.....

Respondeo 1.° cum P. Carleton Compton, *disting.* Major.; dummodo non sit pro aliquo possibili determinato specialis ratio displicentiæ, *conc.*; si sit specialis ratio displicentiæ, qualis est in peccati malitia, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Respondeo melius 2.° *distinguendo* aliter cum P. Valentino Herice (1). Complaceret Deus in peccato pure possibili,

(1) In 1.am part., disp. 18, cap. 1, num. 9.

prout esse potest a Deo, concurrente per omnipotentiam divinam ad actum physicum et ad materiale peccati, *conc.*, nam in hoc sensu peccatum sua potitur bonitate; complaceret Deus in peccato pure possibili, prout est malum morale, et connotat creatam voluntatem prævaricantem, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. Et distinctio declarabitur inferius ex dicendis de concursu Dei ad actum peccati (1).

Dices. Sicut Deus dicitur habere simplicem complacentiam pure possibilium necessariam, eodem jure dici potest habere necessariam displicentiam eorumdem. Atqui complacentia et displicentia de eodem repugnant, cum sint actus contrarii. Ergo... Et probatur Major. Nam complacentia datur in Deo, quia creaturæ possibiles sunt reapse bonæ. Atqui etiam sunt essentialiter imperfectæ ac limitatæ, ideoque objectum displicentiæ. Cum potissimum Deus videat etiam in possibilibus rationem mali, ut v. g. moralem malitiam possibilem.

Respondeo, *neg.* Major. Ad probationem *neg.* Minor. Nam quamvis limitatio et defectibilitas essentiarum creatarum vel creabilium sit imperfectio, non tamen malum, nisi pure metaphysicum (2); immo est proprietas essentialis earum. Neque aliunde est possibile, ut præter Deum quidpiam existat nisi finitum et defectibile; non enim potest a Deo produci ulla essentia nisi finita, nec est ulla res creata, quin possit a Deo in nihilum redigi, spectato absoluto ejus dominio et omnipotentia (3).

§ III. UTRUM VOLUNTAS DIVINA VERSETUR CIRCA IMPOSSIBILIA.

Sententia communis negativa.

160. Sermo est de metaphysice atque absolute impossibilibus: et communis est scriptorum responsio negativa cum S. Thoma (4). Nam Deus volendo se vult alia omnia, quatenus participant entitatis et bonitatis suæ similitudinem.

(1) Vide Carleton-Compton, *Theolog. Scholast.* tom. 1, disp. 27, sect. 6, num. 7.

(2) Vide *Ontolog.*, num. 152, pag. 448.

(3) Plura habet P. Compton, R. P. Marcus Struggl et alii veteres, locis citatis.

(4) *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 84.

Atqui nulla est in impossibilibus similitudo divinæ entitatis bonitatisque. Ergo impossibilia non possunt esse objectum amoris nec complacentiæ Dei. Accedit, quod impossibilia nec possunt directe in se ipsis cognosci. Ergo neque amari, quia quod non cadit in intellectum, non potest cadere in voluntatem. Idque intelligendum est cum de simplici complacentia, tum potissimum de amore efficaci; quia planum est non posse Deum efficaciter velle impossibilium existentiam.

In quo sensu dici queat Deus complacere in impossibilibus.

Notant quidam posse Deum *indirecte* complacere in impossibilibus, nempe in essentia divina, quatenus pugnat cum illis, sicut etiam indirecte cognoscuntur in eadem essentia. Quod profecto tum concedi potest, cum in ipsa impossibilitate adest ratio peculiaris complacentiæ, ut fit in illis impossibilitatibus, quæ respiciunt attributa divina, Deive commendant perfectionem, qualis est, v. gr. impossibilitas mentiendi, morendi, peccandi, etc., quæ Deo essentialiter competit. Quamquam id reapse non est complacere in impossibilitate, sed in perfectione Dei, quæ per talem impossibilitatem a nobis exprimitur, et declaratur.

§ IV. UTRUM DEUS VELIT MALA, NEGATIONES ET PRIVATIONES.

An Deus velit negationes privationesque.

161. In primis ut a postrema quæstionis parte initium ducamus, ea facile brevissimeque expeditur, dicendo negationes et privationes per se ac directe non esse objectum divinæ voluntatis per actum prosecutivum, posse autem esse indirecte. Non possunt esse objectum per se ac directe, quia quod non habet entitatem ac bonitatem, non potest Deus velle; at negationes et privationes carent omni entitate ac bonitate. Possunt autem esse indirecte objectum divinæ voluntatis, quia cum Deus non vult rem aliquam, v. gr. mundum alterum, consequenter dici potest, velle negationem ejus.

Atque idem sentiendum est de entibus rationis, quæ, quia carent bonitate, non potest Deus per se ac directe velle: potest autem dici velle indirecte ut efformanda a creatura, quatenus vult Deus fundamenta, occasionem præbentia

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

talibus figmentis, et actus intellectus, per quos ea conflantur (1).

ac mala.

162. Ut jam de malo dicamus, animo recolendum est ante omnia, malum, ex alibi expositis, duplex distingui posse, pœnæ ac culpæ seu morale (2). Deinde objectum quodlibet dupliciter intelligi potest amari vel appeti, per se ac formaliter qua tale, et per accidens ac materialiter aut ratione alterius. Neque obliviscendum est, quod initio hujus articuli monuimus, agi videlicet de actu prosecutivo divinæ voluntatis; nam certum est Dei voluntatem versari circa mala saltem actu aversativo.

PROPOSITIO 3.ª **Voluntas divina non potest ullum malum qua tale per se ac formaliter velle aut appetere; malum autem pœnæ ac naturalem defectum potest velle per accidens seu ratione boni adjuncti: malum denique culpæ sive peccatum nec per se nec per accidens potest velle, sed tantum permittere.**

Hæc est communissima catholicorum Doctorum sententia cum S. Thoma (3).

Voluntas divina non potest velle ullum malum, qua tale per se ac formaliter;

Probatur prima pars: *Voluntas divina non potest velle vel appetere ullum malum, qua tale, per se ac formaliter*. Impossibile est potentiam quamlibet per se ac formaliter tendere ad objectum, quod directe et immediate opponitur suo objecto formali. Atqui malum, qua tale, directe atque immediate opponitur bono, quod est objectum voluntatis. Ergo nulla voluntas, multoque minus divina, quæ rectissima est et perfectissima, potest per se ac formaliter appetere malum. Quæ est ratio S. Thomæ (4), alibi magis declarata (5).

Dices malum pœnæ vel naturalem defectum non esse simpliciter malum, ideoque nihil vetare, quominus formaliter ac per se illud amet.—Respondeo. Quod malum pœnæ

(1) Recole scripta in *Ontolog.* num. 154, pag. 451 seqq; et numero 138, pag. 422 seqq.
(2) Vide *Ontolog.*, num. 151, pag. 446.
(3) 1 p., quæst. 19, art. 9 initio.
(4) 1 p., quæst. 19, art. 9 initio.
(5) *Psycholog.* vol. 1.º, num. 4, pag. 8 seqq.

sit malum secundum quid, probat posse illud amari per accidens, ut mox probabimus, videlicet ratione bonitatis adjunctæ. Cæterum si reapse malum est, tale erit ratione privationis bonitatis, quare si præcisive ac formaliter consideretur, non poterit amari, cum sub ea consideratione careat omni bonitate. Verum hæc per se patent.

potest vero malum pœnæ ac naturalem defectum per accidens,

Secunda pars: *divina voluntas potest velle malum pœnæ ac naturalem defectum per accidens*. In primis veritas hæc, quantum respicit malum pœnæ, videtur diserte doceri sacris Litteris. Nam quidquid Deo auctore fit, Deus velle dicendus est. Atqui multa mala dicuntur Deo auctore fieri. Ut cum in *Deuteronomio* scribitur: *Congregabo super eos mala* (1). Et alibi: *Suscitabo super te malum* (2). Item: *Faciens pacem, et creans malum, ego Dominus* (3). Præterea: *Ego adducam mala super populum istum* (4). Et: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* (5), etc. Quibus in locis sermonem esse de malo pœnæ patet primum ex ipso contextu, deinde ratione; nam malum; quod Deus minatur se facturum, non potest intelligi malum culpæ ex dicendis in tertia parte hujusce propositionis, quapropter intelligendum venit malum pœnæ, idque per accidens duntaxat intentum, quia jam ostendimus malum nullum, qua tale, per se ac formaliter posse esse voluntatis objectum.

Prob. 1.º Illud bonum dicitur per accidens appeti, quod est conjunctum cum aliquo bono, quod magis appetitur, saltem hic et nunc, quam aliud bonum, cui ejusmodi malum opponitur. Atqui nihil obstat, divinam voluntatem in hunc modum appetere malum pœnæ ac naturalis defectus, propterea quod connexum est cum bono, quod præfert alteri bono, cui malum opponitur. Ergo....

Major optime declaratur exemplis a S. Thoma: *Aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum. Et hoc apparet in quolibet appetitu: non enim*

(1) *Deuter.* cap. 32, vers. 23.
(2) *Reg.* cap. 12, vers. 11.
(3) *Isaiæ* cap. 45, vers. 7.
(4) *Hierem.* cap. 6, vers. 19, etc.
(5) *Amos*, cap. 3, vers. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

agens naturale intendit privationem vel corruptionem, sed formam, cui conjungitur privatio alterius formæ, et generationem unius, quæ est corruptio alterius. Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis: similiter fornicator intendit delectationem, cui conjungitur deformitas culpæ: malum autem quod conjungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Nunquam igitur appeteretur malum, nec etiam per accidens, nisi bonum, cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, quod privatur per malum (1).

Minor quoque declaratur ibidem a S. Thoma, quia Deus *malum naturalis defectus vel malum pœnæ vult, volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum; sicut volendo justitiam, vult pœnam, et volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi.*

Prob. 2.° Rectitudo moralis ordinis et exsecutio justitiæ itemque conservatio mundani ordinis universalis sunt bona recte appetibilia divinæ voluntati. Atqui restitutio moralis ordinis et exsecutio justitiæ mundanique ordinis conservatio inseparabiliter connexæ sunt cum malo pœnæ ac naturalibus defectibus. Ergo licet quoque Deo velle malum pœnæ ac defectus naturalis, non quidem per se ac formaliter, sed per accidens et ratione præstantissimæ boni adjuncti.

Major per se patet quoad primum ex sanctitate ac justitia Dei, quæ sicut exigit custodiam ordinis moralis, ita vindicat ejusdem restitutionem, si violetur: *quoad alterum* vero ex eo quod ipse Deus hunc præstantissimum ordinem mundi elegit, et statuit, singulasque causas suis viribus legibus instruxit, ac proinde non potest non velle, generaliter loquendo, ut singulæ agant, et patiantur secundum propriam cujusque naturam et varia ocurrentia adjuncta.

Minor non minus patet quoad primum. Nam præcise pœna est universale instrumentum restituendi moralis ordinis, ut norunt omnes; alterum autem elucet in conflictu mundanarum causarum, dum enim unaquæque agendo in alias, suam formam inducere nititur, producendo sic effectum consentaneum, privat illas formis, quas prius habebant, corrumpendo

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 9.

eas, quod est defectus naturalis: hoc pacto ignis inflammando lignum, corrumpit illud, privando sua forma et informando forma ignis; et animal volens atque intendens naturam cibo sustentare, materiam illius sibi assimilando, destruit illam, spoliatque peculiari, qua prius induebatur, forma. Simili etiam modo monstrositates ac defectus naturales effectuum contingunt ex impedimentis ac dispositionibus materiæ, quæ tandem habent pro causa actiones aliorum agentium mundi, quæ ab auctore naturæ sinuntur operari secundum proprias vires legesque: nimirum omnia contingunt præcise ex conservatione universalis mundani ordinis (1).

Tertia pars propositionis: *Malum culpæ aut morale sive peccatum nec per se nec per accidens potest Deus velle, sed tantum permittere*, est contra Lutherum, Calvinum, Bezam, cæterosque libertinos Novatores, qui commenti sunt Deum occasiones offerre, et cogere ad peccandum, immo et cum hominibus peccare. Hic error non ab his primum excogitatus est, sed originem duxit a Simone Mago atque ab Appellianis et Manichæis; qua de re videndi sunt P. Gregorius de Valentia (2) et cardin. Bellarminus (3) aliique. Propositio tamen nostra doctrinam continet perspicue traditam in sacris Litteris; nam: *Non Deus volens iniquitatem tu es* (4). Et alibi: *Odio sunt Deo impius* (id est, qua talis) *et impietas ejus* (5). Item: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem* (6). Iteruni: *Abominatio est Domino via impii* (7), etc., etc. Eamdemque doctrinam confirmant unanimi consensu Patres et scriptores ecclesiastici (8).

non tamen malum culpæ quod tantum permittit.

Probatur Deus non potest velle peccatum, sive suum ipsius sive cujuslibet alterius. Ergo...

(1) Cfr. *Ontolog.* num. 172, pag. 491 seqq. Et videri potest etiam S. Thom. 1 p., quæst. 49, art. 2.
(2) In 1.am p., quæst. 23, punct. 3, *Quarta assertio*.
(3) Tom. 3, *Controvers. general.* 2, lib. 2.
(4) *Psalm.* 5, vers. 5.
(5) *Sapient.* cap. 14, vers. 9.
(6) *Psalm.* 44, vers. 8.
(7) *Proverb.* cap. 15, vers. 9.
(8) Vide apud Valentia (In 1.am p., disp. 1, quæst. 19, punct. 3, *Quarta assertio. Secundo probatur*) et alios.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Probatur antecedens per partes: α) *Deus non potest velle peccatum suum, ita ut ipsemet velit peccare.* Id enim pugnat cum divina sanctitate moralique bonitate (1). Unde 1.° si Deus peccare posset, posset esse malus, ac proinde desineret esse summum atque inconmutabile bonum: 2.° deficeret a regula, ideoque non esset prima et summa regula: 3.° pœna dignus foret. Atqui hæc totidem sunt absurda.

β) *Nec potest Deus velle peccatum aliorum.* **Probatur 1.°**, quia id etiam esset contra summam sanctitatem Dei; nemini enim licet, etiam inter homines, aliorum peccatum velle, quia eo ipso malitia illius inficitur.

Probatur 2.° Si Deus vellet, quacumque tandem ratione, sive per se sive per accidens, malum culpæ, possent etiam homines idem velle, nec peccarent, nec damnari mererentur illud volendo, nam quis dubitet licere cuilibet cum divina voluntate se conformare, nec ideo puniendum esse? Atqui homines non possunt ullatenus velle peccatum; nec aliter peccant, nisi quia volunt peccare. Ergo...

Probatur 3.° Deus non potest velle peccatum, sive per se sive per accidens. Ergo nullo modo. **Prob. antecedens:** *Non per se*, propter dicta in prima parte hujus propositionis. *Non per accidens*, quia sicut argumentatur S. Thomas (2), tum potest malum recte appeti per accidens, nempe sub ratione boni, cum bonum, cum quo conjunctum est, magis appetibile est, quam bonum, quo privat. Atqui nullum bonum, cum quo conjunctum est malum culpæ, magis appetibile est, quam bonum, quo privat. Ergo neque a Deo neque ab ullo alio potest recte appeti malum culpæ per accidens.

Et ratio Minoris est manifesta, quia nullum aliud bonum potest esse magis appetibile magisque appetendum, quam bonum divinum ipsum et rectus ordo creaturæ ad illud, quandoquidem hoc recto ordine ad Deum continetur ratio ipsius boni honesti, quæ est omnium appetibilissima. Hac autem boni honesti ratione privat malum culpæ. «Immo etiam, quantum est ex se, tollit bonum ipsum divinum: vel quia per malum culpæ constituit sibi homo alium ultimum

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.UM, num. 121, pag. 400 et 401.
(2) 1 p., quæst. 19, art. 9.

finem (si sit culpa mortalis), vel etiam quia, quantum ex se est, Deum contristat, et privat summa felicitate, quæ est illi naturalis et intima; id quod etiam suo modo facit culpa venialis, cum per illam quoque Dei majestas offendatur» (1).

Quæ cum ita sint, quoniam peccata fiunt, nec potest illa Deus velle; permittere duntaxat dicendus est. Nam, teste Augustino, *Deus non utique nolens, sed volens sinit peccata fieri* (2) Et permittere mala fieri non est malum, sed bonum, ut tenet communissima catholicorum scriptorum doctrina cum S. Thoma (3). Ratio vero est, quia permissio peccati quatuor quasi membra videtur complecti: primum et caput cæterorum est negatio volitionis efficacis in Deo impediendi peccatum, quod certe impediretur, si Deus efficaciter vellet. Secundum, negatio mediorum et auxiliorum, causarum et adjunctorum, sub quibus creata voluntas peccatum vitaret. Tertium, collatio auxiliorum et constitutio mediorum et circumstantiarum, quæ licet omnia bona sint Deus, tamen prævidet, iis positis, peccatum vetitum non iri. Quartum, præparatio generalis concursus ad omnem actionem liberam, quam eligere creatura voluerit. Atqui primum horum bonum est, quia Deus non tenetur impedire peccatum libere efectum a creata voluntate, sed sufficit, ut illud prohibeat, mediaque vere sufficientia ad vitandum largiatur. Unde etiam alterum ac tertium membrum bonum est. Quartum denique non minus est bonum, quia per talem concursum reapse exhibetur vera potentia recte operandi, et soli malitiæ creaturæ imputandum est peccatum, ut magis constabit ex dicendis de divino concursu (4).

Cur permisio peccati Deo liceat.

Quænam contineantur in permissione peccati.

167. Objic. 1.° Cum Novatoribus plura sacrorum Bibliorum testimonia, quibus Deus aut præcepisse, aut

Difficultatis exordium.

(1) P. Greg. de Valentia., loc. nup. cit., *Quinto probatur*. Cfr. P. Didacus Ruiz de Montoya, disp. 26, ubi plura reperies.
(2) S. August. *Enchirid.* cap 100.
(3) S. Thom. (1 p., quæst. 19, art. 9 in.) Et vide Albert. Magn. (1 part. tract. 20, quæst 80, membr. 2, art. 3), Alexandr. Halens. (1 part., quæst. 28, et quæst. 40, membr. 2 et 3). S. Bonavent. (1.° dist. 46, art. 1, quæst. 3, 4, 5, 6; et dist. 47, quæst. 3), etc.
(4) Cfr. P. Didacus Ruiz de Montoya, de *volunt. Dei*, disp. 26, sect. 6.

prædefinivisse videtur quædam hominum peccata. David enim dixit de Semei: *Dominus* præcepit *ei, ut malediceret David* (1). Et in Actibus Apostolorum S. Petrus: *Convenerunt*, inquit, *adversus sanctum puerum tuum Jesum Herodes et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israël facere, quæ manus tua et consilium tuum* decreverunt *fieri* (2). *Et* alibi: *Hunc* (Jesum) *definito* consilio *et* præscientia *Dei traditum per manus impiorum affligentes interemistis* (3).

Respondeo hæc omnia loca interpretanda esse non de vero præcepto ac definitione Dei, sed tantum de voluntate permissiva mali, quod deinde ordinatur per sapientiam divinam ad exsecutionem providentiæ suæ. Ratio est, 2) quia ex probatis absurdum est, Deum velle, nedum præcipere, malum. 2) Ipsæ sacræ Litteræ nos cogunt sic interpretari objecta testimonia, non solum propter producta a nobis contraria testimonia, sed quia sic diserte pronuntiant generatim: *Nemini mandavit* (Dominus) *impie agere, et nemini dedit spatium peccandi* (4). 3) In Scriptura non semel *præcipere*, idem sonat, ac *permittere*: Unde cum apud S. Marcum interrogasset Jesus Dominus noster: *Quid vobis præcepit* (ἐνετείλατο) *Moyses?* Pharisæi responderunt: *Moyses* permisit (ἐπέτρεψεν) *scribere libellum repudii* (5). Idemque factum inversis iisdem verbis retulit S. Matthæus, secundum quem Pharisæi in loco evidentissime parallelo quæsierunt a Domino: *Quid ergo Moyses* mandavit (ἐνετείλατο) *dare libellum repudii, et dimittere?* ac Dominus respondit.: *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri* permisit (ἐπέτρεψεν) *vobis dimittere uxores vestras* (6). 5) Denique est quædam ratio, cur intiusmodi permissiones pertinere quodammodo ad consilium ac definitionem Dei dicantur; quia licet mala sic permissa in se non probentur, nedum directe intendantur, aut præfiniantur, at supposita existentia eorum per divinam permissionem, ad

(1) 2 *Reg.* cap. 16, vers. 10.
(2) *Act.* cap. 4, vers. 27.
(3) *Act.* cap. 2, vers. 23.
(4) *Eccl.* cap. 15, vers. 21.
(5) *Marc.* cap. 10, vers. 3 et 4.
(6) *Matth.* cap. 19, vers. 7 et 8.

altiores fines divinæ providentiæ per mirabilem sapientiam Dei suavissime ordinantur.

Objic. 2.° Passim legimus in Scriptura, homines a Deo *indurari, excæcari*, et in errores ac peccata *induci* (1). Atqui hæc fieri non possunt a Deo, quin velit hominum peccata. Ergo...

Respondeo, *dist.* Major. Deus dicitur *indurare, excæcare, inducere* in errores ac peccata, positive ac formaliter, *neg.*, permissive atque occasionaliter, quatenus permittit errores ac peccata, vel subtrahit uberiora auxilia, quibus illa caverentur, aut etiam justo judicio interdum exhibet quasdam occasiones non per se malas, quibus præscit homines esse abusuros, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *nego* conseq. Nam reapse ipse Pharao *ingravavit cor suum, et non audivit* Moysen *et Aaron* (2), et peccatores *excæcavit malitia eorum* (3). Deus autem eatenus excæcare, atque indurare dicitur, quatenus perversis et sceleratis hominibus sufficientes quidem gratias tribuit, quibus uti nolunt illi ex prava sua voluntate, sed denegat uberiores, quas aliis largitur, et ex justo judicio suo nec debet, nec vult istis largiri, et sic sinit eos cælum in suis vitiis obducere. Quod ipsemet Deus significavit, cum dixit: *Dimisi* eos secundum desideria eorum: ibunt in adinventionibus suis (4). *Quemadmodum enim*, pulchre inquit S. Chrysostomus, *si præfectus exercitus, prælio ingravescente, retrocedens abscesserit, hostibus milites tradit, laudquaquam ipsos impellendo, verum suo ipsius auxilio nudans, sic et Deus eos dimisit, qui admittere ipsius præcepta noluerunt* (5), neminem tamen sufficienti destituens auxilio, sicut probant Theologi in tractatu de divina gratia. Hæc est objectorum testimoniorum explicatio a catholicis scriptoribus tradita cum S. Augustino (6).

(1) Vide v. gr. *Exod.* cap. 4, vers. 21; cap. 7, vers. 3; *Is.* cap. 6, vers. 10; cap. 19, vers. 14; *Ezech.* cap. 14, vers. 9; *Joann.* cap. 12, vers. 40; *Roman.* cap. 1, vers. 24 et 26; cap. 9, vers. 18; 2 *Thessalon.* cap. 2, vers. 10, etc.
(2) *Exod.* cap. 8, vers. 15.
(3) *Sapient.* cap. 2, vers. 21.
(4) *Psalm.* 80, vers. 13. Cfr. *Act.* cap. 14, vers. 15.
(5) S. *Joann. Chrysost.*, homil. 3.ª, in epist. ad *Roman.*
(6) *Lib. de grat. et lib. arbitr.*, cap. 23; lib. 1 *ad Simplic.* quæst. 2; et epist. 105.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 3.º Interdum unum peccatum solet esse pœna, qua Deus aliud peccatum ulciscitur (1), prout ex ipso S. Paulo aperte colligi videtur, cum scripsit; **Propter quod** (nempe propter varia peccata, quæ ibi commemorantur) *tradidit illos in desideria cordis eorum, in immunditiam*, etc. **Propterea** *tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (2). Atqui potest Deus pœnam velle. Ergo et peccatum, saltem quando est alterius pœna peccati.

Respondeo, *dist.* Maj. Peccatum est pœna inflicta a Deo, quatenus est in se, ac committitur ab homine, *neg.*; quatenus a Deo per uberius auxilium non impeditur, *conc.*

Et *concessa* Minore, *nego* conseq. Nam ut peccatum sit pœna in sensu declarato, necesse non est peccatum in se ipso velle, sed sufficit permittere illud. Est ergo discrimen inter alia mala pœnæ ac peccatum. «Nam illa cum non tollant ex se bonum divinum et rectum ordinem creaturæ ad illud, possunt sub aliqua ratione esse bona honesta, quæ proinde possint secundum se quoque, et non tantum ut non impediuntur, in divinam voluntatem cadere tamquam pœna peccati. Malum autem culpæ, cum tollat ex se bonum divinum et rectum ordinem ad illud, sub nulla ratione est bonum honestum, ac proinde nullo modo potest in bonam et rectam Dei voluntatem cadere, ut antea in tertia probatione nostræ assertionis ostendimus. Et accedit etiam illud discrimen. Nam malum culpæ, ut committitur ab homine, est illi liberum, ac proinde non est sub ea ratione pœna ipsi a Deo vindice inflicta, sed ut a Deo permittitur; id quod non a libero hominis arbitrio, sed a Dei ordinatione pendet. Est enim de ratione pœnæ a Judice inflictæ, ut aliunde quam ex arbitrio rei pendeat. Alia vero mala pœnæ, quæ Deus infligit propter peccata, ut morbus, mors et id genus, non modo ut permittuntur a Deo, sed etiam ut sunt talia, pendent aliunde, quam ex libero hominis arbitrio: ac proinde ipsa etiam in se sunt pœnæ, et ut pœnæ cadunt directe in divinam voluntatem» (3).

(1) Vide S. August., *Contr. Julian.* lib. 5, cap. 3.
(2) *Roman.* cap. 1, vers. 24 et 26.
(3) P. Valentia, In 1.am part., disp. 1, quæst. 19, punct. 3, in respons. ad objectionem 3.am,

Quo pacto peccata sub ordinem providentiæ cadere valeant.

Objic. 4.º Si Deus non vult etiam peccata, humanarum actionum pars magna cadet extra divinam providentiam.....

Respondeo, *neg.* assertum, primo quia ipsæ actiones, quibus inest deformitas peccati, ut sunt entia possitiva, requirunt divinum concursum, sine quo non possent fieri, ac proinde providentiæ ordinem ingrediuntur; deinde quia ipsa peccata, ut sunt peccata, quodam modo possunt dici cadere in divinam providentiam, quatenus non sine sapientissimo consilio Dei permittuntur, et ad bonos fines ordinantur, sive ad justitiæ ostensionem, puniendo, sive ad misericordiæ commendationem, parcendo, sive ad aliorum emendationem, etc. (1) Etenim *tantæ sapientiæ*, inquit M. Augustinus, *tantæque virtutis Deus est, ut in eos exitus sive fines, quos bonos et justos ipse præscivit, tendant omnia, quæ voluntati ejus videntur adversa* (2). Et: *Deus omnipotens... cum summe bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo* (3). Et S. Fulgentius: *Deus licet non auctor, ordinator est tamen malarum voluntatum, quatenus de malo opere non desinit ipse bonum operari* (4).

Dices. Si potest Deus ad bonum finem ordinare peccatum, cur non potest etiam illud velle? Nam hæc ipsa ordinabilitas ad bonum est quædam bonitas appetibilis a voluntate.

Respondeo, *neg.* conseq., quia ut peccatum ordinari ad bonum finem possit, necesse non est velle illud, sed satis est permittere. Deinde ordinabilitas illa ad bonum non est intrinseca aliqua virtus ac bonitas ipsius peccati, nec adest in peccato per se et ex intentione peccantis, sed sequitur præter intentionem illius ex sola bonitate ac sapientia Dei, ut constat in patientia et victoria martyrum, in Incarnatione Verbi ac Redemptione mundi, quæ peccatum subsecuta est, etc. (5).

Objic. 5.º cum Theodoro Beza Doctorem Angelicum, qui diserte docet, *quidquid est entitatis..... in actione mala,*

(1) Vide S. Thom. 1, 2.æ, quæst. 79, art. 4.
(2) S. August., *De civit. Dei*, lib. 22, cap. 1.
(3) Id., *Enchirid.* cap. 11.
(4) S. Fulg., libr. *Ad Monim.*
(5) Cfr. S. Thom. 1 part., quæst. 19, art. 9, ad 1.um

reduci *in Deum sicut in causam*, ac proinde esse a Deo, quin tamen causetur ab eo, quod est defectus ac mali moralis (1). Atqui quod Deus causat, potest et velle. Ergo potest velle peccatum, saltem ratione physicæ entitatis, quæ in illo est, et concurrente Deo efficitur.

Respondeo, *dist.* Minor.: quod Deus causat potest et velle, nisi malitia morali, omnem ordinem ad divinam bonitatem tollente, inficiatur, *conc.*; si hujusmodi malitia inficiatur, *subdist.*; potest illud velle amando, et probando, *neg.*; aversando, ac solum permittendo, *conc.* Tum *nego* conseq.(2). Plura, quæ huc derivari possent, dicentur in proxime insequente paragrapho.

§ V. UTRUM POSSIT SALTEM DEUS VELLE MALA ESSE AUT FIERI.

164. Affinis est præcedenti controversia hæc, quæ agitatur occasione quorumdam antiquorum scriptorum, qui, ut post Magistrum Sententiarum (3) refert S. Thomas, *dixerunt, quod, licet Deus non velit mala, vult tamen mala esse, vel fieri; quia licet mala non sint bona, bonum tamen est mala esse aut fieri. Quod ideo dicebant, quia ea, quæ in se mala sunt, ordinantur ad aliquod bonum; quem quidem ordinem importari credebant in hoc, quod dicitur*, **bonum est mala esse vel fieri** (4). Hujus erroris, qui a quibusdam Hugoni Victorino tribuitur (5), origo esse potuit blasphemia Theodori Mopsuesteni, qui scripsit «hominibus utile fuisse peccare; ideoque Deum docuisse peccatum, et aditum illi dedisse, et concessisse, ut homines peccarent, quoniam illis expediebat» (6). Quæ absurda doctrina refertur in V Synodo Generali seu II Constantinopolitana (7), in cujus octava collatione damnantur generatim omnes errores Theodori. Est ergo veritas,

(1) S. Thom. 1 part., quæst. 49, art. 2, ad 2.um Cfr. 1, 2.æ, quæst. 79, art. 2.
(2) Vide P. Valentia, loc. cit.
(3) 1.° dist. 46, paragr. *Ideoque cum constet*.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 9, ad 1.um
(5) Vide libr. 1.um *de Sacramentis fidei*, part. 4, cap. 5, 13 et 14. Cfr. apud Ruiz de Montoya, loc. cit.
(6) P. Didacus Ruiz de Montoya, loc. cit. disp. 26, sect. 2, num. 1.
(7) Collat. 4.ª post medium.

communi Theologorum calculo probata (1), Deum non posse velle, ut sint, vel fiant peccata.

165. PROPOSITIO 4.ª **Deus non vult mala esse vel fieri.**

Deus non vult mala esse vel fieri.

Prob. 1.° Deus non potest ullatenus velle malum culpæ, ut jam demonstratum est. Atqui velle fieri aut esse malum, est velle malum. Ergo...

Minor probatur, nam quicumque vult esse aliquam rem, vult reapse illam rem, sicut qui vult virtutem esse, vult virtutem. Et ratio est, quia actiones et passiones sortiuntur speciem ac rationem ex termino, ad quem tendunt; at fieri mala denotat actionem aut passionem tendentem ac terminatam ad mala. Ergo fieri malum est malum.

Prob. 2.° Qui vult antecedens ordinatum ad consequens, quod inde necessario atque ineluctabiliter sequitur, ille vult quoque consequens. Atqui fieri malum est antecedens, per se ordinatum ad malum, quod exinde necessario consequitur. Ergo qui vult fieri malum, vult etiam malum; quod non potest Deus.

Prob. 3.° Si Deus vellet mala fieri, consequenter vellet mala eligi a voluntate creata. Atqui absurdissimum hoc est, secus enim voluntas creata non peccaret eligendo malum. Ergo...

Major manifesta est, quia malum morale non fit, nisi quatenus id a voluntate creata eligitur. **Nec minus patet Minor**, quia nulla voluntas creata peccat conformando se divinæ voluntati, seu eligendo, quod Deus vult eligi.

Prob. 4.° Deus prohibet mala moralia, omnique minarum, hortationum ac præceptorum vi conatur homines ab iisdem deterrere. Atqui impossibile est justum atque injustum Deum velle fieri, aut esse id, quod prohibet, ne fiat, ac punit postquam factum fuerit. Secus enim aut mentiretur, aut secum pugnaret. Unde Patres ex istiusmodi prohibitione ac

(1) Vide ex antiquioribus Scholasticis Magistr. Sentent. (loc. cit.) Albert. M. (1 p., tract. 20, quæst. 80, memb. 2, art. 3). Alexandr. Halens. (1 p., quæst. 40, memb. 1), S. Thom. (1 p., quæst. 19, art. 9, in respons. argumentor.; et 1.° dist. 46, art. 4), S. Bonavent. (1.° dist. 46, art. 1, quæst. 2 et 3), Richard. (ibid. quæst. 2 et 6), etc. etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pœnis colligunt communiter, Deum non esse auctorem peccati, seu non velle, ut fiant peccata, sed ea duntaxat permittere (1).

Objecta disiipantur.

166. Objic. 1.° Vel Deus vult mala fieri, vel vult mala non fieri. Atqui non vult mala non fieri, secus enim nullum reapse malum fieret. Ergo vult mala fieri.

Respondeo, *neg.* Major., quia datur medium, in quo est præcise veritas: nempe Deus permittit mala fieri. «Itaque circa ea peccata, quæ Deus vult permittere, nulla datur in Deo *positiva volitio absoluta et efficax*, quæ terminetur ad existentiam vel ad non existentiam peccatorum; sed tantum circa non existentiam peccatorum datur volitio *complacentiæ et volitio antecedens et inefficax, atque voluntas signi prohibens peccata*. Prætereaque datur *volitio absoluta et efficax* permittendi» (2), ut jam declaravimus.

Dices 1.° «Mala fieri et non fieri sunt contradictorie opposita (vel secundum affirmationem et negationem). Sed Deus non vult mala non fieri, quia cum mala quædam fiant, non semper voluntas Dei impleretur. Ergo Deus vult mala fieri» (3).

Respondeo, *conc. Major., et neg.* conseq. Quia *licet* mala fieri *et* mala non fieri *contradictorie* (vel secundum affirmationem et negationem) *opponantur, tamen* velle mala fieri *et* velle mala non fieri *non opponuntur contradictorie, cum utrumque sit affirmativum. Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed* vult permittere *mala fieri* (4). Itaque *neutra* (propositio) *concedenda est, neque ipsum* velle *mala fieri, neque* velle *non fieri, sed* non velle *fieri, quod est negativum*, secus atque *velle non fieri, quod est positivum, quia hic remanet actus voluntatis affirmatus, et negatio fertur ad volitum* (nempe non fieri malum)... *Unde idem est* nolle fieri, *et* velle non fieri (5).

(1) Vide plures Patres laudatos apud P. Ruiz de Montoya, loc. cit. disp. 26. sect. 2, num. 20; et disp. 33, sect. 4.
(2) Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 1, num. 2.
(3) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 9, argument. 3.° Cfr. 1.° dist. 46, art. 4, arg. 2.
(4) S. Thom., 1 p., quæst. 19, art. 9, ad 3.um
(5) S. Thom., 1.° dist 36, art 4, ad 2.um

Dices 2.° Nullus sapiens vult impossibilia. Sed impossibile est, ut, Deo volente mala non fieri, mala fiant. Ergo dici nequit Deum velle mala non fieri, sed e contrario velle mala fieri (1).

Respondeo. *conc.* Major., *dist.* Minor. Impossibile est. Deo volente mala non fieri voluntate antecedente atque inefficaci, etc., *neg.*; voluntate consequente et efficaci, etc., *trans.* Et simili modo *distincta* prima parte consequentis, *nego* alteram. *Mala culpæ non fieri vult Deus voluntate antecedente, non autem voluntate consequente, nisi de illis, quos scit mala non velle facere; quia voluntas consequens recipit conditionem creaturæ. Nec tamen sequitur, quod voluntate consequente velit mala fieri, sed vult, permittere mala fieri. Nec tamen impossibile vult, quia non vult, ut simul mala fiant, et non fiant, vel quod neutrum eorum sit unum, sicut objectio procedebat. Fieri enim mala et mala non fieri, sunt contradictorie opposita: et ideo inter ea non potest esse medium; sed velle mala fieri, et velle non fieri non sunt contradictoria; et ideo non est necesse alterum esse verum* (2).

Objic. 2.° Bonum est mala esse. Atqui Deus vult esse omne bonum, quod est, et vult fieri omne bonum quod fit. Ergo Deus vult mala esse vel fieri. Major in terminis docetur a S. Augustino: *Quamvis ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum sint bona, sed etiam ut sint mala, bonum est* (3).

Respondeo, *neg.* Major. Neque ea est vis verborum S. Augustini, ut constat ex interpretatione Magistri Sententiarum (4) et S. Thomæ (5), sed hæc alia: *bonum est non solum esse bona, sed etiam permittere, ut sint mala*, ex quibus majora Deus elicit bona. Quemadmodum enim idem S. Doctor alibi scribit: *Deus omnipotens, cui rerum est summa, cum summe bonus sit,* nullo modo sineret *aliquid mali esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret*

(1) Cfr. apud S. Thom. 1.° dist. 46, art. 4, argum. 3.°
(2) S. Thom. 1.° dis. 46, art. 4, ad 3.um
(3) *Enchirid.* cap. 96.
(4) 1. dist. 46, paragr. *Quod vero Augustinus ait...*,
(5) 1 p., quæst. 19, art. 9, ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

etiam de malo (1). Si mala esse vel fieri foret reapse bonum secundum S. Augustinum, non erat necesse, ut Deus *sineret* duntaxat fieri mala, sed posset etiam *velle*, et quidem etiam si non posset elicere majora bona. Cum enim Deus non teneatur ad optimum, potest pro sua libertate velle quidquid bonum est.

Objic. 3.° Deus vult maxime universi mundi perfectionem. Atqui ad hanc confert peccatum, quemadmodum testatur S. Dionysius: *Erit malum ad omnis* (id est universi) *perfectionem conferens* (2). Cui concordat S. Augustinus clarissimis illis verbis: *Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam, illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, et loco suo positum, eminentius commendat bona: ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis* (3). Ergo potest Deus velle mala fieri, et esse.

Respondeo, *conc.* Major, *dist.* Minor.: peccatum confert ad universi perfectionem per se, *neg.*; per accidens ac propter extrinsecam providentiam Dei, *conc.*, et *nego.* conseq. Peccatum per se destruit perfectionem universi, nedum ullam ei conferat perfectionem: et solum per accidens confert ad illam præbendo occasionem, ut Deus per sapientissimam providentiam majora exinde bona eliciat, qualia videmus obvenisse nobis ex Redemptione. Quare in Angelico Præconio lætitia gestiens canit Ecclesia: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Mens porro S. Dionysii potius est contraria, ut ipsemet S. Thomas interpretatur (4); nam quod peccatum conferret ad universi perfectionem deducit mysticus scriptor tanquam incommodum ex quodam errore, ideoque supponit mala non conferre ad universi perfectionem (5).

(1) *Enchirid.* cap. 27.
(2) De *divin. nomin.* cap. 4.
(3) *Enchirid.* cap. 10.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 9, ad 2.um
(5) Plura, si vis, adi P. Ruiz de Montoya, loc. cit., disp. 26, sect. 2, num. 8 seqq.; et sect. 3, num. 7 seqq. Cfr. S. Thom. 1.° dist. 46, art. 4.

CAPUT III

DE ACTIBUS ET VIRTUTIBUS DIVINÆ VOLUNTATIS

Plura adhuc restarent tractanda de divina voluntate ac nominatim ea, quæ pertinent ad divinam voluntatem salvandi omnes homines et ad decreta et prædefinitiones; verum hæc altioris disputationis sunt, et ad Theologiam dogmaticam amandanda, quamquam de decretis divinis nonnihil erit dicendum etiam infra, cum de concursu divino agetur, ubi excludenda est prædeterminatio physica, ac proinde etiam decreta Dei prædeterminantia. Quare reliquum est, ut de actibus seu effectibus et virtutibus divinæ voluntatis brevitur agamus.

ARTICULUS I

De actibus et effectibus divinae voluntatis, et prius quidem de iis, qui respondent passionibus circa bonum

Status quæstionis

167. In Deo, actu purissimo et simplicissimo, reapse non possunt dari plures entitative actus voluntatis; nihilominus possunt dari in una entitate rationes formales ac perfectiones actuum, qui diversi sunt in voluntate creata, dummodo non importent imbibitam in suo conceptu imperfectionem, et sic etiam poterunt a nobis mente distingui plures actus pro diversa rationum formalium illarum varietate: et in hoc sensu inquirimus, quinam actus dari queant in divina voluntate. Ut vero aliquem ordinem teneamus in tractatione, primo loco considerandi veniunt effectus vel actus respondentes passionibus, quarum ex communi Scholasticorum sententia species undecim suo loco distinximus (1), videlicet sex ad partem

ac tractationis ordo.

(1) *Psycholog.* vol. 3.°, num. 29, et 30, pag. 73 seqq.

etiam de malo (1). Si mala esse vel fieri foret reapse bonum secundum S. Augustinum, non erat necesse, ut Deus *sineret* duntaxat fieri mala, sed posset etiam *velle*, et quidem etiam si non posset elicere majora bona. Cum enim Deus non teneatur ad optimum, potest pro sua libertate velle quidquid bonum est.

Objic. 3.° Deus vult maxime universi mundi perfectionem. Atqui ad hanc confert peccatum, quemadmodum testatur S. Dionysius: *Erit malum ad omnis* (id est universi) *perfectionem conferens* (2). Cui concordat S. Augustinus clarissimis illis verbis: *Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam, illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, et loco suo positum, eminentius commendat bona: ut magis placeant et laudabiliora sint, dum comparantur malis* (3). Ergo potest Deus velle mala fieri, et esse.

Respondeo, *conc.* Major, *dist.* Minor.: peccatum confert ad universi perfectionem per se, *neg.*; per accidens ac propter extrinsecam providentiam Dei, *conc.*, et *nego.* conseq. Peccatum per se destruit perfectionem universi, nedum ullam ei conferat perfectionem: et solum per accidens confert ad illam præbendo occasionem, ut Deus per sapientissimam providentiam majora exinde bona eliciat, qualia videmus obvenisse nobis ex Redemptione. Quare in Angelico Præconio lætitia gestiens canit Ecclesia: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Mens porro S. Dionysii potius est contraria, ut ipsemet S. Thomas interpretatur (4); nam quod peccatum conferret ad universi perfectionem deducit mysticus scriptor tanquam incommodum ex quodam errore, ideoque supponit mala non conferre ad universi perfectionem (5).

(1) *Enchirid.* cap. 27.
(2) De *divin. nomin.* cap. 4.
(3) *Enchirid.* cap. 10.
(4) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 9, ad 2.um
(5) Plura, si vis, adi P. Ruiz de Montoya, loc. cit., disp. 26, sect. 2, num. 8 seqq.; et sect. 3, num. 7 seqq. Cfr. S. Thom. 1.° dist. 46, art. 4.

CAPUT III

DE ACTIBUS ET VIRTUTIBUS DIVINÆ VOLUNTATIS

Plura adhuc restarent tractanda de divina voluntate ac nominatim ea, quæ pertinent ad divinam voluntatem salvandi omnes homines et ad decreta et prædefinitiones; verum hæc altioris disputationis sunt, et ad Theologiam dogmaticam amandanda, quamquam de decretis divinis nonnihil erit dicendum etiam infra, cum de concursu divino agetur, ubi excludenda est prædeterminatio physica, ac proinde etiam decreta Dei prædeterminantia. Quare reliquum est, ut de actibus seu effectibus et virtutibus divinæ voluntatis brevitur agamus.

ARTICULUS I

De actibus et effectibus divinae voluntatis, et prius quidem de iis, qui respondent passionibus circa bonum

Status quæstionis

167. In Deo, actu purissimo et simplicissimo, reapse non possunt dari plures entitative actus voluntatis; nihilominus possunt dari in una entitate rationes formales ac perfectiones actuum, qui diversi sunt in voluntate creata, dummodo non importent imbibitam in suo conceptu imperfectionem, et sic etiam poterunt a nobis mente distingui plures actus pro diversa rationum formalium illarum varietate: et in hoc sensu inquirimus, quinam actus dari queant in divina voluntate. Ut vero aliquem ordinem teneamus in tractatione, primo loco considerandi veniunt effectus vel actus respondentes passionibus, quarum ex communi Scholasticorum sententia species undecim suo loco distinximus (1), videlicet sex ad partem

ac tractationis ordo.

(1) *Psycholog.* vol. 3.°, num. 29, et 30, pag. 73 seqq.

concupiscibilem spectantes, *amorem et odium, gaudium et tristitiam, desiderium et fugam*, et quinque ad partem irascibilem, *spem ac desperationem, audaciam timorem et iram*.

Est enim notandum in his affectionibus, quæ propriæ compositi humani et animalis sunt, duo considerari posse, organicum concursum et alterationem, ac ipsum actum appetitivæ potentiæ. Et primum horum, quod pertinet ad partem materialem et subjectum affectus, non potest esse in voluntate, sive increata sive etiam creata, quippe quæ virtus immaterialis est; at secundum, quod partem formalem et specificam affectus constituit, potest esse, saltem in voluntate creata, quemadmodum alibi docuimus (1); est enim reapse in nostra voluntate amor, odium, ira, etc., quamvis in ea non habeant rationem proprie passionis, hæc enim non importat solum actum appetendi, v. g. amandi, odio habendi, irascendi, etc., sed actum *organicum*, seu amorem, odium, iram, etc. materialem, vel exercitum cum concursu organi, qualis non potest esse in actu facultatis spiritualis. In Deo ergo passiones proprie dictæ non possunt esse; utrum autem possint esse actus vel effactus spirituales respondentes illis undecim passionibus, prout sunt in creata voluntate, pendet ex eo quod affectus ejusmodi importent in suo conceptu imperfectionem aliquam. Si enim nullam importent, sunt proprie ac formaliter; si autem importent imperfectionem, solum tribui poterunt Deo metaphorice atque improprie.

I.—AMOR UTRUM DEO CONVENIAT PROPRIE AC FORMALITER.

Mens Aristotelis.

168. Negavit Deo amorem alicubi Aristoteles (2), sed interpretandus videtur de amore, qui sit passio, et aliquid pudore dignum contineat (3), nisi mavis interpretari de amore amicitiæ, quem solo lumine naturæ nosse non potuit Stagirita intercedere Deum inter et rationales creaturas. Cæterum non defuerunt inter veteres scriptores, qui amorem

(1) *Psycholog.* vol. 3.º, num. 65, pag. 156, 157.
(2) Arist., *Magnor. Moral.* lib. 2, cap. 11.
(3) Cfr. idem Arist. *Œconomic.* lib. 2, cap. 3.

sæpius, raro dilectionem, posse in bonum et in malum atque obscœnum sensum sumi, et propterea malebant, *dilectionem ac charitatem* potius, quam amorem, tribui Deo (1). Verum non propterea negandus est Deo amor, sanctissimus nempe ac castissimus, qualisque decet ens summe bonum, quemadmodum sentit communis scriptorum chorus, excepto Aureolo apud P. Ruiz de Montoya (2), ipsis Patribus et sacris Litteris præeuntibus, in quibus legitur: *Ego, quos amo, arguo et castigo* (3). Et: *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas* (4). Item: *Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus quia dixit tertio:* Amas *me?* etc. (5). Et alibi: *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis* (6), etc., etc.

communis sententia

Solum est parva lis inter Theologos circa amorem Dei, ratione distinctum a gaudio. Nonnulli enim, ut P. Valentinus Herice (7) et Carleton Compton (8), existimant, in Deo dari quidem amorem erga creaturas, at erga se ipsum non dari amorem distinctum a gaudio, ea innixi ratione quod affectus erga rem bonam ut præsentem, est gaudium, sicut desiderium est affectus erga bonum absens; amor vero est affectus erga rem bonam ut abstrahentem a præsenti vel non præsenti. Cum ergo amor Dei, prout terminatur ad propriam bonitatem, non sit cum hujusmodi abstractione a præsenti vel futuro, Deus proprie non se amat, nempe isto amore præcisivo, sed tantum gaudet, ac delectatur in se. Quam sententiam Magister Gonet ait rejici a cæteris Theologis ut singularem ac *temerariam*. Equidem apud nullum alium scriptorem reperi hujusmodi censuram, eamque iniquam judico, cum mens assertorum ejus non sit reapse negare Deo amorem sui ipsius, sed amorem distinctum a gaudio, totaque

quid in quæstionem veniat inter catholicos scriptores.

(1) Vide Origen. (In *Cantic.* inter princip. et med.); August. (*de civit. Dei* lib. 14, cap. 7).
(2) *De voluntate Dei*, disp. 52, sect. 1, num. 3.
(3) *Apocalyp.* cap. 3, vers. 19.
(4) *Sapient.*, cap. 11, vers. 27.
(5) *Joann.* cap. 21, vers. 17.
(6) *Joann.* cap. 16, vers. 27.
(7) Tract. 2, disp. 13, quæst. 2.
(8) *De Deo*, disp. 26, sect. 2, num. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum ipsis concertatio eo devolvatur, utrum ratione distingui queat in Deo amor et gaudium.

Varia vocabula ad rem eamdem designandam, eumque aliquale discrimen.

Jam quod nomen et rationem rei attinet, notandum venit cum Aquinate, quod *quatuor nomina inveniuntur ad* idem **quodammodo** *pertinentia, scilicet amor, dilectio, charitas et amicitia. Amicitia secundum Philosophum* (VIII.° Ethicor. cap. 5.) *est quasi habitus; amor autem et dilectio significantur per modum actus vel passionis; charitas autem utroque modo accipi potest. Differenter tamen significantur actus per ista tria. Nam amor communior inter ea est; omnis enim dilectio vel charitas est amor, sed non e converso* (1), *addit enim dilectio supra amorem electionem præcedentem, ut ipsum nomen sonat; unde dilectio non est in concupiscibili, sed in voluntate tantum, et in sola rationali natura; charitas autem addit supra amorem perfectionem quamdam amoris, in quantum id quod amatur, magni prætii æstimatur, ut ipsum nomen designat.* (2).

169 PROPOSITIO. **Datur in Deo vere ac proprie amor tum erga se ipsum tum erga res creatas, qui quidem valde diversus est ab amore creato, nec æqualis erga omnes res.**

Deus vere ac proprie amat se.

Probatur propositio per partes. a) *Primo quidem Deus vere ac proprie se amat cum tota bonitate ac perfectionibus suis.* 1.° Amor sui nullam importat in suo conceptu imperfectionem. Atqui quæ perfectiones in suo conceptu nullam involvunt imperfectionem, Deo tribuendæ sunt vere ac proprie. Ergo..... 2.° Præterea *amor nihil aliud est, quam complacentia boni* (3), vel etiam *velle bonum alicui* (4). Atqui Deus infinite bonus est, nec potest non in sua complacere bonitate, nec non velle sibi bonum proprium. Ergo... 3.° Insuper amor ex communi sententia est primus actus voluntatis circa bonum in communi, seu circa ipsam rationem boni,

(1) Latini scriptores paulo aliter distinguunt, significant enim *amorie* vocabulo ardentiorem effectum, quam *dilectionis*. Unde Cicero *Epist. Famil.* lib. 9, epist. 14) *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? Tantum accessit, ut nunc mihi denique* **amare** *videar, antea* **dilexisse.**

(2) S. Thom. 1, 2.æ, quæst. 26 art. 3.

(3) S. Thom. 1, 2, quæst. 25, art. 2, prop. fin.

(4) S. Thom. 1 p. quæst. 20, art. 2.

sive illud sit præsens sive absens (1); nam cæteri affectus, ut gaudium et desiderium, respiciunt in bono aliquam affectionem superadditam ipsi rationi boni: unde ubicumque adest voluntas et vis appetitiva vel affectiva, non potest non esse amor. Cum ergo Deus sit infinite bonus, non potest voluntas ejus non se amare. 4.° Tandem nisi Deus suam bonitatem amaret, nihil aliud posset amare; sua enim bonitas est objectum formale omnis divinæ volitionis, prout jam demonstratum est.

Dices, hæc solum probare Deum se amare, non tamen se amare amore, qui ratione distinguatur a gaudio, quia Deus non potest se amare nisi ut bonum præsens et actu a se possessum. Atqui affectus respiciens bonum ut actu possessum non est proprius ac formalis amor, sed gaudium. Ergo Deus amat quidem se, verum non amore proprio et formali ac contradistincto a gaudio, sed amore, qui sit simul atque inseparabiliter gaudium.

et quidem amore per rationem distincto a gaudio.

Respondeo, quamquam possemus transmittere quæstionem hanc, minimi reapse momenti; nihilominus quia et S. Thomas et Scholastici communissime videntur ratione distinguere amorem et gaudium divinum, siquidem distincte ac seorsim disputant de utroque; juvat breviter contrariam sententiam rejicere. Et primo quidem in re ipsa certum est amorem et gaudium Dei, de se ipso esse unum eumdemque actum; et solum disputatur, utrum nos possimus hos actus mente distinguere, vel diversas expressiones mentales eorum efformare cum veritate. Atqui possumus. Ergo datur in Deo amor sui proprius et distinctus ratione a gaudio.

Probatur Minor. 1.° quia nos divina cognoscimus per species creatas et præcisivas. Amor porro secundum species creatas cognitus sufficit, ut versetur circa *bonum;* gaudium vero debet cognosci ac mente repræsentari ceu actus exercitus circa *bonum possessum*. Ergo potest a nobis Deo asseri amor proprius et contradistinctus a gaudio, si amor divinus sui ipsius vere, ac prout est in se, quamvis minus complete,

(1) Cfr. S. Thom. 1. p., quæst. 20, art. 1.; 1, 2. quæst. 25, art. 2 *Psycholog.* nostræ., vol. 3.° num. 66, pag. 159, initio.

cognosci potest ut actus tendens in bonitatem infinitam et ineffabilem Dei. Atqui potest amor divinus vere a nobis sic repræsentari. Nam *bonitas ineffabilis* Deo reapse competit, et est expressio quædam mentalis seorsim repræsentabilis nostro modo concipiendi per species creatas, abstractione facta a ratione *actu præsentis* vel *possessi*, quippe quæ non est de ipsa essentia *boni ut sic*. Ergo actus Dei exercitus circa bonitatem suam est expressio mentalis vere respondens divinæ realitati se amanti, quamvis non tam adæquate, quam actus Dei exercitus circa bonitatem actu possessam. Itaque quicumque admittat præcisiones mentales circa divinas perfectiones atque attributa, negare non potest, opinor, posse affirmari a nobis conceptus ratione distinctos amoris et gaudii divini.

Probatur Minor principalis 2.ª ex contrariis «Nam valde diversum conceptum formamus quando intelligimus, Deo repugnare tristitiam vel dolorem de absentia suarum perfectionum, et quando concipimus Deo repugnare odium suarum perfectionum. Hoc autem est indicium distinctionis inter conceptus amoris et gaudii. Nam amori contrarium foret odium suarum perfectionum; et gaudio contraria foret tristitia vel dolor de illarum absentia» (1). Et hæc sufficiant de ista controversia: quam ad rem valere quoque possunt, quæ supra tradidimus, ostendentes dari in Deo intellectum, instar virtutis ac potentiæ metaphysicæ ab intellectione distinctæ (2). Plura dabunt Ruiz de Montoya (3), et Magister Joannes a S. Thoma (4), apud quos etiam videri queunt quædam leves objectiones.

amat quoque Deus creaturas.

3) *Datur in Deo amor erga creaturas.* Altera hæc pars propositionis non indiget probatione ex superius dictis. Nam amare est velle bonum alicui. Atqui omnibus in aliqua differentia temporis existentibus vult Deus bonum, *esse* nempe cunctasque perfectiones suas. Utrum autem pure possibilia Deus amore aliquo simplicis complacentiæ amet, superius disputavimus.

(1) P. Ruiz de Montoya, *De volunt. Dei*, disp. 52, sect. 1, num. 16.
(2) Vide supra, num. 10, pag. 351 et num. 122, pag. 446.
(3) Loc. sup. cit.
(4) *Curs. Theolog.*, tom. 2, quæst. 20 et 21, disp. 6, art. 1.

qui amor diversus est ab amore creato.

γ) *Tertio loco, amor divinus erga res creatas est valde diversus ab amore creato.* Nam amor noster prævie supponit bonitatem in re amanda, divinus vero efficit ipsam bonitatem; nam amor efficax Dei præcise in eo manifestatur, ut det existentiam, ac proinde bonitatem, rebus. *Deus*, inquit S. Thomas, *omnia, quæ sunt, amat, non autem eo amore, quo nos* (amamus). *Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum sed ab ea movetur sicut ab objecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed e converso bonitas ejus, vel vera, vel æstimata, provocat amorem, quo ei volumus et bonum conservari quod habet, et addi, quod non habet; et ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus* (1).

nec æqualis erga omnia.

δ) *Denique Deus non æqualiter amat omnia*, intellige ratione habita non actus divini in se, verum boni, quod amato appetitur. Et probatur cum S. Thoma, quia *cum amare sit velle bonum alicui, duplici ratione potest aliquid magis vel minus amari. Uno modo ex parte ipsius actus voluntatis, qui est magis vel minus intensus: et sic Deus non magis quædam aliis amat, quia omnia amat uno et simplici actu voluntatis, et semper eodem modo se habente. Alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato: et sic dicimus aliquem magis alio amare, cui volumus majus bonum, quamvis non magis intensa voluntate. Et hoc modo necesse est dicere, quod Deus quædam aliis magis amat: cum enim amor Dei sit causa bonitatis rerum, ut dictum est (art. præc.), non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet uni majus bonum, quam alteri* (2). Quæ vero contra hæc objici queunt, videantur apud Angelicum Doctorem in laudatis locis (3).

Amor Dei necessarius est erga se ipsum, liber erga res creatas, amor sui ipsius in Deo

170. **Si jam quæras**, *qualis sit amor Dei:* in primis amor erga se ipsum necessarius est, erga creaturas liber, ut jam probatum manet.

Deinde amor, quo Deus se ipsum prosequitur, vera charitas est. Charitas enim, ut modo notatum reliquimus ex

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 20, art. 2.
(2) S. Thom. 1 p., quæst. 20, art. 2.
(3) Plures in hanc rem quæstiones disputatas invenies apud P. Didacum Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 53.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est charitas

S. Thoma, quatenus ab amore et dilectione distinguitur, exprimit æstimationem magni pretii, qualem duo alia nomina non exprimunt. Atqui nulli dilectioni potest convenire ista charitatis proprietas, quam amori, quo Deus se ipsum diligit, quandoquidem nullus possibilis est amor tanto in pretio habens bonum amatum, ut adæquet ejus infinitudinem, sicut cognitio Dei se comprehendens adæquat sub

et benevolentia

omni ratione suam cognoscibilitatem. Quod si nomine charitatis significatam volueris solam benevolentiam erga personam intellectualem, dubitandum non est, quin etiam charitas sic intellecta Deo conveniat erga se ipsum.

Jam videndum est, utrum amor, quo Deus se amat, sit amicitiæ, necne. Quod ut melius expediatur, necesse est ante omnia divisionem illam notissimam amoris in amorem concupiscentiæ et amorem benevolentiæ amicitiæque declarare. Cum enim amare sit, docente Aristotele (1) ac S. Thoma, *velle alicui bonum..., motus amoris in duo tendit, scilicet, in bonum, quod quis vult alicui, vel sibi, vel alii, et in illud, cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, quod quis vult alteri, habetur amor concupiscentiæ; ad illud autem, cui aliquis vult bonum, habetur amor amicitiæ* (2). Hinc amor concupiscentiæ solet a Theologis describi affectus, quo aliquid amamus ut commodum vel utile ac jucundum; benevolentia est affectus, quo complacemus in persona, volendo ei aliquod bonum. Amicitia demum est amor benevolentiæ mutuus, ideoque importat redamationem ex parte personæ amatæ et mutuam amantium communicationem. Unde S. Thomas cum Aristotele (3) scripsit benevolentiam esse principium amicitiæ seu amicitiam inchoatam (4).

Utrum sit concupiscentia

Hinc satis videntur Theologi in eo consentire, quod amor, quo Deus se ipsum amat, non sit concupiscentiæ, tum quia hic amor postulat distinctionem inter amantem et rem amatam, neque enim quispiam suam bonitatem concupiscit, quatenus hæc vox opponitur amori benevolentiæ vel amicitiæ; tum quia amor concupiscentiæ, prout talis, non sectatur

(1) Aristot., lib. 2.º *Rhetoricor.*, cap. 4.
(2) S. Thom. 1.ª 2.æ, quæst. 26, art. 4.
(3) Aristot. lib. 9 *Ethicor.*, cap. 5.
(4) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 27, art. 2.

honestatem boni, sed quod illud sit commodum, jucundum vel utile personæ sic amatæ; at Deus sibi totum bonum vult, quatenus est summum bonum honestum, ex quo redditur summe amabile.

Non æque certum videtur, utrum amor Dei erga se ipsum sit amicitia proprie sumpta, prout hæc contraponitur amori concupiscentiæ, in quæ duo membra dividi solet amor ex communi Scholasticorum sensu (1). Ac dubium versatur solum, quatenus amor consideratur inter tres divinas Personas, quæ et distinctæ sunt inter se, et mutuo se amant; amicitia enim importat mutuum amorem benevolentiæ. P. Suarez (2) aliique multi, ut M. Joannes a S. Thoma (3), censent amorem Dei ad se ipsum, etiam prout adest inter divinas Personas, non esse proprie amicitiam, sed altius quiddam et eminentius amicitia et concupiscentia, quo Deus se diligit per identitatem essentiæ, ita ut tres Personæ se mutuo diligant per eumdem ineffabilem actum amoris. Fundamentum præcipuum est, tum quia amicitia importat non solum distinctionem personarum se invicem amantium, sed etiam *redamationem*, redamatio autem non est, ubi unicus est amoris actus, quo personæ distinctæ se amant; tum quia binæ sunt amicitiæ conditiones, Aristotele docente (4), communicatio bonorum et convictus. «Et communicatio quidem videtur requirere distinctionem bonorum, quæ uterque amicus alteri communicat. At Spiritus sanctus nulli Personæ communicat sua bona. Filius autem Patri non communicat sua bona, sed tantum ab ea communicata recipit. Igitur inter eos nequit esse amicitia reciproca. Rursus neque convivere dicentur proprie Personæ, quarum est unica simplicissima vita» (5). At P. Didacus Ruiz existimat, «qui charitatem et amicitiam inter divinas Personas concesserit,

et amicitia

(1) Vide S. Thom. 1.ª 2.æ, quæst. 26, art. 4, etc. etc.
(2) *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 60.
(3) *Curs. Theolog.* tom. 2, quæst. 20 et 21, disp. 6, art. 1, numero 10 seqq.
(4) *Ethicor.* lib. 8, cap. 3, 4 et 5.
(5) Apud P. Ruiz de Montoya, disp. 52, sect. 4, num. 7, apud quem plura videri queunt. Cfr. Joann. a S. Thoma, loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eum melius et exactius loqui ad regulas et usum loquendi Theologorum», idque multis probare conatur (1). Verum hæc Theologis definienda relinquantur.

Amor Dei respectu creaturarum rationalium est amicitia,

Respectu rerum creatarum amor divinus, ut superius innuimus, communissime dici solet, erga rationales quidem creaturas amicitia, erga irrationales autem concupiscentia vel quasi concupiscentia. Amor Dei erga creaturas rationales est amicitiæ, quia quamvis eas ordinet ad suam ipsius gloriam, nihilominus Deus vere illas vult in se ipsis, eisque innumera bona largitur, illæque capaces sunt redamandi Deum. Verum est, quod desit inter Deum et homines conditio æqualitatis, ad amicitiam requisita: quapropter nec amor iste amicitiæ, qui communiter asseritur a Theologis, naturalis est, nec cognosci naturæ lumine potuit a priscis Philosophis. At lumine revelationis edocemur intercedere Deum inter et homines immunes a peccato mortali veri nominis amicitiam, quemadmodum decernit Tridentinum concilium (2), plurimisque sacrarum Litterarum (3) et Patrum testimoniis probant passim Theologi (4). Quod porro attinet defectum æqualitatis, notissima est S. Hieronymi sententia: *Amicitia pares aut accipit, aut facit* (5). Deus enim servos suos creaturas rationales ex indebito dono ad quamdam secum æqualitatem evexit, non quidem numericam et strictam, sed proportionalem et participatam, quæ dicitur *excellentiæ ac dignationis*. Deus enim hinc *propter nimiam charitatem suam qua, dilexit nos* (6), *exinanivit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (7); hinc hominem ad quamdam participationem divinitatis extulit, *maxima et pretiosa nobis promissa* dona, *ut per*

(1) Ibid. num. 9, seqq. Vide etiam sect. 5 ubi prioris sententiæ argumentis respondet.
(2) Trident. concil. sess. 6, cap. 7 et 10.
(3) *Luc.* cap. 12, vers. 4; *Joann.* cap. 15, vers. 14; *Sapient.* cap. 4, vers. 10, etc., etc.
(4) Quæ de re legendus est P. Paulus Villada in egregio libello, cui titulus: *Commentarius Theologicus* de effectibus formalibus gratiæ habitualis, art. 4.º
(5) S. Hieronym., in *Mich.* cap. 7.
(6) *Ephes.* cap. 2, vers. 4.
(7) *Philipp.* cap. 2, vers. 7.

hæc efficeremur *divinæ consortes naturæ* (1): quod perficitur per infusionem gratiæ ac donorum supernaturalium. Et sic demisso Deo ad nostram humanitatem, nobisque ad consortium divinæ naturæ elevatis, statuitur æqualitas quædam, non naturæ, sed excellentiæ dignationisque, qua jam Deus non vult nos dicere *servos*, sed *amicos* (2); et Verbum divinum cum Patre et Spiritu Sancto, apud nos, tamquam amicos sibi charissimos conjunctissimosque, *mansionem facit* (3), quantum est de se nunquam deserendam, nisi nos ipsi per summam animi vecordiam tantum hospitem peccato expellere de domo velimus. Atque hæc amicitia inter Deum et creaturas rationales ratione habita donorum supernaturalium constituit etiam veri nominis charitatem. Verum hæc ad Theologos spectant (4).

et charitas;

Nec potest obstare amicitiæ inter Deum et rationales creaturas, quod ea requirat singularitatem. Nam ratio hujus conditionis inter amicos ea solum est, ne videlicet communicatio mutua bonorum minuatur, si ad multos sese extendat amicitia; at Deus, utpote infinitus in omni perfectionum bonorumque genere, non minus potest infinitis hominibus, quam uni soli, de inexhausto suarum divitiarum thesauro dona largiri.

Denique respectu creaturarum irrationalium amor Dei non potest esse amicitiæ, quia nequeunt illæ redamare Deum, sed est concupiscentiæ vel *quasi concupiscentiæ*, ut eum appellat S. Thomas (5); quia illas amat propter utilitatem, non suam, sed nostram (6); *concupiscimus enim aliquid et nobis et aliis*, inquit S. Doctor, ideoque amor concupiscentiæ dici potest, quando aliquid amatur propter commodum atque utilitatem sive nostram, sive etiam aliorum.

at respectu creaturarum irrationalium concupiscentia vel quasi concupiscentia.

(1) 2 *Petr.* cap. 1, vers. 4.
(2) *Joann.* cap. 15, vers. 15.
(3) *Joann.* cap. 14, vers. 23. Cfr. 1 *Corinth.* cap. 6, vers. 19.
(4) Cfr. Ruiz de Montoya, loc. cit. disp. 52, sect. 6.
(5) 1 p. quæst. 20, art. 2, ad 3.um.
(6) Recole quæ in *Cosmologia* scripta reliquimus, num. 92, pag. 322.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Datur in Deo zelus.

Ad amorem revocatur zelus, qui est vehemens amor, non patiens consortium in re amata; vel est amor intensus fortiter repellens, quidquid sibi contrarium est (1). Quare licet possit in creata voluntate cum invidia aliisque defectibus permisceri, per se tamen et in suo formali conceptu, nullam continet imperfectionem, ideoque potest de Deo proprie prædicari.

§ II.—UTRUM DEO CONVENIAT GAUDIUM.

171. Negavit olim Plato Deo convenire gaudium, cum scripsit: *Absurdum est deos gaudere vel contristari: indecens enim utrumque est* (2). Quæ quidem de tristitia vere scripta sunt, falsissime vero de gaudio, nisi velis interpretari de gaudio cum passione ac novitate vel quasi de objecto utili felicitatemque augente. Nam certo certius est Deum proprie gaudere ac delectari, tum de bono suo infinito, quo fruitur, tum de bonis finitis, ut vel ex ipsis Sacris Litteris liquet (3). Ratio vero est, quia Deus reapse possidet suum bonum infinitum, et plurima possidet bona finita; gaudium autem est actus, quo quis vult bona præsentia prout a se possessa; nec ulla est vel umbra imperfectionis in hujusmodi affectu (4).

Deo proprie convenit gaudium.

Discrimen inter gaudium et delectationem.

Cæterum, quantum attinet usum vocum, quamvis gaudium et delectatio sæpe confundantur, re tamen vera gaudium latius patet, siquidem gaudemus tum de propriis tum de alienis bonis, delectamur autem de propriis duntaxat.

§ III.—UTRUM DEO CONVENIAT PROPRIE DESIDERIUM.

Quid certum sit circa desiderium.

172. Desiderium spectari potest vel circa bona intrinseca et propria ipsius Dei, vel circa bona creaturarum, quæ Deo sunt extrinseca. Et de desiderio respectu propriorum

(1) Vide S. Thom., 1.ª 2.æ, quæst. 28, art. 4.º; 3.ª dist. 26, quæst. 1, art. 3; *de verit.*, quæst. 26, art. 4 in. corp., et ad 8.um.

(2) In *Philebo*.

(3) Vide, v. g., *Proverb.* cap. 8, vers. 30; *Deuteron.* cap. 30, vers. 9; *Isaiæ* cap. 62, vers. 4 et 5; *Math.* cap. 18, vers. 13; *Luc.* cap. 15, vers. 10.

(4) Vide S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 90.

bonorum una est omnium eaque explorata sententia, illud prorsus Deo repugnare; quandoquidem desiderium respicit bona absentia, quibus caret desiderans, Deus autem carere nequit ullo bono intrinseco ac proprio vel perfectione sibi conveniente (1).

et quid in controversiam adducatur.

Controvertitur autem, utrum Deo convenire possit proprie ac formaliter desiderium illorum bonorum, quæ homines, ex culpa utique sua, non habent, et Deus illos habere vult, qualis est v. g. salus æterna; nam Deus, teste Apostolo, *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (2), quin tamen id plurimi assequantur. Multi, in quorum numero continentur Eximius Doctor (3), Gabriel Vazquez (4), Valentinus Herice (5), Thomas Carleton Compton (6), Ortega (7), Struggl (8), Franciscus

sententia Doctorum.

(1) **Theologus tamen objicere potest** in processione Sp. Sancti dari posse desiderium in ordine ad bona propria et intrinseca. Nam Spiritus S. procedit ex amore sui; qui amor non est gaudium de Spiritu S., sed desiderium. Nam gaudium est de bono possesso et habito. Atqui amor, ex quo procedit Spiritus S. non est de illo ut possesso et habito, sed ut habendo; cum enim Spiritus S. ex illo amore procedat, nondum supponi potest habitus vel possessus.

Sed respondeo distinguendo Minorem postremam. Amor, ex quo procedit Spiritus S., non est de bono possesso prævie ad amorem, conc., non est de bono possesso in eodem instanti amoris, nego. «Nam sicut de ratione notitiæ intuitivæ non est præsentia objecti pro priori ad cognitionem, sed sufficit præsentia in eodem instanti reali, licet habita ex vi cognitionis: ex quo inferunt Theologi, Verbum Divinum ex intuitiva sui cognitione procedere.....; ita de ratione gaudii non est possessio antevertens amorem, sed possessio pro eodem instanti reali, etsi ex vi amoris habeatur: quod in amore, ex quo Spiritus Sanctus procedit, contingit, et ideo gaudium, etc.» Magister Gonet, *Clypeus Theologiæ Thomisticæ*, tom. 1, tract. 4, disp. 6, disp. 6.ª, art. 2.º, paragraph. 2, num. 301.

(2) 1. *Timoth.* cap. 2, vers. 4.

(3) *De Deo et attribut. divin.*, lib. 3, cap. 7, num. 4.

(4) In 1.am part., disp. 84, cap. 1.

(5) In 1.am part., disp. 20; *de volunt. Dei*, cap. 3, num. 19.

(6) *Theolog. Scholast.* tom. 1, disp. 28, sect. 1.

(7) *De Deo uno*, tom. 2, controv. 4, disp. 4, quæst. 2, certam. 2.

(8) *Theolog. univers.* tom. 1, pars. 1, tract. 1, disp. 5, quæst. 1, art. 1, num. 9. *Quæres.* 6.º

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Henno (1) aliique, arbitrantur Deo asserendum esse desiderium proprie ac formaliter dictum respectu bonorum externorum, quæ pendent ex libero consensu creaturarum, ac nominatim salutis æternæ. Alii vero negant cum S. Thoma (2) tribui Deo posse veri nominis desiderium etiam respectu bonorum externorum, quæ pendent ex libero consensu creaturarum, sed tantum concedunt desiderium improprium ac metaphoricum seu ardentem amorem: quæ est sententia Thomistarum, Cajetani, Bañez, Gonzalez Albelda, Nazarii (3), Joannis a S. Thoma (4), Joannis Baptistæ Gonet (5), Billuart (6), etc., quibus hac in re consentuint e nostratibus P. Ruiz de Montoya (7), Jacobus Granado (8), Petrus de Arrubal (9), Ludovicus de Molina (10), Bernardus Aldrete (11), etc.

Rationes sententiæ asserentis Deo proprie convenire desiderium.

Prima sententia nititur ante omnia quibusdam Sacrorum Bibliorum testimoniis, quale est illud: *Utinam attendisses mandata mea* (12). Item: *Quis det, talem eos haberementem, ut timeant me* (13). Et alibi: *Num quid voluntatis meæ est mors impii, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (14), etc. Quo etiam adduci potest illud S. Pauli ad Timotheum, quod modo retulimus. Hæc enim testimonia, cum perspicue videantur exprimere desiderii affectum, ita interpretanda sunt, donec ostendatur repugnantia.

(1) *Theolog. dogm. moral. et scholast.*, tom. 1, *De Deo uno*, disp. 6, quæst. 8, *conclus.* 4.
(2) 1 p., quæst. 20, art. 1, ad 2.um. Cfr. *Contra Gent.* lib. 1, cap. 89.
(3) In 1.am part, quæst. 20, art. 1.
(4) *Curs. Theolog.* tom. 2, quæst. 20 et 21, disp. 6, art. 1, num. 2.
(5) *Clypeus. Theolog. thomist.* tom. 1, tract. 4, disp. 6, art. 2.
(6) *Curs. Theolog.* tom. 1, dissert. 8, art. 6, num. 5.
(7) *De volunt. Dei*, disp. 52, sect. 7.
(8) In 1.am part., tom. 2, tract. 6, disp. 4.
(9) *Comment. et disput. in 1.am partl. Divi Thomæ*, quæst. 20. *Notationes super quæst.* 20.
(10) In 1.am part., quæst. 20, art. 1.
(11) *Comment. ac disputation.*, tom. 2, disp. 6, sect. 7, num. 14.
(12) *Isaiæ* cap. 48, vers. 18.
(13) *Deuteron.* cap. 5, vers. 29.
(14) *Ezechiel.* cap. 18, vers. 23 et, 32.

Ex Patribus unum sufficiat laudare Chrysostomum, cujus sunt dissertissima illa verba: *Juxta beneplacitum voluntatis suæ, hoc est, propterea quod vehementer hæc vult*, **concupiscentia ejus, *ut ita dicam, ista est*..... *Beneplacitum igitur primarium voluntatem dicit, vehementem scilicet, et quæ* cum desiderio et concupiscentia sit, *quam habet erga nos*,.... *Hoc est*, vehementer concupiscit, vehementer desiderat nostram salutem (1).

Ratio vero est primo, quia Deus vere ac serio vult pœnitentiam et bona opera æternamque omnium hominum salutem, ad eumque finem præparat, et suppeditat auxilia sufficientia. Atqui hujusmodi volitio plane videtur habere rationem desiderii. Sane volitio ista est actus voluntatis circa bonum absens et non obtinendum respectu multorum hominum. Atqui actus voluntatis circa bonum absens, prout tale, dicitur desiderium, Ergo quamvis voluntas, quam Deus habet pœnitentiæ ac bonorum operum atque æternæ salutis, respectu eorum, qui consensuri sunt gratiæ auxiliis, non sit desiderium, sed potius gaudium, quia bonum istud a Deo amatum, jam reapse Deo præsens est a tota æternitate pro illa temporis differentia, in qua bona illa existentiam sortientur; at voluntas eorumdem bonorum respectu illorum, qui nolent consentire, non videtur posse revocari ad aliam rationem affectus præter desiderium, quod est actus voluntatis circa bonum absens, quale est certissime bonum nunquam futurum.

Neque dicas, volitionem prædictam Dei respectu eorum, qui consensuri non sunt, non attingere intensionem requisitam, ut veri desiderii rationem obtineat. Si enim Deus desiderat reapse pœnitentiam æternamque salutem, eam facile obtineret adhibitis aliis auxiliis potentioribus, quæ possidet in suis thesauris.—**Nam** multi possunt esse gradus in desiderio, ut passim cernimus etiam inter homines, qui pro intensiori minusve intensa cupiditate rem obtinendi plures paucioresve faciunt expensas, et majorem minoremve adhibent conatum, ut voti compotes fiant. Voluntas vero Dei, de qua loquimur, quamvis non sit omnino absoluta, est tamen

(1) S. Joann. Chrysost., In Epist. *ad Ephes*, serm. 1.

seria, et, quantum est de se, satis efficax ad rem concupitam assequendam, quæ profecto si non obtinetur, non est ex defectu voluntatis Dei nec mediorum ab eo adhibitorum, sed ex perversitate rebellis creaturæ.

Altera ratio est, quia nulla apparet imperfectio in desiderio respectu bonorum externorum. Ergo non est cur Deo denegetur. **Antecedens patet**, quia imperfectio illa vel repetenda esset ex anxietate ac sollicitudine, quam secum affert inter homines desiderium, vel ex carentia vel absentia boni desiderati. Atqui ex nullo capite timenda est imperfectio in desiderio, quod Deus habeat respectu bonorum externorum. *Non ex anxietate*, nam illa non est essentialis ipsi conceptui desiderii, quare licet per accidens comitari soleat desiderium voluntatis creatæ, ableganda prorsus est a divina, sicut ablegantur etiam hujusmodi accidentales imperfectiones, quæ comitari possunt affectum quoque amoris et gaudii. *Non ex absentia vel carentia boni desiderati*, quia bona, quæ tantummodo cadere possunt, in divinum desiderium, sunt externa, ut sunt generatim omnia bona creata, quæ, sicut non augent perfectionem Dei, cum adsunt, aut possidentur, ita non eamdem inminuunt, licet absint, neque unquam sint possidenda. Quare ratio, quæ demonstrat repugnare in Deo desiderium respectu propriorum bonorum, non valet ad demonstrandam repugnantiam desiderii respectu bonorum externorum.

Et confirmari potest ex eo, quod *rem ipsam*, sin minus *nomen* desiderii, omnes videntur admittere in Deo, videlicet veram et propriam, sinceram et seriam voluntatem obtinendi pœnitentiam, bona opera æternamque salutem omnium hominum, quæ respectu multorum frustrabitur eventu, quamvis Deus ex parte sua ponat, quidquid requiritur, et sufficit ad finem assequendum. De hujusmodi ergo actu voluntatis divinæ quæram, num in sua physica entitate importet imperfectionem. Si importat, voluntas salvifica hominum proprie ac formaliter non poterit esse in Deo, sed tantum metaphorice atque improprie: quod profecto repugnat, opinor, nostris diebus communi Theologorum consensui. Si autem actus ille non importat imperfectionem, non est Deo denegandus sub nomine desiderii; imperfectio enim non est in nomine, sed in re: nomen vero disiderii videtur omnino

convenire prædicto actui, utpote qui terminatur ad bonum absens et nunquam futurum.

Rationes contrariæ negantis.

Altera sententia nititur præcipue his fundamentis. Primo, Deus non potest proprie desiderare illa bona externa, v. g. pœnitentiam, bona opera, salutem æternam, quæ aliquando existentiam sortientur, nimirum in iis, qui Dei vocantis auxiliis consensuri sunt. Nam «quoniam proprium objectum desiderii est bonum absens comparatione desiderantis, et absens amicis, quibus desideratur pro tempore, pro quo desideratur. Sed quodcumque bonum Deus efficaciter facit in hominibus in tempore, cooperante libero arbitrio, illud idem secundum suam realem existentiam ab æterno fuit præsens divinæ scientiæ non aliter, quam postquam fuit factum.... Præterea quibus amicis Deus vult efficaciter illud bonum, adest inevitabiliter præsens pro eo tempore, pro quo Deus vult esse præsens illis, et pro tali tempore non est absens. Ergo tale bonum nequit esse objectum divini desiderii» (1).

Deinde neque Deus proprie dicendus est desiderare illa bona externa, puta pœnitentiam, etc., quæ ex hominum culpa nunquam evenient. «Quia quando præsens videtur negatio boni, non desideratur illud bonum pro illo tempore. Nemo quippe sibi nec filio suo salutem desiderat pro eo tempore, quo præsentem ejus morbum videt, sed pro tempore sequenti, in quo nondum videt eum ægrotare. Quapropter quando desiderium dicitur tendere in bonum absens, eo ipso intelligitur etiam tendere in bonnm futurum. Sed comparatione Dei præsentes sunt ab æterno negationes et omissiones omnium bonarum operationum, quibus in quocumque tempore creatæ voluntates non sunt cooperaturæ. Ergo pro illis temporibus est impossibile desiderare prædictas volitiones (2).

Præterea probatur, quia «nemo potest dici desiderare illud, quod in sua virtute et potentia perfectissime continet. Sed Deus omnia bona creata et extrinseca perfectissime continet in sua virtute ac potentia. Ergo non potest illa desiderare.

(1) Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 52, sect. 7, num. 5.
(2) Ruiz de Montoya, ibid. num. 8.

Minor constat. Major probatur. Quando aliquis caret aliquo quod in sua virtute et potentia perfectissime continet, idcirco eo caret, quia non vult illud habere, cum possit. Sed nemo potest dici desiderare illud bonum, quod non vult habere, cum possit. Ergo nemo potest dici desiderare bonum illud, quod in sua virtute et potentia perfectissime continet» (1). Verum hanc rationem fatetur ipsemet P. Ruiz de Montoya per se non sufficere. Cætera, quæ ab eodem classimo scriptore atque a Mg. Gonet adducuntur, infirmiora longe videntur.

Judicium auctoris.

Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ hinc inde reperire potui. Si quis nunc, quid ego de præsenti controversia sentiam, scire velit; dicam sincere, opinionem quidem alteram, negantem, frequentiorem videri apud antiquos, priorem autem, affirmantem, pondere rationum longe plus valere mea sententia. Nec facile est demonstrare S. Thomam huic doctrinæ refragari, quia S. Doctor nunquam videtur instituisse, vel considerasse quæstionem sub his terminis, nempe relate ad bona duntaxat externa. Imperfectio enim quam in desiderio notat Angelicus, apparet profecto, si desiderium referatur ad bona propria et interna, quæ non potest non possidere Deus, non vero, si desiderium versetur circa bona, quæ solis creaturis sunt interna, Deo autem externa prorsus et accidentalia, quæ nec augent perfectionem illius, si adsint, nec minuunt, si desint.

Hi sunt actus voluntatis circa bonum respondentes passionibus partis concupiscibilis. Consequens est, ut agamus de spe, qui est unicus actus respiciens bonum in parte irascibili.

§ IV.—UTRUM SPES DEO CONVENIAT.

Spem negat Deo communis doctrina

173. Negativa sententia est communis inter Theologos, quorum vix est unus, qui non videat aliquam in hoc actu latere imperfectionem Deo indignam; licet dissideant in ea assignanda. Alii enim imperfectionem spei reponunt in eo

(1) Mag. Gonet., loc., cit., num. 26.

quod illa, sicut desiderium, respiciat bonum nondum obtentum, sed obtinendum. Alii cum P. Gabriele Vazquez (1) in eo, quod spes connotet personam aliquam superiorem potentioremque, cujus auxilio ac virtute speratur rei assecutio (2). Alii multo melius insitam spei imperfectionem vident in arduitate, quam illa requirit in bono, ad quod assurgit (3), quemadmodum ipse S. Paulus innuit, cum scripsit: *Spes autem, quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus per* patientiam expectamus (4). Per patientiam expectamus, quia res, quam ex spectamus, ardua est et plena laboris, quemadmodum etiam explicant plures Patres (5). Cum ergo nihil arduum sit Deo, nec spes potest illi convenire. Potest etiam notari alia imperfectio in spe ex eo, quod supponat cognitionem incertam vel solum probabilem rei assequendæ; quod enim quis certo novit se obtenturum esse, poterit quidem desiderare vel concupiscere, non vero sperare, quemadmodum etiam aperte videtur docere S. Paulus in allato testimonio. Atqui cadere in Deum nequit incerta vel solum probabilis ullius rei notitia (6). Itaque metaphorice interpretanda sunt testimonia sacrarum litterarum, quæ spem Deo tribuunt (7).

(1) Vazquez, In 1.am part., disp. 84, cap. 1. Cfr. Suarez, *de attributi Dei*, lib. 3, cap. 7.

(2) Duæ istæ sententiæ breviter refutatæ videri queunt apud P. Ruiz de Montoya, loc. cit., disp. 52, sect. 8, num. 4.

(3) Vide S. Thom. 1.ª 2.æ, quæst. 40, art. 1; 2.ª 2.æ, quæst. 17, art. 5. Cfr. 1 p., quæst. 81, art. 2.

(4) *Roman.* cap. 8, vers. 24 et 25.

(5) Vide S. Joann Chrysost. (In epist. *ad Roman.* cap. 8, serm. 14), et Theophylact. (in eundem locum), S. Agust. (in *psalm.* 91 sub.) init.; et serm. 25, *de verbis Apostoli. Roman.* cap. 8, *de civit. Dei* lib. 10, cap. 25 post. med.; et lib. 15, cap. 18).

(6) Cfr. Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 8.

(7) Qualia sunt v. g. quæ leguntur apud *Isaiam*, cap. 5, v. 4; cap. 30, vers. 18.

ARTICULUS II

Actus voluntatis respondentes passionibus circa malum.

Agendum est de odio, tristitia, fuga, timore, desperatione, ira et audacia, quamquam hi postremi actus non semper versantur directe circa malum.

§ I.—UTRUM ODIUM TRIBUI POSSIT DEO.

Duplex odium, abominationis et inimicitiæ

174. Odium opponitur amori, ac duplex distingui solet, *abominationis et inimicitiæ*. Odium abominationis est affectus animi aversantis malum, vel displicentia de re mala; odium inimicitiæ est affectus, quo quis vult malum personæ, quatenus est malum ejusdem, quia nempe ipsam personam aversatur. Unde dici solet odium abominationis terminari directe ad rem malam, inimicitiæ autem ad personam, ideoque illud amori concupiscentiæ, hoc vero amori amicitiæ opponi. Et sic differunt in eo quod «odium abominationis est odium pure reprobativum mali, quod inest subjecto odio habito, et intendit vel ablationem ejusdem mali, et liberationem subjecti ab illo, vel compensationem ejusdem mali in ordine ad bonum commune, et est proinde maxime proprium judicis et gubernatoris, quatenus talis. Odium vero inimicitiæ est directe et formaliter detestativum subjecti, cui inest malum, et intendit directe augmentum mali in eodem» (1). Porro circa controversiam propositam sunt plures modi loquendi pluresque sententiæ. Multi absque ulla distinctione contendunt odium proprie ac formaliter asseri non posse Deo, sed tantum metaphorice atque improprie: quæ est doctrina Aureoli (2), Henrici (3), et Durandi (4).

Variæ sententiæ.

prima negans.

(1) P. Martinus Esparza, *Quæstiones disputandæ de Deo uno*, quæst. 24, art. 5.
(2) 1.° dist. 40, quæst. 1, art. 1, prop. 1; et 2.° dist. 41, art. 3, prop. 4; et dist. 46, quæst. 1, art. 2, prop. 2 et 3.
(3) In *Summ.* art. 46, quæst. 3.
(4) 4.° dist. 47, quæst. 7, num. 10.

Et eodem modo loquitur S. Thomas interdum (1), quem sequitur Capreolus (2), et Ferrariensis (3), et alii multi Thomistæ, ut Nazarius (4), Gonzalez Albelda (5), Navarrete (6), Joannes a S. Thoma (7), Gonet (8), Ferre (9), et alii. Ex quibus nonnulli, ut Balthasar Navarrete et Joannes a S. Thoma sic rem explicant, ut Deo convenire nequeat odium «directe et proprie, sed metaphorice et consecutive, scilicet quia diligendo aliquid directe ac proprie, dicitur oppositum ex consequenti odisse, aut ad modum odientis tractare», ut loquitur Joannes a S. Thoma. Quidam vero Thomistæ, ut Billuart (10), distinguunt inter odium abominationis atque inimicitiæ, et primum concedunt Deo probabiliter asseri proprie posse, alterum vero non nisi metaphorice.

Non minus frequens est sententia eorum, qui putant Deo proprie ac formaliter inesse odium: quam tenet *Magister Sententiarum*, Petrus Lombardus (11), S. Bonaventura (12), Richardus (13), et Argentinas (14); immo et ipse S. Thomas interdum significat (15). Eamdem postea sequuti sunt e nostratibus plerique, ut Molina (16), Suarez (17), Vazquez (18), Arrubal (19), Ruiz de Montoya (20), Valentinus Herice (21),

secunda affirmans.

(1) Ita, v. g. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 96, fin.
(2) 1.° dist. 45, art. 1, conclus. 8.
(3) In lib. 1.um *Contr. Gent.* cap. 96.
(4) In 1.am part. quæst. 20, art. 1.
(5) In 1.am part. disp. 62.
(6) *Controvers. in D. Thomæ et ejus scholæ defension.*, tom. 2, controv. 27.
(7) *Curs. Theolog.* tom. 2, quæst. 20, disp. 6, art. 2.
(8) *Clypeus...* tom. 1, tract. 4, disp. 6, art. 3.
(9) Tom. 2, tract. 16, quæst. 1, paragraph. 8.
(10) *De Deo uno*, dissert. 8, art. 6, *Dico 1.°*, num. 4.
(11) Lib. 3.° *Sententiar.* dist. 32, paragr. ultimo.
(12) 3.° dist. 32, in dubio litterali 4.°, et art. unic. quæst. 2, fin.
(13) 3.° dist. 32, art. 1, quæst. 1, ad 1.um
(14) Ibid., quæst. unic. art. 4.
(15) Ita v. g. 1 p., quæst. 20, art. 2, ad 4.um
(16) In 1.am part. quæst. 20, art. 1, fin.
(17) *De Deo et divin. attrib.*, lib. 3, cap. 7, num. 5.
(18) In 1.am part. disp. 84.
(19) In 1.am part. quæst. 20, *Notation.* sup. quæst. 20, num. 6
(20) Op. cit. disp. 54.
(21) Tract. 2, disp. 20, cap. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jacobus Granado (1), Alarcon (2), Tanner (3), Carleton Compton (4), Arriaga (5), Ortega (6), Fassolus (7), Esparza (8), Præpositus (9), etc., et ex aliis Ordinibus multi Scotistæ, ut Franciscus Henno (10), P. Joannes Gabriel Boyvin (11), ac demum P. Marcus M.ª Struggl (12). Hi tamen auctores mox in duas partes scinduntur: alii cum P. Vazquez, Alarcon, Tannero, Struggl, concedunt Deo non solum odium abominationis, sed etiam inimicitiæ respectu peccatorum omnium, et P. Ortega respectu reproborum duntaxat (13); alii vero longe frequentius cum Didaco Ruiz de Montoya, Granado, Esparza, et, ut videtur etiam, Eximio Doctore solum abominationis odium putant Deo esse asserendum. Secundum quos proinde Dominus noster detestatur quidem peccatum, illudque vellet destruere, peccatori autem non vult malum, præcise quia malum est personæ illius, sed ob finem bonum, puta justitiæ in punitione ac restitutionis ordinis moralis. Quare fortasse non magnum reapse sit discrimen inter hanc tertiam opinionem et primam, saltem prout a quibusdam declaratur.

tertia distinguens.

Nec solum Theologi, sed ipsi quoque Patres Ecclesiæ, atque adeo ipsæ sacræ Litteræ inter se discordare prima fronte videntur, quamquam nullatenus reapse dissident, sed secundum doctrinam, quam breviter tuendam suscipimus, haud difficulter in amicissimam concordiam reducuntur.

(1) In 1.am part., tom. 2, tract. 6, disp. 2.
(2) *De Deo*, tract. 3, disp. 7, cap. 3.
(3) Tom. 1, disp. 2, quæst. 10, dub. 2, num. 2, 4, et 5.
(4) Op. cit., disp. 28, sect. 1, num. 6.
(5) *De Deo*, disp. 25, sect. 4, num. 43.
(6) *De Deo uno*, tom. 2, controv. 4, disp. 5, quæst. 1, certam. 1.
(7) In 1.am part. quæst. 20, art. 1.
(8) *Quæstiones disputandæ de Deo uno et trino.*, quæst. 24.
(9) In 1.am part. quæst. 19, art. 3.
(10) *Theolog. dogmat. moral.*, tom. 1, *De Deo uno*, disp. 6, quæst. 8.
(11) *Theolog. Scoti.* tom. 1, *De Deo uno*, disp. 5, *Appendix*, quæres. 2.ª
(12) *Theolog. univers.* tom 1. pars. 1, tract. 1, disp. 5, quæst. 1, num. 8, *Quæres* 5.
(13) P. Ortega, loc. cit., quæst. 2, certam. 1 et 2.

175. PROPOSITIO. **Deus nihil odio habet eorum, quæ sunt, in quantum sunt; peccatum autem odio abominationis vere ac proprie prosequitur, et consequenter ipsum quoque peccatorem odit, qua talem, non tamen odio quod vocant inimitiæ.**

Deus nihil odio habet eorum, quæ sunt, in quantum sunt:

Prima pars: *Deus nihil odio habet eorum, quæ sunt, in quantum sunt*, prout jacet, continet communem omnium doctrinam, quæ in sacris Litteris dissertissime traditur: *Diligis omnia, quæ sunt, et nihil odisti eorum, quæ fecisti* (1). Quam sententiam procul dubio respexit S. Augustinus, quum ita scripsit: *Non enim quodcumque odisset, esse voluisset, aut omnino esset, quod omnipotens esse noluisset, nisi in eo, quod odit, esset etiam, quod amaret* (2).

Prob. 1.° Nihil amatur, et odio habetur secundum eamdem rationem. Atqui omnia Deus amat, in quantum sunt. Ergo nihil odit eorum quæ sunt in quantum sunt.

Major per se liquet ex lege contrariorum. **Minor vero probatur**, quia signum amoris est facere bonum, nam amare est velle bonum alicui. Atqui Deus rebus omnibus, quæ sunt, in quantum sunt, facit bonum; nam dat, et conservat illis existentiam. Ergo... Vel, si mavis idem aliter argumentum proponere, *odisse est velle, ut non sint* ea, quæ odio prosequimur, ut omnes cum Aristotele (3) admittunt. Atqui Deus nullam creaturam vult non existere, in quantum est, et quamdiu est; secus enim neque vellet actionem, qua ipse Deus creaturam producit, et conservat. Ergo...

Hanc rationem assignavit sacer liber *Sapientiæ* post verba modo relata: *Nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?* (4). Eamdemque evolvit Clemens Alexandrinus in primo libro sui *Pædagogi* (5).

Prob. 2.° Nulla potentia appetitiva potest odisse bonum cognitum, qua tale. Atqui omnia quæcumque sunt, in

(1) *Sapient.* cap. 11, vers. 25.
(2) S. August., *In Joann.*, tract. 110, post medium.
(3) *Rethoricor.* lib. 2, cap. 4, fin.
(4) *Sapientiæ* cap. 11, vers. 25 et 26.
(5) Cap. 8, sub initium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quantum sunt, non possunt esse nisi bona. Ergo impossibile est, ut Deus odio habeat quidpiam eorum, quæ sunt.

Majorem in *Psychologia* (1), **Minorem** in *Ontologia* (2) demonstratam reliquimus.

Prob. 3.° Quidquid perfectionis reperitur in quolibet agente creato, perfectius inveniri debet in Deo, primo et perfectissimo agente. Atqui quodlibet agens creatum suos effectus amat, saltem quatenus tales, sicut parentes filios, et artifices sua opera. Ergo etiam Deus amat, ideoque non odit opera sua, nempe ea, quæ sunt, in quantum sunt (3). Legatur S. Thomas, qui hanc potissimum partem videtur intendisse in loco, quem pro prima sententia retulimus (4).

peccatum autem odio abominationis proprie prosequitur,

Secunda pars: *Deus peccatum odio abominationis vere ac proprie prosequitur*, probari potest 1.° auctoritate sacrarum Litterarum ac Patrum in hunc modum. 2) Quod Scriptura et Patres simpliciter asserunt, proprie ac formaliter interpretandum est, nisi aliis eorumdem testimoniis, vel ratione theologica compellamur ad translate ac metaphorice intelligendum. Atqui Scriptura et Patres simpliciter asserunt Deo erga peccatum odium abominationis, nec est ullum eorumdem testimonium ratione theologica nos compellens ad sensum metaphoricum. Ergo...

Major, puto, certa est ex obviis hermeneuticæ legibus. **Minor probanda est per partes.**

1.° *Scriptura et Patres Deo simpliciter asserunt odium abominationis erga peccatum.* Hæc apud prophetam Zachariam leguntur: *Et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis;* **omnia enim hæc sunt, quæ odi**, *dicit Dominus* (5). Quæ verba explicans S. Hieronymus monet: *In præceptis, quæ ad vitam pertinent,* **non debemus quærere allegoriam**, *ne juxta Comicum nodum quæramus in scirpo* (6). Regius vero Psaltes

(1) Vol. 3.°, num. 5, cap. 11. Cfr. *Ontolog.*, num. 140, pag. 247.
(2) Num. 155, pag. 454 seqq.
(3) Vide P. Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 54, sect. 1.
(4) *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 96.
(5) *Zachar.* cap. 8, vers. 17.
(6) S. Hieronym. in *Zach.*, cap. 8.

Deum alloquens: *Dilexisti justitiam*, inquit, *et* **odisti iniquitatem** (1). Et alibi scriptum est: *Sex sunt, quæ* **odit Dominus**, *et* **septimum detestatur anima ejus, oculos sublimes linguam mendacem**, etc. (2). Item: *Similiter* **odio est Deo impius et impietas ejus** (3). Et illa: *Arrogantiam et superbiam et viam pravam et os bilingue* **detestor** (4), etc., etc. (5).

Similia testimonia prostant apud Patres. *Quid enim*, ait S. Augustinus *diligebat* (Deus) *in Jacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum? Et quid* **oderat** *in Esau, antequam fecisset aliquid mali nisi* **originale peccatum**? *Nam neque in illo diligeret justitiam, quam nullam ille fecerat, nec in isto odisset naturam, quam bonam ipse perfecerat* (6). Et in libro primo ad Simplicianum, postquam dixerat Deum non odisse corpus et animam hominis, quoniam bona sunt, et a Deo creata, concludit: *Nec odit in homine nisi peccatum.* Et paucis interpositis: *Non igitur odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem.... Cur ergo Jacob dilexit, numquid peccator non erat? Sed dilexit in eo non culpam, quam delebat, sed gratiam, quam donabat. Nam et Christus pro impiis mortuus est, non tamen ut impii mortui permanerent, sed ut justificati, ab impietate converterentur.* **Odit enim Deus impietatem** (7). Et S. Bernardus: *Spiritus iste* (Sanctus) **odit sordes**, *nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi et* **proprium est peccata odisse** (8). Item Clemens Alexandrinus: *Eum, qui bonus est, quatenus bonus est,* **sequitur odium vitii** (9).

(1) *Psalm.* 44, vers. 8.
(2) *Proverb.* cap. 6, vers. 16, seqq.
(3) *Sapient.* cap. 14, vers. 9. Cfr. *Eccli.* cap. 15, vers. 11, 13; *Isaiæ* cap. 1, vers. 13, 14 seqq.; cap. 61, vers. 8; *Hierem.* cap. 12, vers. 8; cap. 44, vers. 4; *Proverb.* cap. 15, vers. 9.
(4) *Proverb.* cap. 8, vers. 13.
(5) Plura loca dabit P. Ruiz de Montoya, disp. 54, sect. 1, numero 20.
(6) S. Augustin. epist. 105 ad *Sixtum.*
(7) Vide etiam tract. 110 *in Joann.*, post med.; et serm. 54 *de verbis Domini*, a medio.
(8) S. Bernard. serm. 3 in *Pentecost.*
(9) *Pædag.* lib. 1, cap. 8, post med. Cfr. S. Gregor., *Moral*, lib. 15, cap. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et hæc quamvis altiora disputatione philosophica ideo fusius dicta sint, ut appareat modus loquendi sacrorum scriptorum.

β) *Nullum est contrarium sive Scripturæ sive Patrum testimonium, nec ulla ratio Theologica metaphoricum sensum evincens.* Sane nullum vel ab ipsis adversariis testimonium adversus hanc partem propositionis productum reperio. Rationes probant proprio sensu accipi posse, nedum requirant metaphoricum, tot tantaque testimonia, ut jam videndum est.

Prob. 2.° Cum sermo est de nominibus et prædicationibus divinis, ea solet generatim ab omnibus teneri regula, proprie illas esse sumendas, quotiescumque ratio per illas significata, sectusis imperfectionibus, quibus inficitur in creaturis, præ se fert in suo conceptu perfectionem aliquam puram. Atqui tale est odium abominationis erga peccatum. Nam non involvitur imperfectio ulla in recessu ac dissonantia voluntatis a malo, ita ut illa serio et satis efficaciter, quantum est de se, nolit esse peccatum; nam nihil conformius, nihil dignius rationali appetitu, ad bonum, et præcipue ad bonum honestum, nato, et naturaliter inclinato, potest esse, quam ejusmodi dissonantia et recessus a malo morali, quod directe pugnat cum honesto bono. Ergo quemadmodum nulla inest ipsi conceptui voluntatis nativa et essentialis imperfectio, sed pura tantum perfectio, idipsum dicendum est de hujusmodi affectu erga peccatum. Atqui affectus iste est præcise, qui nomine odii abominationis exprimitur, nec alio potest melius exprimi.

Sane est vocabulum ab omnibus admissum ad eumdem fere affectum exprimendum, nempe *displicentia*, verum cum hæc vox opponatur *complacentiæ*, non tam apte rem *odio* designatam explicat, sicut nec complacentia satis exacte determinat *amorem*, cui opponitur odium, quia complacentia sonat potius affectum quemdam leviorem amoris atque inefficacem. Itaque sicut amor in Deo est affectus efficax, ponens in re id, quod amat; ita odium est efficax nolitionis affectus tendens ad destruendum peccatum collata gratia, hortationibus, minis aliisque id genus adhibitis mediis, quantum salva libertate hominis decet Deum, provisorem mundi universalem. Alia vero vocabula *detestationis, exsecrationis, abominationis* affinia sunt odii, sed non nudam exprimunt

nolitionem oppositam amori, sed connotant maledictionem, vel aliquid aliud mero odio superadditum. Quare odium est vox maxime propria ad rem haud certe Deo indignam designandam (1).

Dices cum Ferrariensi (2). Odium proprie non est nisi subsistentium. Atqui peccatum non est aliquid subsistens. Ergo non potest Deo vere ac proprie asseri odium, sed tantum similitudinarie.

Respondeo, *dist.* Major. Odium, quod vocant inimicitiæ, non est nisi subsistentium, *conc.*; odium etiam abominationis, *nego*. Et *concessa* Minore, *nego* consequens, quia sicut amari dicuntur simpliciter virtutes et gloria æterna donaque Dei, quamvis non sint res subsistentes, quid vetat quominus peccata odio habeantur? Et sicut datur finis *qui* amatus, distinctus a fine *cui* seu persona, cui bonum diligitur, cur non poterit peccatum esse objectum proprii ac veri odii abominationis, distincti ab odio inimicitiæ, quod respicit personam, cujus malum cupitur? Quæstio forte erit de nomine, sed equidem non invenio rationem discriminis. Deinde quæro, utrum odium abominationis erga peccatum sit metaphorice atque improprie sumendum respectu etiam creaturarum, an respectu solius Dei. Si respectu omnium creaturarum; ergo odium abominationis erit generatim vox impropria et metaphorica, quod valde dubito, an quispiam sapientium concedat. Si autem non est vox impropria respectu creaturarum, sed respectu solius Dei, verum non est rationem metaphoræ repetendam esse ex eo, quod peccatum non sit res subsistens. Illud etiam addo, si quis contendat odium peccati metaphorice dici, propterea solum quod peccatum non sit res subsistens, jam metaphora non se tenet ex parte actus subjective spectati, sed solum ex parte objecti et termini, ac proinde odium secundum totam entitatem subjectivam est actus, qui potest de Deo proprie prædicari.

Tertia pars. *Deus ipsum peccatorem, qua talem, odio habet,* est corollarium præcedentis, et probari potest simili modo. ac proinde ipsum peccatorem

(1) Plura argumenta ad alteram hanc propositionis partem probandam videri queunt apud P. Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 2.

(2) In lib. 1.mum *Contr. Gent.* cap 96. Idemque insinuat S. Thomas, ibid. in fine.

qui talem,

Etenim sacræ Litteræ passim hoc pacto loquuntur, ut cum Deus inducitur loquens? *Jacob dilexi, Esau autem* **odio habui** (1), quorum interpretationem verborum a S. Augustino factam nuper excripsimus. In libro autem *Sapientiæ* docemur: *Similiter odio sunt Deo impius et impietas ejus* (2). Unde S. Paulus peccatores vocat *Deo* **odibiles** (3), et alibi: **Abominatio** *Domini est omnis arrogans* (4). Item: **Odisti** *omnes, qui operantur iniquitatem* (5). Quam ad rem sufficiat e Patribus unum laudare Augustinum, qui: *Habebat*, inquit, *ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitiam adversus eum exercentes operaremur iniquitatem; et tamen* verissime *dictum est:* **Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.** *Proinde miro et divino modo, et quando nos* **oderat** *diligebat: oderat enim nos, quales ipse non fecerat. Noverat simul in unoquoque nostrum* et **odisse, quod feceramus** (nimirum peccatum). *et amare, quod fecerat* (6). Quam doctrinam tradidit postea etiam S. Thomas (7).

Ratio vero est, quia si Deus odio habet peccatum, non potest non odisse illud, ubicumque reperit, ac proinde subjectum peccato inquinatum, quatenus tale, odio habeat, oportet, etiamsi sub alio respectu possit diligere.

quam tamen non potest proprie odisse odio inimicitiæ.

Quarta pars: *Deus peccatores non odit odio, quod vocant inimicitiæ.* Sane peccatores dividi possunt cum P. Ruiz de Montoya, trifariam, in prædestinatos, in reprobos adhuc hanc vitam mortalem degentes, atque in reprobos damnatos. Ac de primis res est longe certior, minus certa de secundis, de tertiis incertior.

Probatur itaque de prædestinatis et de reprobis viatoribus communi argumento. Non potest dici odium inimicitiæ illud, quod ita odit peccatorem, qua talem, ut simul continuis mixtum sit amoris significationibus et beneficiis erga ejus personam. Atqui ejusmodi est odium, quo Deus prosequitur,

(1) *Malach.* cap. 1, vers. 2 et 3; *Rom.* cap. 9, vers. 3.
(2) *Sapient.* cap. 14, vers. 9.
(3) *Roman.* cap. 1, vers. 3.
(4) *Proverb.* cap. 16, vers. 5.
(5) *Psalm.* 5, vers. 7.
(6) Tract. 110 *in Joann.* post. med.
(7) 1 p. quæst. 20, art. 2, ad 4.um

peccatores, sive reprobos viatores, sive præcipue prædestinatos. Ergo.....

Major evidens est, quum enim odium inimicitiæ velit malum alicui, quia malum est ejusdem, pugnat omnino cum amoris significationibus et beneficiis erga eamdem personam. **Minor vero probatur,** quia certum est Deum affectu vero et serio et, quantum est de se, efficaci velle salutem omnium non solum prædestinatorum, sed etiam reproborum, quamdiu sunt in statu viæ. Præterea ipsis malis et miseriis, quibus sæpe affligit homines, non intendit præcise malum eorum, sed bonum; quia vult, ut resipiscant, et in omni virtutum genere proficientes salutem æternam adipiscantur.

Præclare in hanc rem S. Augustinus explicans verba illa *Psalmi* 103: *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint*: quam imprecationem non esse maledictionem ex odio profectam, sed benedictionem, in hunc modum declarat: *Auferatur spiritus eorum, et deficiant, ut emittat spiritum suum, et recreentur. Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint iniqui. Vidit hoc, et impletus est gaudio, et revocat verbum primum Psalmi*: **Benedic anima mea Dominum** (1). Similiter scribit S. Prosper, eumdem versum *Psalmi* 103 commentans: *Iracundiæ et odii videtur esse vox ista, sed est præcipuæ charitatis: hoc enim ait, quod et supra, ut auferatur spiritus superborum, et deficiant; et mittatur in illos Spiritus Dei, ut fiat nova creatura, deficiente malitia, non pereunte substantia. Qui enim, cum esset impius, justificatus est, non erit impius, sed erit justus* (2).

Difficilior est probatio de damnatis. Probatur tamen, quia odium inimicitiæ postulat, ut malum infligatur alicui, quia malum est ejusdem, quia nempe odium habens vult inimico suo nocere, sistendo in illius damno, vel certe illud præcipue intendendo. Atqui Deus non ita se habet respectu damnatorum. Nam punit illos quidem acerbissime, verum exquisitissimis inferorum tormentis intendit restitutionem ordinis moralis a reprobo violati et manifestationem justitiæ

(1) S. August., *In Psalm.* 103.
(2) Idem docet S. Hieronymus non minus diserte in libro 1 *Contr. Pelag.* post med.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divinæ; quandoquidem non potest ex protervia peccatoris manifestari misericordia, sicut voluerat Deus et præsidiis de se sat efficacibus frustra procuraverat. Unde in puniendis sontibus æterna infelicitate se habet Deus sicut justus judex, qui sontem capite plectens, vel alio gravi supplicio, nullatenus dici potest inimicus illius; quamvis enim noceat illi puniendo, non secus ac si vere foret inimicus, non tamen punit præcise, ut malum inferat, sed ut bonum justitiæ quærat, moralem ordinem restituendo.

Præterea, quamdiu non constet oppositum, Deo tribuendum esse videtur quidquid nobilissimum est etiam in suo modo agendi cum hominibus. Atqui longe nobilius videtur, quod reprobos malis ærumnisque sempiternis affligat in inferis non ex odio inimicitiæ, ut malum qua malum inferat, sed ex amore justitiæ rectæque gubernationis, ad quam pertinet punire peccatum ac moralem deordinationem, quæ correcta non est per voluntariam sontis emendationem. Ergo..... Itaque si quis locus occurrat in sacris Libris vel Patrum operibus, qui odium inimicitiæ sonare videatur, metaphorice interpretandus est, quia quamvis Deus puniat velut inimicus, re tamen vera solum agit odio abominationis in peccatum et peccatorem, qua talem, intendendo solum delere peccatum, vel certe in ordinem redigere per pœnam.

Argumenta pro prima sententia solvuntur.

176. **Hinc plane vides** quid respondendum sit rationibus prioris sententiæ.

Dicunt patroni ejus 1.° odium et amorem proprie dici terminari ad res subsistentes, quale profecto non est peccatum, cujus Deo tribuitur odium. 2.° Deus homines, quos punit, odisse dicitur, non quatenus vult illis malum, sed quatenus vult bonum justitiæ ac rectæ providentiæ, quæ punitionem requirit ad redintegrandum moralem ordinem. 3.° Docente Aquinate, *gravius* peccatum est odium, quam ira, quia *odium quærit malum proximi sub ratione mali...., ira autem non quærit malum proximi, nec impedit bonum ejus nisi sub ratione boni, quod est justum vindicativum* (1). Ergo de ratione odii est inferre malum alicui, qua malum illius. Atqui hoc repugnat Deo. 4.° Patres plures diserte docent odium

(1) S. Thom., *de malo*, quæst. 12, art. 4.

metaphorice duntaxat de Deo prædicari. Sic S. Hieronymus verba illa apud Malachiam scripta: *Esau autem odio habui*, in hunc modum exponit: *Odisse Deus* Antropopathos (more humano) *dicitur, ut flere, dolere, irasci*, etc. (1) Et S. Ambrosius: *Deus* naturaliter non movetur *aut ira, aut* odio, *aut passione ulla* (2). Ac tandem S. Joannes Damascenus *odium adversus malignitatem et inimicitiam* commemorat inter ea, quæ metaphorice Deo tribuuntur, fere sicut manus et pedes (3).

Verum hæc nullum facessunt negotium. 1.um jam præoccupatum est in probatione secundæ partis. 2.um probat duntaxat, Deo non convenire odium inimicitiæ, quod ultro concedimus, non tamen excludit odium abominationis, quod verissime potest dari in judice ac gubernatore puniente sontem ex amore justitiæ et publicæ vindictæ. 3.um pariter veritatem habet solum in odio inimicitiæ, prout constat ex ipsa ejus definitione. Quod denique 4.um spectat, testimonia Patrum illorum interpretanda esse ducimus de odio inimicitiæ, quod profecto non potest Deo proprie tribui. Jam enim ostendimus odium abominationis nihil Deo inconvenientis continere, ut metaphorico solum sensu debeat intelligi.

Pro altera sententia

explicatio argumentorum pro altera sententia.

Objicies 1.° cum P. Vazquez. Odium inimititiæ, prout distinguitur ab odio abominationis, est velle malum alicui personæ, quatenus malum illius est. Atqui Deus vult peccatori malum, quatenus malum est, ex displicentia personæ. Ergo... Minor probatur, quia pœna, ut pœna, est malum illius, qui punitur. Sed Deus vult mortem et alia mala, quatenus habent rationem pœnæ. Quod autem id præstet Deus ex displicentia personæ peccatoris, probatur, quia licet homo, qua Dei creatura, non displiceat, displicet tamen qua peccatis fœdatus (4).

Respondeo, *neg.* Minor. Ad probation. *dist.* Major. Pœna ut pœna, est malum illius, qui punitur, si sumatur inadæquate, prout est afflictiva personæ punitæ, *conc.*; si sumatur

(1) *In Malach.* cap. 1.
(2) *De Noe et Arca*, cap. 4.
(3) *De orthodox. fid.*, lib. 1, cap. 14, fin.
(4) Vide P. Vazquez, In 1.am part. disp. 84, cap. 3

adæquate, ac prout est etiam medium restituendi ordinem moralem, ac vindicandi sacrata justitiæ jura, *nego*. Et *contradistinguo* Minor. Deus vult mortem et alia mala, quatenus habent rationem pœnæ, sistendo duntaxat in afflictione personæ punitæ, *nego;* intendendo præcipue atque ordinando ipsa supplicia ad altius bonum (sive pœnitentiæ ac salutis æternæ in viatoribus, sive saltem justitiæ in damnatis), *conc*. Tum *nego* conseq. Ad illud, quod addebatur de displicentia peccatoris; verum est quod peccator, qua talis, Deo displiceat, etiam proprie loquendo; sed hæc displicentia non excludit in viatoribus innumera beneficia illis a Deo collata, ut resipiscant, ac tandem salutem consequantur æternam, nec in damnatis amorem boni altioris, ad quod subordinatur punitio in divina intentione: quare displicentia illa non importat affectum inimicitiæ, sed tantum abominationis. Cæterum tantopere prævalet bonum istud a Deo intentum in punitione damnatorum, ut ipsi damnati, si recta ratione ducerentur, posito quod jam deleri nequit in inferis reatus culpæ, deberent eligere manere in æterno supplicio, quo saltem aliquo modo reduceretur ad ordinem deordinatio sua, et solverent utcumque gravissimum, quo adstringuntur, debitum.

Instabis. Ad odium inimicitiæ minime requiritur, ut nullum prorsus a puniente intendatur bonum; secus nec in nobis possibile esset odium inimicitiæ. Ergo quamvis Deus possit bonum intendere in puniendis reprobis, potest illos odio inimicitiæ odisse.

Respondeo, *conc*. antec., *nego* conseq. Quia quamvis odium inimicitiæ esse tale possit cum aliqua boni intentione, sed non cum ea, quæ in infligenda pœna primitus quærit justitiæ jura læsique ordinis moralis redintegrationem. Secus omnis judex eo ipso, quod sceleratos justo plectit supplicio, odio inimicitiæ animatus in eos diceretur: quo quid absurdius?

Objic. 2.° Peccatores vere ac proprie sunt inimici Dei. Ergo voluntas Dei se habet cum illis tamquam cum inimicis, ideoque prosequitur eos odio inimicitiæ. Hinc in sacris legitur Bibliis: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et*

ultorem (1). Et alibi: *Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt* (2). Et: *Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus* (3). Item: *De cætero exspectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus* (4).

Respondeo, *conc*. antec., et *neg*. conseq. Ex eo enim solum quod peccatores sint inimici Dei sequitur utique Deum non esse amicum eorum, quia amicitia mutuum postulat amorem ac benevolentiam; non vero necessario infertur Deum esse proprie inimicum eorumdem; tum quia contrarium ostendimus; tum quia inimicitia non debet præcise ex natura sua esse reciproca, quare etiam præcipimur inimicos diligere, et Christus Dominus dilexit eos. Si ergo ex eo, quod peccatores sint inimici, Deus etiam vocetur inimicus eorum, impropria locutio dicenda est, donec adversarii solidiore aliqua ratione suam sententiam ostendant. Nec vero loca objecta sacrarum Litterarum rem evincunt, quia nihil vetat, quominus de odio abominationis intelligantur. Plura qui velit, adeat laudatos auctores.

§ II.—TRISTITIA VEL DOLOR UTRUM PROPRIE DEO CONVENIRE POSSIT.

177. Negativa sententia communis est ac certa. 1.° quia dolor vel tristitia, quæ gaudio opponitur, est de malo præsenti. Atqui malum Deo accidere non potest. Ergo... 2.° Tristitia vel dolor versatur circa malum afflictivum subjecti: unde etiam stare non potest cum beatitudine, ideoque Beati in cœlo de nulla re contristari possunt. Atqui afflictio nulla cadere valet in Deum summe beatum. Ergo impossibile est, ut Deus tristitia afficiatur de ullo malo etiam alieno. Hoc argumentum, ut vides, excludit possibilitatem tristitiæ in Deo etiam propter mala, quæ hominibus accidere possint. Et hæ rationes sufficiunt ad rem sat perspicuam demonstrandam. Aliæ videri queunt apud P. Ruiz de Montoya et alios veteres, quæ non æque efficaces vel evidentes quibusdam videntur.

Communis sententia negat Deo tristitiam.

(1) *Psalm.* 8, vers. 3.
(2) *Psalm.* 20, vers. 9.
(3) *Psalm.* 67, vers. 2.
(4) *Hebr.* cap. 10, vers. 13. Cfr. *Psalm.* 109, vers. 2.

UNIVERSIDAD ANTONIO DE NEBRIJA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quin valeant quidpiam adferre quædam rationculæ.

Dices 1.° Peccatum est gravissima injuria Deo illata. Item a multis negatur ei cultus et honor debitus. Atqui hæc aliaque id genus sunt validissima causa tristitiam generans. Ergo.....

Respondeo, *conc.* Major., et *neg.*, vel *distinguo* Minor. Hæc aliaque id genus sunt validissima causa tristitiam generans in creatis, *conc.*; in Deo, *neg.*; et *neg.* conseq. Quia nec peccatum nec injuria quævis Deo illata, nec negatus cultus et honor est reapse malum intrinsecum Deo. Quia, sicut Deus non indiget extrinseco hujusmodi honore ac cultu, nec ullum exinde bonum reportat, sic nullum ei malum infertur honoris detractione atque injuria. Adde, quod etiamsi peccatum foret malum Dei, non est, cur exinde tristaretur, quia nullum peccatum committitur, nisi permittente Deo, qui nullum permittit, nisi propter majorem honorem et gloriam suam.

Dices 2.° Sicut Deus gaudet de bonis amicorum suorum, ita etiam poterit tristari de malis eorumdem; nam etiam nos afficiunt amicorum nostrorum ærumnæ.—**Respondeo**, in primis repugnare summæ Dei felicitati, ut ulla eum tangat afflictio tristitiæ dolorisve. Deinde vel mala, quæ hominibus accidunt, sunt mala pœnæ vel culpæ. Mala pœnæ non sunt in amicis Dei sine ipsius voluntate, ac proinde non possunt eum contristare, siquidem tristitia est de his quæ, nobis nolentibus, accidunt. Cum potissimum mala ejusmodi non sint simpliciter mala, sed possint plus boni afferre, quam mali. Si vero malum sit culpæ, jam dissolvit amicitiam, ac desinit esse malum amici, nec potest amplius eo titulo contristare Deum (1).

Quæ cum ita sint, quæcumque loca Bibliorum Patrumve tristitiam doloremve Deo attribuunt, metaphorice interpretanda sunt, velut illa: *Tactus dolore cordis intrinsecus* (2). Item: *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei* (3).

Pœnitentia non convenit proprie Deo.

178. Hinc etiam sequitur neque pœnitentiam posse cadere in Deum, tum quia tristitiam et afflictionem continet;

(1) Vide Suarez (loc. cit., cap. 7, num. 6), Ruiz de Montoya (loc. cit. disp. 54, sect. 4, num. 8 seqq.), Ortega (op. et loc. cit. controvers. 4, disp. 5, quæst. 3, certam. 1, num. 2 seqq.).

(2) *Genes.* cap. 6, vers. 6.

(3) *Ephes.* cap. 4, vers. 30.

tum quia cum sit essentialiter retractatio quædam prioris consilii aut propositi, pugnat cum divina immutabilitate (1). Atque idem esto judicium de invidia, quæ prorsus Deo repugnat, *non solum quia invidia species tristitiæ est, sed etiam quia tristatur de bono alterius, et sic accipit bonum alterius tanquam sibi malum*, quod certe contingere nequit sine mentis errore, quemadmodum explicat S. Thomas (2).

Nec invidia.

§ III.—FUGA UTRUM DEO CONVENIAT.

Fuga utrum Deo conveniat, disputatur.

179. Bifariam accipi potest fuga, primo generatim, quatenus imbibita reperitur in odio cæterisque affectibus, quibus voluntas refugit malum ut malum. Deinde sumitur fuga speciatim, quatenus opponitur desiderio boni (3), estque abominatio mali absentis prout talis, vel nolitio ut sit malum, quod nondum est, neque imminet, sed tantum est possibile. In quo discriminatur a timore, qui refugit malum imminens. Sententiæ porro scriptorum dividuntur circa propositam controversiam: qui negabant superius Deo desiderium etiam respectu creaturarum, hic quoque consequenter contendunt Deo proprie convenire non posse fugam, quæ desiderio opponitur. Qui vero non putant dedecere Deum desiderium proprie dictum relate ad bona creaturarum, quam nos quoque tuiti sumus doctrinam, nihil vetare arbitrantur, quominus fuga malorum, quæ creaturis accidere possunt, Deo asseratur instar desiderii, ut mala destruantur, vel certe non fiant (4).

§ IV.—TIMOR UTRUM PROPRIE DE DEO PRÆDICARI VALEAT.

Timor Deo repugnat.

180. Communis sententia negat, sicut nuper vidimus de tristitia et dolore, Estque res ipsis sacris Litteris definita (5).

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 89, *Item, pœnitentia.*

(2) Ibid., *Præterea absque errore...*

(3) Vide S. Thom. 1, 2.æ, quæst. 21, art. 4.

(4) Vide pro priori sententia Ruiz de Montoya (loc. cit. disp. 54, sect. 4); et pro secunda Vazquez (In 1.am part., disp. 84, cap. 1), Ortega (loc. cit. disp. 5, quæst. 3, certam. 1), Suarez (loc. cit. cap. 7, num. 6), etc.

(5) Vide, *Sapient.* cap. 12, vers. 11, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Est porro timor affectus aversans malum impendens, arduum ac difficile vinci. Nam sicut *absens et expectatum bonum desiderium parit, præsens vero voluptatem*, inquit S. Joann. Damascenus, *simili quoque pacto imminens et expectatum malum timorem, præsens autem tristitiam* (1). Quod magis explicans sic docet S. Thomas: *Timor habet speciale objectum, sicut et spes: sicut enim objectum spei est bonum futurum, arduum, possibile adipisci, ita objectum timoris est malum futurum, difficile, cui resisti non potest. Unde timor est specialis passio animæ* (2).

Et hinc sumitur ratio communis assertionis. Nam timor est de malo imminenti arduo, cui difficulter resisti potest. Atqui nihil est arduum Deo, sed facilitate summa potest vitare quodlibet malum suorum amicorum et quamlibet sui honoris injuriam; malum autem intrinsecum et personale ipsius nullum excogitari potest. Ergo impossibile est Deum timere. Præterea timeri non potest quidpiam propriæ voluntati subjectum: quis enim terreatur de malo pendente ex suo arbitrio? Atqui nullum est malum non plene subjectum divinæ voluntati. Ergo... Adde, quod timor semper afferat affectionem animæ, sicut diximus de tristitia, ideoque pugnat cum divina felicitate.

§ V. Quid dicendum de desperatione.

itemque desperatio.

181. De desperatione nihil est dicendum, cum luce meridiana clarius pateat repugnare illam Deo: tum quia contraria circa idem versantur, spes autem, contraria desperationi, cadere in Deum non valet; tum quia nihil potest divinæ voluntati obstare, ut quidquid boni velit, obtineat vel mali amoveat; si autem nolit impedire, ut malum fiat, vel facere, ut comparetur bonum, sed præsciens effectum futurum, permittit illum, non est desperatio dicenda, sed simplex nolitio efficaciter impediendi malum, vel procurandi bonum (3).

(1) *De fide orthodoxa*, lib. 2, cap. 12, fin.
(2) S. Thom. 1. 2.æ, quæst. 41, art. 2 corp.
(3) Vide Suarez, loc. cit. cap. 7, num. 8; et alios scriptores passim.

§ VI. Ira utrum Deo proprie, an solum metaphorice conveniat.

Sententia affirmans P. Francisci Suarez,

182. P. Franciscus Suarez, existimans controversiam hanc esse de nomine propter diversam acceptionem vocis, concludit posse Deo proprie attribui; quandoquidem motus hic, præcisis imperfectionibus, cum quibus in creata voluntate invenitur conjuncta, importat solum animi affectum, vindictam de malis illatis sumere volentem (1). Eademque sententia tribuitur a multis Alexandro Halensi (2). Præcipuum hujus doctrinæ fundamentum est opinio Lactantii, qui in suo libro de *Ira Dei*, præsertim a cap. 17, rejectis aliorum Philosophorum definitionibus, iram describit, *motum animi ad obercendum peccata insurgentis*: in qua profecto notione, si nihil aliud addendum sit, non videtur ulla essentialiter contineri imperfectio. Cui doctrinæ favent illa S. Augustini verba: *Ira Dei nihil aliud est, quam justa vindicta* (3). Notio ista iræ confirmatur auctoritate ipsius Aquinatis, ex quo *ira non dicitur de Deo secundum passionem animi, sed* secundum judicium justitiæ, prout vult vindictam de peccato (4), quam doctrinam repetit etiam alibi (5). Sententia hæc Doctoris Eximii probabilior videtur P. Thomæ Carleton Compton (6) et R. P. Marco Struggl (7). Longe tamen frequentior est opposita sententia, tenens iram non posse Deo proprie attribui, sed tantum metaphorice: quam post plurimos Patres Ecclesiæ propugnant communiter Thomistæ et plerique nostratum cum Gabriele Vazquez (8), Didaco Ruiz de

ejusque fundamenta.

Communis doctrina negans Deo proprie iram.

(1) Vide Suarez, *De Deo et attribut. divin.*, lib. 3, cap. 7, num. 8; et in disputat. de *Justitia divina*, sect. 5, num. 2.
(2) 2.ª part., quæst. 156, membr. 2, art. med.; et membr. 4 prope fin., ubi obiter concedit absolute iram Deo.
(3) S. August., *De Trinit.* lib. 13, cap. 16.
(4) S. Thom. 1. 2.æ, quæst. 47, art. 1 ad 1.um
(5) Ibid. in corp.; et quæst. 46, art. 6, 7.
(6) Disp. 28, sect. 2, num. 6.
(7) Loc. cit. tom. 1, tract. 1, disp. 5, quæst. 1, num. 9.
(8) In 1.am part., disp. 84, cap. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Montoya (1), Jacobo Granado (2), Petro Arrubal (3), Tanner (4), Arriaga (5), Valentino Herice (6), Christophoro de Ortega (7), etc.

Tertia sententia.

Est quoque tertia opinio media distinguens diversos sensus, quibus accipi potest ira, et concedens illam Deo proprie, si sumatur pro appetitu justo vindictæ, negans autem, si sumatur pro appetitu vindictæ, qui admixtam habeat perturbationem ac dolorem animi (8).

Antequam mentem meam aperiam, notandum in primis censeo postremam hanc sententiam negari vix posse ab aliquo. Cum enim appetitus justæ vindictæ nihil imperfectionis contineat, indigna autem Deo summopere sit omnis perturbatio ac dolor; plane sequitur, iram prædicari de Deo proprie non posse in postrema acceptione, posse autem in priori. Verum inter duas præcipuas sententias quænam præferenda sit, si nosse cupias, hæc videtur longe probabilius tenenda.

183. PROPOSITIO. **Cum ira in suo conceptu adjunctam essentialiter habere videatur imperfectionem, non potest proprie Deo convenire, sed tantum metaphorice.**

Cum ira in suo conceptu adjunctam essentialiter habere videatur imperfectionem.

Prima pars: *Ira, in suo conceptu adjunctam essentialiter habere videtur imperfectionem*, non aliunde probanda est, quam ex judicio sapientium, ex quorum auctoritate dirimere oportet vocum acceptiones. Et in primis Aristoteles non uno in loco dolorem admisceri definit in ira: *Ira est*, inquit, *appetitio* **doloris vicissim adversario referendi** (9). Et alibi: *Sit ergo*

(1) *De volunt. Dei*, disp. 54, sect. 5.
(2) In 1.am part., tom. 2, tract. 6, disp. 4, num. 7.
(3) In 1.am part., quæst. 20, num. 9, 10.
(4) Prim. part., disp. 2, quæst. 2, dub. 2, num. 8.
(5) Tom. 1, disp. 25, sect. 4, num. 43.
(6) In 1.am part., disp. 20, cap. 4.
(7) *De Deo uno*, tom. 2, controv. 4, disp. 5, quæst. 3, certam. 2, num. 2 seqq.
(8) Ita v. g. Scotistæ, R. P. Franciscus Henno, tom. 1, *De Deo Uno*, disp. 6, quæst. 8, *conclus.* 6.ª; et R. P. Joannes Gabriel Boyvin, vol. 1.º *De Deo Uno*, disp. ultim., post quæst. ult. in *Appendice*.
(9) *Arist.*, *De anim.* lib. 1, cap. 1, text. 16.

ira apparentis ultionis appetitus **cum dolore** *propter apparentem immeritio vel in se vel in suos contemptum* (1). Et alibi hoc statuit inter iram et odium discrimen, quoniam *alterum cum dolore est, alterum absque dolore*. **Dolet enim, qui irascitur; qui odit, non dolet.** *Nam ille* dolere invicem *ipsum vult, cui irascitur, hic vero non esse, quem odit* (2). Eadem est sententia S. Thomæ, secundum quem ira etiam *ex parte ejus, quod formale est*, nempe *appetitus vindictæ*, designat imperfectionem, siquidem *tristitiam supponit* (3). Similia docet alibi, explicans rationem iræ: *Ira*, inquit, *potest dici passio generalis, in quantum ex concursu multarum passionum causatur, non enim* insurgit motus iræ, nisi propter aliquam tristitiam illatam, *et nisi adsit desiderium et spes ulciscendi* (4). Alibi docet idem Aquinas, quod *ira respicit duo objecta, scilicet vindictam, quam appetit, et eum, de quo vindictam quærit, et* **circa utrumque quamdam arduitatem requirit:** unde infert iram non ad partem concupiscibilem, sed ad irascibilem pertinere (5). Adde illa: *Ira.... est appetitus mali alicujus ad vindictam...; Ira igitur a* **Deo longe est secundum rationem suæ speciei, non solum quia effectus tristitiæ est, sed quia est appetitus vindictæ propter tristitiam ex injuria illata conceptam** (6). Similia frequentissime vel subaudierunt in suis scriptis Scholastici, aut etiam diserte tradiderunt cum Magistro Sententiarum (7) et S. Bonaventura (8), Capreolo (9), Ferrariensi (10), Cajetano (11) et aliis nuper laudatis.

Denique non alia potuit esse mens Patrum eorum, qui scriptis tradiderunt, iram Deo improprie ac per metaphoram

(1) *Rhetoric.* lib. 2, cap. 2.
(2) Ibid. cap. 4, prope fin. Cfr. *Ethicor.* lib. 7, cap. 6, in medio.
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 20, art. 1, ad 2.um
(4) 1, 2.æ, quæst. 46, art. 1, corp. et ad 2.um; et art. 3, ad 3.um
(5) 1, 2.æ, quæst. 46, art. 3.
(6) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 89 fin.
(7) 2.º dist. 45, paragr. *Ideo autem*....
(8) In 1.º dist. 45, dub. litterali 10.
(9) 1.º dist. 45, art. 1, concl. 7 et 15.
(10) In libr. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 89 et 90.
(11) In 1.am part., quæst. 20, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

attribui. In quorum numero censendi sunt S. Gregorius Nazianzenus (1), S. Basilius (2) et S. Gregorius Nyssenus (3), S. Joannes Crysostomus (4), S. Cyrilus Alexandrinus (5), S. Ephiphanius (6), S. Joannes Damascenus (7), S. Ambrosius (8), S. Hilarius, (9), S. Hieronymus (10), S. Augustinus (11), S. Isidorus (12), aliique a P. Didaco Ruiz de Montoya laudati.

non potest de Deo proprie praedicari.

Secunda pars: *Ira non potest Deo proprie convenire*, non est nisi præcedentis corollarium. Hæc enim est regula certa et communiter admissa pro divinis prædicationibus, ut ea proprie Deo asserenda sint prædicata, quæ in suo formali conceptu nullam essentialiter includunt imperfectionem; ea vero solum impropie ac per metaphoram, quæ perfectionem involvunt admixtam imperfectioni. Atqui ira est hujus alterius generis prædicatum secundum probabiliorum doctorum virorum opinionem. Ergo quamvis ira, si solum importaret appetitum justæ vindictæ, posset Deo proprie asseri, non potest reapse convenire nisi impropie; quia non solum significat ejusmodi affectum, sed qui simul et tristitiam doloremve de æccepta injuria supponat, et arduitatem quamdam in ultione sumenda adsignificet, prout ex Angelico Doctore modo retulimus.

Contrariæ rationes solvuntur.

Nec vero urgent rationes Doctoris Eximii initio propositæ. Lactantius enim in primis non potest prævalere tot Patrum et gravissimorum scriptorum auctoritati. S. Augustinus

(1) *In carmine jambico* 21, post medium.
(2) *In Psalm.* 37, sub init.; et in cap. 3 *Isaiæ* prope fin.
(3) Tract. 2 *in Psalm.* cap. 15, vers. fin.; et tract. 1, cap. 7, post med.
(4) In serm. *de Pœnitent. et Confes.*, vers. fin.
(5) *Contr. Julian.*, lib. 5, ante med.
(6) Hæres. 138.
(7) *De orthod. fide*, lib. 1, cap. 14 ad fin.
(8) In *psalm.* 37, vers. 1.
(9) In *psalm.* 2, vers. 5.
(10) In *psalm.* 29, vers. 6; et in *Isaiæ* cap. 65, vers. 5, et in *Malach.*, cap. 1, vers. 3.
(11) Epist. 157 (ad Optatum), circa. med.; de *Trinit.*, lib. 13, cap. 16; et in *psalm.* 105, vers. 40.
(12) Lib. 1 *Sententiar., de Summ. Bono*, cap. 5 init.

etiam non favet contrariæ opinioni, tum quia S. Doctor non putat Deo proprie convenire iram; tum quia vera significatio objectæ ex ipso sententiæ potest hæc esse, nempe id, quod ira dicitur, in Deo non posse esse aliud, quam justam vindictam, quod ut vides nostram confirmat sententiam, nedum faveat contrariæ. Nec ratio a P. Suarez adjuncta valet amplius, quia etiam si præscindatur ira a cæteris imperfectionibus, cum quibus ira conjuncta reperitur in creata voluntate, non poterit spoliari a nativa sua imperfectione, quæ jam remanet notata.

Dices cum P. Suarez. Quod ira causetur ex dolore, extrinsecum quiddam est; sicut est extrinsecum affectui misericordiæ, quod causetur ex compasione. Respondeo, *nego* assertum, quia jam vidimus ex communiori sententia, iræ nomine non significari merum appetitum vindictæ, sed appetitum, qui supponat tristitiam vel dolorem de illata injuria, quod proinde non est extrinsecum, sed essentiale iræ. Deo itaque appetitus justæ vindictæ tribui proprie potest, non vero iræ. Compassio vero ex communi sententia existimatur extrinseca misericordiæ, ideoque hæc proprie Deo convenit, ut mox dicemus.

§ VII.—QUID DICENDUM DE AUDACIA.

184. Audacia demum consentientibus omnibus, neganda Deo est; tum quia supponit in objecto arduitatem, Deo autem nihil arduum existere potest; tum quia etiam videtur ignorantiam importare, vel saltem incertitudinem quamdam eventus, quæ pariter in Deum cadere nequit.

ARTICULUS III

Actus divinae voluntatis respectu finis.

Status quæstionis.

185. Finis et media, per que ille obtinetur, mutuam quamdam continent relationem; et variorum possunt esse terminus actuum, prout suo loco demonstratum reliquimus. Nempe ad finem terminatur *volitio, intentio, fruitio* (1); ad

(1) Vide *Psycholog.* vol. 3.um num. 66, 69, pag. 138 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

media vero *electio et usus* (1). Ex his vero actibus volitio quidem ad amorem, fruitio autem ad gaudium revocatur, ut ex dictis in eodem *Psychologiæ* loco innotescit. Quare hic consideranda brevissime sunt, intentio duntaxat, electio et usus.

Formale, electio et usus proprie Deo conveniunt.

De quibus primo dicendum occurrit, hos actus in Deo proprie reperiri, quia nullam in suo formali conceptu imperfectionem continent. Quia intendere finem, si bonus est, semper est bonum in se, ac Deus, quidquid intendit in rebus creatis, ad supremum finem suæ gloriæ ordinat. Similiter bonum est eligere media consentanea, et illa applicare: in quibus elucet sapientia, bonitas et sapientia Dei. Aliunde vero diversitas istorum actuum necessaria est, ut Deus dici valeat unum velle propter aliud, et operari propter finem: quod superius admisimus (2). Deinde actus prædicti non sunt physice ac realiter distincti, ut per se patet ex divina simplicitate; sed tamen ratione distinguuntur, quia præ se ferunt expressiones mentales distinctas.

Electio tamen in Deo non requirit prævium consilium et judicium.

Quod vero electionem attinet, necesse non est notare, in Deo reapse non dari proprie actus illos consilii et judicii, qui antecedere dicuntur electionem (3), quia includunt discursum et inquisitionem. Quidquid autem perfectionis in illis reperitur, cumulatissime continet purissimus divinæ mentis intuitus, omnia prout in se sunt, uno simplicissimo actu comprehendentis.

Dices, ex hac actuum distinctione sequi posse dari causam aliquam vel rationem divinæ voluntatis, quod absolute negat S. Augustinus (4). Et probatur sequela, quia intentio finis dicitur causa electionis mediorum, quemadmodum declaratum reliquimus in *Psychologia* (5). Unde etiam verum foret, Deum ideo velle media, quia vult finem, quod videtur contra perspicuam mentem S. Thomæ, sic scribentis: *Sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effectus,*

(1) Ibid., num. 69, 72, pag. 168 seqq.
(2) Vide supra, num. 150, pag. 491. Et lege Suarez, *De Deo et divin. attrib.* lib. 3, cap. 7, num. 11.
(3) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 69, 71, pag. 169 seqq.
(4) *De Genesi, contr. Manich.* lib. 1, cap. 2.
(5) Vide vol. 3.um, num. 69, pag. 171.

sed ipse intelligit effectus in causa; *ita* **velle finem** (intentio) **non est ei causa volendi ea, quæ sunt ad finem** (media), *sed tamen vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc* (1).

Respondeo, in hoc dubio quamvis possint esse diversi modi loquendi, non posse tamen ullam esse litem de re ipsa. Namque certo certius est, sicut intentio vel volitio finis in Deo non est alius re ipsa actus ab electione atque usu mediorum, ita nec posse hos actus ullam inter se causalitatem exercere, sicut in creata voluntate intentio finis est causa eligendi media. Quamvis autem non possit unus actus vere concipi, ut manans vel productus ab alio, negari tamen non potest inter objecta ipsorum actuum dari realem ordinem finis et mediorum, nam quæ a Deo sunt, ordinata sunt (2). Et ideo proprie dicitur velle Deus unum propter aliud, quandoquidem locutio hæc solum significat ordinem ipsorum objectorum inter se. Et ita etiam in sacris Litteris, edocemur, omnia **propter semet ipsum** *operatus est Dominus* (3); *et elegit nos in ipso....*, **ut essemus sancti** (4). Quamobrem cum fundamento in re distinguimus in Deo ratione actus circa illa objecta, quæ inter se ut finis et media comparantur, et unum *intentionem*, alium *electionem* nominamus. Unde ulterius sequitur, quod sicut unum attributum potest esse *ratio* alterius (non causa), adeo ut vere dicamus Deum esse immutabilem, **quia** est simplex, ita etiam unus actus voluntatis divinæ possit esse ratio alterius. Atque ita constat illas etiam propositiones, de quibus dubitat Cajetanus (5): *Deus vult hoc, quia vult illud, vel: Hoc est a Deo volitum, quia illud fuit volitum*, si solum dicant rationem, veras esse, licet sint falsæ quoad realem causalitatem, in quo sensu nec possunt, nec videntur reapse ab ullo proferri (6).

Quid sibi velint signa in divinis scitibus.

Propter hanc distinctionem et ordinem inter actus divinæ voluntatis solent Theologi inducere diversitatem *signorum*,

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 5 corp.
(2) Cfr. *Roman.* cap. 13, vers. 1.
(3) *Proverb.* cap. 16, vers 4.
(4) *Ephes.* cap. 1, vers. 4.
(5) In 1.ª part., quæst. 19, art. 5.
(6) Suarez, *De Deo et divin. attribut.* lib. 3, cap. 7, num. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quæ in aliis quoque doctrinæ capitibus locum habent, ut v. g. in divinis processionibus: *signa* vero hæc, nihil aliud exprimunt nisi ordinem actuum ac prædicatorum divinorum, quæ licet re non distinguuntur, nec tempore, sed omnia sunt simul et unum, ita tamen se habent inter se, ut unum sit ratio alterius, ut v. gr. intentio finis est ratio electionis, ideoque intentioni et electioni respondent signa diversa, quæ ordinem servant prioris et posterioris. Quam ad rem conferri queunt ea, quæ alibi docuimus de signis prioris et posterioris prioritate ac posteriotate naturæ, qualis intercedit causam inter et effectum (1); quamquam ubi sermo est de divinis, nulla, si proprie loqui velimus, datur prioritas vel posterioritas *naturæ*, utpote quæ importat non merum ordinem rationum ac prædicatorum, sed realem dependentiam finius ab alio, qualis nec esse nec concipi potest in divinis. Itaque quamvis in actibus divini intellectus et voluntatis secundum se nullus sit reapse ordo prioris et posterioris, est tamen *virtute*, ut ita dicam, quatenus adest fundamentum, ut nos unum esse alio priorem concipiamus. Quia licet Deus unico et simplicissimo actu omnia intelligat et velit, tamen inter scientiam et voluntatem, et inter res ipsas cognitas vel amatas est quædam connexio et ordo, ad quem explicandum nos concipimus unum in divina mente vel voluntate ut prius aut posterius alio; et hoc pacto distinguuntur in his actibus signa priora et posteriora non secundum rem, sed secundam rationem. Et hoc sensu explicatus ordo hic a nullo Theologo negatur, sed passim adhibetur ab illis, ac nominatim a S. Thoma (2). Videri potest Eximius Doctor (3).

(1) Vide *Ontolog.* num. 176, pag. 513,
(2) 1 p., quæst. 14 et 19; ac 3 p., quæst. 1, art. 3, ad 4.um
(3) *De Incarnat.*, disp. 5, sect. 1; et in lib. 1, *de prædest.*

ARTICULUS IV

De virtutibus divinæ voluntatis generatim, ac de fortitudine, temperantia earumque partibus.

Status quæstionis.

186. Quemadmodum superius asseruimus divinæ menti virtutes intellectuales secundum rationem perfectionis, quam in suo conceptu important (1); ita nunc oportet, ut inquiramus, an et quænam virtutes morales ad voluntatem spectantes Deo tribui queant. Primum autem animo recolendum est, quod ex alibi dictis per se patet, virtutes nullas Deo inesse posse similes nostris, quæ nimirum sint habitus et accidentia realia; sed tantum inquiritur, an non conveniant Deo virtutes secundum id, quod formalissimum est in illis, quatenus vox hæc importat aliquid, quod concipi ratione nostra possit ut principium et inclinatio perennis ad honeste operandum, fere sicut supra ostendimus dari in Deo intellectum et voluntatem instar actus primi et potentiæ logicæ duntaxat vel metaphysicæ (2). Sicut enim velle divinum includit in simplici actu omnem perfectionem volendi, ita voluntas divina complectitur quidquid puræ perfectionis convenire potest appetitivæ potentiæ.

Regula tenenda in asserendis vel negandis Deo virtutibus.

Ut porro noveris, quænam quove pacto Deo tribuendæ sint virtutes, quænam vero non, hæc in primis regula tenenda est, virtutes, quæ circa passiones versantur, ac proinde supponunt organicum concursum, quæque qualibet alia ratione imperfectionem in suo conceptu includunt, non proprie, sed metaphorice solum prædicari posse de Deo. Deinde virtutes, quæ versantur circa actiones in suo formali conceptu involventes respectum inferioris ad superiorem, non posse etiam Deo proprie attribui, neque in eo esse formaliter, sed tantum eminenter: tales sunt v. g. obedientia, religio, observantia, adoratio, etc. Ratio vero perspicua est, quia Deus nullum

(1) Vide supra num. 4, pag. 17.
(2) Vide supra num. 10, pag. 35; num. 122, pag. 446.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

agnoscit superiorem, cum sit ens summum (1). Unde quando hujusmodi virtutes in sacris Litteris de Christo Domino prædicantur, intelligi solent a Patribus et Theologis de illo, quatenus est homo.

De quibusnam virtutibus hic agendum.

Cæterum hic solum tractandæ veniunt virtutes, quæ *morales* audiunt, nam intellectuales (2) ad intellectum spectant, non vero ad voluntatem: ex Theologicis (3) fides et spes repugnant Deo, ut per se innotescit, de charitate autem nonnihil superius diximus, agentes de amore Dei, ubi ostendimus amorem Dei erga creaturas rationales esse benevolentiæ atque amicitiæ, quæ rationem habet charitatis, spectatis donis supernaturalibus a Deo in amicos suos collatis (4).

Porro virtutes morales omnes ad tres præcipuas revocantur, quæ sunt, *justitia*, *fortitudo*, *temperantia*, nam e quatuor vulgatis virtutibus cardinalibus, prudentia in intellectualium numero collocatur, quam jam suo loco diximus perfectissime convenire divino intellectui (5).

Nec temperantia nec fortitudo proprie sunt in Deo.

Jam voluntati divinæ nec temperantia nec fortitudo proprie dicta tribui potest, quemadmodum docet diserte S. Thomas (6). Nam utraque virtus tamquam circa proprium objectum versatur circa moderandas passiones appetitus sensitivi; temperantia enim in delectationibus partis concupiscibilis, fortitudo vero medium ponit inter timorem et audaciam irascibilis; at in Deo nec passiones sunt nec appetitus sensitivus. Atque hæc est communissima Scholasticorum doctrina.

§ I.—DE TEMPERANTIA EJUSQUE PARTIBUS.

Immo vero temperantia nec improprie.

187. Immo vero temperantia et ejus partes, ut abstinentia, sobrietas, castitas, pudicitia, continentia, modestia,

(1) Vide si lubet, fuse de his disputantem Ruiz de Montoya, loc. cit. disp. 55, sect. 4. Sed res vacat difficultate.
(2) Vide S. Thom. 1.ª 2.æ quæst. 57.
(3) Vide S. Thom. 1.ª 2.æ, quæst. 62.
(4) Vide supra, num. 170, pag. 536 seqq.
(5) Vide supra, num. 4, pag. 18.
(6) 1 p., quæst. 21, art. 1, ad 1.um; et *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 92, vers. fin.

humilitas, etc. (1), ne per metaphoram quidem atque improprie conveniunt Deo, si S. Thomam (2) ejusque interpretes, Capreolum (3) et Ferrariensem (4) audiamus. Et ratio est, quia temperantia ejusque partes versantur circa passiones inclinantes ad corporale bonum delectabile circa sensum, quales sunt cibus, potus et voluptas venerea, quæ sunt Deo indignissimæ. Quare sordes et vilitas hujuscemodi propensionum in causa sunt, ut in Sacris Litteris neque metaphorice fiat mentio virtutum, quibus Deus in se ipso temperet, ne vel metaphorice Deo convenire videantur (5). Solum excipitur ab hac assertione

Clementia et mansuetudo

Mansuetudo et clementia quæ inter partes temperantiæ potentiales constitui solent (6); munus enim prioris est temperare iram, quam supra vidimus metaphorice tribui Deo propter effectus puniendi. Unde Daniel rogabat: *Fac nobiscum* **juxta mansuetudinem tuam** *et secundum multitudinem misericordiæ tuæ* (7). Clementiæ vero est officium temperare potestatem ulciscendi, pœnasque moderari, quod pertinet ad moderationem justitiæ punitivæ. Et sic in sacris Litteris non semel dicitur Deus clemens et misericors (8). Propterea enim, docente Angelico, iste duæ virtutes adjunguntur temperantiæ tamquam virtuti principali, quia actus earum in quadam refrænatione situs est; *clementia enim est diminitiva pœnarum, mansuetudo vero est mitigativa iræ*. At peculiaris actus et officium temperantiæ est refrænare concupiscentias vehementissimas delectationum tactus (9), nempe ciborum, potus et venereorum, quæ sensum tactus afficiunt (10); et sic clementia et mansuetudo imitantur temperantiam in eo quod est principale in ea, nempe in refrænatione,

(1) Vide S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 141, 143.
(2) *Contr. Gent.* loc. nup. cit.
(3) 1.ª dist. 45, quæst. unic. art. 1, conclus. 13.
(4) In lib. 1.um *Contr. Gent.* cap. 92.
(5) P. Didacus Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 53, sect. 1, num. 5.
(6) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 143, art. 1; et quæst. 157, art. 3.
(7) *Dan.* cap. 3, vers. 42.
(8) Vide *Exod.* cap. 34, vers. 6; 2.ª *Paralip.* cap. 30, vers. 9; *Jonæ* cap. 4, vers. 2.
(9) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 157, art. 3. Cfr. Ibid. art. 1, et 2.
(10) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 141, art. 4 et 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quamvis circa aliam materiam, videlicet, sensibilium delectationum. Hoc vero interest inter mansuetudinem et clementiam, quod illa ut opposita iræ, metaphorice, hæc vero etiam proprie Deo tribui possit; quia clementiæ conceptus secundum communem usum scriptorum potest abstrahi ac præscindi ab omni passione, quandoquidem pœnæ infligi valent etiam absque passione, ac proinde moderatio in hoc non necessario supponit passionem (1).

§ II.—DE FORTITUDINE ILLIUSQUE PARTIBUS.

Fortitudo metaphorice cur tribuatur Deo.

188. Jam fortitudo et ejus partes metaphorice Deo tribuuntur, tum quia perfectionem ac dignitatem præ se ferunt; tum quia effectus etiam harum virtutum similitudine quadam imitantur perfectionem divinarum operum, quæ magis omnipotentiam demostrant (2). Quamobrem sapiens *corde dicitur Deus, et* fortis *robore* (3), et: *Non est* fortis *sicut Deus noster* (4), qui est *Deus judex* justus, fortis *et* patiens (5). Inter partes vero fortitudinis (6) Deo dignas recensentur magnanimitas, patientia, longanimitas, perseverantia et magnificentia.

Convenit etiam Deo magnanimitas.

189. Magnanimitas (7), quæ pars est potentialis fortitudinis, ab ejus perfectione deficiens (8), tendit ad ea, quæ sunt magno digna honore, et modum ac medium ponit circa magnos honores, ut constat ex Aristotele (9) ac S. Thoma (10). Quamvis non inveniatur virtus hæc Deo tributa in sacris Bibliis, potest tamen tribui, quia perfectionem aliquam importat. «Sed quoniam hæc virtus essentialiter respicit difficultatem constituendi medium, quam afferunt

(1) Cfr. Ruiz de Montoya, op. cit., disp. 55, sect. 1, num. 7.
(2) De fortitudine S. Thomas 2.ª, 2.æ, quæst. 123.
(3) *Job* cap. 9, vers. 4.
(4) 1.ª *Reg.* cap. 2, vers. 2.
(5) *Psalm.* 7, vers. 12.
(6) Vide S. Thom. 2.ª, 2.æ, quæst. 128.
(7) S. Thom. 2.ª, 2.æ, quæst. 129.
(8) S. Thom. ib. quæst. 129, art. 5.
(9) *Ethicor.* lib. 2, cap. 7.
(10) S. Thom. ib. quæst. 129.

inordinatus affectus honoris, quæ est præsumptio, vel e contrario pusillanimitas; ideo non videtur Deo simpliciter et proprie concedenda: nam si velis hanc imperfectionem præscindere, considerando solummodo propensionem faciendi res magno honore dignas, coincidet cum manificentia, de qua paulo inferius dicam» (1). sed per metaphoram,

190. Patientiam Dei e converso non semel commendant sacri Libri, ut cum in psalmis prædicatur Deus *patiens et multæ misericordiæ* (2), vel *patiens et multum misericors* (3). Planum tamen est, patientiam non posse proprie Deo convenire, quia, ut docet S. Thomas (4) cum S. Augustino (5), proprium patientiæ munus est mala tolerare, ac bonum rationis conservare contra impetus tristitiæ, quorum utrumque Deo repugnat. Metaphorice vero dicitur Deus patiens, quia injurias non statim ulciscitur, et ad pœnitentiam expectat, immo et prævenienti auxilio provocat. sicut etiam patientia,

191. *Longanimitas*, ex doctrina S. Thomæ, *majorem convenientiam videtur habere cum magnanimitate, quam cum patientia; quia sicut magnanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid, quod in longinquum distat; et ideo sicut magnanimitas magis respicit spem tendentem in bonum, quam audaciam vel timorem sive tristitiam, quæ respiciunt malum, ita etiam longanimitas.* Nihilominus potest etiam convenire longanimitas cum patientia, sicut demonstrat ibidem ipse S. Doctor (6). Verum quidquid de hoc sit, ratum certumque videtur longanimitatem Deo asserendam esse per eamdem metaphoram, quam modo explicuimus circa patientiam, a qua in eo differt hæc virtus, quod extendit animum ad aliquid longe distans et post diuturnum tempus observandum (7). Unde etiam in divinis eloquiis Dei prædicatur longanimitas: *An divitias sapientiæ et longanimitatis* et longanimitas,

(1) Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 1, num. 9.
(2) *Psalm.* 85, vers. 15.
(3) *Psalm.* 144, vers. 8. Cfr. *Exod.* cap. 34, vers. 6; *Judith* cap. 8, vers. 14.
(4) 2.ª, 2.æ quæst. 136, art. 1.
(5) *De patient.* cap. 2.
(6) Vide S. Thom. 2.ª, 2.æ quæst. 136, art. 5.
(7) Vide S. Thom. ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus contemnisti (1). Itemque: *Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini* (2).

perseverantia et constantia.

192. *Perseverantia et constantia* simili metaphora tribui possunt Deo, quamquam nulla earum occurrat in Scriptura mentio respectu Dei: constantia enim super patientiam addit arduitatem malorum, perseverantia vero diuturnitatem, ut videre est apud S. Thomam (3).

magnificentia vero proprie ac sine metaphora.

193. *Magnificentia*, quamvis sit et ipsa pars fortitudinis secundaria et minus principalis seu potentialis (4), propterea quod superat difficultatem, non quidem ex periculo quod personæ imminеat, sed ex magnis dispendiis rerum temporalium provenientem; potest nihilominus proprie ac sine ulla metaphora prædicari de Deo, quia videtur posse in Deo ab hisce imperfectionibus abstrahi ingenita illa propensio ad res magnas et mirabiles efficiendas, quæ est valde propria secundum illam regii Psaltis sententiam: *Quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus faciens mirabilia* (5); et illa: *Fecit mihi magna qui potens est* (6). Quamobrem etiam a S. Thoma virtus hæc Deo asseritur ceu propria ipsi competens, sicut veritas, prudentia et ars (7). Quamvis enim «comparatione divinæ magnitudinis et omnipotentiæ sit parvum et prope nihil opus quodcumque, quod facit: absolute tamen consideratum est magnum et mirabile, quidquid in rebus quantumcumque minimis et vilissimis operatur propter eximiam artem et potentiam, quam requirunt, et propter proportionem ad totum universum» (8). Quod satis fuit, ut exclamaret Propheta: *Quam magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti* (9). Et alibi: *Elevata est magnificentia tua super cælos* (10).

(1) *Roman.* cap. 2, vers. 4.
(2) 2 *Petr.* cap. 3, vers. 15. Cfr. *Psalm.* 102, vers. 8.
(3) 2.ª 2.æ quæst. 136, art. 5, et quæst. 137, art. 3. Vide Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 11.
(4) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 21, art. 1, ad 1.um; 2.ª 2.æ quæst. 134, art. 4.
(5) *Psalm.* 76, vers. 14, 15.
(6) *Luc.* cap. 1, vers. 49.
(7) Vide S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 91, init.
(8) P. Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 13.
(9) *Psalm.* 103, vers. 24.
(10) *Psalm.* 8, vers. 2.

Et Moyses in suo Cantico prædicavit Deum *magnificum in sanctitate* (1).

Nec dicas, magnificentiam importare arduitatem operis faciendi respectu operantis, quia magnificentia demonstratur, cum res est magna et difficilis operanti, et præcise ad hujusmodi difficultatem superandam datur illa virtus.—Nam si quis nequeat concipere magnificentiam sine hujusmodi respectu, planum est non posse illam proprie de Deo prædicari, quia involvit indignam Deo imperfectionem arduitatis. Verum hæc imperfectio, sita in eo quod opus faciendum sit magnum et arduum respectu facientis, videtur esse accidentaria talisque, ut abstrahi valeat a generalissimo conceptu magnificentiæ. Nam etiam *facit magna, qui potens est*, ideoque potest esse magnificus, qui vere magna et stupenda facit, quamvis respectu ipsius operantis, ratione suæ infinitæ potentiæ, non sint illa reapse magna (2). Quæ cum ita sint, ex omnibus virtutibus fortitudinis ac temperantiæ annexis sola clementia et magnificentia proprie Deo tribuuntur; reliquæ aut nullatenus aut solum metaphorice de illo prædicari valent.

ARTICULUS V

De justitiæ Dei partibus potentialibus.

Ratio tractationis.

194. Antequam justitiam Dei tractandam suscipiamus, quædam aliæ virtutes breviter expediendæ sunt, quæ justitiæ ceu partes potentiales minusve principales adjunguntur, et plures a S. Thoma (3) numerantur: *religio, pietas, observantia, veritas, gratia* vel *gratitudo, vindicatio, amicitia, liberalitas, benignitas*. Ratio autem, cur hæ virtutes ad justitiam revocentur, est, quia ut virtutes aliquæ ad aliam principaliorem ceu partes potentiales reducantur, necesse est, ut cum illa in aliquo conveniant, et simul a perfecta ratione illius deficiant. At prædictæ virtutes conveniunt cum justitia in

(1) *Exod.* cap. 15, vers. 11.
(2) Vide Suarez, Disput. *de justitia Dei*, sect. 1, num. 31 (inter opuscula theologica).
(3) 2.ª 2.æ, quæst. 80, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eo, quod sunt ad alterum, deficiunt vero, sive quia non reddunt æquale, sive quia non important verum debitum, quemadmodum fuse explicatum reperies ibidem apud S. Thomam. Porro ex prædictis octo virtutibus justitiæ annexis religio, pietas et observantia hic omittendæ nobis sunt, quia cum respectum inferioris ad superiorem involvant, repugnant prorsus Deo. De virtute vindicante mala inferius agetur, ubi de justitia vindicativa; amicitiam demum Deo convenire erga rationales creaturas superius declaravimus. Quare reliquum est, ut agamus de liberalitate, gratia, benignitate, veritate, ad quam revocari potest fidelitas in promissis. Nonnihil dicendum quoque est de juramento, qui actus religionis est; quamquam enim virtus religionis Deo non conveniat, ratio aliqua est dubitandi, utrum Deus possit, necne, jurare. Fidelitas vero coget nos, seorsim tractare rationem et obligationem divinæ promissionis.

§ I.—QUÆNAM ET QUO PACTO VIRTUTES JUSTITIÆ ANNEXÆ CONVENIANT DEO.

Liberalitatis natura enucleata.

195. Prima sit *liberalitas*, quæ haud exiguam servat cum magnificentia cognationem (1). Liberalitas, quæ et *largitas* dicitur, versatur circa pecuniam tamquam circa propriam materiam vel objectum (2). Et exinde discriminatur a magnificentia, docente S. Thoma, nam cum ad magna opera magnæ requirantur expensæ, a quibus voluntas nimio pecuniæ amore potest deterreri; *materia magnificentiæ possunt dici et ipsi sumptus, quibus utitur magnificus ad opus magnum faciendum, et ipsa pecunia, qua utitur ad sumptus magnos faciendos, et amor pecuniæ, quem moderatur magnificus, ne sumptus magni impediantur* (3). Hinc quoniam *virtutes illæ, quæ sunt circa res exteriores, habent aliquam difficultatem ex ipso genere rei, circa quam est virtus, et aliam difficultatem ex magnitudine ipsius rei; oportet circa pecuniam et usum ejus esse duas virtutes*, scilicet liberalitatem, *quæ respicit communiter*

(1) De qua virtute lege S. Thomam 2.ª 2.æ quæst. 117 per totam.
(2) S. Thom. ib., art. 2, 3, 4.
(3) S. Thom. ibid., art. 3.

usum pecuniæ, et magnificentiam, *quæ respicit magnum in pecuniæ usu* (1). Et ideo *usus pecuniæ aliter pertinet ad liberalem, et aliter ad magnificum. Ad liberalem enim pertinet, secundum quod procedit ex ordinato affectu circa pecunias: et ideo omnis usus debitus pecuniæ, cujus impedimentum tollit moderatio amoris pecuniæ, pertinet ad liberalitatem, scilicet dona et sumptus. Sed usus pecuniæ pertinet ad magnificum in ordine ad aliquod magnum opus, quod faciendum est, et talis usus non potest esse sine sumptu sive expensa* (2).

Cæterum quidquid sit, utrum hoc discrimen sufficere possit in humana liberalitate, ut vere essentialis et specifica virtutum istarum distinctio asseratur; in Deo arbitratur Eximius Doctor eas non distingui. «Nam sive Deus det, sive faciat magna aut parva, formaliter secundum convenientiam ad bonitatem suam operatur. Et ita semper respicit in ipsa datione eamdem rationem convenientiæ et honestatis, quam secundum se habet» (3). Verum necesse non est controversiam hanc dirimere.

Rationibus eam Deo propria tribuendam esse.

Illud certo certius est, liberalitatem proprie Deo convenire, quemadmodum docet S. Thomas (4). Et ratio est, quia dare non propter aliquod dantis commodum, expectatum ex donatione, sed propter ipsam bonitatem et convenientiam donationis, est actus liberalitatis (5). Sed Deus hoc modo dat omnia bona. Ergo Deus exercet actum liberalitatis, ac proinde liberalis est. Minor, nam cætera patent, probatur, quia Deus in omnibus bonis ita suam bonitatem communicat, ut non intendat inde commodum aliquod utilitatemve elicere, sed tantum facere, quod est conveniens ac decens facere tantæ bonitatis; immo vero solus Deus summa proprietate liberalis dici meretur, ut Avicenna scripsit (6). Nam quælibet persona creata liberaliter tribuendo intendit bonum

(1) S. Thom. ibid., ad 1.um
(2) S. Thom. ibid., ad 2.um
(3) Suarez, citat. disputat. *de justitia Dei*.
(4) 1 p., quæst. 21, art. 1, ad 1.um; et art. 3, prop. fin.; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 93 sub init.
(5) Cfr. Arist. *Ethicor.* lib. 4, cap. 2.
(6) *Metaphys.* lib. 9, cap. 7, apud S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 93.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliquod suum, saltem honestari, perfici ac decorari virtutis opere. Solus autem Deus est, cui nihil honestatis, perfectionis aliusve bonitatis accrescit per honestas operationes.

Confirmatur, quia liberalitas Dei potissimum ac propriissime consistit in largitione primæ gratiæ reliquorumque donorum supernaturalium, quæ nullam supponunt dispositionem, impetrationem aut meritum etiam de congruo vel remotissimum. Naturalia quippe debentur quodammodo, supposito beneficio creationis, ut mox dicetur; supernaturalia vero alia multa donantur propter meritum de condigno vel de congruo, supposita prima gratia. Denique in ipsis meritorum remunerationibus Deus liberalitatem exercet, majora tribuens bona, quam pro meritis, et parva etiam rependens præmiis (1).

Porro in sacris Litteris, quamvis nomen liberalitatis non inveniatur, res tamen ipsa perspicue de Deo prædicatur, *qui dicitur dare omnibus affluenter, et non improperat* (2). Et alibi scriptum est: *Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione* (3). Et: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* (4).

An Deo peculiaris ratio liberalitatis conveniat.

196. Disputatur autem inter P. Franciscum Suarez (5) et P. Gabrielem Vazquez (6), utrum liberalitas Deo conveniat non solum quatenus proprium opponitur metaphorico, sed etiam quatenus proprium distinguitur contra commune. Vazquez enim concedit liberalitatem Deo proprie, id est sine metaphora, convenire, negat vero convenire proprie, et quatenus proprium opponitur communi. At Doctor Eximius e converso contendit specialem et peculiarem liberalitatis rationem Deo convenire. Discordiam dirimere conatur P. Didacus Ruiz de Montoya sequendo Suarezii doctrinam, ita tamen ut velit liberalitatem Dei non esse ejusdem omnino quidditatis moralis, cujus est liberalitas hominum (7).

(1) Cfr. S. Joann. Chrysost., homil. 37 in Genes. post. med.
(2) *Jacob.* cap. 1, vers. 5.
(3) *Psalm.* 144, vers. 16.
(4) *Psalm.* 103, vers. 28.
(5) Disput. *de justit.*, sect. 1, num. 26.
(6) In 1.am part. disp. 85, cap. 7, num. 1 et 2.
(7) Ruiz de Montoya, *de voluntate Dei*, disp. 55, sect. 2, num. 7.

Liberalitas Dei particularis est.

Hinc liberalitas in Deo non requirit, ut exuat se ille dominio eorum, quæ largiter donat, tum quia neque id in sententia plurium requiritur ad essentiam liberalitatis, sed est imperfectio existens in humana liberalitate ob limitationem ac defectum hominis (1); tum quia liberalitas divina altior est et analogice duntaxat convenit cum humana, ideoque excludere debet omnis generis imperfectionem, atque adeo abdicationem dominii universalis ac supremi, quo Deus nequit se ob infinitam suam perfectionem expoliare. *Dominii*, inquam, *supremi et universalis*, nam Deus tradit etiam creaturæ rationali aliquod dominium particulare tum propriæ voluntatis tum cæterarum rerum, quæ libertati creatæ subjiciuntur. Quod vel exinde patet, quod per votum quodlibet, maxime vero per vota religiosa, transfertur in Deum dominium particulare personæ religiosæ vel aliarum rerum, quæ Deo offeruntur, quod dominium ante votum et oblationes erat penes hominem (2).

Latiusque patens, quam humana.

Deinde etiamsi liberalitas humana restringeretur ad solam materiam pecuniæ, non ideo neganda esset ea virtus Deo, non solum quia Deus etiam dat pecunias, sed etiam quia dat omnia bona omni pretio æstimabilia, qualia sunt etiam bona et perfectiones irrationabilibus creaturis collata, quæ secundum S. Thomam ad liberalitatem Dei pertinent (3). Accedit quod donatio quorumlibet donorum, gratuito facta et absque ullius intuitu retributionis, peculiarem habet honestatem et convenientiam cum divina ratione ac bonitate tamquam cum omnium fonte bonorum. Atqui peculiaris hæc honestas ad nullam aliam virtutem præter liberalitatem revocatur. Ergo liberalitas divina universalioris extensionis est, quam humana (4), eaque, quidquid dicas de humana, ad omne bonorum genus patere dicenda est, sive corporeorum sive spiritualium, sive naturalium sive supernaturalium. Sane «sicut Deus est universalissimus Dominus, ita virtutes illius universaliores sunt, quibus plura dona largitur. Unde sicut humana

(1) Suarez, *de justit.* sect. 1, num. 26.
(2) Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 2, num. 15.
(3) S. Thom. 1.ª part., quæst. 21, art. 3, fin.
(4) S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 93, fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

misericordia non potest alium hominem liberare a miseria nihili vel mortis vel peccati; sed Dei misericordia per creationem ex nihilo et per resurrectionem liberat ex morte, et per redemptionem et justificationem a peccato; sic etiam Dei liberalitas largitur non temporalia tantum et pecunia æstimabilia, sed etiam spiritualia, nulla pecunia comparabilia, quod tamen humana liberalitas præstare non potest. Nec quia sit altior et universalior, amittit veram et specialem honestatem liberalitatis; sicut Dei generatio non amittit veram et specialem quidditatem generationis, eo quod sit altior et quasi universalior, communicans non modo naturam specificam, sed etiam individuam et singularem essentiam cum omnibus potentiis et operationibus, et ejusdem durationis et magnitudinis. In his itaque perfectionibus divinis non est quærenda convenientia omnimoda cum perfectionibus creatis, sed tantum analogica, superior et altior» (1).

Difficultates solvuntur.

Ex quibus facile solvuntur difficultates adversus liberalitatem Dei, ex eo petitæ, quod liberalitas secundum propriam rationem versetur circa pecuniarum largitionem; et quod dans liberaliter exuat se dominio rei datæ.

Si arguas præterea ex S. Thomæ doctrina in hæc verba scribentis: *Datio divina provenit ex eo, quod amat homines quibus dat, non autem ex eo quod afficiatur ad ea, quæ dat; et ideo magis videtur pertinere ad charitatem, quam ad liberalitatem* (2); facilis est responsio, nam primo dici potest cum Cajetano, S. Doctorem non negare, quod datio pertineat ad liberalitatem, sed tantum dicit, quod *magis pertineat* ad charitatem, ex quo nullatenus evincitur, quod non pertineat ad utramque. Præterea S. Thomas in prædicto loco non consideravit donationem Dei, quatenus per se convenit bonitati Dei, sed quatenus terminatur ad homines, quibus Deus dat aliquid ex affectu ad illos: sub quo respectu dicit magis pertinere ad charitatem. Neque enim repugnat, quod eadem actio sub diversis respectibus ad diversas virtutes pertineat, et quod sub uno habeat rationem principalioris virtutis, quam sub

(1) Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 11. Cfr. Suarez, ibid., num. 29.

(2) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 17, art. 6, ad 1.um

alla (1). Resque confirmatur ex recepto Theologorum axiomate: *Qui furatur, et mœchatur, magis est mœchus, quam fur*, quin tamen desinat esse fur, et moralem speciem furti admittere.

Dices denique, Aristotelem diis videri omnes virtutes eripere, ac nominatim liberalitem et justitiam (2). Respondetur, veram Philosophi mentem colligendam esse ex toto discursu capitis illius, cujus scopus est probare perfectam felicitatem sitam non esse in vita activa, quæ per supradictas virtutes constituitur felix, sed per contemplativam. Quod probat, quia *deos maxime beatos putamus atque felices*. Sed non constituuntur beati per virtutes vitæ activæ, siquidem inter se ipsos et in sua republica non possunt exercere *liberalitatis* vel *justitiæ* vel *fortitudinis*, et multo minus *temperantiæ*, actus; neque enim poterit Deo Deus pecuniam largiri aut aliud pecunia astimabile, quandoquidem nullius eget divinitas. Nihilominus non negat Aristoteles, deos studiosis hominibus beneficia conferre, si curam habeant rerum humanarum, ut existimatur. Tantum hanc actionem et curam rerum humanarum et beneficiorum largitionem non numerat in felicitate deorum, utpote quæ debet esse independens ab hominibus et non libera, sed necessaria. Aristoteles ergo non negavit diis honestatem conferendi hominibus liberaliter beneficia, sed tantum mutuam inter ipsos deos liberalitatem ac justitiam.

Prædictus locus Aristotelis solet a Scholasticis in hunc modum citari: *Ridiculum est secundum virtutes politicas Deum laudare, aut virtutes politicas in Deo ponere*. Quod explicant de virtutibus circa civiles actiones, quales sunt humanæ venditiones et emptiones, non vero circa operationes Deo proprias (3). Quæ expositio non repugnat præcedenti, quamvis minus fideliter mentem interpretetur Stagiritæ (4). Egregie

(1) Suarez, *de justit.* sect. 1, num. 10. Cfr. Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 2, num. 16.

(2) Vide Arist., *Ethicor.* lib. 10, cap. 8 circa med.

(3) Vide S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 117, art. 1, ad 1.um fin; Durand. 4.º dist. 46, quæst. 1, ad 2.um

(4) Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 2, num. 17 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

de hac liberalitatis virtute Doctor Eximius (1) et Ruiz de Montoya (2).

An Deo gratitudo conveniat. Variæ sententiæ.

197. *Gratia* vel *gratitudo* est *virtus, per quam redditur debitum benefactoribus* (3). Utrum autem ea Deo tribuenda sit, non convenit apud Theologos. Affirmat Vazquez (4), quem sequitur Lorca (5), qui, cum Deum ex justitia proprie dicta, etiam distributiva, negavissent posse Deum bene operantibus præmium reddere, docuerunt id illum præstare ex gratitudinis virtute. Contrariam sententiam tuentur Suarez (6), Theophilus Raynaudus (7), Ægidius Koninck (8), Joannes Salas (9), et alii. Controversia vero potius videtur de nomine; nam P. Vazquez, tandem concedit in fine tractationis Deum non posse accipere ab ullo alio beneficium veri nominis, nec proinde gratiam pro illo habere, nec grates rependere, quod est præcipuum intentum communioris sententiæ. Quare ut caveantur lites de voce,

Dici potest cum Suarezio gratitudinem proprie dictam repugnare Deo. Quod si quis contendat cum Vazquez *non repugnare illam in alieno sensu acceptam, nempe ad significandum, quod possit Deus gratificari, vel facere aliquid gratum hominibus, qui Deo grata faciunt, non videtur esse inquietandus*, nisi fiat quæstio de voce. Quæ est sententia P. Didaci Ruiz (10) et Christophori de Ortega (11), ad vocale dissidium componendum inventa.

Gratitudo proprie dicta repugnat Deo.

Prima pars probatur 1.º quia, ex significatione latinæ vocis *gratus* et communi Thologorum sensu, gratitudo

(1) Disp. *de justit.* sect. 1, a num. 26.

(2) Loc. cit., sect. 2. Vide etiam Tanner, disp. 2, quæst. 10, dub. 2; Carleton Compton, *De Deo*, disp. 31, sect. 1, num. 12 seqq.

(3) S. Thom. 1.ª 2.æ quæst. 60, art. 3; 2.ª 2.æ quæst. 106, art. 1 et seqq., ubi virtus hæc explicatur.

(4) In 1.am 2.æ, disp. 215, cap. 1, num. 2; et disp. 221, cap. 8 fin.

(5) *De gratia*, disp. 44. *His præmissis*

(6) *Refectio de libert. Dei*, disp. 2, sect. 2, num. 3; et fusius in tom. 1 *de gratia*, lib. 2, cap. 30, a num. 8.

(7) *Theolog. natur.* distinct. 8, quæst. 2, art. 5, num. 94.

(8) *De actibus supern.*, disp. 8, dub. 1, num. 8.

(9) In 1.am 2.æ, tom. 1, tract. 7, disp. 7, num. 5.

(10) Ruiz de Montoya, op. cit. disp. 55, sect. 4, num. 6 seqq.

(11) *De Deo*, tom. 2, controv. 5, disp. 1, quæst. 2, certam. 3.

supponit essentialiter beneficium, cui gratia referatur. Atqui repugnat infinitæ Majestati omnisque boni plenitudini accipere ullum beneficium. Ergo repugnat Deo gratitudo. Quamobrem verissime quærit S. Paulus: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* (1). Et alibi scribitur: *Quid prodes Deo, si justus fueris, aut quid conferes, si immaculata fuerit via tua?* (2). Nec opponatur in contrarium illa Apostoli sententia: *Si quis emundaverit se ab his, erit vas in honorem sanctificatum et utile Deo* (3); nam hæc utilitas intelligitur respectu non Dei ipsius in se, sed respectu effectuum creatorum, quos Deus per hominem sanctum intendit facere, et sic continuo subjunguntur hæc verba: *Et ad omne opus bonum paratum.*

Confirmatur 1.º quia beneficium qua tale essentialiter est proficuum et utile recipienti, ac proinde quatenus est utile, subvenit indigenti, quippe qui careret ea utilitate, nisi reciperet beneficium. Ergo Deus, qui nullius eget, sed habet in se omnia, incapax est beneficii. Confirmatur 2.º quia *manifestum est, quod benefactor, in quantum hujusmodi, est* causa beneficiati: unde etiam *benefactori, in quantum hujusmodi, debetur honor et reverentia, eo quod habet* rationem principii (4). Atqui repugnat primo principio primæque causæ, quoquomodo, quantumvis secundum quid, causari a suis creaturis, vel ad aliquam ex illis tamquam ad causam converti (5).

Probatur 2.º in quibuslibet operibus nostris, etiam supererogationis, inest ex parte nostra tanta debiti ratio, quæ sufficiat, ne propter illa redundet in Deum gratitudinis debitum, etiam præcisione facta ab utilitate eorumdem operum, quam modo considerabamus. Ergo gratitudo proprie dicta non potest Deo convenire.

Antecedens probatur primo, omnque debita culparum nostrarum, etiam venialium, nullis operibus supererogationis persolverentur, nisi Dei misericordia et gratia intercederet

(1) *Román.* cap. 11, vers. 35.

(2) *Job* cap. 22, vers. 3; cap. 35, vers. 7.

(3) *2 Timoth.* cap. 2, vers. 21.

(4) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 103, art. 3.

(5) Ruiz de Montoya, loc. cit disp. 55, sect. 4, num. 8. seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

admittens solutionem. Secundo, licet opera perfectionis et consiliorum non sint præcepta determinate et in particulari; sunt tamen præcepta vage et in universali, quatenus quamdiu vigilamus, non possumus non operari per intellectum et voluntatem. Præcipitur autem, ut omnes operationes sint honestæ, conformes rectæ rationi, et ad Dei gloriam destinatæ. Quapropter hoc potius, quam illud, bonum operari, manet solum modo liberum ab obligatione præcepti. Tertio, quælibet opera, ex suppositione quod fiant, debentur Deo, tamquam Creatori et universalissimo Domino, cujus sunt omnes partes et potentiæ et operationes hominum. Quibus omnibus ratio debiti non minus essentialis est, quam ratio creaturæ» (1).

Probatur 3.° Dominus servo tribuens majora beneficia non tenetur ad gratitudinem propter obsequia minora, etiamsi non fuerint imperata, potissimum si hæc obsequia magis procedant ex operatione ipsius heri. Et generatim nemo tribuens prius majus beneficium, et postea minus obsequium recipiens, tenetur ad gratitudinem (2). Atqui hoc pacto se habet Deus respectu hominum. Nam Deus omnia, quæcumque habent homines, contulit illis; deinde opera ipsa eorum principaliter sunt a Deo, nec in suam, sed in eorum utilitatem. Unde fit, ut opera bona hominum magis sint beneficia Dei in eos collata, quam obsequia illorum Deo præstita, quæ proinde tanto magis Deum constituunt immunem ab omni gratitudinis officio, quanto magis hominem obstringunt vera obligatione grati animi (3).

potest tamen eidem assari in alieno quodam sensu.

Altera pars ex eo probatur, quod Deus non potest non complacere in bonis operibus nostris, quamvis illa nec sint, nec dici possint beneficia, eoque magis, quo præstantiora illa sint, et minus imperata vel debita. Ergo poterit Deus ejusmodi opera rependere, utique absque ulla obligatione, gratificando novisque studiosos homines donis cumulando. Atqui voluntas divina hoc pacto remunerandi bona sibique gratissima opera hominum, speciem quamdam habet gratitudinis. Ergo

(1) Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 17.
(2) Cfr. S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 106, art. 6.
(3) Vide Ruiz de Montoya, loc. cit. num. 18, 19.

non videtur repugnare, ut ejusmodi voluntas, per quamdam analogiam et similitudinem, gratitudinis nomine designetur. Verum in quæstione de nomine non amplius inhærendum nobis est. Plura qui volet, adeat P. Didacum Ruiz de Montoya, apud quem videri quoque possunt solutæ nonnullæ difficultates.

Benignitas proprie de Deo prædicanda est.

198. *Benignitas* procul dubio proprie convenit Deo, prout constat tum ex pluribus sacrarum Litterarum testimoniis (1), tum ex ratione. Nam *benignus est vir sponte ad benefaciendum paratus et dulcis eloquio*, quemadmodum scribit S. Isidorus hispalensis (2). Andronicus autem *dicit, quod benignitas est habitus voluntarie benefactivus* (3): ac proinde peculiaris ejus tessera est beneficentia cum affabilitate ac suavitate conservationis. Atqui nec est in hujusmodi virtute admixta imperfectio, nec quidquam esse potest magis conveniens fonti omnis bonitatis, de quo scriptum est: *Non.... habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam et gaudium* (4).

sicut etiam veritas moralis vel veracitas

199. *Veritatem* moralem (5) seu veracitatem dudum recensuerat Tullius (6), inter partes justitiæ potentiales videlicet, quia non solum est virtus ad alterum, tamquam actus, quo quis alteri sua sensa manifestat, sed etiam æqualitatem quamdam in rebus constituit, prout explicant S. Thomas (7). Est enim proprium ejus manifestare conceptus adæquando externa signa conceptibus rebusque. *Deficit autem a propria ratione justitiæ*, quantum ad rationem debiti; *non enim hæc virtus attendit* **debitum legale**, *quod attendit justitia, sed potius* **debitum morale**, *in quantum scilicet ex honestate unus homo debet alteri veritatis manifestationem* (8). Quocirca veracitas

(1) Vide v. gr. *Roman.* cap. 2, vers. 4; *Luc.* cap. 6, vers. 35; *Sapient.*, cap. 1, vers. 6; *Psalm.* 68, vers. 17; *Joel* cap. 2, vers. 13, etc.
(2) *Etymolog.* lib. 10, cap. 2, parum a principio.
(3) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 80, art. unic. ad 4.um Cfr. ibidem fin. corp. et ad 2.um
(4) *Sapient.* cap. 8, art. 16.
(5) Vide *Logic. Major.*, num. 1, pag. 463.
(6) *De invention.* lib. 2.
(7) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 109, art. 3.
(8) S. Thom. loc. nup. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

annectitur justitiæ ceu pars secundaria vel potentialis principali.

Veritatem istam vel veracitatem Dei prædicant non semel sacri Libri, ut cum dicitur: *Est autem Deus verax* (1); itemque: *Et tu, Domine, miserator et misericors... et verax* (2). Eamdemque ratio demonstrat, tum quia Deum esse veracem seu fallere nesciun est perfectio simpliciter simplex; tum quia e converso mendacium est intrinsece malum et indecens naturam rationalem, quin possit vel ipse Deus in naturali præcepto non mentiendo dispensare; tum quia huic divinæ veracitati nititur firmitas et certitudo Fidei supernaturalis. Est ergo Deus in vero ac proprio sensu veracissimus; quandoquidem posito Deum velle mentem suam signo aliquo extrinsecus manifestare, repugnat ejus bonitati, ut adhibeat signa rebus non adæquata (3). Ad veritatem revocatur

et fidelitas. 200. *Fidelitas*, quæ est virtus inclinans ad implenda promissa. Quamquam enim fidelitatis nomen extendi queat ad omnem actionem, qua homo implet, quod tenetur ex vi promissionis, sive illa sit ad Deum per votum (4), sive promissio sit inter homines includens pactum, et consequenter obligationem ex justitia seu ex officio (5), quo sensu conjuges dicuntur servare sibi mutuam fidem, et in aliis pactis est frequens illa locutio, nomine fidelitatis exprimens debitum legale justitiæ; nihilominus dubium non est, quin ea vox sumatur etiam in sensu magis restricto ad significandam virtutem specialem a justitia distinctam, eidemque instar partis potentialis annexam, per quam dicta vel promissa executioni mandantur. Fidelitas hoc speciali sensu accepta seu *fides..., per quam fundi illata, includitur in* veritate (seu veracitate) *quantum ad observantiam promissorum* (6). Includitur autem non tamquam species in genere, sed tamquam unus

(1) *Joann.* cap. 3, vers. 33; *Roman.*, cap. 3, vers. 4.
(2) *Psalm.* 85, vers. 15; *Exod.*, cap. 34, vers. 6.
(3) Cfr. *Theodic.* vol. 1.º, num. 119, pag. 376, seqq., ubi quædam aliæ quæstiones cum hac connexæ inveniuntur.
(4) De quo *Ecclesiastes*, cap. 5, vers. 3.
(5) Cfr. *Matth.* cap. 24, vers. 45.
(6) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 80, art. unic. ad 3.um

actus sub habitu, qui alios diversos potest exercere, vel tamquam particulare munus sub adæquata virtute, quemadmodum loquitur Franciscus Suarez (1). Quare S. Thomas postea loquens de virtutibus justitiæ annexis, non meminit fidelitatem; quod diligenter notavit etiam card. Cajetanus (2). Ratio autem est, quia, ut loquitur idem Eximius Doctor, «ejusdem honestatis est veritatem servare in dictis eo tempore, quo dicuntur, et procurare, ut per futura facta verificentur, quando eorum veritas inde pendet. Sed fides moralis (fidelitas), de qua agimus, hanc honestatem respicit, et ad illam tantum homo se obligat ex vi promissionis puræ. Ergo talis virtus non est alia ab illa virtute morali, quæ veritas dicitur» (3).

Cæterum fidelis est Deus absque ullo dubio (4); nam primo sicut potest loqui, et revelare aliquid de sua sapientia, ita etiam potest promittere, decet autem infinitam majestatem auctoritatemque Dei, ut, quæ pollicetur, impleat. Præterea fidelitas sequitur ex veracitate atque immutabilitate Dei: nam si verax est, non potest quidpiam permittere absque voluntate ac proposito promissa exsequendi; et si est immutabilis, non potest non perstare constans in sua voluntate, ac subinde fidelis in promissione. Ergo fidelitas est virtus Deo conveniens. Convenit autem proprie ac sine metaphora, quia est perfectio ex conceptu suo nulli admixta imperfectioni (5).

§ II. AN ET QUO PACTO JURAMENTUM TRIBUI DEO POSSIT.

Quid juramentum. 201. Juramentum est actus, quo quis Deum invocat testem veritatis assertionis vel promissionis suæ, habetque proinde haud exiguam connexionem cum veracitate ac fidelitate divina. Sicut enim solent homines, asserta sua solemni confirmare juramento, jure merito quis dubitaverit,

(1) *Relect. de libert. divin.*, disp. 2, sect. 2, num. 26.
(2) In 2.am 2.æ quæst. 113.
(3) Suarez, ibid.
(4) Vide *Deuter.* cap. 32, vers. 4; *Psalm.* 144, vers. 13; *Corinth.* cap. 1, vers. 9; cap. 10, vers. 13; *Thessalon.* cap. 5, vers. 24, etc.
(5) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 16, num. 65.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

utrum etiam Deus idem præstare valeat; cum præsertim sæpe jurasse dicatur in Sacris Litteris (1). Quare negari nequit posse Deum aliquo modo jurare. Non tamen proprie, sed per metaphoram. Quia juramentum, utpote quod ad veritatis confirmationem ordinatur, proprie fit invocando testem, qui verius certiusque rem cognoverit. Et ita homines jurant per Deum, qui nec potest quidpiam ignorare, nec falsum confirmare, facto ipso profitentes divinum testimonium esse supremam rationem, ultra quam non possit ascendi. Cum ergo Deus nullum supra se habeat, non potest assertionem promissionemve suam alterius auctoritate confirmare, ideoque nec proprie jurare. Propterea etiam dicitur per semetipsum jurare.

quod Deus testium per metaphoram esse potest.

Jurare autem dicitur per metaphoram, quia se accommodat ad humanam consuetudinem et incredulitatem, ut ostendat absolutam esse omnino suam de aliqua re voluntatem et consilium. Ut enim præclare observat S. Thomas (2), in prædictionibus, promissionibus comminationibusque divinis est varietas; quædam non sunt prorsus absolutæ, sed pendentes ab hominum moribus atque actionibus, et non sortiuntur effectum, mutatis moribus hominum: et Deus ipse, utique metaphorice, pœnitere dicitur, quasi mutaret consilium, quamvis reapse interius non mutet (3). Aliæ vero sunt promissiones et comminationes omnino absolutæ, quas Deus certo præscit nullo rerum eventu nullaque morum commutatione mutandas esse vel effectu carituras. Idque Deus ostendit, cum jurat, auditores jurejurando certos reddens fore, ut nunquam eum pœniteat, aut vel secundum externam speciem consilium suum mutet, quemadmodum cecinit Regius Psaltes; *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum* (4).

(1) Vide *Genes.* cap. 22, vers. 16; *Exod.* cap. 13, vers. 5; *Reg.* cap. 1, vers. 14; *Psalm.* 88, vers. 36; *Psalm.* 94, vers. 11; *Psalm.* 109, vers. 4; *Jerem.* cap. 44, vers. 26; *Luc.* cap. 1, vers. 73; *Hebr.* cap. 6, vers. 13, etc., etc.

(2) In epist. *ad Hebræos*, cap. 6, lec. 4 post med.

(3) Vide v. gr. *Isaiæ* cap. 31, vers. 1; *Jonæ* cap. 3, vers. 4; *Hierem.* cap. 18, vers. 7 et 8.

(4) *Psalm.* 109, vers. 4. Vide Ruiz de Montoya, loc. cit. disp. 55, sect. 5, ubi Patrum quorumdam sententias in hujusmodi doctrinæ confirmationem exscribit.

§ III.—UTRUM EX PROMISSIONE DIVINA VERUM ALIQUOD ENASCATUR DEBITUM FIDELITATIS

202. Principio statuendum est dari posse, ac porro dari, promissiones divinas. Primum ostenditur, quia si Deus donare potest, cur non etiam promittere? Nam uterque est actus liberalitatis et dominii, et promissio ad donationem ordinatur, eique præmittitur, cum donatio futuro tempore facienda est; expedit enim sæpe promissionem præmittere propter justas causas, quas non repugnat intercedere inter Deum et homines, ut v. g. fides erga Deum exerceatur, et spes erigatur, habeatque firmum fundamentum, ac tandem amor et charitas excitetur. Aliunde vero in promissione nihil intervenit Deo indignum vel imperfectionem includens; quandoquidem «promissio et patris ad filium et Domini ad servum, et principis ad subditum esse potest: ergo et supremi Domini ad creaturam suam. Etenim cum promissio sit actus dominii, non repugnat supremo Domino, sed potius erit in illo perfectior. Neque enim talis promissio diminuet dominium ejus: nam sicut Deus donando non amittit suum dominium, sed auget potius extensive, (si ita loqui licet), ita etiam promittendo. Item nec dominium externarum rerum perdit, ut per se notum est; nec suam internam libertatem minuit, sed supponit illam in sua libera determinatione esse immutabilem, quod perfectionis est» (1).

Dari potest promissio Dei.

Potest ergo Deus promittere.

Quod de facto quædam Deus promisit, ratio sola probare non potest cum ex libera voluntate divina pendeat. Revelatio vero plures nos docet promissiones divinitus factas (2), easdemque nomine *pollicitationis* (3), *pacti* (4), *foederis* (5) et

ac porro dari de facto:

divinæ promissiones.

(1) Suarez, *Relect. de libert. divin.* disp. 2, num. 7.

(2) Vide *Genes.* cap. 17, vers. 19; cap. 18, vers. 10; cap. 21, vers. 1; cap. 22, vers. 16, 17; *Numer.* cap. 10, vers. 29; *Psalm.* 131, vers. 11; *Act.* cap. 1, vers. 4; *Roman.* cap. 1, vers. 2; 1. *Thimoth.* cap. 4, vers. 8; *Hebr.* cap. 6, vers. 13, etc., etc.

(3) *Deuter.* cap. 1, vers. 35; 1 *Joann.* cap. 2, vers. 25 etc.

(4) *Genes.* cap. 9, vers. 9-11, seqq. *Isaiæ* cap. 54, vers. 9; cap. 17, vers. 9. 14; *Jonæ* cap. 7, vers. 11; *Psalm.* 77, vers. 37, etc., etc.

(5) *Genes.* cap. 9, vers. 12, 15, seqq.; *Levit.* cap. 26, vers. 42, 45; *Jerem.* cap. 34, vers. 13, etc., etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vocatur etiam nomine pollicitationis, pacti, fœderis, testamenti, et quid inter hæc differat.

testamenti (1). Quæ voces quamvis unum reipsa significent, divinam promissionem, non tamen eodem modo et sub eadem formalitate; nam pactum mutuam inter paciscentes obligationem exprimit, promissio autem vel pollicitatio non denotat mutuam obligationem, sed tantum ex parte promittentis. Fœdus in hoc convenit cum pacto, quod mutuam indigitat obligationem; differt vero tum a pacto, tum a simplici promissione, quia fœdus proprie pacem significat, quæ firmatur inter dimicantes. Quapropter in Veteri Lege tam fœderis nomen, quam ejus cærimoniæ, præfigurabant pacem et amicitiam Dei sociali pacto jungendam cum hominibus antea inimicis (2). Testamentum denique exprimit peculiarem rationem promissionis, cujus impletio prævium requirit mortem testatoris. Datur ergo in Deo promissio, idque certum esse debet, ex diserta Tridentini doctrina dicentis, quod *bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna et tamquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer* promissa, *et tamquam merces ex ipsius Dei* promissione *bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda* (3).

Utrum promissio Deo proprie convenial.

Cæterum promissiones divinæ, sub promissionis, pollicitationis, pacti fœderisve nomine designatæ, proprie ac sine metaphora Deo conveniunt, cum purum et in re et in modo significandi perfectionem contineant; at si nomine testamenti exprimantur, solum metaphorice accipiendæ sunt respectu divinitatis, quandoquidem vox hæc promissionem denotat donationis, quæ mortem requirit testatoris (4). Solum proprie accipi potest de Christo Domino, prout est homo, qui *Novum Testamentum* pretioso sanguine suo confirmavit *æterna redemptione inventa*, ut *morte intercedente in redemptionem eorum prævaricationum, quæ erant sub priori Testamento*, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis (5).

(1) *Judith* cap. 9, vers. 18; *Psalm.* 105, vers. 45; *Psalm.* 110, vers. 5; *Eccli.* cap. 39, vers. 11; *Matth.* cap. 20, vers. 28; *Luc.* cap. 1, vers. 72, etc., etc.

(2) Vide *Genes.* cap. 9; *Exod.* cap. 23, 24.

(3) *Concil. Trident.* sess. 6, cap. 16.

(4) *Hebr.* cap. 9, vers. 16, 17.

(5) *Hebr.* cap. 9, vers. 15. Vide Ruiz de Montoya, loc. cit. disp. 56, sect. 1.

An promissio aliquid addat supra simplicem assertionem.

203. Jam ut divinæ promissionis natura melius declaretur, duo quærenda occurrunt: primum, an promissio aliquid contineat supra simplicem assertionem; alterum, an veri nominis obligationem inducat. Quod attinet primum, sententia, quæ Doctori Eximio probabilior videtur, tenet, «promissionem divinam nihil aliud esse, quam declarationem divinæ voluntatis et propositi de aliquo beneficio alicui præstando», vel aliis vocibus, «simplicem *Dei* assertionem in tali materia, scilicet de beneficio præstando» (1). Verum communis opinio censet, promissionem præter assertionem seu intimationem propositi ac divinæ voluntatis de re facienda ac de ejusdem futuritione, aliquid amplius continere, formaliter in eo situm, quod quis *fidem obligel* (hispanice *empeña la palabra*), prout in sequenti quæstione declarabitur. Et ratio est primo, quia promissio divina propria promissio est. Ergo non est, cur ejus significatio varietur in Deo. Atqui vera notio promissionis generatim sumptæ est distincta a simplici assertione, illique aliquid addit, non enim sunt hæ voces synonymæ. Quare præclare scripsit S. Fulgentius: *Sic autem Deus* non omnia promisit, quæ prædixit, quamvis prædixit omnia, quæ promisit, *sicut non omnia prædestinavit, quæ præscivit, quamvis omnia prædestinata præsciverit* (2), ac tandem concludit: *justificandis ergo atque glorificandis prædestinatum misericordiæ suæ opus* prædixit *pariter, et* promisit.

Nec dicas cum Suarezio, simplicem assertionem in Deo æquivalere assertioni juratæ, multoque magis promissioni; quandoquidem voluntas Dei semel habita et infallibili testimonio asserta, nec mutari, nec deficere potest. Nam in primis quamvis assertio divina de re aliqua præstanda in se ipsa æquivaleat promissioni, non sequitur eas non posse ratione distingui, conceptus enim nostri simplicis assertionis et promissionis profecto distinguuntur, nec quidpiam nos cogit, ut eos in Deo permisceamus. Deinde firmitas atque immutabilitas simplicis assertionis et promissionis ex diversa radice enascitur nostro modo concipiendi etiam in Deo,

(1) *Relect. de libert. divin.*, disp. 2, sect. 2, num. 13, 15.

(2) S. Fulgent. lib. 1 *ad Monim.* cap. 24 circa med.

nimirum prima ex infallibilitate divini intellectus et ex veracitate in dicendo atque ex voluntatis immutabilitate, altera vero ex fidelitate. Unde

Probatur secundo, quia, ut argumentatur P. Christophorus Ortega, «assertio divina præsentis voluntatis de aliquo præstando, etsi obliget, ut sic loquar, divinam veritatem, ut infallibilitatem in cognoscendo et veracitatem seu infallibilitatem in dicendo, vel potius ex eis oriatur attributis, quæ ad judicium et testimonium divinum supponuntur; ast nec Dei fidelitatem in promissis præstandis adstringunt, quæ, etsi per impossibile Dei voluntas de præstandis asserta non esset, vel semel habita deficeret....., nullatenus læderetur, sed solum veritas et veracitas Dei in cognoscendo et dicendo et divinæ voluntatis constantia et immutabilitas. Atqui ex divina promissione Dei fidelitas in promissis impiendis adstricta manet, ac deficiente adimpletione, læderetur formaliter, ac deficeret. Ergo, etc.» (1). Verum jam ad alteram quæstionem gradus faciendus est.

An promissio juri nostro debitum vel obligationem inducat.

204. Debitum a Deo ex promissione sua contrahi non putat Durandus, cum scripsit «promissionem divinam in Scripturis non sonare aliquam obligationem, sed insinuare meram dispositionem divinæ liberalitatis» (2). Quæ sententia tribuitur etiam quibusdam aliis priscis Scholasticis (3). At verum debitum in Deo ex promissione existens admitunt communissime alii scriptores cum Francisco Suarez (4) et Gabriele Vazquez (5). Quamquam inter assertores debite est quædam dissensio; nam P. Didacus Ruiz de Montoya voluit ex promissione quidem divina enasci debitum, quo tamen non teneatur, seu obligetur ipse Deus, sed tantum res promissæ. Duplex enim

(1) Ortega, tom. 2, controvers. 5, disp. 1, certam. 2, num. 54 ubi plura. Vide P. Didacum Ruiz de Montoya, ibid. disp. 56, sect. 7 fuse de his disserentem.

(2) Durand. 2.ª dist. 27, quæst. 2, num. 15.

(3) Vide Gregorium Arimenensem (1.ª dist. 17, quæst. 1, art. 2, post conclus. 2.am prob. 2.ª principali et ad 3.um), Marsil. (2.ª dist. 28, art. 4, ad 1.um et 5.um), Major. (2.ª dist. 27, quæst. 1, sub init.), Richard. (ibit. dist. 27, art. 2, quæst. 3.ª ad 3.am) apud. Ortega (loc. cit. controv. 5, disp. 1, quæst. 3, certam. 1, num. 2).

(4) *Relect. de libert. divin.* disp. 2, sect. 2.

(5) Im 1.am 2.æ disp. 215, cap. 2: et 1 p., disp. 83, cap. 6.

distingui potest obligatio moralis: altera personalis, qua ipsa promittentis aut paciscentis persona obligata manet promissario vel alteri paciscenti, qui proinde habeat jus in ipsam personam pollicentem aut paciscentem; altera est obligatio tantum realis, qua res solum promissa vel pacta, non autem persona promittens aut paciscens, promissionis pactive adimpletioni obligatur. Cujus rei luculentum existit exemplum in testamento, vi cujus hæreditas ipsa et etiam legata manent obligata, ipsa vero testatoris persona nullatenus est obligata sive ante mortem, quia nondum valet testamentum, sive post mortem quia jam non existit, nec est capax obligationis. Ita ergo existimat Ruiz de Montoya, «Deum hominibus non esse obligatum, attamen gratiam et gloriam esse obligata Dei promissione» (1). At vero cæteri scriptores videntur omnino admittere debitum personale, quod *correlativum* vocant, propterea quod inter utramque personam existit; simpliciter enim agnoverunt et divina promissione debitum enasci, nulla facta hujusmodi personalis ac realis debiti distinctione.

Asseritur debitum, ex promissione inducium.

Atque hæc postrema sententia videtur tenenda. Primo, quia fidelitas, ut jam probatum manet, aliquid addit supra simplicem assertionem; quid autem addit nisi debitum quoddam exsequendi rem promissam? Atqui Deus est subjectum fidelitatis. Ergo Deus ipse tenetur illo debito. Deinde plures Patres diserte Deum ipsum debitorem hominis ex promissione sua docent (2) apud P. Franciscum Suarez (3) et apud P. Didacum Ruiz de Montoya (4). Ergo nulla est ratio negandi Deum ipsum ex promissione debitorem reddi per virtutem fidelitatis.

(1) Vide Ruiz de Montoya, loc. cit., sect. 5, num. 1-5.

(2) Vide S. Joann. Crysost. (serm. 8.ª explicand. versum 4.um, cap. 4.ª ad *Roman.* et homil. 3.ª in *Matth.* post med.); S. August. (in *Psalm.* 83 sub. fin.; et serm. 18 *de verbis Apost.*; et serm. 151 *de tempore*), S. Fulgent. (in præfat. libri ad *Monim.* post med.), S. Greg. M. (Homil. 27 in *Evangel.* circa fin.), S. Cyprian. (in lib. de *opera et eleemos.* sub fin.), S. Anselm. (*Cur Deus homo*) lib. 2, cap. 5, sub med.).

(3) *Relect. de libert. divin.*, disp. 2, sect. 2, num. 8.

(4) Op. cit. disp. 56, sect. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Præterea res ipsæ a Deo promissæ, vel ipso fatente P. Ruiz de Montoya, proprie debentur creaturis promissariis. Ergo ab ipso Deo debentur, ac proinde ipse Deus ratione fidelitatis ex promissione sua remanet obligatus.

Antecedens constat tum ex auctoritate plurium Patrum (1), tum ex ipsa ratione, quia si nec Deus ipse debito tenetur, nec res promissæ debentur promissariis creaturis, quænam tandem est vis promissionis, vel in quo sita est ratio fidelitatis? **Consequens autem patet**, quia omnis promissio est de re non secundum se sumpta, sed præstanda vel donanda a promittente ei, cui promittitur, ac proinde ipsa præstatio vel donatio a promittente promittitur, et ab ipso promittente exsequenda erit, quod perinde est, ac ipsam deberi a promittente vi suæ promissionis. Accedit, quod promissa non debentur secundum se, neque ab alio indeterminate, sed præcise a promittente, ac proinde etiamsi v. g. centum scuta a Petro promissa, a quovis alio illius injussu dentur, promissio Petri nondum est impleta (2).

Nec vero exemplum a P. Didaco Ruiz adductum valet quidpiam. Nam voluntas ultima testantis, qua realis solum, et non personalis, obligatio ac debitum legatario vel hæredi inducitur, non est mera promissio, sed legatæ rei vel hæreditatis donatio conditionate tantum et suspense usque ad mortem testatoris existens, per quam mortem et ultima voluntas testatoris et absoluta hæreditatis reive legatæ donatio completur. Alia quoque a Ruizio adducta exempla ad Ortega explicata videri queunt (3); nobis enim non licet diutius in hisce inhærere.

et ab objectis studiosius.

205. **Oppones 1.°** plura Patrum testimonia docentium Deum non esse gloriæ (quæ promissa est bonis justorum operibus) et augmenti gratiæ debitorem, sed merita et

(1) Vide S. Anselm. (in verba vers. 5, cap. 4, epist. ad *Romanos*), S. Joann. Chrysost. (serm. 8, ubi explicantur eadem verba Apostoli), S. Ambros. (lib. 1, *Officior.* cap. 16, post init.), S. August. (in *Psalm.* 31, sub fine *de grat. et liber. arbitr.* cap. 4.um sub init., tract. 3.° in *Joann.* circa. med.), etc., apud Ruiz de Montoya, loc. cit. sect. 3.

(2) Plura dabit Ortega, loc. cit. certam. 5, num. 3.

(3) Ibid. num. 4 et 5.

gloriam ipsam illius dono deberi, quorum testimonia congesta videri queunt apud P. Ruiz de Montoya (1).—**Verum respondeo 1.°** retorquendo argumentum contra P. Ruiz, quia si et gratiæ augmentum et gloria sunt pura dona Dei; ergo nec ipsæ res promissæ vere *debentur*. **Respondeo 2.°** quamvis testimonia Patrum, Deum debitorem ex sua promissione asserentium, quæ supra dedimus nullam solutionem admittant, hæc autem alia, quæ videntur contrarium statuere, possunt recte intelligi antecedenter vel præcisione facta a prima gratia, sine qua ex naturæ solis viribus nihil mereri possumus, a proinde nihil erit in nobis, quod Deus remunerare debeat.

Quamvis sit in Deo radix hujusmodi debiti.

Oppones 2.° Si ponitur in Deo debitum, non potest non imminui divina libertas, quæ profecto est imperfectio procul a Deo removenda. Et confirmatur, quia ejusmodi debitum vel obligatio tandem proveniret ex aliqua lege, qua Deus teneretur.—**Respondeo**, *neg.* assertum, quia radix debiti, quod inest Deo ex sua promissione, non est ulla lex vel præceptum, quod nullum dari potest respectu Dei, quippe qui superiorem non habet, sed ipsa naturalis rectitudo, qua Deus est summe verax. Nam sicut Deum non posse mentiri, non est ex præcepto, sed ex natura summe recta tam in his, quæ ad intellectum, quam in his, quæ ad voluntatem spectant; ita deficere non posse in promissis, ex eadem naturali perfectione provenit. Quapropter necessitas ex hujusmodi debito resultans non minuit, sed potius auget intensive, ut ita dicam, libertatem divinam, quia provenit partim ex immutabilitate divinæ voluntatis, quæ profecto non officit divinæ libertatis perfectioni, partim ex illa necessitate quoad specificationem, qua divina voluntas gaudet in ordine ad id, quod rectum est atque honestum (2).

Oppones 3.° Omne debitum repugnat supremo ac perfecto dominio. Ergo impossibile est Deum constitui debitorem. Prob. antec. tum quia quantum aliquis habet debiti, tanto minus habet dominii, ut ex humanarum rerum exemplis facile constare potest; tum quia debita habent ligatum

(1) Loc. cit. sect. 2.

(2) Vide Suarez. *Relect. de libert. divin.*, loc. cit., num. 32. Cfr. ibid. num. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

usum et potestatem utendi re sua, perfectum autem dominium consistit in expedita et libera facultate utendi.—**Respondeo**, iterum *negando* assertum. Debitum enim fidelitatis non magis diminuit divinum dominium, quam immutabilitas voluntatis, quæ ad perfectionem Dei et omnium quæ sunt in Deo, maxime pertinet. «Considerandum ergo est, omnia, quæ in Deo sunt, æterna esse, et quantum ad ipsum spectant, simultanea, ut sic dicam, et sine ulla successione, licet hanc in rebus creatis causent, seu efficiant. Atque hac ratione non solum libertas, quasi in actu primo, secundum modum nostrum concipiendi, sed etiam usus libertatis adæquatus ejus voluntati æternus est: et ideo ejus libertas non consistit in hoc, quod post unam determinationem liberam possit aliam habere, sed in una adæquata determinatione libera quasi momentanea secundum mensuram et instans æternitatis. Idem ergo est in potestate dominandi, et usu ejus: habet enim Deus ex æternitate non solum hanc plenissimam potestatem, sed etiam adæquatum usum necessarium ex parte Dei ad temporalem usum passivum creaturarum, in quibus invenitur mutatio, cum ille immutabilis sit, et semper idem, licet secundum respectus rationis seu denominationes a creaturis sumptas successionem habere videatur. Hinc igitur firmitas et totum debitum promissionis divinæ solum pertinet ad quemdam usum perfectum dominii ejus: sicut ergo dominium non diminuitur per suum usum, nec potestas per suum actum, ita hoc debitum non minuit divinum dominium, sed ostendit potius perfectionem ejus» (1).

Oppones 4.º Qui solvit debitum, non operatur secundum consilium voluntatis suæ, sed secundam necessitatem et exigentiam debiti. Si ergo Deus tam liber est ac dominus suarum operationum, ut omnia operetur secundum consilium voluntatis suæ, non operatur aliquid ex debiti necessitate.

Respondeo, *dist.* antec.; si neque ante neque post contractum debitum adhibet consilium voluntatis, *conc.*; si adhibet, *nego*. Deus enim operatur secundum consilium voluntatis suæ, quia rectissimo suæ rationis dictamine judicat ad suam rectitudinem pertinere, ut sic operetur; quod est

(1) Suarez, *Relect.* etc., loc. cit. num. 33. Cfr. num. 2.

operari secundum consilium. Hoc porro consilium est voluntatis, id est, secundum beneplacitum voluntatis, tum quia nostro modo concipiendi supponit liberum propositum voluntatis, a quo profecta est promissio; tum etiam quia potest intelligi, quod subsequatur actus voluntatis, approbans et ratum habens promissionem atque immutabilem ejus exsecutionem (1).

Utrum Deus dicendus sit sibi debere, an possit etiam dici debere hominibus ex promissione.

Oppones 5.º Si Deus ipse debitor constitueretur ex promissione, cuinam deberet? An sibi? At hoc metaphoricum est, nullus enim respectu sui debitor constituitur. An vero alteri? At hoc repugnat Majestati divinæ, quia qui alteri est debitor, hoc ipso secundum eamdem rationem inferior illi constituitur.—**Respondeo**, secundum vim et communem usum vocis utrumque dici posse: proprie enim dicitur homo debere alteri honorem, v. gr., reverentiam, etc.; et similiter dici solet, hominem debere moderate uti cibis, liberaliter rebus, veraciter verbis, quo debito nihil alteri debet, sed absolute virtuti, vel sibi ipsi, quia videlicet debet suis verbis veracitatem, actionibus moderationem, etc. Verum in hac subjecta materia potestne indiscriminatim dici Deus esse homini debitor, an sibi soli? Aliqui formidant concedere Deum constitui debitorem hominis, hoc enim dedecere videtur Majestatem divinam: quæ videtur etiam fuisse mens S. Augustini in quodam loco (2), et S. Thomæ (3). Et hic modus loquendi, quo Deus non dicatur simpliciter debitor homini, sed sibi soli, rectus est, ac facile sustineri potest, quia re vera debitum fidelitatis, cum magis respiciat honestatem operantis, quam jus vel actionem alterius, non incommode dici potest, magis esse debitum ipsiusmet promissoris, respectu sui ipsius suarumque actionum, quam alterius.

Verum jam superius notavimus, plures Patres, ipso S. Augustino non excepto, simpliciter asserere Deum ex promissione sua esse nobis debitorem; quorum modum loquendi quis reprehendere audeat? Sane veracitas est virtus ad alterum

(1) Suarez, loc. cit., num. 32. Cfr. num. 2.

(2) *Confession.* lib. 1, cap. 4.

(3) 1.ª 2.ª, quæst. 111, art. 1, ad 2.um; quæst 114, art. 1 ad 3.um; et 1 part., quæst. 21, art. 1, ad 3.um

etiam secundum rationem debiti, non legalis, sed moralis, *in quantum scilicet ex honestate unus homo alteri debet veritatis manifestationem* (1). «Servata ergo proportione, etiam veritas divina est aliquo modo ad alterum, nam licet Deus sit extra omnem ordinem, tamen, si vult cum aliis loqui, vel conversari, debet illis veritatem in dictis; et si ea, quæ dicit, contineant promissionem modo jam explicato, debet illis fidelitatem. Qui quidem respectus ad alterum, qui per hæc verba connotatur, supra absolutam rationem debiti solum declarat, hoc debitum tale esse, ut ad alterius utilitatem, vel aliqualem societatem aut convictum ordinetur: et ideo, prout Deo attribuitur, nullam imperfectionem includit, sed potius nobis significat liberalitatem et benignitatem Dei erga homines. Neque inde fit, ut Deus ad homines ordinetur, sed solum ut exteriora dicta vel opera sua ad bonum hominis ordinet, et quod liberam voluntatem suam determinet ad benefaciendum hominibus: quæ omnia verissima sunt et sine ulla imperfectione» (2). Ergo videtur posse etiam Deus haud absurde dici homini debitor. S. Augustinus autem et S. Thomas, cum priorem modum loquendi prætulerunt, dicentes Deum non esse aliis debitorem, sed sibi; eo respexisse videntur, quod cæteroquin verissimum est, nempe ex ipsis creaturis præcise spectatis non posse in Deo oriri proprium debitum, nisi ex parte ipsius Dei aliquid præsupponatur, v. g. promissio.

Difficultates, quæ ex sententia P. Didaci Ruiz de Montoya fieri possent, solutæ videantur apud P. Christophorum Ortega.

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 109, art. 3 corp. Cfr. ibid. ad 1.um
(2) Suarez, loc. cit., num. 14.

ARTICULUS VI

Utrum in Deo sit justitia.

Varia justitiæ acceptio: prima,

206. Justitiæ nomen multiplicem habet significationem. Primo enim accipitur pro quovis habitu (aut etiam actu) virtutis, quatenus importat æqualitatem vel conformitatem cum obligatione vel debito cujusque: quæ acceptio generalissima est generalitate prædicationis, quia secundum eam omnis virtus justitia quædam est. Secunda quoque acceptio justitiæ generalissima est, sed generalitate collectionis, quatenus nempe sumitur pro collectione omnium virtutum, sub ea formalitate, qua eæ sese legibus conformant (1). Nam, docente Ulpiano, *legis præcepta sunt honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere* (2), in quibus, ut vides, omnis pene virtutis exercitatio continetur. Justitia in hoc sensu generalem quamdam voluntatis rectitudinem importat, genus enim æqualitatis (quam sectatur justitia) est rectitudo, quia adæquatur regulæ rectæ rationis. Unde S. Anselmus scripsit: *justi dicuntur aliquando recti corde, id est, recti voluntate, aliquando sine adjectione cordis, quoniam nullus alius intelligitur rectus, nisi qui rectam habet voluntatem, ut est illud:* Gloriamini omnes recti corde. *et illud:* Videbunt recti, et lætabuntur. Quam ad rem præclare etiam S. Augustinus: *In unoquoque justitia est*, inquit, *ut obediens Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis, etiam repugnantibus, imperet vel subjugando vel resistendo* (3).

secunda.

Hanc significationem videntur sæpe habere voces *justitia* et *justus* in sacris Libris (4). Et ad eamdem revocari potest

(1) Vide Arist., *Ethicor.* lib. 5, cap. 1.
(2) Ulpian., *ff. de justitia et jure*, lege *Justitia*, sub init.
(3) S. August. *de civit. Dei*, lib. 19, cap. 21 post med., et cap. 27. Cfr. serm. 50 *de Tempore*, post med.
(4) Vide *Roman.* cap. 2, vers. 13; cap. 3, vers. 21; cap. 4, vers. 25; *Galat.* cap. 2 et 3; *Matth.* cap. 5, vers. 6 et 20; *Ezech.* cap. 33, vers. 12 eoqq. etc. etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

communissima inter Theologos acceptio justitiæ pro gratia sanctificante cum supernaturalibus donis eam concomitantibus.

tertia

Alia est significatio pressior, qua justitia sumitur pro una ex quatuor virtutibus cardinalibus, estque virtus ad alterum, quia versatur circa ea, quæ sunt ad alterum tamquam circa propriam materiam, sectaturque æqualitatem in reddendo debito (1). In hac acceptione definiri solet communiter cum Ulpiano justitia *constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, quibus in verbis *voluntas* videtur sonare actum; et, si potentiam sonet, intelligenda esset non pro nuda potentia, sed pro potentia, quatenus constanter inclinata ad jus suum cuique tribuendum, vel potius pro ipsa forma, habitu, virtute voluntatem inclinante ad jus cuique suum tribuendum, et sic definitio illa sumpta pro habitu justitiæ idem valet, ac *habitus, secundum quem aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit* (2). Quid porro sit *jus*, omnes intelligunt satis, sed explicatu difficillimum est, significari autem solet, quando dicimus *meum, tuum*, illudque docet cardinalis de Lugo reponendum esse *in quadam prælatione morali, qua hic homo præfertur moraliter aliis in usu talis rei propter peculiarem connexionem, quam res habet cum eo, et propter quam res tota debetur ad ejus utilitatem referri, et ordinari* (3).

quæ definitur cum Ulpiano.

Quid sit jus.

Et hæc quidem in præsentia sufficiant de notione justitiæ, quæ, postremo sensu accepta, dividi solet in *commutativam, distributivam, vindicativam et legalem*, quamquam non omnes hi modi æque participant justitiæ rationem; et S. Thomas solam commutativam et distributivam vocat *species* justitiæ (4). De omnibus ergo hisce justitiæ rationibus nonnihil, delibandum est ad doctrinæ complementum, remisso lectore ad auctores, qui fusius disputarunt. Philosopho enim non licet theologicas, easque salebrosissimas, quæstiones pro dignitate pertractare.

Justitiæ divisio in commutativam, distributivam, vindicativam et legalem.

(1) Vide S. Thom., 1.ª 2.æ, quæst. 58, art. 1 et 2, etc.
(2) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 58, art. 1.
(3) Lugo, *De justit. et jur.*, disp. 1, num. 5.
(4) 1 p., quæst. 21, art. 1; 2.ª 2.æ, quæst. 61, art. 1.

§ I. UTRUM DEO PROPRIE CONVENIAT GENERALIS RATIO JUSTITIÆ.

Datur in Deo aliqua ratio justitiæ.

207. Verum antequam ad peculiares justitiæ rationes gradum faciamus:

1.° **Principio statuendum est, dari in Deo justitiam,** præcisione facta a prædictis particularibus justitiæ rationibus. Incredibile enim videtur, quod toties in sacris Litteris celebretur Dei justitia, si hæc ei non conveniret saltem secundum generalem aliquam rationem, quæ præscindat ab imperfectionibus, quæ admisceri possunt in particularibus modis justitiæ. Idque intelligendum est non solum de justitia in latioribus acceptionibus, quas modo declaravimus, sed etiam de justitia, virtute cardinali (1).

Et ratio est, quia omnis perfectio pura seu simpliciter simplex, Deo proprie ac formaliter, ac non solum per metaphoram, tribuenda est. Atqui justitia, ut sic, et præcisione facta a peculiaribus rationibus, continet perfectionem simpliciter simplicem. Ergo...

Major est generale quoddam omnium Theologorum axioma, et in præcedenti volumine probatum manet. **Minor vero probatur** ex præmissa modo definitione justitiæ, communi calculo probata, *Justitia est constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens.* Atqui in nulla ex his particulis ulla imperfectio essentialiter includitur. «Nam voluntas perpetua et constans, si sit de bono, magna perfectio est: tribuere etiam aliquid alteri, ex vi hujus conceptus, imperfectio non est: et quamvis hoc ipsum, quod est tribuere, perfectionem non ponat in tribuente, supponit tamen illam, et ipsa voluntas dandi, per se loquendo, magna perfectio est, adeo ut ex sententia Christi dixerit Paulus (2) *beatius esse dare, quam accipere*. Denique, quod is, cui aliquid datur, habeat jus aliquod ad illud recipiendum, non redundat in imperfectionem dantis id, ad quod alius habet jus, nec

(1) Vide S. Thom., *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 93.
(2) *Act.* cap. 20, ver. 35.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minuit in ipsa justitia rationem virtutis: immo hoc nomine censetur ipsa excellere inter virtutes morales» (1).

Dices. Ubi adest reapse jus, profecto perfectio est illud habenti tribuere. Verum hoc ipsum in tribuente videtur supponere aliquam imperfectionem, eamque duplicem; primo quia tribuens jus alteri, ideo tribuit, quia debitum habet atque obligationem tribuendi: secundo quia qui agnoscit in alio jus, eo ipso patitur aliquam diminutionem saltem in perfecto dominio rei, quam tribuere tenetur, quandoquidem si esset perfectus dominus, non obligaretur jure alterius ad talem rem tribuendam. Ergo cum ullum esse possit respectu Dei jus in aliquo sine hac duplici imperfectione, fieri nequit, ut Deus veri nominis *jus* ulli tribuat.

Respondeo *dis.* assert. Tribuere alteri jus suum implicat duplicem imperfectionem in creata voluntate, *trans.*; in divina, *nego*. Nam nihil vetat, quin ratio juris ac debiti et dominii concipiatur, præcisione facta ab hisce imperfectionibus. Sane «in primis habere jus ad aliquid et respectu alicujus, quando contrahi potest sine voluntate et actione ipsius, ad quem tale jus refertur, prout contingit in creaturis, imperfectionis est; si tamen illud jus et omnis res, in qua illud fundatur, sit ex voluntate et actione ejus, qui illud jus soluturus est, tollitur in hac parte talis imperfectio; habere autem jus ad aliquid ex vi hujus præcisi conceptus, non excludit quin jus illud haberi possit ab ipsomet derivatum, qui illud ipsum jus soluturus est, et exsecuturus; ergo ex hac parte in illo conceptu nulla includitur imperfectio. Præterea quod aliquis, quando alteri jus tribuit, se privet dominio rei, quam tribuit, in creaturis quidem invenitur; provenit autem ex imperfectione et limitatione dominii; per se autem ex vi illius conceptus id non est necessarium. Nam, si quis tribuendo alteri jus suum, maneat perfectus dominus ejus rei, quam tribuit, cessat ex hac parte omnis imperfectio: hoc autem non repugnat ex vi illius conceptus: ergo etiam ex hac parte in illo conceptu nulla includitur imperfectio. Est autem aliquale exemplum ad hoc declarandum in republica

(1) Suarez, *Disputatio de justitia Dei* (inter *Varia opuscula theologica*), sect. 1, num. 9.

et membris ejus: singulæ enim personæ, quæ sunt membra reipublicæ, habent sua propia bona, quorum habent peculiare et inferius quoddam dominium, quo non excluditur, quominus respublica in iisdem retineat dominium superius et altum, ratione cujus potest illis interdum uti, quando ad commune bonum reipublicæ necessarium fuerit» (1). Simili modo Princeps tradit dominium utile in emphyteusi et feudo, retento sibi dominio directo.

Denique quamquam ratio debiti, quæ ex lege ac directione superioris procedit imperfectionem, supponat creaturarum propriam; ratio tamen debiti, ut sic, abstractior est, potest enim oriri ex intrinseca natura et rectitudine voluntatis, ut jam notavimus etiam in præcedenti articulo (2). Debitum autem, quod videtur includi in opere justitiæ tribuentis jus suum unicuique, non coercetur ad debitum ex lege vel præcepto proveniens, quandoquidem justum absolute sumptum abstractius est ac latius patens, quam justum legem consequens.

Confirmatur asserta doctrina, quia communissima est sententia Deo tribuens saltem aliquam ex illis quatuor justitiæ rationibus, quæ jam seorsim breviter tractandæ sunt; quod profecto fieri non posset, si in ipso communi et abstracto justitiæ conceptu imperfectio aliqua Deo repugnans includeretur.

§ II.—QUID DICENDUM DE LEGALI JUSTITIA

Varia sententia.

208. Variæ sunt de hac re scriptorum sententiæ. Multi asserunt Deo legalem justitiam: in quorum numero recensentur inter alios Scotus (3), Sotus (4), Rebellus (5), Lorca (6),

(1) Suarez, loc. sup. cit. num. 11 et 12, ubi plura.
(2) Vide supra num. 203, pag. 599.
(3) 4.° dist. 46, quæst. 1, *De primo dicendum*...
(4) *De just. et jur.* lib. 3, quæst. 5, art. 4, ad 1.um
(5) Lib. 1, quæst. 4, sect. 4.
(6) In 1.am 2.æ disp. 44 *de grat.*, *Hac ergo ratione*...

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Navarrete (1), Joannes a S. Thoma (2), Ruiz de Montoya (3). Negant autem legalem justitiam Deo proprie convenire Argentinas (4), Bassolis (5), Pesantius (6), Henno (7), Suarez (8), P. Joannes Præpositus (9), Carleton Compton (10) aliique. Sed recte notant nonnulli, controversiam hanc solum esse de nomine, atque omnino pendere a notione justitiæ legalis, quæ non uno modo ab omnibus describitur. Ut ergo clarius procedamus, notio ipsa prius definienda est.

Describitur ratio justitiæ legalis.

Justitia *legalis*, quamvis sæpe dici soleat justitia *generalis*, est tamen specialis virtus atque a cæteris omnino distincta, definiturque a cardinali De Lugo ea virtus, «qua quis fertur in bonum reipublicæ seu communitatis, cujus ipse est pars» (11). Materia ejus est quilibet actus honestus vel etiam actus cæterarum omnium virtutum, nam omnes sunt referibiles ad bonum commune, quod est formale objectum hujus virtutis (12); unde etiam *generalis* justitia dicta est, non quidem secundum prædicationem neque secundum continentiam vel collectionem, quo pacto paulo superius monuimus justitiæ vocem sumi generaliter, sed secundum causalitatem, quia proprium justitiæ legalis est imperare atque ordinare actus cujuslibet virtutis ad bonum communitatis (13). *Manifestum est*, quit in Angelicus, *quod omnes, qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum; pars autem id, quod est, totius est; unde et quodlibet bonum partis est ordinabile in bonum totius. Secundum hoc ergo bonum cujuslibet virtutis, sive ordinantis*

(1) In 1.am p. quæst. 21, art. 1, controv. 28, paragr. 6.
(2) *Curs. theolog.*, tom. 2, quæst. 21, disp. 6, sect. 7, num. 21.
(3) Op. et loc. cit. disp. 57, sect. 2.
(4) 4.ª dist. 46, quæst. unic. art. 1, sub init.
(5) 4.ª dist. 46, quæst. unic. art. 1.
(6) In 1.am p. quæst. 21, art. 1, disp. unic. concl. 2.
(7) *De Deo*, disp. 6, quæst. 10, concl. 1.ª
(8) Disp. *de just. divin.*, sect. 4.
(9) In 1.am quæst. 21, art. 1, dub. 3.
(10) *De Deo uno*, disp. 35, sect. 9, num. 7.
(11) *De justit.*, disp. 1, num. 62.
(12) Vide S. Thom., 2.ª 2.æ quæst. 58, art. 5.
(13) S. Thom. ibid. art. 6.

aliquem hominum ad se ipsum, sive ordinantis ipsum ad aliquas alias personas singulares, est referibile ad bonum commune, ad quod ordinat justitia. Et secundum hoc actus omnium virtutum possunt ad justitiam pertinere, secundum quod ordinant hominem ad bonum commune. Et quantum ad hoc justitia dicitur virtus generalis (1).

Sciendum enim est præter ac supra jura et bona peculiaria, quæ et cives possident et ipse princeps, quatenus est persona particularis, adesse in republica vel in principe, quatenus est persona publica, in quam respublica jura sua transtulit, «dominium quoddam altum, id est, superioris ordinis in bona omnium civium et particularia omnium, quod non excludit privatum dominium illiorum, sed eo non obstante, confert ad utendum illis bonis in communem reipublicæ utilitatem, quando necessitatis articulus id postulaverit. Et ratione hujus juris tenetur quodlibet reipublicæ membrum sua propria bona non subtrahere, vel denegare reipublicæ, quando ad hujusmodi usum fuerint necessaria. Immo non solum circa res externas habet respublica hoc genus dominii vel juris, sed etiam circa ipsas personas et actiones earum, immo et circa vitam ipsam, non ut illam suo arbitrio possit tollere, sed ut cuicumque morali periculo, si necessarium fuerit, eam exponere juste valeat. Virtus ergo, quæ unumquodque reipublicæ membrum inclinat, ut suo modo, et quantum ad ipsum spectat, hoc jus suæ reipublicæ tribuat, vel illæsum custodiat, specialis quædam justitia est» (2). Rationem porro appellationis justitiæ legalis in hunc modum declarat ibidem S. Thomas: *Et quia ad legem pertinet ordinare in bonum commune, ut supra habitum est* (1.ª 2.æ quæst. 90, art. 2), *inde est, quod dicitur talis justitia* legalis, *quia scilicet per eam homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune*. Justitia hæc legalis cum respicit bonum commune, quod procurare debent et princeps et subditi, in utrisque dicitur esse, quamvis diverso modo, ut docet S. Thomas: *in principe principaliter et quasi*

(1) S. Thom., 2.ª 2.æ quæst. 58, art. 5.
2) Suarez, *Disput. de justit. Dei*, sect. 4, num. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

architectonice (quia nimirum ad eum spectat, modum conferendi ad bonum commune præscribere), *in subditis autem secundario et quasi administrative* (1).

quid pertineat ad ejus conceptum.

Quæ cum ita sint, facile vides: 1.° justitiam legalem esse reapse virtutem specialem distinctam tum a justitia commutativa, distributiva et vindicativa, ut melius patebit cum earum ratio et objectum declarabuntur, tum a quavis alia, quia nulla est, quæ sectetur honestatem hanc peculiarem sitam in procurando bonum communitatis. 2.° Patet justitiam legalem deficere a stricta justitia in eo, quod non est perfecte ad alterum, quia, ut nuper exscripsimus ex S. Thoma, *omnes, qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem, sicut pars ad totum, pars autem id quod est, totius est* (2).

justitiæ legalis in proprie sensu Deo non potest convenire, quia importat imperfectionem.

209. **Hac admissa justitiæ legalis notione, manifestum est, non posse illam Deo proprie convenire.** Et ratio est, quia notio hæc implicat essentialiter imperfectionem; etenim quicumque hujusmodi legalis justitiæ obnoxius est, respicit alium tamquam superiorem, nempe communitatem, cujus ipse est pars, itemque respicit jus et bonum alterius tamquam altius et nobilius, bonum nempe commune, cui cedere suum personale jus debeat. Atqui Deus respectu nullius communitatis potest comparari ut pars, nec bonum aut jus alterius tamquam excellentius respicere. Ergo, intellecta hoc pacto legalis justitia, non potest proprie Deo asseri. Estque res hæc luce meridiana clarior, de qua nulla potest esse *reapse* controversia.

et quæ pacto possit hujusmodi imperfectio præscindi.

210. Verum amoveatur ab hac notione justitiæ legalis ratio partis ac totius, quasi subjectum illius esse debeat essentialiter pars, ac terminus totum vel communitas, in qua illa contineatur; amoveatur etiam ratio legis alicujus externæ, unde partibus communitatis proveniat debitum conferendi ad bonum commune; et jam habebis notionem quamdam legalis justitiæ, quæ nullam essentialiter contineat admixtam imperfectionem. Tunc enim nomine justitiæ legalis intelligi poterit

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 58, art. 6 in. corp.
(2) 2.ª 2.æ quæst. 58, art. 5.

virtus quæ iam importans voluntatem et inclinationem conferendi ad commune bonum, exoritam non ex lege externa, nec ex promissione vel pacto ipsius conferentis, sed tantum ex naturali ejusdem sapientia et bonitate, quæ exigit ut omnibus et singulis rebus secundum propriam cujusque naturam provideat ad stabilem universalis ordinis conservationem in hoc mundo, quem Deus creavit et sapientissime gubernat. In ejusmodi voluntate divina est certissima honestas quædam et conformitas ad rectam rationem, quæ nec pertinet ad misericordiam et liberalitatem ullamve aliam virtutem. Nam misericordia v. g. in suo actu solum respicit miseriam alterius ut sublevandam; liberalitas vero meram gratiam præstat. At vero virtus, ad quam pertinet modo declarata honestas, eo spectat, ut opus Dei ab ipso habeat modum et ordinem et speciem convenientem secundum divinam sapientiam et artem et prudentiam. Quæ convenientia licet per divinam sapientiam reguletur, fundatur tamen in proportione aliqua ipsarum rerum inter se; quæ interdum accipitur inter particularem naturam et proprietatem ejus, vel actionem, interdum vero, ac principalius, inter unamquamque rem particularem et bonum seu ordinem totius universi (1). Et simili modo per se innotescit hujus virtutis a reliquis omnibus moralibus diversitas.

ea vero ratio appellationis est absurda vel non carens fundamento.

Ea vero licet intima proprie, non tamen immerito vocatur justitia; quia licet per se sumpta nunquam operetur ex debito proprio justitiæ, et ideo propria justitia non sit, imitatur tamen illam, quia respicit aliquale debitum et proportionem seu commensurationem rerum inter se cum communi bono. Quamvis enim Deus gratis et liberaliter decrevit mundum condere, debet tamen suæ bonitati sapientiæque, ut omnibus et singulis rebus provideat, quidquid natura cujusque requirat. Egregie in hanc rem P. Leonardus Lessius: «Satis.... improprie hic voluntatis affectus ejusque exsecutio justitia vocatur; quia etsi illæ perfectiones dicantur debitæ creaturis, Deus tamen non est illis debitor (sicut nec figulus vasi luteo debitor est, vel pictor imagini), sed solum est debitor sibi ipsi seu suæ sapientiæ, ut juxta hujus præscriptum et prout

(1) Suarez, Disp. *de justit. Dei*, sect. 4, num. 8

tantum artificem decet, operetur; ut pulchre docet S. Thomas (1), qua ratione dicimus pictorem, qui imaginem, quam cœpit, imperfectam reliquit, lineamentis vel coloribus congruentibus omissis, injuriam facere non operi, sed arti suæ et nomini. Dicuntur itaque illæ perfectiones debitæ, quia necessariæ ad rerum complementum et perfectum statum. Hinc enim sequitur, opificem debere illas conferre, si velit res a se conditas esse completas secundum naturæ conditionem et sapientiæ suæ præscriptum. Sed hoc nihil est aliud, quam debere sibi ipsi, suo decreto et sapientiæ» (2). Et vocari potest etiam *legalis* hujusmodi justitia propter similitudinem quamdam cum vera et propria justitia legali nuper descripta ex mente S. Thomæ. Mavult tamen Eximius Doctor eam vocare *providentialem*, et vocare posses etiam *gubernativam*, nam per hæc nomina declaratur munus ejus proprium, quod est exsequi consilia et ordinem divinæ providentiæ. Verum seclusa quæstione de nomine.

Justitia providentialis vel gubernativa

Quo sensu asseri Deo queat justitia legalis vel gubernativa.

211. **Dicendum 3.º est, si justitia legalis sumatur pro ea virtute, qua omnibus et singulis rebus confert quidquid ad commune illarum bonum pertinet secundum ordinem divinæ providentiæ, ejusmodi justitiam Deo asserendam esse.** Et ratio est, quia in ejusmodi virtute, quocumque tandem vocetur nomine, nihil cernitur, quod non sit pura Deoque digna perfectio. Sicut enim intellectus divini perfectio est, quidquid consentaneum est in rebus efficere, ut et naturarum singularium et universalis ordinis exigentiæ satis fiat commune omnium bonum sectando; ita perfectio divinæ voluntantis est id præstare propter quamdam æquitatem et proportionem in tali rerum dispositione inventam secundum consilium infinitæ sapientiæ bonitatisque. Et crediderim hoc significare voluisse Sapientem, cum ita Deum allocutus est: *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti* (3). Quare, quidquid sit de nomine ipso, res ipsa per justitiam legalem sic acceptam significata debet ab omnibus Deo asseri, sicut neganda est reapse in præcedenti sensu acepta.

(1) 1 p., quæst. 21, art. 1.
(2) Lessius, *De divin. perfection.*, lib. 13, cap. 1, num. 2.
(3) *Sapient.* cap. 11, vers. 21.

ejusque notantur exempla in mundi gubernatione

221. Exempla porro hujusmodi justitiæ legalis ita descriptæ suppeditat perpetuus et constans ordo mundanæ gubernationis secundum Dei providentiam; sic enim Deus rebus omnibus secundum proprias cujusque naturas providet, tribuens omnibus et singulis partes, potentias et instrumenta consentanea, usumque disponens actionum et passionum, prout unaquæque requirit, vel est capax, ut omnium commune bonum procuret, ex quo universalis ordo mundi harmonice perfecteque conservetur. Qua in re non solum considerandæ sunt vires ac proprietates actionesque particulares singulorum entium mundanorum, sed ipse quoque situs et collocatio eorum secundum loca et tempora, prout aptissimum erat, ut hæc rerum universitas secundum ordinem a Deo electum constanter perseveraret. Nec repugnat huic justitiæ divinæ, ut exceptiones quasdam interdum adhibeat per miraculum, scilicet ad bonum aliquod superius assequendum in manifestatione gloriæ suarumque perfectionum. Et hæc quidem spectant ad ordinem generalis providentiæ cum rebus omnibus servatum.

Quod jam attinet ad specialem providentiam, quam Deus habet erga rationales creaturas, exempla prostant in hominis gubernatione. Nam quod Deus hominibus det, et conservet libertatem, eamque abunde instruat præsidiis, ad colendam virtutem fugiendumque vitium, et hoc pacto assequendum suum finem ultimum requisitis, hujus tandem justitiæ opus est; itemque quod Deus imponat hominibus præcepta non solum recta et possibilia, sed etiam illis acommodata et proportionata. Ad eamdem justitiam pertinet, ut nullum opus bonum non remuneratum relinquat, etiam in hominibus alias pravis, quemadmodum explicat S. Thomas (1): quod item cum proportione locum habet in malorum operum punitione, prout dicetur agendo de justitia vindicativa.

Si jam ab ordine naturali ad supernaturalem ascendamus longe nobilius et excellentius debitum ac jus invenitur pertinens ad hanc justitiam legalem vel gubernatricem. Nam posita hypostatica unione divini Verbi cum humanitate in Christo Domino, summa decentia rerumque exigentia suo

(1) 1. 2.æ quæst. 21. art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quasi jure postulabat omnes thesauros sapientiæ ac gratiæ, nempe scientiæ gratiæque plenitudinem cum donis Spiritus Sancti et beatificam visionem sacratissimæ Humanitati concedi. Postulabat etiam, ut si qua natura creata esset a divino Verbo assumenda, nonnisi rationalis assumeretur. Exigebat præterea, ut Genitrix Dei esset Virgo, cujuslibet peccati prorsus immunis, et gratia plena. Similiter post gratuitam elevationem hominis ad statum et finem supernaturalem, oportebat, ut concederentur illi sufficientia auxilia ejusdem ordinis ad prædictum finem assequendum, pariterque ut habens gratiam justificantem jus haberet ad gloriam. Quo etiam spectat, ut si quis a Deo eligatur ad munus aliquod speciale, omnibus ad illud rite obeundum opportunis auxiliis confirmet. Et hæc quidem suavissimam præbent meditandi segetem, nobis tamen sufficiat innuisse (1).

§ III. QUID DICENDUM DE JUSTITIA VINDICATIVA.

Quid de vindicativa justitia.

213. Justitiæ vindicativæ nomine venit ea virtus, per quam pœnis congruis sontes plectuntur. De qua virtute in primis

In Deo esse certissimum.

Dicendum 4.° est, eam inesse certissime Deo. Id enim et sacræ Litteræ passim nos docent (2), et experientia ratioque confirmant. Nam videmus innumera mala et ærumnas in hoc mundo, quæ, saltem posita catholica doctrina de primo homine creato in justitia originali, peccatum causam agnoscunt; idque ad ipsam sapientissimam Dei providentiam gubernationemque spectat, ut perturbatus ordo per culpam, digno supplicio redintegretur. Accedit, quod nulla in hujusmodi virtute imperfectio comineatur.

Utrum hæc justitia vindicativa sit specialis virtus ex Deo

214. Verum quam certum est dari in Deo justitiam vindicativam, tam incertum est, utrum hæc sit virtus specialis a reliquis omnibus distincta. Plures arbitrantur, quæ dicitur justitia vindicativa, eam non esse veram partem subjectivam

(1) Vide Suarez, disp. *de justit. divin.* sect. 4, num. 12 seqq.; Ruiz de Montoya, loc cit., disp. 57, sect.

(2) Vide v. g. *Tobiæ* cap. 3, vers. 2, 6; *Esther* cap. 14, vers. 6; *Isaiæ* cap. 59, vers. 17 seqq.; *Daniel* cap. 9, vers. 14 seqq.; *Psalm.* 10, vers. 17; *Psalm.* 97, vers. 10; *Apocal.* cap. 19, vers. 2; etc., etc.

vel speciem justitiæ, sed partem duntaxat potentialem, quæ deficit a justitia, ad quam adjungitur, et revocatur tamquam pars minus principalis propter quamdam affinitatem, in eo sitam, quod in pœnis intligendis æqualitatem sectetur (1). Quare etiam S. Thomas vindicativam justitiam numerat tamquam specialem virtutem inter partes potestativas seu potentiales justitiæ (2). Alii censent punitionem peccatorum esse munus justitiæ legalis, sive providentialis sive gubernamentalis, quam in præcedenti paragrapho tractavimus; hanc sententiam multis confirmat, tueturque Eximius Doctor (3). Tertio sunt, qui putent punitivam justitiam esse justitiam Dei commutativam, vel hujus officium esse vindictam sumere de peccatis (4). Alii malunt justitiam vindicativam pertinere ad justitiam distributivam (5); alii demum ad commutativam et distributivam (6), nec defuit, qui in puniendo et commutativæ et distributivæ et legalis aut providentialis munus agnosceret (7).

varie sententiæ: primo,

secundo,

tertio,

quarto, quinto.

Controversiam hanc dirimere operæ pretium non judico, nec facile est paucis expendere fundamenta uniuscujusque

(1) Vide v. gr. Molina (In 1.am p., quæst. 21, art. 1, *Secundo dicendum...*), Lessium (*De perfect. divin.* lib. 13, cap. 2, num. 158, Lorca (3 part., disp. 8, num. 7), Francisc. Henno (*De Deo uno*, disp. 1, quæst. 10, conclus. 2).

(2) 2.ª 2.æ quæst. 80, art. unic. ad 1.um Cfr. quæst. 108, art. 2, ad 1.um

(3) Disp. *de justitia Dei*, sect. 4, a num. 7. Vide etiam P. Carleton Compton, *De Deo*, disp. 25, sect. 12, num. 8.

(4) Vide Aureol. (4.ª dist. 46, art. 1, post 3.um proponit, *Est autem...*), Argentin. (4.ª dist. 46, quæst. unic., art. 4, ad 1.um), Domin. Soium (*De just.* quæst. 5, art. 4, ad 1.um), Azor. (*Instit. moral.* tom. 2, lib. 2, cap. 10, quæst. 4).

(5) Vide S. Thom. (4.ª dist. 46, quæst. 2, art. 2, solut. 1.ª, ad 1.um), Capreol. (1.ª dist. 45, quæst. 1, art. 1, ad argumenta contr. 14.um conclusion.), Richard (4.ª dist. 46, art. 1, quæst. 1, corp. post med.), Cajetan. (2.ª 2.æ, quæst. 61, art. 4 fin.), Salas (In 1.am 2.æ tract. 7, disp. 2, num. 55), Ruiz de Montoya, loc. cit disp. 60, sect. 4.), Joannes a S. Thom. (tom. 2, quæst. 20, disp. 6, art. 4).

(6) Vide Valentin. In 1.am p., quæst. 21, punct. 1 in probat. 2.æ conclusionis.

(7) Ita v. gr. P. Ortega, loc. cit. controv. 5, disp. 2, quæst. 4, certamen. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Justitia vindicativa speciem quamdam præ se fert, a qua tamen deficit.

sententiæ. Negari nequit justitiam vindicativam præ se ferre speciem quamdam commutativæ, quatenus servat æqualitatem inter pœnam et culpam, secundum illam S. Joannis sententiam: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum* (1). Unde etiam Aristoteles generatim docuit judicum vindictam inter homines ad commutativam justitiam pertinere (2). Et ex S. Thoma etiam *vindicta, quæ fit auctoritate publicæ potestatis secundum sententiam judicis* (ad quam revocatur jus supremi Domini rerum omnium) *pertinet ad justitiam commutativam* (3). Videtur tamen justitia vindicativa in eo deficere a stricte commutativa, quod non interveniat in illa debitum proprium commutativæ. Nam ubi adest injuria, persona quidem eam inferens, utique *debitum* atque obligationem habet illa resarciendi; at vicissim persona offensa non habet morale debitum, pœnam reddendi pro injuria præcise *respectu offensoris*. Nam persona offensa vel est privata vel publica. Et privata quidem, patet, quod non *teneatur* pœnam reddere, quamvis *jus habeat* legitimam sumendi vindictam. Persona vero publica, ut judex vel magistratus, ad quem spectat punire crimina ob bonum commune rectamque rei publicæ administrationem, tenetur quidem non excedere modum, ultra æqualitatem puniendo, et tenetur etiam justum supplicium imponere, sed ejusmodi debitum non est præcise respectu delinquentis, sed respectu rei publicæ, cujus est minister; et respectu delinquentis non habet debitum, sed potius exigit ab eo debitum, delinquentis enim est solvere secundum sententiam judicis debitum suo peccato contractum. Ita ergo in punitione non videtur commutativa justitia per se ac positive concurrere, ipsum actum puniendi eliciendo, sed tantum negative, nimirum impediendo, ne fiat injuria excedendo limites condignæ vindictæ.

Quæ cum ita sint, sequitur, Deum puniendo, licet servet quodammodo formam justitiæ commutativæ, sectando æqualitatem inter pœnam et delictum; eo tamen vera non exercere

(1) *Apocal.* cap. 18, vers. 7. Cfr. ib. vers. 6; *Matth.* cap. 7, vers. 2; cap. 16, vers. 27; *Roman.* cap. 2, vers. 6.

(2) Vide *Ethicor.* lib. 3, cap. 4, paulo post init.

(3) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 80, art. 1, ad 1.ᵘᵐ Cfr. ibid., quæst. 108, art. 2, ad 1.ᵘᵐ

commutativam justitiam, quia per actum puniendi non solvit debitum peccatori, sed potius exigit (1).

Servatur etiam in divina peccatorum ultione proportionalitas quædam in pœnis, non quidem facta comparatione uniuscujusque pœnæ ad culpam, propter quam inflicta est (sub hoc enim respectu potius, quam proportio geometrica, intercedit proportio arithmetica seu æqualitas propria commutativæ justitiæ), sed secundum comparationem diversorum peccantium ad suas pœnas, ita ut qui plus peccavit, plus puniatur, et secundum quod exceditur in peccato, spectata etiam non solum physica entitate peccati, sed morali gravitate, quæ correspondet conditioni ac dignitati personarum et reliquorum adjunctorum. In quo cernitur ratio quædam justitiæ distributivæ, quæ locum habet in collatione proportionali munerum ac præmiorum. Sicut enim in justa horum distributione sectanda est æqualitas non arithmetica, ita ut idem præmium reddatur iis omnibus, qui eum secundum entitatem physicam actum effecerunt, sed geometrica, quæ ponderanda est pro diversa conditione ac dignitate cæterisque personarum adjunctis, simile quiddam præstandum est in æqua distributione personarum (2). Nihilominus potest hic quoque notari, quod modo circa justitiam commutativam urgebatur, videlicet ex defectu moralis debiti proprie dicti non satis apparere, quod punitio delictorum sit actus justitiæ distributivæ. Est enim hoc discrimen inter præmiorum et pœnarum distributionem, quod præmia reddens verum debitum habeat erga merentes; at vero puniens non habet debitum respectu sontium ipsorum, sed potius exigit ex eis debiti solutionem, prout jam declaratum est (3). Ergo justitia vindicativa nec videtur esse omnino justitia distributiva. Præterea Deus in pœnis non videtur servare proportionem primario ac per se, verum per accidens. Per se enim attendit solummodo, quantum cujusque peccata mereantur.

Servatur etiam proportionalitatem aliquam, ratione cujus simillis est distributivæ justitiæ.

quia tamen ad eam proprie spectet.

(1) Vide Suarez, Disputat. *de justit. Dei*, sect. 5, num. 9-12, ubi hæc magis evolvuntur.

(2) Id fusius declaratum vide, si lubet, apud P. Didacum Ruiz de Montoya, qui contendit punitionem delictorum esse opus justitiæ distributivæ. Cfr. Suarez, loc. cit. num. 12 et 18.

(3) Vide Suarez, op. et loc. cit. num. 14. 15.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Affinitas justitiæ vindicativæ cum legali vel gubernativa.

Non minus certum videtur habere vindicativam justitiam non parvam cognitionem cum legali vel gubernativa, ad quam propterea putarunt alii pertinere in Deo actum puniendi; quia negari nequit rectam rationem et prudentem administrationem universi mundi postulare, ut peccata puniantur, utque iis, qui hanc vitam in vitiis et sceleribus transegerunt, in futura plectantur, et meritas pro peccatis dent aliquando pœnas.

Hæ sunt præcipuæ circa præsentem controversiam sententiæ. Nam illa, quæ punitivam constituit inter partes potentiales justitiæ, non videtur satis probari (1). Nec verum est eam a S. Thoma teneri: nam S. Doctor in iisdem locis distinguit inter personam privatam et publicam sumentem vindictam. Docetque personam quidem privatam, dum quærit vindictam suæ injuriæ, exercere actum, qui non est strictæ justitiæ, sed deficit ab illa, ideoque pertinet ad virtutem aliquam, quæ tantum ceu pars potentialis revocetur ad justitiam. At loquendo de vindicta, quæ fit auctoritate personæ publicæ, diserte docet, eam pertinere ad justitiam commutativam (2).

Judicium auctoris.

Vindicativa ergo justitia videtur revocanda esse ad aliquam ex tribus aliis, commutativa nempe, vel distributiva vel legali, quam prudens lector eligere malit, et propugnatam a suis defensoribus videre potest. Quamvis equidem expeditissimam judico rationem loquendi P. Francisci Suarez, qui divinam vindictam censet ad legalem vel providentialem justitiam pertinere, quin tamen per hoc vetetur, quin Deus possit etiam in infligendis pœnis attendere formam quamdam commutativæ ac distributivæ justitiæ servando proportionem arithmeticam et geometricam, prout ab eadem Eximio Doctore declaratum reperies (3).

(1) Vide, si lubet, quædam argumenta in favorem illius apud P. Ruiz de Montoya, disp. 60, sect. 1, num. 3 seqq. quæ soluta legi possunt, ibid., sect. 3.

(2) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 80, art. unic. ad 1.um; quæst. 108, art. 2, ad 1.um

(3) Disp. *de justit. Dei*, sect. 5, num. 16 seqq.

§ IV. — QUID DICENDUM DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA.

Quid si justitia distributiva.

215. Justitia distributiva inclinat voluntatem, ut onera et bona æque distribuat inter cives. Quare ordinat communitatem vel superiorem ad subditos, nam *actus distributionis, qui est communium bonorum, pertinet solum ad præsidentem communibus bonis; quamvis justitia distributiva est etiam in subditis, quibus distribuitur, in quantum scilicet sunt contenti justa distributione* (1). Versatur ergo distributiva justitia in bonis reipublicæ ac communitatis pro cujusque membris merito distribuendis; qua in re merita non ex præcisa vel sola operum quantitate secundum se sumptorum æstimanda sunt, sed plerumque ipsa etium personæ operantis dignitas et adjuncta ad eorum influunt æquam æstimationem, prout áudum docuerat Aristoteles (2). Si enim princeps militiæ v. gr. post bellum felicissime confectum non aliam mercedem acciperet, quam gregarius miles, vel si idem munus locusve in bello assignaretur peritissimo imperatori, ac omnis militaris scientiæ experti civi, æqualitas quidem arithmetica et quantitativa servaretur inter eos, quæ tamen iniqua et improportionata judicaretur ab æquis rerum istarum æstimatoribus. Proprium ergo distributivæ justitiæ est, ut non unum idemque secundum rem omnibus distribuat, sed unum idemque secundum proportionem, ratione habita personarum, ut, quod est exemplum Philosophi, sicut se habet Achilles ad Ajacem, ita se habeat munus Achillis ad munus Ajacis: quam comparationem vocant mathematici proportionem geometricam (3). Quare justitia distributiva quærit in objecto æqualitatem secundum proportionem geometricam, commutativa vero secundum proportionem arithmeticam, quemadmodum mox declarabitur. Egregie S. Thomas: *In distributiva justitia datur aliquid alicui privatæ personæ, in quantum id, quod est totius, est debitum parti, quod quidem tanto majus est, quanto ipsa*

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 61, art. 1, ad 3.um

(2) *Ethicor.* lib. 5, cap. 2 et 3.

(3) Vide S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 61, art. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pars majorem principalitatem habet in toto. Et ideo distributiva justitia tanto plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona majorem habet principalitatem in communitate..... Et ideo in justitia distributiva non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas, ut scilicet sicut una persona excedit aliam, ita etiam res, quæ datur uni personæ, excedat rem, quæ datur alii. Et ideo dicit Philosophus (in V. Ethic.) quod tale medium est secundum geometricam proportionalitatem, in qua attenditur æquale non secundum quantitatem, sed secundum proportionem; sicut si dicamus, quod sicut se habent sex ad quatuor, ita se habent tria ad duo..... Sed in commutationibus redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem ejus, quæ accepta est, ut maxime patet in emptione et venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adæquare rem rei, ut quanto iste plus habet, quam suum sit, de eo quod est alterius, tantumdem restituat ei cujus est. Et sic fit æqualitas secundum arithmeticam medietatem, quæ attenditur secundum parem quantitatis excessum (1).

Quid sit fides rerum circa præmii distributionem a Deo faciendam.

Hisce præhabitis, ad explicandam notionem justitiæ distributivæ, quæ melius adhuc intelligetur, cum mox declarandus erit conceptus commutativæ justitiæ; quoniam fide novimus, quod Deus *in die..... justi judicii..... reddet unicuique secundum opera ejus, iis quidem qui secundum potentiam bonis operis gloriam et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam...* (2), quæ, docente Tridentino, *bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est... et tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda* (3); quæritur, utrum Deus in distribuenda gloria æterna servet proprie atque stricte justitiam distributivam. Negasse videntur plures inter priscos Scholasticos, qui generatim nolebant Deo tribuere ullam justitiam stricte sumptam, sive commutativam sive etiam

et quid in controversiam adducatur.

Sententia negans Deum exercere

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 61, art. 2. Vide Suarez *Disp. de justit. Dei* sect. 3, num. 1 seqq.
(2) *Roman.* cap. 2, vers. 5, 8.
(3) Trident sess. 6, cap. 16.

distributivam, sed solam generalem, quæ complectitur omnes virtutes Deo possibiles, nec continet debitum necessitatis, verum condecentiam duntaxat congruitatis. Pro qua sententia laudantur Alexander Halensis (1), Albertus M. (2), Durandus (3), Paludanus (4), Gregorius (5), Major (6), Marsilius (7), Bassolis (8) aliique, ac postea Trigosius (9), Pesantius (10), Lorca (11), P. Ludovicus Molina (12), et plures Scotistæ, ut Boyvin (13) et Franciscus Henno (14). Cæteris vero fusius et luculentius doctrinam hanc promovit, ac propugnavit P. Gabriel Vazquez (15), quem secuti sunt inter alios PP. Arrubal (16), Lessius (17), Torres (18), Ægidius Coninck (19) et Alarcon (20). Sententia P. Gabrielis Vazquez (cum quo tamen non omnes omnino conveniunt) est distributivam justitiam absolute sumptam, prout respicit communiter distributiones bonorum tam rebus naturalibus, quam actionibus moralibus, proprie non dari in Deo, præmia vero illum dare merentibus non ex justitia, sed ex gratitudine.

proprie dictum justitiam distributivam.

(1) 1 p., quæst. 30, memb. 1.
(2) 1 p., quæst. 80, membr. 2, art. 2, part. 2.
(3) 2.º dist. 27, quæst. 2, et 3.º dist. 36, quæst. 1.
(4) 4.º dist. 46, quæst. 1, art. 1, conclus. 3.ª et 4.ª
(5) 1.º dist. 17, quæst. 1, art. 2, post med.
(6) 2.º dist. 27, quæst. unic. initio.
(7) 2.º quæst. 18, art. 4, vers. fin. ad 1.um obj. et ad 4.um rat.
(8) 4.º dist. 46, quæst. unic. art. 1.
(9) In 1.am p. Bonaventuræ, quæst. 17, art. 1, dub. 1.
(10) 1 p. quæst. 21, disp. 1.
(11) In 1.am 2.æ disp. 14 *de gratia, His præmissis*, et 3 p., disp. 8, conclus. 1.ª
(12) In 1.am p. quæst. 23, art. 1 post med.
(13) *De Deo uno*, disp. 5, *Appendix, Quæres* 7.ª, resp. 7.
(14) *De Deo uno*, disp. 6, quæst. 10, conclus. 4.
(15) In 1.am p. disp. 85 et 86, et in 1.am 2.æ disp. 223; et in 3.am p. tom. 1, disp. 7.
(16) In 1.am part. quæst. 21, art. 1, num. 5.
(17) *De justit.* lib. 2, cap. 18, dub. 8, num. 57 fin.; et *de perfection. moribusque divin.* lib. 13, cap. 2.
(18) In 1.am 2.æ tom. 2, disp. 5; dub. 1, num. 7, dub. 2, num. 1, dub. 5, et disp. 6, dub. 2.
(19) *De actibus supernat.* disp. 8, dub. 3, conclus. 3 et 4; *de Sacram.* tom. 2, disp. 1, de *Pœnit.* dub. 4, num. 23.
(20) Tract. 3, *de volunt. Dei*, disp. 8, num. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sententia affirmans distributivam justitiam propriè dictam Deo esse exercendam, supposito pacto cum illo, et gratuitæ ei ut quid hanc pertinentia requiratur.

At longe communior sententia concedit Deo, supposito pacto seu promissione, propriè dictam justitiam distributivam. Pactum vero istud ac promissio non requiritur ad reddendam dignitatem vel valorem operibus, est enim quiddam illis extrinsecum, dignitas vero et valor operum totus est ex divina gratia, unde procedunt, ac proinde pactum jam præsupponit in illis totam suam dignitatem. Requiritur tamen pactum et ordinatio divina ut conditio ad meritum cum ex parte nostra, tum ex parte Dei. «Ex parte quidem Dei, ut reddatur debitor illius præmii pro talibus operibus. Quod enim respectu Principis et distributoris humani lex est imposita illi a Deo, ut servet justitiam, est in Deo ordinatio sua et voluntas; ipse enim sibi est regula et lex, et operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, et sibi ipsi debitor est, non alteri. Et præterea quia Deus est supremus Dominus et universalissima causa, non solum rerum, sed et actionum nostrarum, et de omnibus facere potest quod voluerit sine ulla læsione juris creaturarum. Unde potest illas actiones et merita nostra accipere alio titulo, quam propter præmium, quia sua sunt titulo creationis, et summum dominium habet in illas, et ex influxu suo pendent, ut sint multo magis, quam a nostro. Unde sicut ego possum de re mea disponere, sicut voluero, ita Deus potest disponere de illis operationibus meis, sicut voluerit, et dare vel denegare illis præmia, sicut ego actionem meam possum tali recompensatione cumulare, vel omni recompensatione destituere. Ad hoc ergo ut actiones meas Deus velit illo determinato præmio honorare, et non alio titulo velle habere, requiritur ordinatio divina ad tale præmium obtinendum de facto.... Ex parte quoque nostra requiritur illa acceptatio sub illo onere, quia posset homo dicere, quod gratis vellet laborare, et opera illa facere, et cedere juri suo; nemo enim prohibetur juri suo cedere, sicut qui laborat in vinea nihil dicens aut petens a domino vineæ, non obligat de justitia ad reddendam sibi mercedem, quia potest id sponte facere. Sed tamen si homo vellet sic cedere juri suo, et gratis Deum colere, hoc ipsum ex Dei inspiratione et influxu ac directione haberet; unde tandem hoc totum reducitur in ordinationem Dei, quia est causa omnium; et sic oportet, quod determinet,

propter quid velit unumquodque fieri. Advertendum est tamen, quod hoc pactum seu ordinatio, non est necesse, quod superveniat ipsi gratiæ datæ a Deo, sed in ipsa voluntate, quam illam dat efficienter et ut causa ejus, involvitur ordinatio, propter quam dat illam ad talem finem, et pro tali præmio ut de facto acquirendo per talis operis» (1).

Sententiam hanc docent non solum ii, qui commutativam justitiam Deo detrectant, ut sunt Capreolus (2), et frequentissime Thomistæ cum Cajetano (3), Ferrariensi (4), et Bañez, ut Nazarius et Gonzalez Albelda (5), Conradus (6), Dominicus Sotus (7), Zumel (8), Deza (9), Gonet (10), Billuart (11), Franciscus Silvius (12), itemque Richardus (13), Argentinas (14), Ægidius Romanus (15), Dionys. Carthusianus (16), Aragon (17), Franciscus Vega (18), Bellarminus (19), Joannes Salas (20), Didacus Ruiz de Montoya (21); sed etiam fere omnes illi, qui commutativam quoque justitiam Deo asserunt,

(1) Joann. a S. Thoma, *Curs. theolog.* tom. 2, quæst. 21, disp. 6, art. 4, num. 17.

(2) 1. dist. 45, quæst. unic. art. 1, conclus. 1.ª, ad argument. Aureol. contr. eamd. conclus.

(3) In 2.ªm 2.æ quæst. 91, art. 4, ad 1.ºm

(4) In lib. 1.ºm *Contr. Gent.* cap. 93, *Sed dubium et Ad cujus.*

(5) In 1.ªm p. quæst. 21, art. 4.

(6) In 1.ªm 2.æ quæst. 114, art. 1, circa respons. ad 2.um

(7) *De just. et jure*, lib. 3, quæst. 5, art. 4, et ad 1.ºm de *natur. et gratiæ*, lib. 3, cap. 7.

(8) In 1.ªm 2.æ quæst. 114, art 1, disp. 3 et 4.

(9) 2.ª dist. 27, quæst. unic. art. 3, notab. 1.

(10) *Clypeus Theolog.* tom. 1, trac. 4, disp. 3, art 1, paragr. 3.

(11) *De Deo uno*, dissert. 8, art. 6, paragr. 2, *Dico 2.º*

(12) In 1.ªm p. quæst. 21, art. 1.

(13) 4.ª dist. 46, art. 1, quæst. 1, 2.ª dist. 27, art. 2, quæst. 3, in solut. ad 3.um

(14) 4.ª dist 46, quæst. unic., art. 1; 2.ª dist. 27, quæst unic. art. 4, conclus. 2 et ad 1.ºm

(15) 2.ª dist. 27, quæst. 2, art. 3 et 4 potissim. in solut. argum.

(16) 4.ª dist. 46, quæst. 1, et 2.ª dist. 27, quæst. 2.

(17) In 2.ªm 2.æ quæst. 61, art. 4.

(18) *In Trident. conc.* libr. 10, cap. 1 post med.; et opusc. *de justific.*, quæst. 3.ª ad 3.um, *Ad confirmation.*

(19) Lib. 5 *de justificat.* lib. 5, cap. 16, fin.

(20) In 1.ªm 2.æ tom. 1, tract. 7, disp. 2, num. 3.

(21) *De volunt. Dei*, disp. 50.

MENTE S. THOMÆ

ut Suarez (1), Valentia (2) cæterique in sequenti paragrapho laudandi. Estque disserta sententia S. Thomæ, nec uno in loco tradita, quidquid videantur nonnulli dubitare (3). *Justitia distributiva* (secus atque commutativa) *non requirit quantitatis æqualitatem, sed proportionis tantum. Non enim oportet, ut distribuens omnibus æqualiter distribuat, sed unicuique proportionaliter secundum suum modum. Sic ergo ratio distributivæ justitiæ Deo proprie convenire potest, in quantum scilicet æqualitatem proportionis servat in communicatione bonorum suorum dans unicuique proportionaliter secundum suum modum. Unde Dionysius dicit in 8 cap.* de divin. Nomin., *quod justitia laudatur in Deo, in quantum omnibus secundum dignitatem distribuit. Sed justitia commutativa, per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem et creaturam recipientem, Deo competere non potest secundum propriam acceptionem, quia beneficia Dei semper excedunt merita creaturæ* (4). Et alibi: *Justitia quantum ad commutationis actum Deo competere non potest, cum ipse a nullo aliquid accipiat...; per similitudinem tamen aliqua Deo dare dicimus, in quantum nostra data Deus acceptat. Non igitur sibi competit commutativa justitia,* sed solum distributiva. *Unde Dionysius dicit* (8.° cap. de divin. nomin.), *quod* justitia laudatur Deus, sicut omnibus secundum dignitatem distribuens, *secundum illud Matthæi* (5). Dedit unicuique secundum propriam virtutem (6).

Nec dicas cum Capreolo. S. Thomam in *Summa theologica* retractasse hanc sententiam, tum α) quia in ea negat in nobis esse meritum simpliciter ad Deum, quia non est justitia simpliciter (7), si autem esset distributiva, hoc non negaret; tum β) quia in eadem docet in divino judicio servare formam modumque justitiæ commutativæ, quod verum non foret, si Deus haberet justitiam distributivam, modus enim commutativæ non compatitur modum distributivæ, quia sunt oppositi inter se.

(1) *Disp. de just. Dei*, sect. 3.
(2) In 1.am p. disp. 1, quæst. 21, punct. 1, *Secundo asserimus*.....
(3) Vide v. g. Ortega, op. cit., controv. 5, disp. 2, quæst. 2, certamine 3.
(4) S. Thom. 4.° dist. 46, quæst. 1, art. 1, solut. 1. Cfr. ibid., ad 1.um; et 2.° dist. 27, quæst. 1, art. 3.
(5) *Matth.* cap. 25, vers. 15.
(6) S. Thom., *Contr. Gent.* libr. 3, cap. 93, *Similiter etiam justitia*... Cfr. opusc. sup. Dionys. *de divin. nomin.* cap. 8, lec. 4.
(7) S. Thom. 1.ª 2.æ quæst. 114, art. 1.

Verum *neg.* assertum, quia in ipsa *Summa* eamdem disertissime doctrinam tradit S. Doctor: *Duplex est species justitiæ*, inquit: *una, quæ consistit in mutua datione et acceptione... et hæc dicitur a Philosopho* (in 5.° Ethicor. cap. 4) justitia commutativa *vel directiva commutationum sive communicationum; et hæc non competit Deo... Alia, quæ consistit in distribuendo, et dicitur distributiva justitia, secundum quam aliquis gubernator vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem. Sicut igitur ordo congruus familiæ vel cujuscumque multitudinis gubernatæ demonstrat hujusmodi justitiam in gubernante, ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam. Unde ut dicit Dionys.* (8 cap. de Div. Nom.) *oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam, quod omnibus tribuit propriam secundum uniuscujusque existentium dignitatem, et uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine et virtute* (1). Ubi vides justitiam distributivam non solum asseri, sed etiam probari ratione et auctoritate S. Dionysii, sicut fecerat in prioribus locis.

Ad probation. α) *neg.* Minor. Nam mens Aquinatis in priori loco est, antecedenter ad virtutem et gratiam Dei nullum esse meritum, cum nec esse possit justitia simpliciter atque æqualitas; non negat tamen, sed asserit dari meritum, præsupposita virtute accepta ex Deo ad operandum. **Ad probation. β)** *neg.* pariter Minorem; tum quia in iisdem locis, in quibus docet Angelicus dari justitiam distributivam in Deo, concedit etiam servari modum quemdam commutativæ in recompensatione præmiorum (2), quare secundum S. Thomam nulla est pugna inter justitiam distributivam et modum justitiæ commutativæ; tum quia reapse modus

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 21, art. 3.
(2) Vide in 4.° dist. 46, quæst. 1, art. 1, solut. 1. Cfr. Joann. a S. Thom., loc. cit. num. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

commutativæ non excludit distributivam justitiam in Deo, quandoquidem bene stat, quod sine debito commutationis, ex jure tantum ac debito rectitudinis circa bonum commune distribuat unicuique secundum suam dignitatem, servando simul inter valorem operum ac præmii quantitatem æqualitatem similem illi, quæ fit inter duas res per commutationem: sicut etiam princeps humanus dum exercet justitiam distributivam non prorsus præscindit a forma commutativæ, sed debet etiam ad ipsum valorem meritorum in diversis personis attendere. Et hæc nobis quoque sententia S. Thomæ magis arridet. Itaque

Justitia distributiva Deo proprie convenit.

216. **Dicendum 3.m est, justitiam distributivam Deo proprie convenire.** Et probatur, quia Deo tribuendum proprie est, quidquid perfectionem, nulli ex suo conceptu admixtam imperfectioni, continet. Atqui justitia distributiva continet talem perfectionem, quæ ex suo conceptu nullam essentialiter adnexam implicat imperfectionem. Ergo justitia distributiva Deo proprie convenit.

Consequentia bona est, et **Major** ex alibi probatis patet. **Probatur ergo Minor** per partes.

α) *Justitia distributiva perfectionem importat.* Et in primis importat perfectionem propriam justitiæ generatim sumptæ, quam superius in prima assertione primoque paragrapho declaratum reliquimus. Deinde justitia distributiva est superioris et principis erga inferiores ac subditos. Servare autem proportionem meritorum ac dignitatum in distributione munerum præmiorumque præ se fert sapientiam atque æquitatem. Atqui totum id perfectionem importat Deo certe dignam, utpote qui est summus rerum omnium Dominus et gubernator, ad quem pertinet omnia ordinate pro cujusque merito dispensare. Ergo..... Unde ipse Dominus in Evangelio sub figura et parabola heri in longinquas terras profecti, tradidisse suis servis narratur *bona sua; et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum* secundum propriam virtutem (1).

Imperfectiones a quibusdam in justitia

β) *Justitia distributiva ex suo conceptu nullam importat essentialiter imperfectionem.* Id vero non potest melius

(1) *Matth.* cap. 25, vers. 14, 15.

probari, quam explicatis imperfectionibus, quæ a contrariæ sententiæ assertoribus notantur. Præcipuæ sunt hæ: 1.ª quod justitiæ distributivæ proprium est non sua ipsius distribuentis, sed aliena bona distribuere, nempe bona communia; at nihil potest esse, quod non sit Dei, cum Deus sit infinite perfectus. 2.ª Quod bona distribuens transferat dominium in illam, cui distribuuntur; Deus autem non ita potest quidpiam donare, ut se illius exuat dominio. 3.ª Quod distributiva justitia supponit distribuentem non habere unde creditoribus tribuat secundum arithmeticam proportionem; quod pariter argueret indignam Deo imperfectionem. Sane vel distribuens habet, quantum sufficit, ut singulis creditoribus integre satisfaciat solvendo totum debitum ad apices commutativæ justitiæ, vel non, ideoque cogitur singulis pro portione tantum dare, non servando perfectam æqualitatem in divisione bonorum inter multos, sed tantum proportionalem. Si primum dicas, ibi reapse commutativa justitia servatur, nec habet locum proprie distributiva. Sin alterum eligas, habeo intentum, nam tum non una statim apparet imperfectio: est nempe imperfectio in ipsis bonis divinis, quia non essent sufficientia ad integre cunctis satisfaciendum; et imperfectio in Deo, qui jam finitus esset in suis divitiis; ex quo sequitur objectum distributivæ justitiæ esse imperfectum, videlicet æqualitatem geometricam, quæ non est perfecta, sed imperfecta, quæ tum substituitur in locum arithmeticæ ac perfectæ, quando hæc servari non potest. 4.ª Imperfectio est, quod justitia quoque distributiva, utpote que species est strictæ justitiæ, involvit debitum et obligationem erga alterum. Deus autem nulli creaturæ sive privatæ ac particulari, sive etiam communitati, potest esse debitor, quia cum omnis creatura quidquid habet, a Deo liberalissime acceperit, non potest ullum jus contra Deum allegare.

distributiva expertia

Verum hæc facile declarantur. 1.ª imperfectio non est essentialis justitiæ distributivæ universalissime suptæ, non est enim contra rationem ejus, ut quis sua propria bona secundum geometricam proportionem dispenset inter plures, quibus jus, aliquod vel titulus insit. Nec 2.ª imperfectio est essentialis: nam ad distributivam justitiam non requiritur totalis abdicatio dominii, sed sufficit alicujus dominii

dispensatur.

communicatio, prout superius explicatum reliquimus, et constat etiam in contractu *emphyteusis* et *feudi*, in quo utile tantum dominium traditur a Principe, sibi servato directo dominio.

3.° imperfectio neganda prorsus est; et ratio per quam probatur, falso nititur principio. Justitia enim distributiva per se non requirit, ut geometrica proportio adhibeatur præcise, quia non potest adhiberi arithmetica. Immo vero proportiones istæ, ut jam paulo superius innuimus, non pugnant inter se, verum possunt simul stare, ita ut geometrica in arithmetica fundetur. Nam sicut se habet integer denarius ad laborem integri diei, ita se habet dimidia pars denarii ad laborem dimidii diei; quare qui daret denarium pro labore diei, et dimidium denarii pro labore dimidii diei, perfectam æqualitatem arithmeticam servaret simul cum geometrica proportione. Ex quo etiam apparet geometricam æqualitatem non esse per se imperfectam, nec supponere imperfectionem, sed esse perfectissimam in ordine suo. Quæ omnia fusius evoluta videri queunt apud Eximium Doctorem (1).

4.° quoque imperfectio neganda est. Nam non est absolute de essentia distributivæ justitiæ, ut supponat debitum in distribuente, nisi fundatum in fidelitate ac promissione. Qui bona communitatis, non sua, distribuit, habet quidem et obligationem servandi æqualitatem proportionalem propter legem et bonum reipublicæ; qui vero distribuit bona sua, ut est Deus, supremus Dominus rerum omnium, non ligatur debito vel obligatione, qua teneatur erga eos, qui præmia et bona recepturi sunt, antecedenter, ad ordinationem ac promissionem (2). Apposite S. Thomas: *Deus non efficitur debitor nobis, nisi forte ex promisso, quia ipse bona operantibus præmium repromisit; et ideo non est inconveniens, si ab ipso quis mereri possit, ex quo aliquo modo debitor est. Vel dicendum, quod in justitia commutativa ille, apud quem quis meretur, efficitur debitor ei, qui meretur, ut patet in illis, qui operationes suas locant in servitium aliorum; sed in justitia distributiva non requiritur ratio debiti ex parte ejus, qui distribuit; potest enim ex liberalitate aliqua distribuere, in quorum tamen distributione justitia exigitur, secundum quod diversis, prout eorum gradus exigit, proportionaliter tribuit* (1). Idque manifeste sequitur ex superius scriptis de gratitudine. Si enim Deus antecedenter ad omnem promissionem, ne gratitudinem quidem strictam habere potest proprie ad bene operantes, multo minus debito et obligatione justitiæ tenebitur ad remunerandum. Cæterum, posita ordinatione ac promissione divina, debitum et obligationem, nulla imperfectione infici, jam superius probatum reliquimus (2).

(1) *De justit. Dei*, sect. 3, num. 4 seqq.
(2) Cfr. S. Thom. 1.ª 2.æ, quæst. 114, art. 1, ad 3.um

Dices. Justitia distributiva per se non respicit proportionem meriti vel dignitatis ad rem, quæ personæ datur, sed proportionem comparativam unius personæ ad aliam, cui etiam distribuitur, ita ut v. gr. si digno sex graduum dentur viginti, digno trium dentur decem. Atqui Deus non attendit in distribuendis bonis, sive naturalibus sive moralibus, ad proportionem istam comparativam unius ad alium, sed perinde se habet, ac si uni daret, quod sibi congruum est. Non enim dat aquæ v. gr. frigiditatem comparative ad calorem, quem dat igni, nec confert tantam gloriam Petro, quia tantam dat Joanni, sed unicuique quod sibi correspondet, quasi nullus alius esset præterea, qui acciperet quidpiam.

Respondeo, *neg. Minor*. Quamvis enim Deus respiciat quoque in distributione bonorum id, quod cuique congruit, in quo adest forma et modus quidam commutativæ justitiæ, attendit etiam proportionem comparativam unius cum alio quod patet duplici ratione: 1.° quia Deus in distributione bonorum suorum, tam naturalium, quam moralium, præcipue attendit bonum et decorem universi, qui non solum in perfectione absoluta rerum consistit, sed in comparatione ad invicem: 2.° quia cum distributio boni communis non fundetur in jure proprietatis, quod unus habet ad rem dandam ut suam, sed in jure meriti et dignitatis ad bonum commune, impossibile est statuere, quantum isti dari debeat, et quantum illi, nisi faciendo comparationem unius cum alio: hoc

(1) S. Thom. 2.ª dist. 27, quæst. 1, art. 3, ad 4.um
(2) Vide num. 202, pag. 591 seqq.

enim necessario involvitur in distributione boni communis juxta merita quando fit inter plures» (1). Et hactenus de his, quæ fusius pertractata videri queunt apud laudatos scriptores.

§ V.—QUID DICENDUM DE JUSTITIA COMMUTATIVA.

Quid sit justitia commutativa.

217. Justitia commutativa, ex eo dicta, quod circa contractus et *commutationes* præcipue versatur, est virtus inclinans ad reddendum alteri, quod suum est secundum æqualitatem rei ad rem. Sicut accidit in emptione ac venditione; qui enim emit, accipit alienum, quod ut suum faciat emendo, debet solvere tantum, quantum res empta valet; qui vero vendit, suum dat, et pro eo jus habet recipiendi tantum, quantum valet. Ideo dicitur commutativa justitia sectari æqualitatem rei *arithmeticam*, quæ consistit in perfecta æquivalentia duarum rerum, dati et accepti. Et quia contractus et commutationes fiunt inter partes vel privata membra societatis aut communitatis, ita ut etiamsi sit publica persona, quæ contrahit, non tamen contrahat prout publica persona, sed prout privata et pars communitatis: justitia commutativa dicitur dirigere ordinem unius partis ad alteram, ac dirigere ea, quæ mutuo fiunt inter privatas personas ad invicem statuendo medium æqualitatis in commutationibus vel contractibus et retributionibus (2). *In commutationibus*, inquit S. Thomas, *redditur aliquid alicui singulari personæ propter rem ejus, quæ accepta est: ut maxime patet in emptione et venditione, in quibus prima invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adæquare rem rei, ut quanto iste plus habet, quam suum sit, de eo, quod sit alterius, tantumdem restituat ei, cujus est. Et sic fit æqualitas secundum arithmeticam medietatem, quæ attenditur secundum parem quantitatis excessum. Sicut quinque est medium inter sex et quatuor; in unitate enim excedit, et exceditur. Si ergo a principio uterque habeat quinque, et unus eorum acceperit unum de eo, quod est alterius, unus (scilicet accipiens)*

(1) Billuart, *De Deo*, dissert. 8, art. 6, paragraph. 2, *Dices* 2.

(2) Cfr. S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 61, art. 1; 4.º dist. 46, quæst. 1, art. 1, solut. 1.ª

babebit sex, et alii relinquentur quatuor. Erit ergo justitia, si uterque reducatur ad medium, ut accipiatur unum ab eo, qui habet sex, et detur ei, qui habet quatuor: sic enim uterque habebit quinque, quod est medium (1)

et multiplex ejus discrimen a distributiva

Quæ cum ita sint, jam innotescit multiplex discrimen inter distributivam et commutativam justitiam. Et α) primo quidem differunt in medio virtutis seu æqualitate, quam utraque sectatur; nam in distributiva medium istud sumitur secundum proportionem geometricam, in commutativa vero secundum proporcionem arithmeticam. β) Secundo differunt in materia; distributiva enim versatur circa distributiones, commutativa autem circa commutationes, quæ attendi possunt inter duas personas (2). γ) Tertio differunt in ipsa ratione justitiæ, quæ stricta est in commutativa, non tam stricta in distributiva. Nam objectum proprium justitiæ est jus ita strictum, ut sit verum rei dominium, vel certe illi moraliter æquivaleat. Unde justitia hæc fundatur in quodam debito proprio ac simpliciter tali, quod obligat ad rem alteri dandam

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 61, art. 2.

(2) Rem sic egregie evolvit S. Thomas: Commutationum *quædam sunt involuntariæ, quædam vero voluntariæ. Involuntariæ quidem, quando aliquis utitur re alterius, vel persona vel opere, eo invito, quod quidem contingit quandoque occulte per fraudem, quandoque etiam manifeste per violentiam. Utrumque autem contingit aut in rem aut in personam propriam, aut in personam conjunctam: in rem quidem, si occulte unus rem alterius accipiat, et vocatur furtum; si autem manifeste, vocatur rapina: in personam autem propriam, vel quantum ad ipsam consistentiam personæ, vel quantum ad dignitatem ipsius; si autem quantum ad consistentiam personæ sit læditur aliquis occulte per dolosam occisionem, seu percussionem, et per veneni exhibitionem: manifeste autem per manifestam occisionem, aut per incarcerationem, aut verberationem, aut membri mutilationem. Quantum autem ad dignitatem personæ, læditur aliquis occulte quidem per falsa testimonia seu detractiones, quibus aliquis aufert famam suam, et per alia hujusmodi; manifeste per accusationem in judicio, seu per convicii illationem. Quantum autem ad personam conjunctam, læditur aliquis in uxore, ut in pluribus, occulte per adulterium, in servo autem cum aliquis servum seduxit, ut a domino discedat; et hæc etiam manifeste fieri possunt. Et eadem ratio est, de aliis personis conjunctis, in quas etiam possunt omnibus modis injuriæ committi, sicut et in personam principalem. Sed adulterium et servi seductio*

aut recompensandam ut *suam*, ideoque etiam huic justitiæ potius, quam alteri, tribuunt Theologi obligationem restituendi, secundum Aquinatis doctrinam (1). Id quoque explicatur per dominium vel jus aliquod dominio æquivalens. «Nam v. gr. qui rem furto abstulit, tenetur ex justitia commutativa reddere illam, vero domino, quia semper retinet jus proprii dominii in illam, quod est maximum et perfectum jus humanum; qui vero pecuniam mutuo accepit, tenetur ex eadem justitia statuto tempore solvere mutuanti, non quia illius dominium retineat, illud enim mutuando in alium transtulit; sed quia loco illius retinuit quoddam jus ad illam pecuniam seu solutionem, quod moraliter æquivalet dominio, quod abs se abdicavit. Et pari ratione quamvis non præcesserit mutuatio, si unus promisit alteri animo et voluntate donandi illi tale jus, et alter acceptavit, tenetur ex eadem justitia illud solvere; quia post promisionem jam intervenit ibi jus æquivalens dominio. Idem considerare licet in obligationibus seu debitis, quæ inter homines oriuntur ex actionibus

sunt propriæ injuriæ circa has personas: tamen quia servus est possessio quædam domini, hoc refertur ad furtum. Voluntariæ autem commutationes dicuntur, quando aliquis voluntarie transfert rem suam in alterum. Et sic quidem simpliciter in alterum transferat rem suam absque debito, sicut in donatione, non est actus justitiæ, sed liberalitatis. In tantum autem ad justitiam voluntaria translatio pertinet, in quantum est ibi aliquid de ratione debiti. Quod quidem contingit multipliciter: uno modo, quando, quis transfert simpliciter rem suam in alterum pro recompensatione alterius rei, sicut accidit in venditione et emptione; alio modo, quando aliquis tradit rem suam alteri concedens alteri usum rei cum debito recuperandi rem. Et si quidem gratis concedit usum rei, vocatur usus fructus in rebus, quæ aliquid fructificant vel simpliciter mutuum seu commodatum in rebus, quæ non fructificant, sicut sunt denarii, vasa et hujusmodi. Si vero nec ipse usus gratis conceditur, vocatur locatio et conductio. Tertio modo aliquis tradit rem suam ut recuperandam non ratione usus, sed vel ratione conservationis, sicut in deposito, vel ratione obligationis, sicut cum quis rem suam pignori obligat, seu cum aliquis pro alio fide jubet. In omnibus autem hujusmodi actionibus sive voluntariis sive involuntariis, est eadem ratio accipiendi medium secundum æqualitatem recompensationis. Et ideo omnes istæ actiones ad unam speciem justitiæ pertinent, scilicet ad commutativam. S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 61, art. 3. Cfr. ibid. art. 4.

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 62, art. 1.

vel passionibus involuntariis, ut ex actionibus injuriosis: nam, quando aliquis alium vulnerat, v. gr., aut lædit in honore, vel fama, etc., minuit dominium ejus, vel jus æquivalens dominio ad usum alicujus rei, quam possidebat, vel potius diminuit rem ipsam, cujus dominium vel possessionem habebat; ideoque ex eadem justitia obligatus manet ad redintegrandum illud jus, seu rem illam, quantum in ipso fuerit, vel ad reddendam æquivalentem, si altera æstimari potuerit» (1).

Præter istud jus strictum et rigurosum datur in hominibus aliud minus strictum et rigurosum, quod sectatur justitia distributiva, fundatum in quadam dignitate seu conditione personæ, quæ est pars communitatis vel rei publicæ, quapropter debetur illi aliquid de bonis reipublicæ dignatati suæ proportionatum, quod jus revera non est dominium, quia talia bona nunquam fuerunt talis personæ, cui eo modo deberi dicuntur, nec ratione proprii dominii vel alterius rei propriæ, in qua læsa fuerit, ei debentur. Unde fit etiam, ut longe majus et rigurosius sit debitum, quod ex priori jure nascitur, quam quod ex posteriore; nam magis debetur alicui id, quod est propria suum, quam id, quod est commune, licet ad illud habeat aliquod jus propter dignitatem personæ vel aliam similem proportionem. Quare circa prius illud jus omnes Theologi affirmant, ex illius læsione enasci obligationem restituendi, quod circa posterius jus præcise sumptum quamplures, et fortasse probabilius, negant. Resque declaratur exemplis. «Nam qui beneficium vel cathedram prætendit, numquam habuit dominium vel possessionem ejus, vel alterius rei æquivalentis, quam pro altera dederit: habet tamen, si sit digna persona, jus quoddam ad talem rem, quia secundum quamdam æquitatem ei potius, quam alteri, tribuenda est: eo quod inter partes hujus communitatis habeat majorem proportionem cum tali re, quam aliæ personæ. Unde fit quod si sint aliæ personæ æque dignæ, nulla earum habeat jus ad talem rem necessarium, ut sic dicam, seu efficax, sed tantum sufficiens, quia cuicumque earum detur, nulli fit injuria. Atque hinc etiam optime declaratur a posteriori hoc

(1) Suarez, Disput. *de justit. Dei*, sec. 2, num 3.

jus esse longe diversum, et inferioris rationis a jure dominii. Quia postquam alicui datum est beneficium, seu munus cathedræ, quia jam habet illius dominium, non potest propter quæcumque alterius merita æqualia vel majora illis privari, fieretque injuria contra justitiam commutativam. Ergo longe diversum est habere verum jus in re tamquam propria, et habere aliquale jus ad rem communem» (1).

In quo conveniant omnes circa propositam controversiam, et in quo dissideant.

Age vero, circa propositam controversiam conveniunt omnes in eo, quod antecedenter ad promissionem Dei nullum esse possit in homine jus ad remunerationem ex justitia commutativa. Utrum vero, posita promissione, reperiatur in Deo debitum strictæ justitiæ commutativæ, qua meritis justorum hominum præmia decernat, æqualitatem servans arithmeticam, acriter disputatur. Affirmat ex antiquis Aureolus (2), ac multi e nostris cum Eximio Doctore (3), Bellarmino (4), Valentia (5), Jacobo Granado (6), Tannero (7), Puente Hurtado (8), Rebello (9), Arriaga (10), Ragusa (11), Fassolo (12), Dicastillo (13), Raynaudo (14) et Carleton Compton (15): ac pro eadem laudatur etiam Cabrera (16), et Didacus Alvarez (17) apud Granadum et Ruiz (18) et Zumel ac

Sententia asserens Deo justitiam commutativam.

(1) Suarez, Disp. *de just. Dei*, sect. 3, num. 14 et 15.
(2) 1.ª dist. 46, art. 1, column. ult.; et 4.ª dist. 46, art unic.
(3) *Relect. de libert. div.*, disp. 2, sect. 2; disp. *de just. Dei*, sect. 2; de *Incarnat.* tom. 1, disp. 4, sect. 5 et 6; *de gratia*, lib. 12, cap. 30.
(4) Lib. 5 *de justific.* cap. 14, 16 et 17.
(5) In 1.am p. disp. 1, quæst. 21, punct. 1.
(6) In 1.am p. tom. 2, tract. 7, disp. 4.
(7) Tom. 4, disp. 1 de *Incarnat.* quæst. 2, dub. 6, et tom. 1, disp. 2, quæst. 2, dub. 20.
(8) 3.ª part. disp. 20.
(9) *De just.* lib. 1, quæst. 4, sect. 3.
(10) Tom. 1, disp. 31, sect. 2.
(11) 3.ª part, disp. 3, paragr. 6; disp. 20, paragr. 2.
(12) In 1.am p., quæst. 21, art. 1, dub. 2, num. 30.
(13) *De just. et jure*, lib. 2, tract. 1, disp. 2, dub. 2, num. 47.
(14) *Theolog. natur.* dist. 8, quæst. 2, art. 5.
(15) *De Deo*, disp. 35, sect. 5.
(16) In 3.am p. quæst. 1, art. 2, disp. 7 et 8.
(17) In 3.am p., disp. 4, num. 31; et disp. 35, num. 10.
(18) Granad., loc. cit. sect. 2; Ruiz de Montoya, disp. 58 sect. 2, num. 4.

Ledesma apud cardin. Lugo (1). Sed negat longe communior sententia, quam tenent non solum ii, qui nolunt admittere in Deo veri nominis justitiam, verum etiam illi, quos solum distributivam admisisse retulimus in præcedenti paragrapho (2).

Sententia negans.

De mente S. Thomæ in hac quoque controversia nonnihil disputatur, quidam enim prioris opinionis assertores, sanctum Doctorem sibi adversari nolunt fateri. Verum equidem arbitror de hac re nullum dubium rationabile superesse. Vide, quid scripserit in libro 4.° *Sententiarum* post declaratam utriusque justitiæ notionem: *Justitia commutativa, per quam æqualitas constituitur inter Deum dantem et creaturam recipientem*, Deo competere non potest secundum propriam acceptionem, *quia beneficia Dei semper excedunt* meritum creaturæ (3). Et alibi: *Justitia*, quantum ad commutationis actum, Deo competere non *potest, cum ipse a nullo aliquid accipiat, unde Rom. XI:* Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? *et Job XLI:* Quis antededit mihi, ut reddam ei? *Per similitudinem tamen aliqua Deo dare dicimur, in quantum nostra data Deus accepiat*. Non igitur sibi competit commutativa justitia, sed solum distributiva (4). Idem confirmat in *Summa theologica* disertissime: *Hæc* (justitia, quam ibi descripserat) *dicitur a Philosopho justitia commutativa... et* hæc non competit Deo (5). Item: *Manifestum est..., quod inter Deum et hominem est maxima inæqualitas (in infinitum enim distant), et totum quod est hominis bonum, est a Deo. Unde* non potest hominis ad Deum esse justitia secundum absolutam æqualitatem, *sed secundum proportionem quamdam, in quantum scilicet uterque operatur secundum modum suum* (6).

Mens S. Thomæ.

Judicium Auctoris.

218. Controversiam hanc tam acriter tantaque argumentorum copia disputatam equidem definire non possum, quia cum nequeat breviter pro dignitate tractari, magisque ad

(1) De *Incarnat.* disp. 3, sect. 2, num. 3.
(2) Vide num. 213, pag. 621.
(3) 4.° dist. 46, quæst. 1, art. 1, solut. 1, corp. Cfr. ib. ad 4.um; et 2.° dist. 27, quæst. 1, art. 3.
(4) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 93, *Similiter etiam...*
(5) 1. p. quæst. 21, art. 1.
(6) 1.ª 2.æ, quæst 114, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Theologiam dogmaticam pertineat, malo eam ad locum suum remittere, quam dimidiatim pertractare. Unum tantum notabo, probabiliorem videri negantem sententiam S. Thomæ, quam secundo loco proposuimus. Unum vero ex præcipuis fundamentis est illud, quod nondum potuerunt adversarii enervare, nedum destruere suis rationibus, nempe quod Deus, si obligaretur ex justitia commutativa erga hominem, non maneret essentialiter ac perfecte dominus. Atqui Deus non potest ullatenus abdicare a se plenum et perfectum dominium erga homines omnesque illius actiones. Et probatur **Major**, quia si Deus «obligatur ex justitia, non manet plene et perfecte dominus; et omissis aliis rationibus minus efficacibus, probari potest primo, quia nimirum si obligatur ex justitia, jam resultat in creatura aliquod jus adversus Deum; repugnat autem cum dominio perfectissimo, quod servus acquirat aliquod jus, quod jus non acquiratur domino; cum omne quod acquirit servus ut servus, acquirat domino: ergo si creatura acquirit sibi aliquid, quod non acquiratur Deo, eo ipso arguitur Deum non esse perfectissime dominum illius creaturæ. Dixi autem quidquid servus *ut servus* acquirit, acquirere suo domino; quia non nego, in humanis servum posse acquirere aliqua jura, quin acquirat domino, ut si paciscatur cum domino ipso circa suas operas diurnas, vel alio modo: hoc tamen totum provenit ex eo, quod ille non est perfecte et essentialiter servus, sed accidentaliter: quare potest adhuc considerari in ordine ad aliquos contractus non ut servus, sed ut homo, et ut sic non acquirit domino: at vero creatura est essentialiter serva Dei, nec potest ullo modo considerari, aut præscindi ab hac servitute, nam eo ipso quod consideretur ut homo, consideratur ut creatura, et per consequens ut servus Dei: nunquam igitur potest illi aliquid acquiri, quod non acquiratur Deo, qui est essentialiter ejus dominus» (1).

Dices. Deus de facto, posita sua promissione, non potest negare præmium bonis operibus hominis. Ergo est in homine jus coarctans ac restringens dominium Dei.

(1) Lugo, de *Incarnat.*, disp. 3, sect. 1, num. 21.

Respondeo, *neg.* conseq. Quia promissio non dat homini jus restringens dominium Dei, sed tantum cogit Deum ex fidelitate et immutabilitate ad reddendam rem promissam. Unde negatio præmii non læderet strictum jus creaturæ inferendo illi veri nominis injuriam, sicut infert ille, qui peccat contra justitiam commutativam, sed tantum esset actus infidelitatis et inconstantiæ.

Eodem recidit ratio illa familiarissima S. Thomæ, desumpta ex ipsa commutativæ justitiæ ratione. Nam ut quis obligetur erga alterum ex hac justitia, oportet, ut ab illo accipiat aliquid, quod proprium erat ejusdem, et noc alterius. Atqui nihil potest homo dare per sua opera bona et merita, quod non sit ipsius Dei multo magis, quam hominis merentis. Nam *quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* (1). Et: *Quid dedimus Deo, quando totum, quod sumus, et quod habemus boni, ab illo habemus?* (2). Habeant ergo bona opera suum intrinsecum valorem et condignitatem cum præmio. Verum si verissime sunt dona Dei, non videntur posse fundare in homine jus strictæ justitiæ commutativæ, ut accipiant a Deo remunerationem.

Quæ cum ita sint, testimonia sacrarum Litterarum, quæ commendant Dei justitiam in reddenda merced pro bonis operibus, non necessario intrepretanda sunt de justitia stricta et commutativa, sed possum intelligi de distributiva et minus stricta. Idemque dicendum est de Patribus, cum potissimum non desint alii Patres qui diserte profiteantur Deum nihil debere homini, nec facturum illi esse injuriam, si non redderet præmium (3). Et hæc nobis innuisse sufficiat, quæ fuse disputata videri possunt apud laudatos pro utravis opinione auctores.

(1) *Roman.* cap. 11, vers. 35.
(2) S. August., serm. 16 de *verbis Apostoli*, cap. 2.
(3) Vide v. gr. S. August., S. Anselm., S. Bernard. apud card. Lugo, loc. cit. num. 34.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS VII

De divina misericordia (1)

Duo hic breviter tractanda suscepimus: primo declaranda est ac Deo asserenda misericordia, deinde conferenda illa est virtuti justitiæ.

§1.—ASSERITUR DEO MISERICORDIA.

Quid sit misericordia,

219. Misericordia est virtus inclinans ad sublevandam alienam miseriam; nam *misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor, quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria* (2). Misericordia potest sumi vel large vel stricte. Latissima acceptio est pro sub entione cujuslibet defectus, sive qui actu existat, sive qui præoccupetur, ne quis in illum incidat. Quo sensu subjectum misericordiæ possunt esse res non solum rationales, sed omnes etiam ratione sensuque carentes. Stricte sumpta misericordia respicit veri nominis miseriam et infelicitatem, atque ad solas creaturas rationales restringitur, quippe quæ solæ sunt capaces miseriæ, sicut proprie solæ sunt capaces felicitatis. Eædemque sunt potissimum dignæ, quibus misereatur Deus; nam cæteris rebus subvenit propter homines, propter quorum utilitatem et commodum creatæ a Deo sunt. Et strictius adhuc sumitur misericordia, si non ad cavendam miseriam nondum existentem porrigatur, sed solum ad actu præsentem levandam limitetur (3).

sive latius,

sive stricte,

sive strictissime sumpta.

Misericordia est specialis virtus distincta a bonitate,

Quamquam ergo misericordia interdum confundi videatur cum bonitate, distinguitur ab ea, quia bonitas non supponit necessario miseriam, quandoquidem bona fieri possunt non miseris solum et ærumnosis, sed etiam iis, qui non patiuntur miseriam, immo etiam iis, quæ omnino non existunt, nimirum cum creantur. Estque misericordia virtus

(1) Egregium de hac re suavissimumque tractatum habes in libro 12 de *perfection. divin.* a P. Leonardo Lessio conscriptum.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 21, art. 3. Cfr. 2.ª 2.æ, quæst 30, art. 3.

(3) Cfr. Ruiz de Montoya, disp. 61, sect. 1, num. 5, 7.

a cæteris omnibus distincta, quia in removenda miseria, quæ tantopere dedecet præstantissimam naturam hominis, est specialis honestas, quam nulla alia virtus ut sibi proprium objectum formale sectatur (1). Fatendum tamen est, opera misericordiæ plerumque ex prædicta honestate non procedere, «sed potius ex affectu charitatis; ac proinde hanc virtutem non videri distingui a charitate, sicut supra est explicatum. Hinc fit, ut dilectio proximi fere tota consistat in operibus misericordiæ» (2).

quamvis sæpe opera misericordiæ non ab hujus virtutis speciali honestate, sed potius a charitate procedant.

220. Jam misericordiam aliquo modo convenire Deo, sive proprie ac formaliter, sive metaphorice ac secundum effectus, res est certissima, nec puto esse aliam Dei perfectionem, quæ luculentius frequentiusve commedetur, vel impensius prædicetur in sacris Litteris totaque doctrina Ecclesiæ, ut necesse non sit ullum hic singularem locum proferre, cum pleni sint omnes libri laudibus divinæ misericordiæ. Ratio vero est, quia nec miseria sublevatur, nec ærumnæ malave remedium accipere possunt nisi per effusionem bonitatis: effusio autem bonitatis nulli magis convenit, quam inexhausto fonti omnis boni ac pelago perfectionis.

Misericordia Deo convenire certissimum est.

disputatur vere, utrum ea proprie, an metaphorice prædicanda sit:

Unum solum dubitatur, utrum misericordia Deo asserenda sit proprie, an metaphorice. Et ratio dubitandi est, quia misericordia, saltem prout in nobis reperitur, duo includit, alterum quod est velle relevare miseriam, alterum quod est compassionis vel doloris affectus, qui exsurgit ex alienæ miseriæ contemplatione. Ac certum apud omnes est exploratumque, primum horum, utpote purissimam involvens perfectionem, proprie Deo asserendum esse, sicut et alterum non posse prædicari de Deo, in quem repugnat tristitiam cadere vel dolorem compassionemve. Quod expressit S. Anselmus illis verbis: *Cum respicis nos miseros, nos sentimus misericordiæ effectum, tu non sentis affectum, quia nulla miseriæ compassione afficeris* (3). Et alibi: *Misericors es, non quia tu sentias affectum, sed quia nos sentimus effectum* (4).

(2) Vide S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 30, art. 1.

(3) P. Leonard. Lessius, *De perfection. Dei*, lib. 12, cap. 1, num. 3 fin.

(4) S. Anselm. *Proslog.* cap. 8.

(4) Ibid. cap. 10.

cardo controversiæ est, utrum compassio sit de essentia misericordiæ.

Quare tota controversia circa hunc tandem cardinem vertitur, utrum compassio de aliena miseria se habeat de materiali tantum, an vero de formali in conceptu misericordiæ. Si enim primum dicatur, misericordia poterit proprie ac sine metaphora de Deo prædicari; secus vero, si dicatur alterum; tunc enim imperfectio illa, quam in nobis importat misericordia, esse de ratione illius, nec posset vel in generalissimo ejusdem conceptu separari. Itaque quidam, ut P. Salmeron (1), negant Deo tribuendam esse proprie ac sine metaphora misericordiam, sicut nec tribuitur ira. Alii tamen multi arbitrantur proprie ac formaliter inesse Deo misericordiam; quæ est sententia sat communis interpretum S. Thomæ aliorumque scriptorum cum Eximio Doctore (2), Molina (3), Gabriele Vazquez (4), Joanne a S. Thoma (5), Billuart (6), Granado (7), Ruiz de Montoya (8), Carleton Compton (9), Leonardo Lessio (10), aliisque.

Varia sententia; sed probabilius affirmat Deo proprie convenire misericordiam,

quæ probatur.

Quam sententiam ego quoque libenter amplector. Nam in quæstionibus quæ respiciunt modum loquendi, communes sententias sectari oportet. Cum ergo frequentissima doctissimorum virorum sententia teneat, compassionem non esse de formali ratione misericordiæ, sed solum affectum sublevandi alienam miseriam, quæ purissima est perfectio, nulli essentialiter admixta imperfectioni; misericordia Deo proprie ac sine metaphora tribuenda est.

§ II.—CONFERTUR MISERICORDIA CUM JUSTITIA DIVINA.

In omnibus operibus Dei miscetur misericordia et justitia.

221. *Primo statuendum est cum S. Thoma in omnibus operibus Dei misceri misericordiam et justitiam*, saltem si justitia sumatur proprie pro speciali virtute, sive generalius pro

(1) Tom. 13. In epist. Pauli, lib. 1, part. 2, disp. 4, paragr. 2.
(2) *De Deo et div. attrib.*, lib. 3, cap. 7, num. 15.
(3) Id 3.ª p. quæst. 21, art. 3.
(4) Ibid.
(5) *Curs. Theolog.*, tom. 2, quæst. 21, disp. 6, art. 5.
(6) *De Deo uno*, dissert. 8, art. 6, paragr. 2, *Dico* 5.ª
(7) In 1.ª p. tom. 2, tract. 7, disp. 7.
(8) *De volunt. Dei*, disp. 61, sect. 1.
(9) *De Deo uno*, disp. 35, sect. 6, num. 10.
(10) De *perfection. div.*, lib. 12, cap. 2.

voluntate faciendi id, quod oportet *secundum condecentiam divinæ bonitatis, vel etiam secundum exhibitionem promissi* (1); itemque si misericordia latius accipiatur pro affectu removendi quemlibet defectum. Quo videtur spectare illud Psalmi: *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (2). Quod etiam docuit Cassiodorus, qui explicans verba illa Psalmi centesimi: *Misericordiam et judicium cantabo tibi Domine*, sic eloquitur: *Potestas Domini semper aut miseretur, aut judicat. Sed neque misericordia ipsius sine judicio, neque judicium sine misericordia reperitur. Utraque enim se mutua societate conjungunt* (3).

Ratio vero est, quia *cum debitum, quod ex divina justitia redditur, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturæ, neutrum potest in aliquo opere Dei prætermitti. Non enim potest facere aliquid Deus, quod non sit conveniens sapientiæ, et bonitati ipsius; secundum quem modum diximus, aliquid esse debitum Deo. Similiter etiam quidquid in rebus creatis fit, secundum convenientem ordinem, et proportionem fit; in quo consistit ratio justitiæ. Et sic oportet in omni opere Dei esse justitiam* (4). Est autem in omni opere Dei misericordia, quia *opus... divinæ justitiæ semper præsupponit opus misericordiæ, et in eo fundatur. Creaturæ enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid in ea præexistens vel præconsideratum. Et rursus si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius. Et cum non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquid, quod ex sola bonitate divinæ voluntatis dependeat, quæ est ultimus finis; utpote si dicamus, quod habere manus debitum est homini propter animam rationalem, animam vero rationalem habere ad hoc, quod sit homo, hominem vero esse propter divinam bonitatem. Et sic in quolibet opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem ejus; cujus virtus salvatur in omnibus consequentibus, et etiam vehementius in eis operatur, sicut causa primaria vehementius influit, quam causa secunda. Et propter hoc etiam ea, quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largius dispensat, quam exigat proportio rei. Minus enim est, quod sufficeret ad conservandum ordinem*

(1) S. Thom. 4.ª dist. 46, quæst. 2, art. 2, solut. 2, ad 4.um.
(2) *Psalm.* 24, vers. 10.
(3) Cassiod., *In Psalm.* 100. Cfr. Anselm. *Prosolog.* cap. 11.
(4) S. Thom. 1. p. quæst. 21, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

justitiæ, quam quod divina bonitas conferi, quæ omnem proportionem creaturæ excedit (1).

Cæterum exponit Cajetanus assertionem hanc proprie intelligendam esse de operibus omnibus, quæ exerceantur divinitus erga creaturam jam alioquin conditam; nam nisi ponatur creatura jam condita, non potest cogitari ut subjecta alicui miseriæ, quo pacto est objectum misericordiæ divinæ, neque est requirens suapte conditione aliquid, quod sit sibi debitum secundum ordinem justitiæ. Quare cum in creatione formaliter non intelligatur creatura ut jam condita, non potest dici proprie in creatione elucere divina misericordia, sed tantum improprie, prout nimirum cogitatur creaturam transferri per opus creationis ex *non esse* ad *esse* tamquam ex quodam defectu et miseria (2). *Et secundum hoc etiam salvatur sibi ratio justitiæ, in quantum res in esse producitur, secundum quod convenit divinæ sapientiæ et bonitati* (3).

Dices. Non intelligitur: α) quo pacto in impii justificatione appareat justitia, cum sit illa prorsus gratuita: itemque β) quomodo in punitione damnatorum ostendatur divina misericordia.

Respondeo ad α) rem satis intelligi, si justitia sumatur generalius pro eo, quod decet divinam bonitatem, et quatenus justum est divinam ordinationem et promissionem impleri (4). Vel dic aliter, in justificatione impii apparere justitiam, *dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit, sicut de Magdalena legitur* (5): **Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum** (6).

Respondeo ad β). In punitione damnatorum elucet divina misericordia, quia nimirum punit illos citra condignum;

(1) S. Thom., loc. cap. cit. Et lege omnino S. Doctorem in 4.° dist. 46, quæst. 2, art. 2, solut. 2.

(2) P. Gregorius de Valentia, In 1.am p., disp. 1, quæst. 21, punct. 2.

(3) S. Thom., quæst. 21, art. 4, ad 4.um.

(4) Vide S. Thom., 4.° dist. 46, quæst. 2, art. 2, solut. 2, ad 4.um; S. Bonavent. 4.° dist. 46, art. 2, quæst. 2.

(5) *Luc.* cap. 7, vers. 47.

(6) S. Thom. 1 p., quæst. 21, art. 4, ad 4.um.

sicut e contrario beatos remunerat ultra condignum quemadmodum habet commune Theologorum axioma (1). «Cujus tamen axiomatis sensus nequaquam est, quod Deus sit plus præmii retributurus pro meritis, et minus pœnæ pro peccatis, quam æterna immutabilique lege sua constituerit. Sed hujus axiomatis sensus est, quod salva recta ratione justitiæ distributivæ, et considerata ratione ipsa meritorum et peccatorum, potuisset Deus ab æterno statuere, minus se præmii retributorum pro meritis, et plus pœnæ pro peccatis, quam jam ab æterno statuit. Nam et hoc etiam facere potuit, servata eadem proportione præmii aut pœnæ unius ad præmium aut pœnam alterius, quæ esset meritorum aut peccatorum unius ad merita aut peccata alterius: in qua proportione consistit æqualitas justitiæ distributivæ» (2). Vide S. Augustinum (3), et lege Ruiz de Montoya (4).

Utrum sit prior, misericordia, an justitia.

222. *Utrum misericordia sit prior, an posterior justitia*, si quæsieris; distinctione utendum erit. Vel enim justitia sumitur latissime pro perfectione Dei, quæ inclinat ad omne id, quod decet divinam bonitatem, justitia ratione prior est misericordia, quemadmodum docuit S. Anselmus, cum scripsit: *Si misericors es, quia es summe bonus, et summe bonus, inde quia es summe justus; vere idcirco es misericors, quia es summe justus* (5). Et: *Nascitur de justitia tua misericordia tua, quia justum est te sic esse bonum, ut et parcendo sis bonus* (6). Ut probatur, quia ratio parcendi et sublevandi miseros ea est, quoniam id pertinet ad divinam bonitatem debito decentiæ (7). Si vero justitia strictius sumatur pro virtute, quæ præmia meritis, demeritis supplicia rependit, posterior est, quam misericordia. Et ratio est, quia misereri convenit Deo ex se ipso et ex primaria ac quasi spontanea voluntatis propensione; sed supplicia reddere non convenit

(1) Vide Theologos cum *Magistro Sentent.* in 4.° dist. 46, ubi lege S. Thom. quæst. 2, art. 2, solut. 1.

(2) Valentia, In 1.am p. disp. 1, quæst. 21, punct. 2.

(3) Serm. 6 *ad Fratres in Eremo.*

(4) Loc. cit., disp. 61, sect. 3.

(5) *Proslog.* cap. 9, post med.

(6) Ibid. cap. 11.

(7) Cfr. S. Thom. 4. dist. 46, quæst. 2, art. 2, solut. 3, ad 2.um

Deo nisi provocantibus, ac prope compellentibus hominum peccatis. Itemque præmiorum distributio prævium requirit meritum liberæ operationis supernaturalis, quæ nonnisi excitante atque adjuvante gratia eliciuntur, gratiæ vero collatio est opus misericordiæ.

Misericordia est attributum ratione proprium Dei.

223. *Hinc etiam misericordia dicitur attributum maxime proprium et connaturale Dei.* Quia cum Deus sit summum bonum, est quoque summe diffusivus sui per communicationem bonorum, atque adeo convenit, ut tollat defectus et miserias a suis creaturis, potissimum rationalibus. Quare, observante S. Bernardo (1), Deus in sacris Litteris dicitur *Pater misericordiarum* (2), non vero judiciorum aut ultionum Pater (3); quia illi *proprium est misereri semper et parcere*, ut habet Ecclesia in quadam oratione; et quia *misserendi causam et originem sumit ex proprio, judicandi vero vel ulciscendi, magis ex nostro*, ut modo dicebam. Quam ad rem præclare S. Dionysius: *Sicut sol noster non cogitatione aut voluntate, sed eo ipso quod est, omnia illustrat, quæ ejus lumen pro modo suo capere possunt; sic etiam ipsum bonum, scilicet Deus, omnibus pro eorum captu, solitus bonitatis radios emittit* (4).

Utrum sit excellentior virtus, justitiane, an misericordia.

224. *Si jam quæras, ultra sit excellentior virtus, misericordiane, an justitia;* controversia locum non habet, si sermo sit de hisce virtutibus, prout sunt in se entitative, sic enim neutra major est, sed utraque una et eadem res est, nempe divina essentia. Dubitari autem potest, quid de illis dicendum sit, prout a nobis concipiuntur diversis rationibus, sive hæ diversæ rationes dicantur invicem perfecte præscindere, sive solum imperfecte, ita ut altera sit de alterius ratione, secundum ea quæ generatim disputata sunt de divinis attributis in primo *Theodiceæ* volumine (5). Posita vero, quam ibi tuiti sumus, sententia præcisionis attributorum penes explicitum, dicendum est cum S. Thoma misericordiam, prout

(1) Serm. 5 *de natali Christi.*
(2) *Corinth.* cap. 1, vers. 3.
(3) Dicitur tamen in *Psalmo* 93, vers. 1: *Deus ultionum.*
(4) *De divin. nomin.*
(5) *Theodic.* vol. 1, num. 102 et 103, pag. 122, 124 seqq.

distinctam secundum conceptum expressum a justitia, esse illa excellentiorem (1).

Misericordia est excellentior justitia tum in se nostro modo concipiendi,

Et probatur 1.º ratione S. Thomæ: *Illud, quod est formale in unoquoque est excellentius in eo, quia per formam materia completur. In qualibet autem actione illud, quod est ex parte agentis est quasi formale; illud autem, quod est ex parte patientis vel recipientis, est quasi materiale. Dictum autem est supra, quod misericordia in omni opere divino resultat ex parte ipsius Dei, qui superabundat in bono* (2), *sed justitia ex parte recipientis, qui recipit secundum suam proportionem. Et ideo in quolibet opere divino supereminet misericordia justitiæ, sicut materiali formale. Et hoc est, quod in Psalmo 144, vers. 9 dicitur:* **Miserationes ejus super omnia opera ejus** (3). Et alibi: *Superexaltat misericordia judicium* (4), id est superior est et perfectior: quamquam et aliæ possint esse hujus loci interpretationes.

Probatur 2.º Misericordia *secundum se* virtutum omnium maxima est: *pertinet enim ad misericordiam quod aliis effundat, et quod plus est, quod defectus aliorum sublevet, et hoc maxime superioris est. Unde et misereri ponitur proprium Deo; et in hoc maxime dicitur ejus omnipotentia manifestari. Sed quoad habentem misericordia non est maxima, nisi ille, qui habet, sit maximus, qui nullum supra se habeat, sed omnes sub se. Et enim, qui supra se aliquem habet, majus est et melius conjungi superiori, quam supplere defectum inferioris* (5). Si ergo misericordia secundum se maxima virtutum est, major quoque erit, quam justitia, prout in Deo a nobis concipitur ab eadem distincta.

tum in effectibus.

225. *Nec solum est misericordia Dei major justitia secundum se, nostro modo concipiendi, sed etiam major est atque insignior in suis effectibus et manifestationibus.* Namque *suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera*

(1) Cfr. *Theodic.* vol. 1.um num. 106, pag. 337, ubi de inæqualitate divinorum attributorum.
(2) Vide modo dicta, num. 222.
(3) S. Thom. 4.º dist. 40, quæst. 2, art. 2, solut. 3.
(4) *Jacob.* cap. 2, vers. 13.
(5) S. Thom. 2.ª 2.æ, quæst. 30, art. 4.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus (1). Et: *Misericordia Domini plena est terra* (2). *Quia enim*, inquit S. Augustinus, *in terra abundat miseria hominis, ibi etiam superabundat misericordia Dei*. Nec solum in terra, sed etiam in cœlis, quamvis ibi nulla sit miseria, sed nemo eo pervenit nisi per Dei misericordiam. *Omnia indigent Deo*, pergit ibidem S. Augustinus, *et misera et felicia; sine illo miseri non sublevantur, sine illo felix non regitur*. Immo vero, ut jam supra innuimus, ipsi inferi non vacant misericordia divina. Et sic *justis et injustis, beatis et damnatis misericordiam cum justitia semper agit omnipotens Deus. Beatis enim dat gloriam, quam non merentur habere quibuscumque bonis commissis; et malis dat pœnam, quam majorem merentur habere de malis commissis* (3). Tanta demum est misericordiæ divinæ amplitudo et vis, ut in ejus exsequendis operibus tota impendatur omnipotentia: unde divinitus afflata Ecclesia sic Dominum nostrum in quadam oratione alloquitur: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas* (4). Ea verò splendidissime elucet in *Incarnatione* Domini nostri Jesu Christi ac *Redemptione* generis humani, atque in operibus justificationis et glorificationis electorum (5).

(1) *Psalm.* 144, vers. 9.
(2) *Psalm.* 32, vers. 5.
(3) S. August., serm. 6 *ad Fratres in Eremo*.
(4) Orat. oct. domin. X post Pentecost.
(5) Lege, si lubet, pium scriptorem P. Leonardum Lessium, *De perfectione divin.*, lib. 12, cap. 3 seqq.

DISPUTATIO SEXTA

DE DIVINA OMNIPOTENTIA

Quæ de re agendum in hac disputatione.

Post tractatas operationes et potentias Dei intentionales, intellectum et voluntatem, reliquum est, ut de potentia vel virtute activa disputemus, eaque tantum, quæ est operativa ad extra. Nam ineffabiles processiones divinarum Personarum earumque virtus et principium philosophicam considerationem transcendunt, ac Theologis tractanda relinquere oportet. Neque etiam est nostrum aggredi omnia, quæ ad potentiam operativam pertinent; nam quæcumque ad ordinem supernaturalem spectant, et præcipua profecto sunt in divinis operibus, iterum dogmaticæ Theologiæ propria sunt, solis exceptis miraculis, quæ dicuntur supernaturalia duntaxat quoad modum, et jam passim tractari solent a Philosophis ad revincendos insanos rationalistarum impetus. Verum cum miracula nos in *Cosmologia* tractaverimus, solum restat, ut de naturalibus operibus divinæ potentiæ agamus: in quibus tria illa numerantur, creatio, conservatio et concursus. Prius autem ipsa divina potentia declaranda et probanda est, concursus vero propter majorem suam difficultatem specialis disputationis suppeditat materiam.

CAPUT I

REALITAS ET NATURA DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ

Duo potissimum tractanda occurrunt circa divinam omnipotentiam, primo enim ejus oportet probare existentiam, deinceps vero definire, in quo ratio ejusdem responenda sit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus (1). Et: *Misericordia Domini plena est terra* (2). *Quia enim*, inquit S. Augustinus, *in terra abundat miseria hominis, ibi etiam superabundat misericordia Dei*. Nec solum in terra, sed etiam in cœlis, quamvis ibi nulla sit miseria, sed nemo eo pervenit nisi per Dei misericordiam. *Omnia indigent Deo*, pergit ibidem S. Augustinus, *et misera et felicia; sine illo miseri non sublevantur, sine illo felix non regitur*. Immo vero, ut jam supra innuimus, ipsi inferi non vacant misericordia divina. Et sic *justis et injustis, beatis et damnatis misericordiam cum justitia semper agit omnipotens Deus. Beatis enim dat gloriam, quam non merentur habere quibuscumque bonis commissis; et malis dat pœnam, quam majorem merentur habere de malis commissis* (3). Tanta demum est misericordiæ divinæ amplitudo et vis, ut in ejus exsequendis operibus tota impendatur omnipotentia: unde divinitus afflata Ecclesia sic Dominum nostrum in quadam oratione alloquitur: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas* (4). Ea verò splendidissime elucet in *Incarnatione* Domini nostri Jesu Christi ac *Redemptione* generis humani, atque in operibus justificationis et glorificationis electorum (5).

(1) *Psalm.* 144, vers. 9.
(2) *Psalm.* 32, vers. 5.
(3) S. August., serm. 6 *ad Fratres in Eremo*.
(4) Orat. oct. domin. X post Pentecost.
(5) Lege, si lubet, pium scriptorem P. Leonardum Lessium, *De perfectione divin.*, lib. 12, cap. 3 seqq.

DISPUTATIO SEXTA

DE DIVINA OMNIPOTENTIA

Quæ de re agendum in hac disputatione.

Post tractatas operationes et potentias Dei intentionales, intellectum et voluntatem, reliquum est, ut de potentia vel virtute activa disputemus, eaque tantum, quæ est operativa ad extra. Nam ineffabiles processiones divinarum Personarum earumque virtus et principium philosophicam considerationem transcendunt, ac Theologis tractanda relinquere oportet. Neque etiam est nostrum aggredi omnia, quæ ad potentiam operativam pertinent; nam quæcumque ad ordinem supernaturalem spectant, et præcipua profecto sunt in divinis operibus, iterum dogmaticæ Theologiæ propria sunt, solis exceptis miraculis, quæ dicuntur supernaturalia duntaxat quoad modum, et jam passim tractari solent a Philosophis ad revincendos insanos rationalistarum impetus. Verum cum miracula nos in *Cosmologia* tractaverimus, solum restat, ut de naturalibus operibus divinæ potentiæ agamus: in quibus tria illa numerantur, creatio, conservatio et concursus. Prius autem ipsa divina potentia declaranda et probanda est, concursus vero propter majorem suam difficultatem specialis disputationis suppeditat materiam.

CAPUT I

REALITAS ET NATURA DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ

Duo potissimum tractanda occurrunt circa divinam omnipotentiam, primo enim ejus oportet probare existentiam, deinceps vero definire, in quo ratio ejusdem responenda sit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS I

Utrum Deus sit omnipotens

Quid sit omnipotentia.

226. Omnipotentia, ut ipsum nomen demonstrat, est activa potentia sese ad omnia porrigens, quæ possibilia sunt, ideoque nullis coercetur limitibus, seu est simpliciter infinita. Quare ut divinam omnipotentiam evincamus, S. Thomam (1) secuti, prius probare debemus Deo inesse potentiam, activam nempe, eamque infinitam; nam certum est ex alibi demonstratis, in Deo purissimo actu, nullam esse posse potentialitatem seu potentiam passivam, utpote quæ nativam imperfectionem implicat, videlicet capacitatem recipiendi actum et ejus perfectionem, ac proinde veniendi in compositionem cum eo (2).

Status quæstionis.

227 PROPOSITIO 1.ª **Est in Deo activa potentia cum ipsa ejus essentia identificata eoque simpliciter infinita.**

Est in Deo activa potentia.

Prima pars. *Est in Deo activa potentia:* probatur 1.° a posteriori. Deus est causa prima, a qua producta sunt reliqua omnia entia, quæ sine illius causalitate numquam esse potuissent. Atqui sine activa potentia impossibile est quidpiam producere. Ergo.....

Minor constat, *quia potentia activa est principium agendi in aliud* (3). **Major vero** præ se fert unum ex conceptibus, ex quibus in præcedenti volumine demonstravimus existentiam Dei, assurgendo ex effectibus mundanis, quos videmus ad primam et increatam eorum causam (4).

Probatur 2.ª a priori. Potentia activa, qua talis, importat perfectionem nulli admixtam imperfectioni. Atqui Deo asserenda est omnis ejusmodi perfectio, ut constat ex demonstratis in primo volumine *Theodiceæ*. Ergo.....

(1) 1 p. quæst. 25.
(2) Vide *Ontolog.* num. 208, pag. 597.
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 1. Vide *Ontolog.* num. 207, pag. 595 seqq.
(4) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 27, pag. 95 seqq.

Major alibi probata est (1). Nam cum nihil agat nec agere possit, nisi quatenus est actu (2), debeatque continere aliquo modo quidquid perfectionis est in effectu, planum est quod activa potentia importat de se actum aliquem perfectionis. Nullam autem necessario ex suo conceptu involvit imperfectionem, quia virtus agendi et actio, qua talis, non dicit nisi communicationem boni, et præscindit ab omni defectu et modo imperfectionis. In quo differt potentia ad extra activa vel effectiva a vitali, quæ est cum reali productione, quia hæc non est pure activa, sed activa simul et passiva, quandoquidem terminus productus per vitalem potentiam recipi debet in eodem subjecto. At vero tum terminus productus per potentiam activam ad extra tum ipsa actio, per quam ille producitur, sunt extra subjectum agens (3).

Estque veritas hæc innumeris sacrarum Litterarum Patrumque testimoniis comperta et celebrata (4).

eaque identificata, cum essentia

Altera pars: *Potentia divina identificatur cum ejus essentia*, non eget probatione si in memoriam revocentur, quæ de perfectione ac simplicitate Dei demonstrata reliquimus in primo volumine *Theodiceæ*. Nihil enim est, nec potest esse, quod secundum rem ipsam aut accidentarium aut a substantia distinctum, reputandum sit in Deo, actu purissimo, qui quidquid est, per suam essentiam est. Utrum autem potentia activa distinguatur ratione ab essentia sicut alia attributa, videndum erit infra: sunt enim qui eam cum essentia confundant; alii qui distinguant quidem ab essentia, non tamen ab intellectu et voluntate; alii demum, qui censeant illam et ab essentia et ab intellectu ac voluntate distingui.

et infinita:

Tertia pars. *Potentia Dei est simpliciter infinita*, probatur 1.° Quia talis est potentia et virtus operandi, qualis est ipsa essentia. Nam attributa et proprietates proportionem servent, oportet, cum essentia. Sed essentia Dei est infinita. Ergo et potentia. 2.° Potentia Dei est ipsa ejus essentia.

(1) *Ontolog.* num. 208, pag. 597.
(2) *Ontolog.* num. 300, pag. 1113.
(3) Vide *Ontolog.* num. 355 seqq., pag. 1035 seqq.
(4) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 1; *de potent.* quæst. 1, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ergo infinita esse debet velut ipsa essentia. 3.° Deus et in se et in cunctis suis attributis ac perfectionibus est ens, quo nihil majus esse nec concipi potest. Atqui si virtus Dei productiva foret limitata, jam eo ipso imperfecta foret, ac proinde concipi posset alia perfectior. Ergo... Non enim, opinor, dices, nec unquam probabis, potentiam activam infinitam repugnare. 4.° Probari etiam posset, et a quibusdam (1) probatur, infinitas potentiæ divinæ ex eo, quod hæc importet virtutem creandi ex nihilo, nam ad creandum requiritur virtus infinita. Et argumentum quidem egregium est, nolo tamen illud adhibere, quia nondum probavi ad creandum requiri virtutem infinitam, idque difficilius probatur, quam ipsa potentiæ divinæ infinitas (2).

228 PROPOSITIO 2.ª **Deus est omnipotens.**

Unde vere Deus est omnipotens. Error fatalistarum, necantium Deum posse facere plura, quam faciat. Vana erroris radix.

Assertio hæc est contra Abaelardum (3), Wiclefum, et Lutherum (4), Spinozam (5), et Hobbes ac reliquos fatalistas, qui negant Deo libertatem. Eumdemque errorem imponi Magistro Amalareo, quicumque tandem ille fuerit, scribit S. Thomas (6). Quamquam radix erroris non una in omnibus fuerit. Nam Wiclefius et Lutherus ac cæteri fatalistæ ponebant Deum ex necessitate naturæ operari; unde sequitur Deum non posse facere nisi ea, quæ facit, quantumvis sint alia, quæ intrinsece non repugnent, seu possibilia sint, quod perinde est, ac negare Deum omnipotentem. Amalareus vero et quidam Theologi suppresso nomine citati a S. Thoma, ex eo adducebantur ad eumdem adstruendum, quod Deus omnia faciat secundum ordinem justitiæ ac sapientiæ, quem præterire non potest, valdissime rati hunc ordinem violatum iri, si quid aliud vel aliter fieret a Deo (7). Quare divina sapientia et justitia tam arctis circumscripta esset limitibus, ut

(1) Vide v. g. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 3.
(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 2; *de potent.*, quæst. 1, art. 2.
(3) Vide S. Bernardum, *de erroribus Abaelardi*, cap. 3.
(4) Vide Alphons. de Castro, ad verbum *futurum contingens*.
(5) Card. Gonzales, *Historia de la Filosofia*, tom. 3, paragr. 59.
(6) *De potent.*, quæst. 1, art. 5; 1 p., quæst. 25, art. 5.
(7) Cfr. *Ontolog.*, num. 234, pag. 647.

uno duntaxat modo posset res facere. Itaque sententia hæc non omnipotentiæ solum, sed sapientiæ quoque divinæ amplitudinem injuriosissime restringit. Denique Abaelardus ita tribuit Patri omnipotentiam, ut eam Filio negaverit et Spiritui Sancto, nam asseruit esse in Patre plenam potentiam, in Filio quamdam potentiam seu semipotentiam, in Spiritu S. nullam potentiam (1).

Probat ductu Ecclesiæ in Concilio.

At veritas catholica, in Concilio Lateranensi IV et Vaticano definita et in omnibus Symbolis expresa est, *Deum esse omnipotentem* (2), quemadmodum infinitis propemodum locis docent sacræ Litteræ ac Patres Ecclesiæ.

Et probat ratio.

Probatur jam propositio 1.ª Deus est infinitæ simpliciter potentiæ activæ. Ergo est omnipotens.

Antecedens patet ex precedenti propositione. **Consequens vero probatur.** Potentia infinita simpliciter non potest esse, nisi sit infinitæ perfectionis non solum secundum suam entitatem physicam et subjectum et secundum modum operandi, sed etiam secundum objecti extensionem, ita ut porrigi debeat ad omne objectum possibile; nam virtus activa dimetitur ex amplitudine sui objecti, quare si quod esset possibile objectum, quod non cadat sub aliquam potentiam aut virtutem, virtus illa eo ipso limitata est, et exceditur ab objecti ambitu. Atqui virtus et potentia activa, quæ se extendit ad omne objectum possibile, omnipotentia est, ut ipsum nomen indicat. Ergo cum Deus sit infinitæ virtutis, vere omnipotens dicendus est.

Probatur 2.ª Quidquid est intrinsece possibile, debet etiam esse extrinsece possibile seu producibile per aliquam potentiam activam. Ergo potentia illa, per quam esset extrinsece possibile, quidquid possibile est intrinsece, vel est ipsa Dei potentia, vel aliqua alia in alio ente existens. Si primum dicas, jam Deus omnipotens est. Sin alterum eligas,

(1) Vide S. Bernard. epist. 190, et *Capitula Abaelardi a Concilio Senonensi anno 1140. et ab Innocentio II damnata*, cap. 1-3, apud Denzinger, *Enchiridion*, num. 310, pag. 100. Wirceburgi, anno 1854.
(2) Concil. Lateranens. IV, cap. *Firmiter*, apud Denzinger, num. 355, pag. 110; Vatican. Constit. *de Fid. Cathol.*, sess. 3, cap. 1, apud Denzinger, num. 1631, pag. 386. Symbola videbis apud eumdem Denzinger, pag. 1 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

idem etiam necessario sequitur. Quia cum omne aliud ens sit a Deo, quidquid in quovis ente creato reperitur, multo magis et perfectius atque eminentius esse debet in Deo. Ac proinde potentia illa faciendi quidquid est intrinsece possibile, quæ fingatur existere in quovis ente creato, non potest non existere in Deo. Deus ergo est omnipotens.

Primum antecedens, nam cætera patent, probatur; quia reapse existit in rerum natura potentia activa infinita. Si autem esset quidpiam intrinsece possibile, quod non esset possibile seu producibile per aliquam potentiam, jam nulla daretur potentia infinita; siquidem infinita esse non potest virtus incapax producendi aliquid, quod non repugnat in suis notis, seu intrinsece possibile est.

Prob. 3.º Huc quoque afferri potest illa generalis probatio: α) quod omnipotentia nullam in suo conceptu implicat *imperfectionem*. Ergo non potest non asseri Deo. β) Si Deus non foret omnipotens, posset eo aliquid majus concipi, nempe aliquod ens, quod simul cum cæteris Dei attributis ac perfectionibus omnipotentiam possideret (1).

Deus sola sua virtute potest quidquid possunt causæ secundæ.

229. Corollarium. Ex omnipotentia divina consequitur communissima illa sententia, Deum posse sola sua virtute quidquid possunt causæ secundæ. Quæ assertio in quorumdam sententia exceptionem aliquam patitur in actibus vitalibus cognitionis et volitionis, quas censent a solo Deo effici non posse, non tamen ex limitatione virtutis divinæ, sed ex peculiari ratione hujusmodi actuum, quibus essentiale esse arbitrantur, ut ab immanenti principio procedant. At nos, qui oppositam tuiti sumus opinionem (2), non debemus hanc adhibere exceptionem.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES

230. Objic. 1.ª *contra existentiam potentiæ in Deo:* α) Potentia est operationis principium. Sed operatio Dei, quæ est

(1) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 25, art. 3; *Contr. Gent.* lib. cap. 22 et 25; *de potent.* quæst. 1, art. 7.

(2) Vide *Psycholog.*, vol. 2.ºˢ, num. 80, pag. 109; vol. 3.ºˢ, num. 16, pag. 309.

ejus essentia, non habet principium, quia neque est genita nec procedens. Ergo non est potentia in Deo. β) Deo quidquid perfectissimum est, tribui debet. Ergo non est tribuendum ei quod est minus alio perfectum. Sed actus et forma est perfectior potentia. Ergo hæc non est Deo tribuenda. γ) Activa potentia secundum Philosophi definitionem, est principium transmutationis in alio, in quantum est aliud (1); principium autem hujusmodi relationem importat. Atqui in Deo nulla est relatio ad res creatas, respectu quarum dicitur potentia. Ergo.... δ) Sicut materia prima est pura potentia, ita Deus est purus actus. Sed materia prima secundum se est denudata ab omni actu. Ergo Deus quoque secundum suam essentiam carere debet omni potentia. ε) Scientia et voluntas Dei sunt causa rerum. Causa autem et principium vel activa potentia in idem recidunt. Ergo præter scientiam et voluntatem non est alia in Deo cognoscenda potentia (2). ϛ) Denique operans operando perficitur. Deus autem perfici nequit.

Respondeo ad arg. α) *dist.* Major. Potentia est operationis principium, id est, operationis aut etiam effectus, *conc.*; præcise operationis, *subdist.*; in subjecto, in quo dari potest operatio ab ipsa potentia distincta, *conc.*; in alio subjecto, in quo forte repugnet operatio distincta, *nego*. Et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Circa operationem Dei ad extra disputatur inter sapientes, utrum ea sit ipsa Dei essentia, an vero possit esse aliquid re ab illa distinctum, sicut est actio causarum creatarum. Verum possumus nos ab hac quæstione, mox breviter attingenda, nunc abstinere; nam activa potentia potissimum est principium effectus, idque sufficit, ut non repugnet Deo potentia ex hoc primo capite.

Ad argument. β) *dist.* Minor. subsumptam; actus est perfectior potentia passiva et perfectibili per actum, *conc.*; actus est perfectior potentia activa et non perfectibili per actum, *neg.* Et *neg.* conseq. Nam potentia activa majorem, vel certe non

(1) Vide *Ontolog.* num. 207, pag. 593.

(2) Vide apud S. Thom. 1 p. quæst. 25, art. 1, arg. 2.º, 3.º et 4.º; et de *potentia*, quæst. 1, art. 1, ubi hæc et alia plura argumenta proponuntur quæ facile solvi possunt, et videnda sunt apud eumdem S. Doctorem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minorem, habet perfectionem, quam, actio vel effectus, si verum est principium causalitatis (1): idque potissimum tenendum est de potentia, quæ cum ipsa causæ substantia identificatur, nec in se perficitur per actionem aut operationem suam, qualis est divina potentia (2).

Ad argument. γ) *dist.* alteram partem Majoris. Principium agendi relationem importat in creatis, *transeat*; in Deo, *subdist.*: importat relationem rationis, *conc.*; realem, *nego*. Et concessa Minore, *neg.* conseq. (3).

Ad argument. δ) *conc.* Major. et Minor. et *dist.* conseq. Deus secundum suam essentiam debet carere omni potentia passiva, *conc.*; activa, *nego*. Nam activa potentia non pugnat cum notione actus puri.

Ad argument. ε) *Transmitto* Major. et conseq. Non enim a nobis nunc in quæstionem vocatur, in quo sita sit potentia Dei, seu an ea sit quidpiam ab intellectu et voluntate distinctum, quod mox inquiretur; sed tantum, utrum Deo asserenda sit activa potentia (4).

Ad argument. ς) *dist.* Major. Agens operando perficitur, si operatio ejus distincta sit, vel recipiatur in ipso, *trans.*; secus, *nego*. Et *nego* conseq.

Objic. 2.º *contra infinitatem potentiæ divinæ* α). Potentia manifestatur per effectum, debetque habere proportionatum effectum, qui eidem respondeat. Nam frustra est in natura potentia activa, cui nulla passiva respondeat, vel quæ non reducatur ad actum (5). Ergo si datur infinita potentia in Deo, posset producere infinitum effectum. Atqui nullum producit Deus, nec potest producere infinitum effectum. Ergo... β) Ex Philosopho si potentia corporis alicujus esset infinita, moveret in instanti (6). Sed Deus nihil movet in instanti; sed creaturam quidem spiritualem movet per tempus, corporalem autem per tempus et locum, Ergo.....

(1) Vide *Ontolog.* num. 385, pag. 610 seqq.
(2) Cfr. *Ontolog.* num. 220, pag. 634 seqq.
(3) Vide *Theodic.* vol. 1.um, num. 81, pag. 265 seqq.
(4) Vide S. Thom. locis citatis, ubi plura, si cupis, require.
(5) Vide *Ontolog.* num 224, pag. 620 seqq.
(6) Arist., 8.º *Physicor.* text. 70.

γ) Omne quod est distinctum, finitum est. Sed potentia Dei est distincta ab aliis rebus. Ergo finita (1).

Respondeo ad argumentum 2), dist. 1.am partem Majoris; potentia manifestatur per effectum etiam, *conc.*, solum, *nego*. Nam potest adesse potentia, quæ tamen nullum habeat effectum, quia libera est, et libere non vult operari; vel certe nullum velit adæquatum suæ virtuti effectum producere. Et interea potest etiam magnitudo potentiæ cognosci a priori ex infinitate divinæ naturæ.

Alteram Majoris partem *concedo*, veramque vim axiomatis, quod in ejus probationem adducitur, explicatam vide, si lubet, in *Ontologia* (2).

Tum *nego* primum et alterum consequens. Nam effectus infinitæ potentiæ proportionatus non est ens aliquod infinitum, sed tantum ens sine fine majus et majus. Quod ergo ens aliquod infinitum non possit a Deo produci, non est ex defectu virtutis in eo, sed ex repugnantia creaturæ infinitæ. Neque vero exinde concluseris, nullum esse objectum vel effectum peculiarem et proprium ac proportionatum potentiæ infinitæ, si non possit hæc porrigi usque ad infinitum; nam objectum proportionatum et proprium divinæ potentiæ potest assignari et ex parte modi operandi et ex parte ipsius objecti. Ex parte modi operandi effectus proportionatur divinæ potentiæ, est quælibet res creata; nam, ut mox probandum est, ad creationem cujuslibet vel imperfectissimi entis, non sufficit virtus finita quantumvis magna, sed requiritur infinita. Ex parte vero objecti est ens sine fine majus et perfectius; quandoquidem nulla potest assignari potentia finita, quæ hujusmodi objectum respiciat. Etenim cum omne ens creatum vel creabile sit imitatio quædam infiniti exemplaris, essentiæ divinæ, possibilia sunt entia usque perfectiora et perfectiora sine fine, quæ magis magisque assimilentur perfectioni essentiæ divinæ, quin eam unquam assequi possint: unde etiam repugnat assignare ens creabile omnium possibilium perfectissimum (3). Ergo cum impossibile sit ullum

(1) Vide apud S. Thom. 1 p. quæst. 25, art. 2; *de potent.* quæst. 1, art. 2; ubi plures aliæ solvuntur objectiones.
(2) Num. 225, pag. 620. seqq.
(3) Vide *Ontolog.* num. 205, pag. 585, seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

assignare ens creabile utcumque perfectum, quo non sint possibilia alia perfectiora et perfectiora sine fine, nullum etiam est assignabile ens creatum, quod possit producere alia entia hujusmodi perfectiora sine ullo fine. Objectum ergo istiusmodi proprium est solius infinitæ potentiæ divinæ.

Ad argumentum β), *nego* consequens et paritatem, tum quia ex eo quod infinita potentia corporis alicujus moveret in non tempore seu in instanti corpus aliud, quod univoce convenit cum movente, non sequitur quod potentia infinita *spiritualis*, qualis est divina, debeat etiam in instanti movere ullum ens creatum, quod non univoce, sed analogice duntaxat, convenire cum Deo potest; tum quia Deus movet voluntarie ac libere, ac proinde ex illius arbitrio pendet movere magis minusve velociter. Apposite S. Thomas: *Secundum Commentatorem* (in 8.m Physicor. text. comm. 79) *demonstratio illa de proportione temporis et potentia moventis procedit de potentia infinita in magnitudine, quæ proportionatur infinito temporis, cum sint unius generis determinati, scilicet continuæ quantitatis, non autem tenet de infinito extra magnitudinem, quod non est proportionale infinito temporis, utpote alterius rationis existens. Vel dicendum, ut tactum est in objiciendo, quod Deus quia agit voluntarie, mensurat motum ejus quod ab eo movetur, sicut vult* (1). Quam responsionem fusius evolvit idem S. Doctor alibi (2).

Ad argumentum γ), *dist.* Major.: si ita distinctum sit, ut non contineat perfectiones aliorum, a quibus distinguitur, *conc.*; si contineat perfectiones aliorum omnium, ut profecto continet Deus et ejus potentia, *nego*. Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. (3).

Objic. 3.ª *Contra divinam omnipotentiam.* α) Deus non potest moveri nec pati. Ergo non omnia potest. β) Nec potest Deus peccare, nec mentiri, neque efficere illa, quæ metaphysice impossibilia dicuntur (4). γ) Si Deus potest facere omnia

(1) S. Thomas, *de potent.*, quæst. 1, art. 2, ad 2.um

(2) 1 p., quæst. 25, art. 2, ad 3.um

(3) Plura videri queunt apud S. Thomam, 1 p., quæst. 25, art. 2 et *de potent.* quæst. 1, art. 2.

(4) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 3; et *de potent.* quæst. 1, art. 7, ubi alia plura.

possibilia, poterit exhaurire potentiam suam efficiendo quidquid sibi possibile est; quandoquidem si quid esset possibile, et non posset fieri ab ipso, jam non esset omnipotens. Atqui si potentia Dei faceret omnia sibi possibilia, hoc ipso esset finita. δ) Si Deus est omnipotens, qualibet facta creatura, posset facere aliam meliorem, immo et infinite perfectam; secus enim quomodo erit omnipotens? Atqui tamen utraque sequela absurda est. Nam si Deus posset facere creaturam infinite perfectam, posset etiam facere alium Deum: quod repugnat. Si autem semper posset facere creaturam meliorem, nunquam posset optimam, quod videtur stare non posse cum omnipotentia. ε) Non potest recte assignari objectum omnipotentiæ divinæ. Ergo Deus non est omnipotens. Prob. antecedens. Nam omnipotentia dicitur virtus efficiendi, quidquid possibile est. Possibile autem denominatur a potentia. Atqui cum sermo est de divina omnipotentia, possibile non potest denominari a potentia passiva, nam actioni, saltem creativæ, omnipotentiæ divinæ nulla potentia passiva præsupponitur. Ergo a potentia activa, ideoque dicere Deum esse omnipotentem seu facere posse quidquid possibile est, perinde est, ac dicere Deum posse, quidquid potest: quod profecto et ridiculum est, et probaret omnem causam, quantumvis finitam atque imperfectam, esse omnipotentem, nulla quippe est, quæ non possit facere quidquid potest (1).

Respondeo ad argumentum α), *neg.* conseq.; nam ex antecedente solum sequitur, Deum non habere potentiam passivam, quæ sola implicatur in eo, quod nequeat moveri aut pati (2).

Ad argumentum β), *conc.* antec., *nego* conseq. Nam contradictionem involvit Deum mentiri et peccare: si enim mentiretur, et peccaret simul esset, et non esset Deus: esset Deus ex suppositione; non esset Deus, quia ens imperfectum, quale est peccans et mentiens, Deus esse non potest. Impossibilia fieri non posse non est contra divinam omnipotentiam, utpote quæ terminatur ad possibilia. Quare quod impossibilia

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 7, 8, 10, ubi plura invenies.

(2) Cfr. S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 3, ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fieri nequeant, non est ob defectum potentiæ in Deo, sed quia in se repugnant, et contradictionem implicant (1).

Instabis. Sunt quædam, quæ nullam videntur involvere repugnantiam aut contradictionem, et tamen a Deo fieri nequeunt. Sic α) Deus non potest facere, ut præteritum non sit præteritum, et nihilominus præteritum potuit non esse præteritum. β) Simili modo Deus non potest facere quidlibet ex quolibet. Ergo non est omnipotens.

Respondeo, *neg.* assertum, cujus probationem α) *distinguo*. Deus non potest facere, ut præteritum non sit præteritum in sensu composito præteritionis, *conc.*; in sensu diviso præteritionis, *neg.* Et *contradist.* Minor. Nam potuit Deus, antequam esset res præterita, efficere, ut illa non produceretur. Immo etiam postquam præterita est, potest Deus illam reproducere et præsentem facere: hæc enim non repugnant intrinsece. Sed profecto repugnat, quod res, posito quod fuerit præterita, præterita non fuerit (2).

Ad probationem β) similis esto responsio, quia quælibet res, quamdiu est, est id quod est, et nihil aliud; sed desinendo esse id quod est, potest in aliud converti per omnipotentiam Dei, et hoc sensu potest ex quolibet fieri quidlibet.

Ad argumentum γ), *nego* assert., cujus probationem *dist.* Deus posset facere, quidquid possibile est, divisim ac singillatim, *conc.*, nam nullum est, quod seorsim sumptum non possit facere; collective *nego.*, nam impossibile est collectionem omnium possibilium, quæ finem non habent, in actum reducere.

Contradist. Minor. Si potentia Dei faceret omnia possibilia divisim, *neg.*; collective, *trans.* Et *neg.* conseq. Egregie P. Suarez: «Deum posse omne possibile, dupliciter potest intelligi: uno modo divisim seu singillatim, signando quamcumque rem, vel etiam finitam multitudinem possibilem, et sic est simpliciter verum absque ulla distinctione. Secundo potest intelligi collective, et sic neque est necessarium neque verum. Non quidem necessarium, quia ut vere dicatur Deus illa omnia posse, satis est, ut quodlibet

(1) Vide S. Thom., *de potent.*, quæst. 1, art. 5, ubi egregie de his, quæ Deus dicitur non posse.

(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 25, art. 4.

earum comparatum ad divinam potentiam possit ex vi illius ita in re constitui, sicut dicitur esse possibile. Non vero neccese est, ut possit quodcumque illorum facere simul cum omnibus aliis, quia in hoc potest repugnantia involvi, quæ non involvitur in singulorum productione. Et ideo non solum id necessarium non est, sed nec etiam verum» (1).

Instabis. Tota collectio rerum possibilium concipitur ut possibilis. Ergo ea est unum ex illis, de quibus dictum est: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum* (2).

Respondeo, *dist.* antec. Collectio possibilium secundum membra ejus singillatim sumpta concipitur ut possibilis, *conc.*; secundum omnia illa collective sumpta, *nego*. Et ita respondet idem Eximius Doctor, illam collectionem esse possibilem secundum quamque rem in ea contentam; quod satis est, ut Deus habeat absolutam potentiam in totam illam, non tamen esse illam collectionem ita possibilem, ut tota simul, seu quælibet res simul cum quibuscumque aliis, possit fieri, nam in hoc potest specialis repugnantia involvi. Exemplum vulgare est in divisione continui; omnes enim divisiones ejus sunt possibiles Deo, vel etiam Angelo, si divisim sumantur; collective autem possibile non est omnes illas divisiones in re poni, nec successive, quia nunquam finientur; nec simul, quia implicat continuum esse actu divisum in omnem suam partem. Sicut etiam Deus habet potentiam vel conservandi vel destruendi rem, quam creavit; non tamen potest simul utrumque efficere. Ita ergo rerum omnium possibilium collectio, eo quod infinita sit in potentia, et quasi adæquatum objectum infinitæ potentiæ, non potest tota simul in actu poni» (3).

Ad argumentum δ) *conc.* primam Majoris partem, aliter *nego*. Et jam superius ostendimus neque ad omnipotentiam neque ad infinitam potentiam Dei tuendam necessarium esse, ut possit producere infinitum effectum: creatura enim infinita repugnat, ideoque produci nequit, non ex defectu virtutis in Deo, sed ex repugnantia intrinseca creaturæ

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 16.

(2) Luc. cap. 1, vers. 37.

(3) Suarez, loc. sup. cit., num. 17.

infinitæ, siquidem creatura infinita ratione suæ infinitudinis deberet esse infinita, ratione vero suæ conditionis propriæ rei creatæ deberet esse imperfecta seu non infinite perfecta, ideoque creatura infinita esset simul, et non esset infinite perfecta, sicut circulus quadratus esset simul, et non esset circulus, vel quadratus.

Minorem vero *nego* quoad primam partem. Neque enim repugnat Deum non posse omnium creaturarum possibilium optimam efficere, id enim non provenit ex defectu potentiæ in Deo, sed ex repugnantia creaturæ omnium possibilium optimæ (1).

Quodnam sit objectum divinæ omnipotentiæ.

Ad argument. c) *neg.* antecedens, quin valeat quidpiam probatio. Quando enim omnipotentia dicitur se extendere ad omne possibile, denominatio *possibilis* desumitur ex potentia logica vel objectiva, quæ nihil est aliud, quam non repugnantia rei in suis notis. Quare objectum omnipotentiæ est, quidquid est intrinsece possibile, seu non in se repugnans vel contradictorium, vel non metaphysice impossibile, quandoquidem etiam ea, quæ physice impossibila dicuntur, ac proinde fieri nequeunt naturæ viribus, quamdiu absolute atque in se non repugnant, intra sphæram divinæ omnipotentiæ continentur. Objectum vero divinæ omnipotentiæ sine circulo et tautologia egregie explicatur, supposita, quam alibi tuli sumus (2), internæ atque externæ possibilitatis distinctione; neque ex eo quod omnipotentia producere queat, quidquid possibile est, consequitur quidpiam aut ridiculum aut absurdum aut commune potentiæ finitæ ac creatæ (3).

Instabis. Plures Patres omnipotentiam explicant per ordinem ad divinam voluntatem. S. Augustinus: *Non ob aliud*, inquit, *vocatur* (Deus) *omnipotens, nisi quatenus quidquid vult, potest* (4). Et S. Fulgentius, docet Deum, *tantum posse, quantum vult, et tantum velle, quantum potest* (5). Denum, ut

(1) Vide *Ontolog.*, num. 205, pag. 585 seqq.
(2) Vide *Ontolog.*, num. 238, pag. 607, seqq.
(3) Lege Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 12, seqq. Cfr. *De Deo et attrib. divin.*, lib. 3, cap. 9
(4) *Enchirid* cap. 96 fin.
(5) *Ad Trasim.* lib 1, cap. 23; et lib. 1 ad *Monim.* cap 12.

alios omittam, S. Joannes Damascenus sic habet: *Potentia Dei sola voluntas sua metitur* (1)

Respondeo, *trans.* anteced., *nego* conseq., Nam facile intelligitur ex subjecta materia vis sententiarum ex Patribus adductarum. S. Augustinus potuit ita scribere, quia quamvis Deum posse facere, quidquid vult, non sit ratio vel explicatio sufficiens omnipotentiæ, est tamen *sufficiens signum omnipotentiæ*, ut loquitur S. Thomas (2). Resque patet quodammodo ex communi omnium sensu: quo enim quis plura possit facere eorum, quæ vult, eo majoris potentiæ habetur. Cum itaque Deus possit pro sua libertate velle quidquid possibile interne est; si potest quidquid vult actu videlicet ei potentia, erit profecto omnipotens. Et eadem est expositio Fulgentianæ sententiæ, ut constat ex lectione integri loci. Nec minus est perspicua mens Damasceni, qui Dei potentiam docet ibidem esse *nulla mensura comprehensam*, et ideo sola voluntate mensurari, *quia Deus potest quidquid vult.*

Possent etiam adversus omnipotentiam Dei urgeri multæ difficultates, quibus solet impugnari possibilitas miraculorum. Verum de his, quæ suo loco explicata manent, et de quibusdam aliis objectionum capitibus videri potest S. Thomas (3).

ARTICULUS II

Quotuplex sit potentia Dei, ubi de ordinaria et absoluta.

Sensus quæstionis explicatur.

231. Potentia Dei, si entitative consideretur, simplicissima est et infinita, ut ex dictis manifeste innotescit. Ratione tamen distingui potest pro diversis respectibus, secundum quos spectetur.

Potentia infinita intensive et extensive.

Et primo quidem duplici modo dici potest infinita, *intensive* et *extensive*. Intensive infinita intelligitur, quatenus in se ipsa et subjective est infinitæ perfectionis, sicut ipsa essentia, cum qua re identificatur; extensive autem infinita intelligitur,

(1) *De fide orthod* lib. 1, cap. 8.
(2) *De potent.* quæst. 1, art. 7, ad 3.um.
(3) *De potent.* quæst. 1, art. 3, 4, 5, 6; 1 p., quæst. 25, art. 5, 6.

quatenus in suo objecto habet extensionem nullis limitibus circumscriptam, tanta enim est objecti omnipotentiæ latitudo, quanta entis, quæ nullos agnoscit fines vel terminos. Hæc proinde extensiva infinitas non consistit in eo, quod Deus possit velocius et velocius movere corpus sine ullo fine, quemadmodum quidam perperam existimarunt (1), nec in eo quod possit plures ac plures successive producere effectus ejusdem rationis, sed in eo quod efficere valeat, quidquid intrinsece possibile est, vel intra latitudinem ac lineam entis contineri potest, in qua linea jam suo loco cum communissima sententia contra paticos ostendimus dari posse plures ac plures perfectiores res sine termino (2).

Solum notare oportet esse quædam rerum genera, in quibus propterea quod infinitatem quamdam attingunt, non potest Deus facere aliquid melius, quam illud, quod facit, ut sunt, v. g., hypostatica unio et maternitas Dei et beatitudo sita in Dei possessione. Nam *humanitas Christi ex hoc, quod est unita Deo, et beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei, et Beata Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem ex bono infinito, quod est Deus. Et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo* (3).

Quæ cum ita sint, pro diversitate effectuum, ad quos terminari potest divina potentia, distingui potest potentia creandi et educendi, et concurrendi, naturalis et supernaturalis (4).

Potentia ordinata vel ordinaria et absoluta.

232. Ea vero est frequentissime usurpata potentiæ distinctio in ordinatam vel ordinariam et absolutam. Potentia Dei absoluta intelligitur potentia secundum se considerata, potentia vero ordinaria vel ordinata, ut eam vocat S. Thomas (5), intelligitur potentia, prout operans secundum

(1) Apud Suarez, *De Deo*, etc., lib. 2, cap. 9, num. 7.
(2) Vide *Ontolog.*, num. 204, 205, seqq., pag. 583, 585, seqq.
(3) S. Thom. 1 p. quæst. 25, art. 6, ad 4.um Et vide Suarez, *De Deo*, etc., lib. 3, cap. 6, num. 26.
(4) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 51.
(5) Vide 1 p., quæst. 25, art. 5, ad 1.um; et 3.ª dist. 1, quæst. 2, art. 3. Alii vero ut M. Joannes a S. Thoma (*Curs. Theolog.* tom. 2, quæst. 25, disp. 11, art. 3) distinguunt ordinatam ab ordinaria. Hæc

sapientiam et præscientiam et voluntatem Dei. Itaque potentia Dei absoluta respicit ea omnia, ad quæ posset se extendere, expectata sua virtute, nimirum omnia intrinsece possibilia, et proinde objectum omnipotentiæ in tota sua latitudine, quo pacto potuisset Pater, aut etiam Spiritus S., humanam naturam assumere, quam tamen solus de facto assumpsit Filius; itemque potest Deus dæmones ac damnatos ab inferis liberare, atque ad pœnitentiam vocare. Potentia vero Dei ordinaria vel ordinata ex omnibus objectis possibilibus illa sola respicit, quæ Deus pro suæ sapientiæ ac voluntatis liberrimo consilio decrevit facere, ideoque præscivit futura in aliqua temporis differentia. Audiatur Aquinas. *Cum in agentibus ex libertate voluntatis executio potentiæ sequatur imperium voluntatis et ordinem rationis; considerandum est, quando potentiæ divinæ aliquid adscribitur, utrum attribuatur* potentiæ secundum se consideratæ; tunc *enim dicitur* posse illud de potentia absoluta; *vel attribuatur sibi* in ordine ad sapientiam et præscientiam et voluntatem ejus; tunc enim *dicitur posse illud* de potentia ordinata. *Ipsi ergo potentiæ absolutæ, cum infinita sit, necesse est attribuere omne id, quod in se est aliquid, et quod in defectum potentiæ non vergit.* (Vel uti alibi docet idem Angelicus (1): *Quod attribuitur potentiæ secundum se consideratæ, dicitur Deus posse secundum potentiam absolutam:* et hujusmodi est omne illud, in quo potest salvari ratio entis seu omne intrinsece possibile)..... *Huic autem potentiæ absolute consideratæ quando attribuitur aliquid, quod velit facere et sapientia sua habet, ut faciat, tunc dicitur posse illud secundum potentiam ordinatam; quando autem potentia se extendit, quantum in se est ad illud, quod sibi attribuitur, quamvis non habeat ejus sapientia et voluntas, ut ita fiat, tunc dicitur posse illud de potentia absoluta tantum. Sed in his distinguendum est: quia in his sunt quædam, quæ habent*

secundum Joannem a S. Thoma est, quæ communi modo et lege operatur, et contraponitur speciali legi vel privilegio vel extraordinariæ dispositioni de re, non ordinationis. Ordinata vero, quæ subjicitur ordini et regulæ sapientiæ dirigentis, et opponitur ei, quod ordinatum non est, sive pure negative per absentiam regulæ, sive privative per carentiam ejus relationis, quæ deberet.

(1) 1 p. quæst. 25, art. 5, ad 1.um Cfr. ibid. art. 3.

aliquid in se divinæ sapientiæ et bonitati repugnans inseparabiliter conjunctum, ut peccare, mentiri et hujusmodi; et etiam ista dicimus Deum non posse: quædam vero sunt, quæ de se non habent inconvenientiam ad divinam sapientiam, sed solum ad ordinem aliquem suæ præscientiæ, quem Deus in rebus statuit, vel prævidit, secundum suam voluntatem, ut quod caput hominis sit inferius; et hæc Deus potest facere, quia potest statuere alium ordinem in rebus, secundum quem sit conveniens, quod nunc secundum istum ordinem, qui rebus inest, inconveniens videtur (1).

Omnia opera cadunt sub ambitum potentiæ ordinariæ vel ordinatæ.

Cæterum quoniam opera, quæ Deus pro sapientissimo suæ voluntatis consilio decrevit facere duplicis sunt generis, alia naturalia, supernaturalia altera, seu quæ ad ordinem gratiæ ac gloriæ pertinent; utraque sub ambitum ordinariæ potentiæ cadunt. Verum quoniam inter ista opera, sive naturalis sive supernaturalis ordinis, alia communem et consuetum cursum tenent, alia præter consuetum cursum contingunt, et miraculosa vocantur, quæsierit quispiam, num etiam hæc postrema potentiæ ordinariæ tribuenda sint, an vero potius potentiæ absolutæ. Ac duplex est modus loquendi: alii censent ad potentiam ordinariam revocanda esse sola opera, quæ quasi legem Dei universalem sequuntur, et communem ac consuetum cursum tenent, quæ autem præter aut contra ejusmodi cursum per exceptionem, utique ab æterno sapientissime decretam, miraculose fiunt, dicenda esse opera potentiæ Dei absolutæ. Alii vero contendunt omnia prorsus opera, quæ *de facto* fiunt, vel quæ ad hujus præsentis œconomiam providentiæ spectant, sive consuetum cursum rerum servent, sive præter communem ordinem miraculose patrentur, procedere a potentia Dei ordinatia vel ordinata. Utrumque hunc modum loquendi usitatum esse testatur Eximius Doctor, priorem tamen videri frequentiorem (2). Diversum hunc modum loquendi notasse sufficiat

(1) Thom. 3.ª dist. 1, quæst. 1, art. 3. Cfr. 1 p., quæst. 25, art. 5; *Cont. Gent.* lib. 3, cap. 98.

(2) Suarez, *De Deo* etc. lib. 3, cap. 9, num. 10; *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 32. Cfr. Molina, In 1.ª m part., quæst. 25, art. 5, *Divus Thomas*.....

mihi, quamvis, ut verum sincere fatear, magis logicus videatur secundus (1). Et hactenus de his.

ARTICULUS III

An potentia Dei activa distinguatur ab scientia et voluntate.

Statur quæstionis.

233. Est hæc controversia satis dubia, nec parum inter scriptores disputata. Diximus alibi ex doctrina S. Thomæ, potentiam animalem triplicem distingui, dirigentem, imperantem et exsequentem. Prima ostendit, vel dirigit motum, qui efficiendus est, et consistit in aliqua potentia cognoscitiva; imperans est appetitus, qui, proposito per cognitionem bono, imperat motum, per quem illud assequendum est; ac tandem exsecutiva exsequitur motum directum a facultate cognoscitiva, et imperatum ab appetitiva (2). Ostendimus præterea, probabiliorem sententiam contra non paucos nec ignobiles magistros (3) secuti, potentiam exsequentem motus esse virtutem distinctam a dirigente atque imperante. Quoniam ergo nomine activæ potentiæ præcise venit potentia exsequens opera secundum directionem et imperium intellectus et voluntatis divinæ; quæritur, an et quo pacto hujusmodi potentia distinguatur ab intellectu et voluntate Dei. In duobus conveniunt communissime auctores: In quo conveniunt omnes. primo in neganda reali distinctione, secundo in asserenda *aliquali* distinctione rationis. Verum distinctio hæc bifariam intelligi potest: primo, ita ut activa potentia sit attributum adæquate distinctum ab intellectu et voluntate, tamquam

(1) Eumdem sequuntur Ferrariensis (*Contr. Gent.* lib. 3, cap. 98, *Advertendum quoque*), Valentia (In 1.ª m part., disp. 1, quæst. 25, punct. 3, *Hoc posito*), Zumel (In 1.ª m part., quæst. 25, art. 5, *In hac controversia*), et Gonzalez Albelda (In 1.ª m part., disp. 81 cum Nazario, quem ipse citat.) Cæterum admissa distinctione potentiæ ordinatæ et ordinariæ, possent forte ad hanc postremam revocari opera cunctis, quæ communem legem et cursum sequuntur, opera vero miraculosa ad potentiam ordinatam. Verum lites de sola voce non sunt multum curandæ.

(2) Vide *Psycholog.* vol. 1.º m, num. 223, pag. 940 seq.].

(3) Ibid. num. 224, pag. 943.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

perfectiones ad diversam lineam spectantes, quales sunt intellectus ipse ac voluntas inter se, quippe quæ sunt principia actuum diversi generis, cognitionis videlicet seu imaginis intentionalis et appetitionis. Secundo, ita ut potentia non sit attributum adæquate distinctum, sed tantum inadæquate, tamquam formalitas quidem diversa, sed intra eamdem lineam perfectionis constituta: quo pacto sapientia, v. g., prudentia et ars non distinguuntur adæquate ab intellectu, sed sunt inadæquate rationes vel formalitates ejusdem intellectus in linea intellectionis contentæ; ac simili modo misericordia, justitia, gaudium, amor distinguuntur a voluntate tamquam virtualitates diversarum functionum ejusdem potentiæ. Ita ergo vix esse potest, qui diffiteatur omnipotentiam Dei ab intellectu et voluntate distingui, saltem hoc secundo genere distinctionis, inadæquatæ nempe, ceu rationem inclusam intra potentiam intellectus et voluntatis. Ac solum disputatur, utrum activa potentia distinguatur adæquate ab intellectu et voluntate velut perfectio alterius lineæ, ac proinde velut tertia quædam potentia adæquate a duabus prioribus distincta.

Sententiæ prima.

Prima sententia potentiam activam Dei ratione distinguit adæquate ab intellectu et voluntate, sive distinguatur ratione ab essentia Dei, sive sit ipsa divina essentia, quæ, quatenus est ipsum *esse* per se subsistens, est effectrix cujuslibet *esse* participati vel participabilis, si accedat scientia ut dirigens, et voluntas ut applicans. Ita sentit Durandus (1), et Aureolus (2), Basilius Ponce (3), et Zumel (4), apud P. Jacobum Granado (5). Favet eidem distinctioni Hugo Victorinus (6), semper distinguens *tres* perfectiones divinas ad omnem operationem Dei ad extra requisitas. Immo vero P. Didacus Ruiz de Montoya videtur ad hanc sententiam trahere antiquiores communiter Scholasticos, propterea quod de intellectu, voluntate ac potentia operativa

(1) 1.ª dist. 38, quæst. 1.
(2) 1.ª dist. 42, art. 2.
(3) 1.ª part. *Variar. disputation.*, quæst. 8 scholast., cap. 6.
(4) In 1.am part., quæst. 25, art. 1, quæst. unic., conclus. 3.ª
(5) In 1.am part., tom. 2, commentar. in quæst. 25, disp. 2, num. 1.
(6) *De Sacrament.* lib. 1, part. 2, cap. 3, 4, 5 et 6.

quasi de potentiis distinctis agunt, peculiares de illis tractatus instituentes (1). Eamdem tuentur sententiam P. Suarez (2), Martinus Esparza (3), Thomas Carleton Compton (4), Joannes Bapt. de Benedictis (5) aliique.

secunda.

Communior est sententia negans potentiam Dei operativam ad extra distingui, saltem adæquate, ab intellectu et voluntate, seu non esse extra lineam intellectivam et volitivam, quamvis distinguatur ab essentia, quemadmodum ab ea distingui ratione videmus intellectum et voluntatem. Hujus vero sententiæ adsertores, mox in varias sese scindunt opiniones. Nam alii volunt «potentiam Dei activam secundum propriam et specificam sui rationem esse ipsum Dei intellectum et voluntatem, quibus Deus agit». Et ita explicant, quo pacto actio Dei productiva sit ab æterno, quia nempe intellectio et volitio, per quas Deus causat, æternæ sunt. Quæ est sententia P. Gregorii de Valentia (6): eamdemque videtur tenere P. Didacus Ruiz de Montoya (7), et P. Jacobus Granado (8).

quæ in alias mox scinditur: tertia.

quarta.

Alii malunt potentiam activam Dei sitam esse in ipsa voluntate aliquid efficaciter volente sub directione intellectus: ita opinantur cardin. Toletus (9), P. Gabriel Vazquez (10) et plures Scotistæ, ut P. Franciscus Henno (11) et P. Gabriel Boyvin (12); et idem tenuisse videtur P. Molina, cum docuit, actum liberum, quo Deus vult hoc vel illud esse in tali tempore, immediatum esse principium creaturarum. Idemque modus loquendi nostris diebus placet quibusdam nobilissimis

(1) Ruiz de Montoya, *De volunt. Dei*, disp. 15, sect. 4.
(2) *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 45, 47 seqq.
(3) *Quæstiones disputandæ de Deo uno et trino*, quæst. 36, ad 3.um
(4) *De Deo uno*, disp. 47, sect. 1, num. 4.
(5) *Philos. perip.*, tom. 4, *Metaphys.* lib. 3, quæst. 2, cap. 1, *Dico* 4.ª
(6) In 1.am part. disp. 1, quæst. 25, punct. 1; et quæst. 14, punct. 8; et quæst. 19, punct. 6.
(7) *De volunt. Dei*, disp. 15, sect. 4.
(8) In 1.am part. tom. 2, commentar. in quæst. 25, disp. 2, sect. 4.
(9) In 1.am part. quæst. 25, art. 1.
(10) In 1.am part. disp. 102, cap. 3.
(11) *De Deo Uno*, disp. 7, quæst. 1, conclus. 2.
(12) *De Deo Uno*, disp. 5, quæst. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

scriptoribus, ut P. Josepho Mendive (1), P. Josepho Honthein (2), P. Bernardo Tepe (3) et Gustavo Lahousse (4), etc. Hi omnes non negant divinum intellectum esse principium operationis, nam scientia Dei est causa rerum; sed contendunt illum esse principium remotum, quod influit dirigendo, proximum vero esse voluntatem efficacem, seu potius ipsam actualem volitionem.

quinta. Thomistæ contrario modo sentiunt, dicentes actum quidem voluntatis liberum præsupponendum esse, verum immediatum principium operandi atque exsequendi esse actum intellectus practicum, quo imperat Deus, et ad imperium efficax sequitur effectus, vel ut alii loquuntur, intellectum practicum motum et applicatum per voluntatem. Quæ doctrina concordat cum illa, quam iidem scriptores tenent relate ad scientiam Dei, quæ sit causa rerum, prout suo loco retulimus (5). Ita opinantur inter alios Mag. Joannes a S. Thoma (6), Vincentius Ferre (7), Joannes Baptista Gonet (8), Cardin. Gotti (9) et Renatus Billuart.

Alterum modum explicandi potentiam per intellectum refert P. Suarez, in eo situm, quod intellectus divinus per ideas seu exemplaria rerum, quæ in se habet, sit proxime ratio agendi, atque adeo potentia ipsa, per quam Deus res ad extra producit. «Deus enim..... in sua infinita scientia habet rationes seu exemplaria omnium rerum possibilium, quæ non sunt aliud, quam ipsemet intellectualis conceptus, quem de singulis rerum naturis habet Deus, qui, ut intentionaliter seu intelligibiliter repræsentat unamquamque naturam factibilem a Deo, dicitur ratio, exemplar, aut idea ejus.

(1) *Institution. Theologicæ*, etc., tom. 2, *De Deo uno*, dissert. 3, cap. 3, num. 284.
(2) *Theodicea*, num. 926.
(3) *Institutiones Theologicæ*, tom. 2, tract. 6, *De Deo creatore*, num. 636.
(4) *Theolog. natural.* num. 431 seqq.
(5) Vide supra, num. 24, pag. 65 seqq.
(6) *Curs. Theolog.* tom. 2, quæst. 25, disp. 11, art. 2, num. 5.
(7) *Tract. Theolog.* tom. 2, tract. 13, quæst. 4, paragr. 1.
(8) *Clypeus* .. tom. 1, tract. 3, disp. 1, art. 4, par. 2.
(9) *Theolog. scholastico-dogmatica*, tom. 1, tract. 4, quæst. 4, dub. 4, paragr. 3.

Hæc autem exemplaria divina nihil extra se agunt necessitate naturæ, sed per voluntatem determinari debent, et ideo secundum se, et ut anteriores voluntati nostro modo intelligendi, vocantur rationes rerum; postquam vero eis adjungitur voluntas, qua Deus vult juxta hoc vel illud exemplar hanc vel illam naturam efficere, vocantur ideæ practicæ. Ab his ergo ideis, ut applicatis et determinatis per voluntatem, dicit hæc opinio manare creaturas per se et immediate, non medio alio actu immanente divini intellectus, hic enim nullus excogitari potest, ut contra priorem sententiam declaratum est, sed per immediatam efficientiam seu influxum in res ipsas. Ut, v. g., artifex humanus prius in se concipit ideam domus, et deinde vult efficere domum conformem exemplari concepto; si ergo illud exemplar esset tam perfectum et efficax, ut sine manibus et instrumentis statim efficeret illud artificium, quale voluntas vult, tunc intellectus per exemplar conceptum esset potentia immediate exsequens et efficiens res artificiales. Ad hunc ergo modum imaginatur hæc opinio divinas ideas et efficientiam earum» (1).

234. S. Thomam suum esse contendunt omnes ferme Mens S. Thom. istæ sententiæ. Nam pro sententia prima, potentiam activam ad extra seu exsequentem distinguente adæquate ab intellectu et voluntate, hæc afferuntur testimonia: *In nobis scientia est causa ut dirigens, qua concipitur forma operis, voluntas ut imperans, quia forma, ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc, quod sit, vel non sit in effectu, nisi per voluntatem: unde intellectus speculativus nihil dicit de operando. Sed potentia est causa ut exsequens, quia nominat immediatum principium operationis. Sed hæc omnia in Deo unum sunt* (2). Quasi diceret, hæc omnia in Deo re unum esse, secundum rationem autem distingui. Et alibi: *Potentia intelligitur ut exsequens, voluntas autem ut imperans, et intellectus et sapientia ut dirigens.* Et post plura alia sic concluditur: *Ideo..... Deus aliquid facit, quia vult, non tamen ideo potest, quia vult, sed quia talis est in sui*

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 42, ubi plura vide in num. 43.
(2) 1 p. quæst. 19, art. 4, ad 4.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

natura(1). Deinde: *Cum Deus sit agens per voluntatem et intellectum....., oportet in ipso tria actionis principia considerare; et primo intellectum, secundo voluntatem, tertio potentiam naturæ. Intellectus ergo voluntatem dirigit, voluntas vero potentiæ imperat, quæ exsequitur* (2). Denique: *Potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, sed solum secundum rationem: in quantum scilicet potentia importat rationem principii exsequentis id, quod voluntas imperat, et quod scientia dirigit: quæ tria Deo secundum idem conveniunt* (3). Quibus in verbis satis perspicue videtur sententia illa contineri. Nihilominus continuo hæc alia rei explicatio subjungitur ibidem: *Vel dicendum, quod ipsa scientia vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiæ. Unde consideratio scientiæ et voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiæ, sicut causa præcedit operationem et effectum.* Verum est, quod hæc altera responsio S. Thomæ in postremis verbis contenta, non reperitur in multis codicibus, quemadmodum testatur Ferrariensis (4). Sed reperitur in aliis etiam castigatissimis exemplaribus, ex quibus translata est ad accuratissimam editionem operum S. Thomæ, jussu S. Pii V Romæ factam, et habetur etiam in pluribus aliis editionibus posterioribus.

Verum non desunt quoque testimonia S. Thomæ pro sententia negante potentiam in Deo distingui ab intellectu et voluntate. Nam primo non semel docet, quod *scientia* Dei *sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam* (5). Præterea S. Thomas non uno in loco diserte tradit voluntatem se habere instar principii eorum, quæ a Deo fiunt, ex quo etiam rationem petit, cur actio divina, licet æterna, non

(1) 1 p. quæst. 25, art. 4, ad 1.um

(2) *De potent.* quæst. 1, art. 5. Idemque videtur aperte supponi 1.° dist. 45, quæst. 1, art. 3, ad 2.um

(3) 1 p. quæst. 25, art. 1, ad 4.um

(4) «In veris exemplaribus non ponitur, inquit, nisi prima responsio: secunda autem non est de textu, *ut ego in multis vetustis exemplaribus vidi*» Ferrariensis, In lib. 2.um *Contr. Gent.* cap. 1, prope fin.

(5) 1 p. quæst. 14, art. 8. Cfr. *de verit.* quæst. 2, art. 4; 1.° dist. 38, quæst. 1, art. 1; et dist. 45, quæst. 1, art. 3, corp. et ad 1.um

habeat effectum nisi in tempore (1). Deinde sæpe scribit, angelis, utpote spiritualibus naturis, non competere nisi intellectum et voluntatem: *In angelo aut dæmone*, inquit, *si incorporei ponantur, non est alia potentia neque operativa, nisi intellectus et voluntas; unde Dionysius dicit (IV cap. de divin. Nomin.), quod intellectuales sunt omnes eorum substantiæ, virtutes et operationes. Oportet enim quod virtus et operatio cujuslibet rei consequatur naturam ipsius. Angelus autem non est intellectus secundum suam partem, sicut anima; sed secundum suam totam naturam intellectualis est; unde nulla virtus seu potentia in angelo potest esse nisi pertinens ad apprehensionem vel appetitum intellectualem* (2). Et mox addit non esse inconveniens, *quod angeli aliqua corpora* solo imperio voluntatis, *moveant motu duntaxat locali,...*

Sed jam videndum est, quid de proposita controversia probabilius videatur.

235. PROPOSITIO 1.ª **Potentia divina ratione distinguitur ab essentia.**

Potentia Dei ratione distinguitur ab essentia.

Hæc est adversus Aureolum et quosdam alios, et facile probatur, quia alius est conceptus vel expressio mentalis, qua essentiam Dei et potentiam exsecutivam nobis repræsentamus. Ergo vel nullum aliud attributum ratione distinctum ab essentia Dei est agnoscendum, vel pari modo distinguenda est potentia. Et in hoc conveniunt communius scriptores.

236. PROPOSITIO 2.ª **Activa vel exsecutiva potentia Dei adæquate videtur distingui ab intellectu, non vero ab efficaci voluntate, sed ipsa voluntas, prout decernens aut imperans pro tali temporis differentia effectus existentiam, potest habere rationem activæ potentiæ.**

Activa Dei potentia distinguitur ab

Prima pars: *Activa potentia Dei distinguitur ab intellectu*, probatur. Etenim intellectum bifariam posset intelligi esse

(1) Vide S. Thomam, *de potent.* quæst. 1, art. 15, ad 18.um Cfr. ibid. ad 8.um [temque *de potent.* quæst. 3, art. 17, ad 12.um; quæst. 5, art. 3, ad 5.um et 6.um

(2) *De malo*, quæst 16, art 1, ad 14.um Cfr. 1 p. quæst. 54, art. 5; et quæst. 109, art. 1, ad 3.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

intellectu, saltem inadæquate identificatum cum Dei potentia: α) primo quatenus consideretur ut practicus, habens ideas seu exemplaria rerum faciendarum; β) secundo quatenus imperat executionem eorum, quæ voluntas facere decrevit impellendo ad opus. Nam his duobus modis vidimus explicari a multis identitatem potentiæ activæ cum intellectu. Atqui nullo ex his modis reponi potest activa Dei potentia in intellectu. Ergo....

Prob. Minor quoad membrum α). Intellectus non potest esse principium operationis, nisi quatenus est practicus. Atqui intellectus non est practicus, nisi ratione voluntatis, quæ ordinat ad opus cognitionem illius, varios typos et modos rerum faciendarum exhibentis. Ergo...

Major patet. **Minor**. vero continet doctrinam alibi traditam ex S. Thoma, qui scientiam docet posse dici speculativam vel practicam trifariam: primo ex parte objecti, secundo ex parte modi, et tertio ex parte finis. Ex parte objecti α) est practica, quando versatur circa objectum operabile: ex parte modi β), quando illud cognoscitur modo operabili: ex parte demum finis γ), quando non solum objectum est operabile, et cognoscitur operabili modo, sed etiam ordinatur ad opus. Et ut scientia dicatur simpliciter practica, oportet ut sit practica ex hoc triplici capite, ac potissimum ex parte finis, ita ut eadem ipsissima idea vel notitia referens objectum operabile et operabili modo sit, vel non sit practica ex eo solum, quod referatur, vel non referatur ad operationem, scilicet per decretum voluntatis, cujus est constituere, ut res aliqua fiat, vel non fiat, sed remaneat in statu puræ possibilitatis. Sic Deus novit pure possibilia, quæ certe operabilia sunt; et novit, quo modo sint operabilia, non secus ac ipsa existentia: et nihilominus cognitio pure possibilium est simpliciter speculativa, et solum dici potest practica secundum quid, nimirum virtute tantum, non vero simpliciter et actu ex defectu voluntatis (1). Ergo scientia, quantumvis rem exhibeat operabilem et operabili modo, non est practica ex se

(1) Vide supra num. 16, pag. 46; et num. 18, pag. 50 seqq. Cfr. num 112, pag. 442, ubi de idea exemplari. Et lege S. Thom., *de verit.* quæst. 2, art. 3.

ipsa, donec accedat voluntas ordinans illam ad operis efficiendi directionem, ideoque non est ex se solum potentia activa.

Probatur Minor syllogismi principalis quoad membrum β) 1.° auctoritate S. Thomæ, quia, quidquid sit de illa controversia suo loco agitata circa imperium, utrum nempe illud sit actus intellectus, an vero voluntatis (1); S. Doctor, cum agit de divinis actibus istarum potentiarum relate ad causalitatem, quam in rerum effectione exercent, imperium attribuit sæpe voluntati, non intellectui (2), ut videre est in testimoniis, quæ supra exscripsimus (3). Et merito quidem, quia, cum sermo est de divina rerum efficientia, imperium illi potentiæ tribuenda est, quod movet ad operandum, vel determinat operationem. Atqui ad intellectum spectat solum ordinem statuere, ac modum præscribere tenendum in operatione, movere autem ad opus est proprium solius voluntatis. Ita dissertissime docet Aquinas: *In imperio duo concurrunt, quorum unum est rationis, aliud voluntatis. Qui enim imperat aliquid*, inclinat ad faciendum, quod voluntatis est; ipsius enim est movere per modum agentis. *Et iterum* ordinat, *cui imperat, ad exsequendum illud, quod imperatur; et hoc* ad rationem pertinet, *cujus est ordinare* (4).

Confirmatur, quia S. Thomas nunquam tribuit formaliter intellectui practico ipsam exsecutionem operis, sed tantum directionem et ordinationem, ut constat ex iisdem testimoniis supra exscriptis. Unde etiam diserte negat effectum *unquam* procedere *a scientia nisi mediante voluntate, quæ de sui ratione importat influxum quemdam in volita: sicut a*

(1) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 72, pag. 181 seqq.

(2) Vide v. g. 1.am dist. 38, quæst. 1, art. 1; *de potent.*, quæst. 1, art. 5 corp.; 1 p., quæst. 19, art. 4, ad 4.um; quæst. 25, art. 1, ad 4.um; 1.am dist. 45, quæst. 1, art. 3 corp. et ad 1.um et 2.um

Solum in opusculo 11 (*Responsio S. Thomæ ad Lectorem Venetum* de articulis 36) art. 2 habentur hæc verba, quæ loquendo de angelis imperium tribuunt intellectui: *Ipsa autem conceptio intellectus, secundum quod habet efficaciam faciendi aliquid, imperium nominatur: unde si moveant* [angeli], *nullo modo nisi per imperium movere possunt.*

(3) Vide supra, num 25, pag 70 seqq.

(4) S. Thom. *Quodlib.* 9, art. 12.

substantia nunquam exit actio nisi mediante virtute, etc. (1). Ex quibus verbis aperte innotescit, et quod scientia Dei non sit proximum et immediatum operationis principium, et quod ipsa per se non sit operativa ad extra, sed solum per voluntatem. *Et ideo etiam voluntas potius dicitur causa, quam scientia* (2). Quæ omnia stare nequeunt, si ex mente S. Thomæ intellectus practicus esset per se ipse ac formaliter principium exsecutivum operationis ad extra.

Prob. 3.ª ratione. Cum intellectus practicus, prout imperans, dicitur esse ipsum principium operationis exsecutivum, actus iste imperii intellectualis vel concipitur anterior decreto voluntatis, vel posterior. Atqui utrumvis ponatur, exsecutiva potentia non potest esse actus hujusmodi intellectus practici. Ergo intellectus practicus, quatenus imperans effectionem, non est ipsa exsecutiva potentia.

Prob. Minor per partes: et 1) primo quidem, si actus imperii intellectualis ponatur præcedere decretum voluntatis. Etenim exsecutiva potentia est, et concipitur a nobis ut principium proximum efficiens opus: actus vero intellectus præcedens decretum voluntatis circa operationem profecto non potest dici proximum principium operis, quandoquidem proximius principium est decretum voluntatis. Quare etiam adsertores opinionis, quam modo rejicimus, imperium intellectuale ponunt post voluntatis decretum, ceu actum practicum ab ipsa voluntate motum et applicatum. Itaque

Probatur Minor quoad alteram partem β), si nimirum actus imperii impellentis ad opus dicatur voluntatis decreto posterior. Nam imperium hujuscemodi, quod dicitur subsequi decretum liberum divinæ voluntatis de rebus faciendis, et illud exsequi; vel intelligitur immediate referri ad ipsum Deum, quasi Deus imperet sibi, ut creet, sicut homo sibi imperat, ut ambulet, vel intelligitur immediate referri ad creaturas, quibus Deus imperet, ut sint. Atqui neutrum dici potest. *Non primum*, tum quia tale imperium videtur supervacaneum, posito decreto Dei de rebus efficiendis; tum quia etiam si existere ponatur, non concipitur ceu immediata

(1) *De verit.* quæst. 2, art. 14.
(2) S. Thom. 1.ª dist. 45, quæst. 1, art. 1, ad 1.um

ratio agendi ad extra, «sed potius quasi applicatio efficax, qua Deus se vel potentiam suam applicat ad opus, sicut quando homo sibi imperat motum, imperium est applicatio efficax ad motum, non proximum principium illius. Tum etiam quia post decretum liberum non potest in intellectu divino consequi aliquis actus ejus, qui versetur immediate circa ipsummet Deum vel res ejus, nisi vel cognitio, qua cognoscit se hoc jam decrevisse, vel judicium, quo judicat sibi omnino esse agendum, quod decrevit, nec posse jam aliud fieri; quod judicium si quis imperium vocare voluerit, de voce non contendam, quamvis sit satis metaphorica respectu Dei. Nemo tamen probabiliter cogitare potest, illam cognitionem vel judicium esse proximam rationem, per quam Deus extra se agit, cum proxime solum versetur circa decretum liberum ipsius Dei et circa immutabilitatem et efficaciam ejus. Præter hunc autem actum non potest fingi aut intelligi in divino intellectu aliquis alius actus posterior secundum rationem, quam decretum liberum voluntatis de rebus ad extra producendis, qui habeat rationem imperii Dei ad se ipsum, quo practice applicet se vel suam potentiam ad opus, quia nec declarari potest, qualis sit talis actus, aut quid per illum cognoscatur, aut judicetur, aut quæ sit necessitas ejus, cum Deus per voluntatem suam sibi cognitam et manifestatam sufficienter applicetur ad opus» (1).

Nec potest dici alterum, nimirum illud imperium ordinari ad creaturas ipsas producendas, intellecto imperio, in sensu non proprio, sed metaphorico. «Nam creaturæ, ut educantur de non *esse*, ad *esse*, non sunt capaces proprii imperii, quod maxime patet in inanimatis. Est autem idem in omnibus etiam intelligentibus, quia, ut terminant creationem, non exercent actum intelligendi, neque id est per se necessarium, ut creentur, ut ex se est evidens; immo necesse est, ut terminare creationem antecedat actum intelligendi, saltem ordine naturæ. Imperium autem proprie dictum ordinatur ad intelligentem ut sic, quod patet ex suo correlativo; imperio enim proprie dicto respondet obedientia, obedientia autem

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 30, sect. 17, num. 40.

proprie dicta tantum est in rebus intelligentibus. Acommodantur autem hæc, scilicet imperium et obedientia, per quamdam imperfectam et quasi materialem participationem quibusdam brutis, quatenus ex consuetudine quadam percipere possunt signa, quibus imperium seu motio intimatur. Per metaphoram vero dicuntur creaturæ obedire Deo, quando esse incipiunt, vel recipiunt ex efficacia Dei et ad nutum voluntatis ejus, quia ita se gerunt, ac si intelligerent, et ad nutum obedirent. Unde e converso, Deum imperare creaturis, ut fiant, nihil aliud est, quam ad nutum voluntatis suæ efficaciter procreare. Quocirca per illud locutionis genus non explicatur aliquis actus proprius intellectus Dei loquentis ad creaturas, sed metaphorice declaratur efficacia divinæ potentiæ operantis ad nutum voluntatis suæ. Quod genus metaphoræ est frequens in Scriptura, ut (apud Job cap. 13). Deus dicitur loqui ad mare: *Usque huc venies, et non procedes amplius*, etc., de quo dicitur (Prov. cap. 8): *Et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Sic etiam in epistola ad *Roman.* (cap. 4) dicitur: *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt;* quibus dicendi modis declaratur efficacitas divinæ voluntatis et potentiæ. Non est ergo in intellectu divino aliquis actus, qui sit proprium imperium respectu effectus producendi. Et ideo D. Thomas locis nuper citatis imperium divinum ad effectus producendos in voluntate constituit (1).

non tamen videtur distingui a voluntate

Secunda pars: *Activa potentia Dei videtur non distingui ab efficaci voluntate, sed ipsa voluntas, prout decernens aut imperans pro tali tempore differentia effectus existentiam, potest habere rationem executivæ potentiæ*. Probatur 1.°, quia ita videntur plures Ecclesiæ Patres disertissime docere, quorum non levis est auctoritas in divinorum attributorum stabilienda natura. S. Gregorius Nyssenus asserit, quod *voluntas divina sit potentia et vis rerum effectrix* (2). Et S. Athanasius: *Patris voluntas*, inquit, *efficax est et architectrix, eaque per se sufficit ad res procreandas* (3). Leo Magnus scribit: *Deus, cujus*

(1) Suarez, ibid., num. 41.
(2) *Hexaemer.* col. 4
(3) Orat. 3 *contr. Arian.*

natura bonitas, cujus voluntas potentia, etc. (1). Et S. Ambrosius: *Quid enim difficile est, cui* velle fecisse *est?* (2). Et alibi: *Nihil medium est inter opus Dei atque præceptum, quia in* præcepto est opus. *Denique*, dixit, et facta sunt. *Videtis igitur, quod dubitari non potest, quia* voluntas Dei potestas est. *Si ergo voluntas ejus potestas est, qui unius voluntatis Trinitatem asserunt, unius utique asserunt potestatis* (3). Denique S. Fulgentius hæc habet: *Ibi nunquam deest voluntatis effectus, quia* voluntas ipsa *non* aliud invenitur esse, quam virtus (4). Et quamquam possent absolute ista testimonia explicari de identitate reali, magis proprie interpretanda esse videntur de identitate etiam rationis, donec aliquid obstare ostendatur.

Prob. 2.° Voluntas Dei efficacissima et perfectissima est. Ergo asserendum ei est, quidquid perfectionis cadere in linea voluntatis excogitari potest. Atqui non est alienum a linea voluntatis aliquid ad extra facere. Ergo per suam voluntatem Deus sine interventu alterius potentiæ distinctæ operari dicendus est.

Primum antecedens non eget probatione, sicut nec primum consequens, nam secus concipi posset voluntas efficacior in genere suo. **Minor vero subsumpta** probatur. α) Proprium voluntatis est movere atque applicare imperio suo in genere causæ efficientis alias potentias ad opus (5). β) Hinc multi probabiliter asserunt cum S. Thoma, angelis non inesse potentiam ad movenda corpora distinctam a voluntate. Atqui tota hæc voluntatis efficacitas est operativa ad extra. Ergo non est alienum a linea voluntatis aliquid extra ipsam facere. Unde

Prob. 3.° quia posito, quod operatio ad extra non sit aliena a voluntate, longe perfectior erit voluntas efficax ad extra,

(1) Serm. 22 (2.° de *Nativit*).
(2) *Hexaemer.* lib. 2, cap. 2.
(3) *In Lucam*, lib. 5, parum a principio.
(4) *Ad Monim.* lib. 1, cap. 12. Cfr. S. Cyril. Alexandr., *Contr. Julian.* lib. 3, post. med.; S. August., *Meditation.* cap. 20; S. Damascen., *Orthodox. fid.* lib. 2, cap. 29; S. Bernard., serm. 6 *de Quadrages.*
(5) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 80, pag. 202.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quam voluntas egens potentia distincta ad operandum. Immo vero ad imperfectionem creati appetitus videtur pertinere, quod non possit ad extra operari nisi media potentia exsecutiva. Ergo dicendum est potentiam activam in Deo non distingui saltem adæquate ab ipsa voluntate.

Prob. 4.° Non est tribuenda Deo potentia vel attributum sine necessitate. Atqui nulla est necessitas activæ potentiæ distinctæ a voluntate, ut constat ex præcedentibus probationibus. Ergo non est illa admittenda.

Prob. 5.° Nihil Deo tribuendum est, quod imperfectionem importet. Atqui potentia exsecutiva a voluntate distincta imperfectionem importat, tum ex parte moventis illam, tum ex parte sui. *Ex parte quidem subjecti* subaudit limitationem virtutis; ideo enim potentia distincta requiritur, quia voluntas, per quam illa est movenda et applicanda, non est ex se sufficienter efficax, ut immediate operetur sine alterius facultatis adminiculo; quo pacto artifex indiget potentia exsecutiva instrumentisque aptis ad meditatum opus efficiendum. *Ex parte vero sui*, quia potentia exsecutiva se haberet instar instrumenti moti per voluntatem, quod subjectionem atque imperfectionem affert.

Probe autem vides primam hujusce probationis partem facile enervari, nisi ponatur id, quod in antecessum ostendimus, nempe efficacitatem operandi ad extra, non esse omnino extra lineam voluntatis. Conceptus enim, quos de Deo efformamus in hac vita, præcisivi sunt, nec debent *penes explicitum* referre de singulis attributis nisi id, quod ad eorum rationem spectat. Sic conceptus intellectionis et intellectus divini non debet explicite præ se ferre voluntatem et volitionem, quia hæ non sunt de ratione intellectivi, sed extra genus ac lineam ejusdem versantur.

Quo pacto se habeat potentia respectu voluntatis.

Quæ cum ita sint, probabilius videtur, potentiam activam ad extra in Deo pertinere ad ipsam voluntatem, a qua proinde non differt adæquate, sicut una potentia ab alia, vel unum attributum ab alio, v. g. sicut voluntas ab intellectu, vel æternitas ab immensitate, sed solum inadæquate, sicut una ex virtualitatibus alicujus potentiæ ab eadem potentia, diversas in se complectente virtualitates. Nam potentia exsecutiva ex dictis non est tota, ut ita dicam, voluntas, sed solum voluntas efficax, quatenus decernens et imperans rerum effectionem pro tali temporis differentia. Simili modo differt a divina voluntate misericordia vel justitia, etc.; quæ sunt totidem virtualitates, quarum singulæ quidem inter se adæquate distinguuntur, ab ipsa vero voluntate, cujus sunt veluti partes, solum inadæquate discriminantur.

Et ideo etiam possumus cum vulgo loqui de divino intellectu, voluntate ac potentia, quasi de tribus perfectionibus, quia reapse distinguuntur, quamvis duæ priores adæquate, secunda autem ac tertia solum, in adæquate.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

237. Objic. 1.° Potentia Dei activa reponenda est in intellectu practico prout moto et applicato per voluntatem. Etenim α) Deus res ad extra producit per actum imperii. Nam: Dixit *Deus:* Fiat lux, *et facta est lux* (1). Et *Ipse* dixit, *et facta sunt: ipse* mandavit *et creata sunt* (2). Atqui actus imperii spectat ad intellectum practicum. Ergo... β) Docente Angelico, *forma intellectus est principium* operationis, sicut calor est principium calefactionis, non tamen nisi secundum quod habet voluntatem conjunctam (3). Atqui calor est principium immediate productivum calefactionis. Ergo et forma intellectus, nempe idea vel exemplar, est immediate productiva rerum (4).

Respondeo, *neg.* assertum. **Ad probationem** α) *conc.* Major. et *nego*, vel *distinq.* Minor. Actus imperii, quatenus importat ordinationem, directionem, intimationem, *trans.*; quatenus importat impulsum et motionem ad operandum, *nego*, ut superius notavimus ex diserta doctrina S. Thomæ, quem pariter vidimus imperium tribuere divinæ voluntati.

Tum *nego* conseq. Mirum est autem, quod nonnulli auctores verba sacrarum Litterarum adducant, ut probent potentiam activam in practico intellectu formaliter sitam esse. Nam

(1) *Genes.* cap. 1, vers. 3, etc.
(2) *Psalm.* 148, vers. 5.
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 14, art. 8.
(4) Vide cardin. Gotti et Gonet, locis citatis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

verba illa aptissimum, habent sensum, etiamsi potentia exsecutiva adæquate distincta dicatur ab imperante ac diconte, ut per se patet.

Ad probation. 3) *dist.* Major. Id est forma intellectus est principium operationis, et calor est etiam principium calefactionis *conc.*; id est, *eodem modo* forma intellectus est principium operationis, ac calor calefactionis, *nego*. Undenam enim id probas? An solum ex particula *sicut*? Et quid respondebis mihi si propter eamdem illam particula sic subsumerem in Minori. *Atqui calor est principium necessario calefaciens. Ergo etiam forma intellectus divini est potentia vel principium necessario operans?* Vis ergo vera illius particulæ desumenda est vel ex contextu vel ex ejusdem scriptoris in aliis locis doctrina. Et contextus quidem de se potius contrarius est adversariis nostris; tum quia scientia Dei, quæ est causa rerum, dicitur se habere sicut scientia artificis se habet ad artefacta, certum autem est scientiam artificis non esse causam immediatam exsecutivam artefactorum; tum quia hæc ipsa scientia dicitur requirere, ut per voluntatem determinetur ad effectum producendum, quod satis innuit effectum proximius attingi per voluntatem, quam per scientiam aut intellectum practicum (1). Si jam doctrinam ab Aquinate in aliis locis traditam consideres, ea videtur omnino cohærere non posse cum adversariorum nostrorum interpretatione. Si enim S. Doctor docuisset scientiam ita esse immediatum principium operationis, sicut calor est calefactionis; quomodo potuisset scribere, effectum nunquam *procedere a scientia* nisi mediante voluntate..... *sicut a substantia nunquam exit actio nisi mediante virtute* (2) Quomodo cum agit de causalitate Dei in res creatas imperium constanter attribuisset voluntati; intellectui autem solam derectionem, et nunquam imperium, ut jam supra monuimus? Et quomodo sæpius agens de principio rerum effectivo solam voluntatem nominasset? (3).

(1) Lege S. Thom. 1 p. quæst. 14, art. 8.
(2) S. Thom., *de verit.* quæst. 2, art. 14.
(3) Vide *de potent.* quæst. 3, art. 15, ad 18.um; art. 17, ad 12.um; quæst. 5, art. 3, ad 3.um et 6.um

Objic. 2.º Voluntas non potest esse potentia exsecutiva seu immediatum principium producendi. Nam voluntas est potentia libera, principium autem producendi vel potentia exsecutiva est talis, quæ deficere nequeat in Deo. Ergo.....

Respondeo, *neg.* assert. **Ad probation.** *dist.* primum membrum antecedentis. Voluntas Dei est potentia libera in existendo, ita ut possit indifferenter existere vel non existere, *nego;* est libera in volendo ac decernendo alia, et in operando, *conc. Contradist.* alterum membrum antecedentis. Potentia in Deo est talis, quæ deficere nequeat in existendo, seu est necessaria in essendo, sicut voluntas, *conc.*; quæ deficere nequeat in operando, seu est libera in operando, *conc.* Tum *neg.* conseq.

Objic. 3.º Debet in Deo admitti potentia exsecutiva adæquate distincta ab intellectu et voluntate. Nam α) «intellectus et voluntas in res creatas non physice, sed intentionaliter feruntur, neque eas ut effectus respiciunt, sed ut objecta. Ergo hæ duæ facultates formaliter non sunt potentiæ; hæc enim ex conceptu suo formali ordinatur ad res efficiendas seu producendas» (1). β) Præterea nos divina per species et analogium ad res creatas concipimus. Atqui potentia exsecutiva in creatis, concipitur, saltem ratione, adæquate distincta ab intellectu et voluntate; immo in sententia multorum, quam nos quoque suo loco tuiti sumus (2), potentia motus exsecutiva re distinguitur a dirigente atque imperante. Ergo..... γ) Potentiæ ratio dijudicanda est ex actu vel actione illius. Atqui actio intellectus et voluntatis est omnino immanens, potentiæ vero exsecutivæ actio est transiens. Ergo potentia, per quam Deus res efficit, debet esse ratione adæquate distincta ab intellectu et voluntate.

Respondeo, *neg.* assert. **Ad probation.** α), *neg.* anteced., vel si vis, *distinguo:* quatenus speculative duntaxat respiciunt objectum, nempe intellectus pure speculativus et voluntas secundum actum meræ complacentiæ inefficacis, *conc.*; quatenus practice respiciunt objectum, *nego*; nam certum est apud

(1) Carleton Compton. *De Deo*, disp. 47, sect. 1, num. 4.
(2) Vide *Psycholog.* vol. 1, num. 226, pag. 947 segg.

omnes atque exploratum scientiam practicam et ideam vel exemplar et voluntatem efficacem esse veras rerum causas.

Ad probationem β), *nego* conseq. Nam etiamsi conceptus, quos de Deo effingamus, accommodentur quodammodo speciebus rerum creatarum, nihilominus in communissima sententia reformantur aliquantulum ex ratione actus puri atque infiniti. Sic conceptus attributorum divinorum, sapientiæ, bonitatis, æternitatis, voluntatis, etc., qui, quando circa res creatas efformantur, sunt invicem perfecte præcisivi, mutuo se includunt penes implicitum, ita ut non possint perfecte invicem præscindere (1). Ita ergo quamvis conceptus voluntatis in creatis perfecte præscindere queat a potentia exsecutiva, sed in Deo non potest præscindere, quia virtus effectiva non est extra lineam voluntatis perfectissimæ efficacissimæque, qualis est divina, propter adductas in probationibus rationes, quæ licet non penitus convincant intellectum, probabiliores videntur rationibus, quibus cæteræ fulciuntur opiniones.

Ad probationem γ), *conc.* Major., *dist.* Minor. Actio intellectus et voluntatis est omnino immanens in creatis, et etiam in Deo actio intellectus, *trans.*; actio voluntatis in Deo est immanens, *subdist.*: saltem virtualiter, *nego*, formaliter, *trans.* De hoc enim mox dicetur (2).

ARTICULUS IV

Utrum omnipotentia Dei intrinsece atque essentialiter connectatur cum possibilibus.

Controversiam hanc ideo in hoc loco enuntiamus, quia posset hic convenienter tractari; sed quia eam alibi disputavimus, ubi necessaria erat ad plenioremi notitiam quæstionis, quæ tum agitabatur, supervacaneum foret iterum illam ad trutinam revocare (3).

(1) Vide 1.um vol. *Theodic.* num. 103, pag. 324.

(2) Rationes ab Eximio Doctore (loc. cit) factæ, ut potentiam cum essentia divina identificatam evinceret, et ab intellectu ac voluntate distinctam, facile, opinor, ex dictis solventur. In iis solvendis fuse immoratur cl. P. Gustavus Lahousse.

(3) Vide supra, num. 57, seqq., pag. 181 seqq.

ARTICULUS V

An actio, qua Deus agit ad extra, sit ipsa ejus essentia.

Status quæstionis.

238. Postrema objectio præcedentis articuli tertii cogit nos hanc pertractare controversiam, quæ cæteroqui necessaria est ad complementum hujusce disputationis de divina omnipotentia. Cum enim potentia dicat ordinem ad actum, post considerationem potentiæ activæ vel exsecutivæ, sequitur, ut naturam actus aut actionis ad extra inquiramus. Non est porro dubium in præsentiarum de actione intentionali Dei, nempe intellectus et voluntatis, saltem secundum actum formalem intellectionis et volitionis; cum enim istæ actiones sint immanentes, prorsus identificari dicendæ sunt cum essentia Dei, sicut ipse intellectus et voluntatis, quemadmodum constat ex probatis circa hasce potentias. Tota difficultas reducitur ad actionem, qua effectus ad extra producitur, quæque nostro intelligendi modo tribuitur activæ vel exsecutivæ potentiæ, de qua in hoc capite disputamus, sive ea sit attributum ratione adæquate distinctum ab intellectu et voluntate secundum varias doctorum virorum sententias, sive secus.

Certa controversia.

Sententia Thomistarum.

Thomistæ communissime negant actionem Dei ad extra, vi cujus rei producitur, distingui ab essentia vel substantia Dei, nisi forte ratione, ideoque actionem illam docent esse formaliter immanentem, non minus quam ipsa formalis intellectio aut volitio, et solum virtualiter transeuntem; quia quamvis entitative sit ipsa Dei essentia, et proinde æterna, tamen virtus ejus ponit externum terminum aut effectum, non secus ac foret formaliter transiens, et quidem in ea temporis differentia, quam Deus secundum consilium voluntatis suæ decrevit. Secundum hanc ergo sententiam causæ quidem secundæ agunt media actione eductiva distincta, non tamen Deus.

Contraria sententia.

Alii vero, ac nominatim plures ex nostris scriptoribus, non verentur Deo asserere actionem realiter distinctam et formaliter transeuntem, quæ quidem non est, nec potest esse in ipso Deo tamquam in subjecto, sed in passo, circa

quod operatio versatur, secundum doctrinam in *Ontologia* traditam de subjecto actionis (1). Tales porro esse omnes saltem actiones eductivas, quas Deus vel ipse solus efficiat, vel simul cum creaturis concurrendo cum illis ad producendos eorum effectus (2).

Mens S. Thomæ.

239. Primam sententiam videtur manifeste profiteri S. Thomas innumeris in locis, cujus juvat hic doctrinam exponere. α) Data opera probandum sibi proponit S. Doctor, actionem Dei esse unum idemque cum ejus potentia (3), quam pariter probat identificari cum essentia (4), quemadmodum omnes uno ore docent. β) Eamdem passim doctrinam inculcat tum speciatim de intellectione ac volitione (5), tum generatim de omni actione, vel nominatim de actione ad extra (6). γ) Alias idem sub aliis terminis tradit, cum negat Deum agere operatione aliqua media, quæ intelligatur a Deo procedens et in creaturam terminata (7), vel actione transeunte (8), vel actione, quæ de novo incipiat; sed actione,

(1) Vid. Ontolog., num. 355, pag. 1035 seqq.

(2) Vid. Suarez (*Metaphys.* disp. 20, sect. 4, num. 29), Rhodes (*Philos. peripat.*, lib. 2, quæst. 7, sect. 5, paragr. 2, *Dico secundo*), Semery (*Trieun. philos.*, tom. 2, disp. 3, quæst. 1, art. 1, *Objic.* 4.ª), De Benedictis (*Philos. peripat.*, tom. 2, *Physic.*, lib. 2, quæst. 4, cap. 5, paragr. 2.º), Losada (*Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 4), etc., etc.

(3) S. Thomas, *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 9.

(4) S. Thomas, *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 8.

(5) S. Thomas, 1 p. quæst. 14, quæst. 19, art. 1 et 4; quæst. 79, art. 1; 2.ª dist. 1 quæst. 1, art. 5, ad 11.um; 2.ª dist. 15, quæst. 3, art. 1, ad 3.um; *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 45 et 73; *de verit.*, quæst. 2, art. 5, etc., etc.

(6) S. Thomas, 1 p. quæst. 25, art. 1, ad 2.um; quæst. 30, art. 2, ad 3.um; quæst. 41, art. 4, ad 3.um; 1.ª dist. 2, quæst. 1, art. 2, ad 2.um; dist. 7, quæst. 1, art. 1, ad 1.um; dist. 8, quæst. 3, art. 1, ad 4.um; quæst. 4, art. 1, ad 3.um; dist. 14, quæst. 1, art. 1, ad 3.um; 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 1, ad 4.um; *de verit.*, quæst. 23, art. 4; *de potent.* quæst. 7 art. 1, ad 7.um; opusc. 9, quæst. 14; etc., etc.

(7) S. Thom., 1.ª dist., 8, quæst. 4, art. 3, ad 3.um; dist. 14 quæst. 1, art. 1, ad 3.um; dist. 35, quæst. 1, art. 1, ad 3.um; dist 42, quæst. 1, art. 1, ad 4.um; 2.ª dist. 15, quæst. 3, art. 1, ad 3.um; *de potent.* quæst. 7, art. 10.

(8) 2.ª dist. 15, quæst. 3, art. 1, ad 3.um; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 23; *de potent.*, quæst. 2, art. 1, ad 1.um; quæst. 3, art. 15, fin. corp.

quæ quamvis in se sit æterna, effectum tamen ponat in tempore secundum consilium divinæ voluntatis (1).

Operæ autem pretium est, quibus rationibus S. Thomas hanc probet doctrinam, perspicere. *Potentia Dei est ejus actio*, inquit (2): quia, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Atqui divina potenita est ejus substantia (3), et actio etiam similiter (4). Ergo potentia Dei est ejus actio. 2.º *Actio est quoddam complementum potentiæ, comparatur enim ad potentiam, sicut actus secundus ad primum. Divina autem potentia non completur alia, quam se ipsa, cum sit ipsa Dei essentia. In Deo igitur non est aliud potentia, et aliud actio.* 3.º *Sicut potentia activa est aliquid agens, ita essentia est aliquid ens. Sed divina potentia est ejus essentia.... Ergo suum agere est suum esse. Sed ejus esse est sua substantia. Ergo divina actio est sua substantia, etc.* 4.º *Actio, quæ non est substantia agentis inest ei, sicut accidens subjecto,... In Deo autem non potest esse aliquid per modum accidentis. In Deo igitur sua actio non est aliud a sua substantia et a sua potentia.*

Actionem autem Dei esse ipsam ejus essentiam probat fuse S. Doctor in libro primo *Contra Gentiles* (5) pluribus argumentis, quorum priora evincunt intelligere divinum esse Dei essentiam, qua de re nulla est controversia, ut suo loco vidimus; quædam autem alia sunt generaliora, qualia sunt hæc: 1.º Actus secundus est perfectior primo. Ergo si actio ipsa actualis non sit essentia Dei, aliquid erit ejus essentia nobilius, nempe essentia cum actu secundo operationis distinctæ ac superadditæ. 2.º Actio est actus agentis. Si ergo Deus non est ipsa sua actio, comparabitur ad ipsam, sicut potentia ad actum, et ita erit in Deo actus et potentia. 3.º Omnis substantia est propter suam operationem. Si ergo Dei operatio sit aliquid aliud, quam divina substantia, finis ejus

(1) S. Thom., 2.ª dist. 15, quæst. 1, art. 1, ad 3.um; dist. 42, quæst. 1, art. 1, ad 5.um; dist. 43, quæst. 2, art. 1, ad 2.um; *de potent.*, quæst. 3, art. 17, ad 12.um; quæst. 5, art. 13, ad 6.um

(2) *Contr. Gent.*, lib. 2, cap. 9.

(3) Quod probatur lib. 2 *Contr. Gent.*, cap. 8.

(4) Id probatur lib. 1.º *Contr. Gent.*, cap. 45,

(5) *Contr. Gent.*, lib. 1, cap. 45.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

erit aliquid aliud distinctum. Et sic Deus non erit sua bonitas, cum bonum cujuslibet sit finis ejus (1). Hæc est doctrina S. Thomæ; verum jam necesse est, quid circa propositam controversiam verisimilius videatur, constituere. Disputationem tamen ad solam actionem eductivam restringemus, quia jam alibi ostendimus, creationem probabilius esse actionem formaliter immanentem et virtualiter transeuntem, quæ cum ipsa Dei volitione, atque adeo cum essentia, identificatur (2).

240. PROPOSITIO. **Quidquid realitatis actio importet ex parte agentis, unum re idemque est in Deo cum ipsa ejus potentia et essentia: cum autem probabile sit, actionem transeuntem, qua talem, ex sua ratione non esse in ipso agente, sed in passo, eadem probabilitate dici potest, actionem eductivam, qua Deus aliquid efficit, esse ab infinita illius essentia realiter distinctam.**

Actio divina secundum totam realitatem, quam ea importet ex parte agentis, est ipsa Dei essentia,

Prima pars: *Actio divina secundum totam realitatem, quam ea importet ex parte agentis, est ipsa Dei essentia*, probatur evidenter. Nam quidquid realitatis actio ex parte agentis importare possit, vel est ipsa potentia effectiva, vel aliquid eidem superadditum. Si *primum dicas*, habeo intentum; nam potentia Dei effectiva est ipsa ejus essentia, quemadmodum in primo hujus capitis articulo notatum reliquimus. *Sin alterum eligas*, actio in Deo esset accidens quoddam essentiæ vel substantiæ divinæ, quod nefas est dicere, vel cogitare.

Hæc pars, ut vides, præscindit ab omnibus controversiis circa naturam actionis eductivæ transeuntis, nec absolute supponit, quod actio ejusmodi, recipiatur in agente, vel non recipiatur: tantum dicit hoc, si actio formaliter spectata, quatenus est ultima formalitas, vi cujus et causa dicitur actu agere, et effectus fluere vel existere dependenter a causa, ponit reapse aliquid in agente; est ipsa Dei essentia, et proinde æterna et immutabilis. Et sic, quod de divina intellectione ac volitione, qui sunt actus immanentes, suis locis demonstravimus; id ipsum de actione ad extra tenendum

(1) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 45.
(2) Vide *Cosmolog.* num. 62, pag. 215.

est. Verum disputatur inter Philosophos, utrum actio transiens eductiva formaliter sit aliquid in ipso agente, an vero potius in passo. *Formaliter*, inquam, nam constat actionem etiam transeuntem præsuppositive aut antecedenter posse esse, ac porro esse, aliquid in agente. Agens enim indiget in primis virtute ad agendum, quæ in creaturis est accidens eidem perenniter inhærens; indiget deinde pluribus conditionibus ac prærequisitis, quæ necessario præsupponenda sunt, ut in actu primo proximo constituatur, et sine quibus actio sequi non potest. Et ejusmodi prærequisita possunt esse aliquid, quod in ipso agente receptum, disponat illud, atque expeditum reddat ad actu agendum. Quæstio ergo inter Philosophos agitata respicit ipsam formalitatem actionis eductivæ transeuntis, vi cujus effectus aliquis extra causam ponitur. Et de actione sic considerata quid possit dici, definitur in reliqua propositione.

cum autem probabile sit, actionem eductivam transeuntem, formaliter qua talem, esse in passo,

Secunda pars: *Probabile est, actionem eductivam transeuntem, formaliter qua talem, esse non in agente, sed in passo*, non eget probatione post ea, quæ in *Ontologia* de hac re tradidimus. Nimirum ostendimus actionem prædicamentalem esse realitatem quamdam mediam inter causam et effectum (1), nempe realem dependentiam hujus ab illa, in entitate quadam moduli sitam (2), quæ, quoad rem ipsam, identificatur cum passione (3), ac proinde recipitur in passo tamquam in suo subjecto (4). Quæ omnes assertiones et gravissimos habent patronos, et firmis nituntur rationum momentis.

eadem probabilitate dici potest, actionem eductivam etiam in Deo esse aliquid a ejus essentia distinctum.

Tertia pars: *Non minus probabile est, actionem eductivam etiam in Deo esse aliquid realiter ab ejus essentia distinctum*, utique non in ea receptum, sed in passo, ac proinde esse actionem *formaliter transeuntem*, probatur. Quia quod probabile est in causis creatis, eatenus minus probabile redderetur in Deo, quatenus id aliquid imperfectum vel indecens divinæ Majestati contineret. Atqui quod Deus agat ad extra

(1) *Ontolog.* num. 344, pag. 1017.
(2) Ibid. num. 347, pag. 1022.
(3) Ibid. num. 353, pag. 1031.
(4) Ibid. num. 350, pag. 1037.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actione media et formaliter transeunte, videtur nihil continere imperfectum aut minus decens divinam Majestatem. Ergo.....

Et probatur Minor, nam reliqua patent. Bifariam intelligi posset actionem hujusmodi Deo afferre imperfectionem aliquam: primo *formaliter*, quatenus ipsa poneret quidpiam reale in divina substantia; secundo, arguitive vel præsuppositive, quatenus iste agendi modus indicium esset imperfectionis aut limitationis. Atqui actio transiens neutro modo affert Deo imperfectionem. *Non formaliter*, quia actio formaliter transiens nihil est in agente, sed solum est modus passi, prout tenet hæc sententia. *Non arguitive aut præsuppositive*. Nam actio eductiva media inter causam et effectum, vel actio formaliter transiens, a causa realiter distincta et in passo recepta, non ponitur etiam in creatis præcise ex indigentia aut imperfecta virtute causæ, sed ex conditione ipsius effectus, qui non potest secum identificare passivam productionem sui, seu non potest existere nisi producta per actionem a se realiter distinctam. Sane actio aliis verbis nihil aliud est, quam specialis illa dependentia effectus a sua causa (1). Atqui quivis effectus individuus per eductivam actionem productus potest secundum eamdem ipsissimam individuam naturam diversa, non solum individue, sed etiam specifice, actione vel dependentia a sua causa existere. Ergo nullus effectus per eductivam actionem productos secum identificare potet sui productionem.

Et probatur Minor. Nam hic individuus effectus productus actione eductiva potuit etiam a Deo, saltem miraculose, produci actione creativa, sine consortio causæ materialis, at actio creativa profecto specifice discrepat ab eductiva. Item hic individuus effectus productus ab hac causa creata, cooperante Deo, potuit produci a solo Deo, sine interventu causæ ullius efficientis creatæ. Aliunde autem patet causam posse existere, quin existat actio transiens, vi cujus terminus aut effectus ponitur. Nam si sermo sit de causa creata, nulla est, quæ secum identificet actionem, seu cui essentialis sit actio; si autem de increata, patet etiam potuisse

(1) *Ontolog.* num. 347, pag. 1022.

illam esse sine ipsa formali positione effectus. Quæ sunt rationes, ex quibus probatur in causis creatis necessitas actionis realiter distinctæ a causa et ab effectu (1). Plane autem vides nullam istarum rationum desumi ex indigentia causæ, sed partim ex independentia illius ab effectu, partim ex conditione ipsius effectus. Nulla ergo apparet imperfectio in eo, quod Deo tribuatur actio formaliter transiens eo sensu intellecta ac declarata, quo nostri scriptores intelligunt. Videnturque minus logice processisse quidam alii auctores, qui cum actionis transeuntis subjectum posuissent non causam ipsam efficientem, sed passum, circa quod illa operatur, ut effectum producat: negarunt postea Deo posse attribui actionem transeuntem realiter distinctam.

Illa quoque adduci solet ad hanc propositionis partem evincendam ratio, quod Deus ita suo concursu cooperetur ad actionis creaturarum, ut ab ipsa procedat effectus per eamdem indivisibilem actionem, quæ illos causæ secundæ producunt. Atqui hæc actio media est inter causam et effectum. Ergo Deus, saltem cum agit per causas secundas, media distincta operatione operatur. Equidem haud ignoro, qui contra sentiunt, solitos esse respondere, actionem ejusmodi, licet respectu causarum secundarum, sit veri nominis actio, at respetu Dei non actionis, sed effectus habere rationem. Verum utrum responsio hæc argumentum solvat, an potius controversiam ad meram litem de nomine revocet, sapientioribus judicandum reliquo.

Objectiones solutæ.

Dices 1.º Actio media vel formaliter transiens est via quædam ad terminum vel effectum. Egere autem via ad terminum attingendum arguit imperfectionem. Ergo Deus omnino dicendus est sine via immediate pervenire ad terminum.

Respondeo, *dist.* Minor: si necessitas viæ oriatur ex conditione ipsius iter facientis, *conc.*; si necessitas viæ oriatur ex conditione termini, qui nequeat omnino attingi nisi media via distincta, *nego*. Et *nego* conseq.

Dices 2.º Omnis causa, cum incipit agere, mutatur, secus enim si eodem modo se haberet, ac antea, non de novo ageret. Ergo actio aliquid ponit in ipso agente, quo aliter se habet.

(1) Cfr. *Ontolog.* num. 341, pag. 1017.

Quod cum dici nequeat de Deo, necesse est tenere, actionem divinam æternam esse atque identificatam cum essentia.

Respondeo, *dist*, anteced. Omnis causa, cum incipit agere, mutatur, quatenus indigeat recipere in se complementum virtutis vel prærequisitum, sine quo non est in actu primo proximo constituta ad agendum, *transeat*. Præcise quatenus formaliter agit, *negatur*, secundum probabilem sententiam (1).

Tum *nego* conseq.

CAPUT II

DE OPERIBUS

DIVINÆ OMNIPOTENTIÆ, AC PRIMO DE CREATIONE.

Cum Deus sit causa prima, necesse est, quidquid præter ipsum est, ab ipso produci, ac pendere, saltem aliquo modo. Hinc vero sequitur Deum omnium Creatorem esse; nisi enim absurde admittamus materiam increatam, ex qua res factæ sint (2), Deus nihil efficere potest nisi creando, vel producendo ex materia a se creata. Primum ergo divinæ omnipotentiæ opus naturæ ordine, et primum etiam dignitate inter opera naturalia est creatio. Cum autem res productæ in *esse* perseverent, seu conserventur, videndum erit, utrum hæc conservatio importet aliquam actionem Dei. Denique cum res creatæ sint et ipsæ veræ causæ (3), quæstio scitu dignissima est, utrum Deus etiam operetur, cum omni causa secunda operante, seu ad omnes creaturum actiones et effectus inmediate concurrat. De his ergo omnibus singillatim ex ordine agendum est, ut omnipotentia Dei cognoscatur. Et primo quidem *circa creationem*, illa occurrit, gravissimi *sane* momenti, tractanda quæstio, utrum creatio sit actio

(1) Vide *Ontolog.*, num. 358, pag. 1041, *Objic. 3.ª*
(2) Vide *Cosmologia*, num. 58, pag. 179.
(3) Vide *Ontolog.*, num. 394, pag. 1132, seqq.

propia solius Dei, an vero possit aliqua etiam creata causa virtute creandi donari. Verum quia causam aliquam creare bifariam intelligi potest, nempe vel instar causæ principalis, vel instar causæ instrumentalis, in utroque sensu disputanda controversia est.

ARTICULUS I

Utrum solus Deus possit creare saltem tamquam causa principalis

Error hæreticorum et aliorum quorumdam philosophorum.

241. Vetus error fuit multorum hæreticorum et philosophorum, res a Deo creatas non esse. Nam Simon Magus mundum non a Deo, sed ab angelis conditum esse dixit, angelos vero a Deo ex quadam meretrice Selme generatos esse blasphemе somniavit (1). Idem ferme deliravit discipolus ejus Menander (2). Saturninus vero mundum ipsumque hominem a septem angelis sine consensu Patris esse factum posuit (3). Similia effutierunt Basilides, Menandri discipulus (4), Cerinthus (5), Carpocratiani et Gnostici (6); Manichæi (7) vero et Albigenses (8) mundum hunc visibilem et corporeum non a bono, atque adeo vero, Deo conditum esse, contendebant, sed a malo quodam principio. Quo spectat etiam commentum eorum, qui aquam non esse a Deo creatam volunt, quemadmodum narrat S. Augustinus (9): quem errorem Theodoretus Audianis, hæreticis anthropomorphitis, tribuit (10). Quorum omnium peculiaria deliramenta apud Patres et historias

(1) S. Iren., *Advers. hæres.* lib. 1, cap. 20.
(2) S. Irenæus, *Advers. hæres.*, cap. 22.
(3) Tertullian., *De præscription.*; et S. August., *De hæres.*, hæres. 3.ª Cfr. S. Iren., loc. cit., cap. 24.
(4) S. Iren., loco cit., lib. 1, cap. 23.
(5) S. Iren., ibid., cap. 26.
(6) S. Iren., ibid., cap. 24, et S. Epiphan., *De hæres.* hæres. 27.
(7) S. August., hæres. 46; S. Epiphan., hæres. 26 et 66.
(8) S. Antonin. 3.ª part. *Historiali*, titul. 19, cap. 1.
(9) Hæresi 75.
(10) *Hæreticar. fabular.* lib. 4, et lib. 4 *Histor.*, cap. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ecclesiasticas videnda sunt (1). Demum hæresis Arii, fuit, Deum per Verbum, quod tamen non divinam Personam, sed creaturam, quamvis utique excellentissimam, blasphemе pronunciavit, mundum creavisse. Eodem spectat etiam insania Avicennæ, secundum quem angelus vel intelligentia primo immediate a Deo creata, creavit alteram et hæc tertiam et ita porro usque ad ultimam, quæ generationes omnes substantiales perfecit inducendo materiæ varias formas (2).

Errarunt quoque circa propositam controversiam ii, qui, quamvis non excluderent omnino actionem Dei ab effectione mundi, negarunt tamen hunc proprie *creatum* ab illo fuisse: quo in errore versati sunt tum ii, qui cum Platone finxerunt materiam increatam atque æternam, ex qua mundus fieret, tum pantheistæ, qui transeuntem emanationem commenti sunt (3).

Error Henrici Gandavensis.

Aliud denique caput errorum huc spectat, in eo situm, quod creatio mundi non tribuatur Deo secundum aliquid tribus Personis commune. Etenim primo Henricus Gandavensis (4), temere asserit Deum non creare per essentialem notitiam et amorem, qui Personis communis est, sed solum per notitiam notionalem seu Verbum, et per amorem personalem vel Spiritum S. Putavit enim essentialem notitiam non esse practicam, quæ res exhibeat ut producendas, et eo modo quo producendæ sint, nec amorem essentialem esse satis impulsivum ad opus; quare vim practicam proxime non inesse nisi notitiæ atque amori productis. Ex quo concludit res produci solum per processiones divinarum Personarum, ac proinde Patrem non creare nisi per Verbum suum et Spiritum S. (5).

(1) Cfr. Castro, *Adv. hæres.* verbo *Creatura*; P. Gregorium de Valentia, In 1.am part. disp. 3, quæst. 1, punct. 1; Molina, In 1.am part., quæst. 44, art. 1.

(2) Vide apud Suarez, *Metaphys.* disp. 15, sect. 2, num. 9.

(3) Vide *Cosmolog.* lib. 1, disp. 2, cap. 2, art. 1.

(4) *Quodlib.* 6, quæst. 2.

(5) Vide P. Ludovicum Molina, in 1.am part. quæst. 45, art. 6, *Ex his patet...*; et P. Gregor. de Valentia, In 1.am part. disp. 3, quæst. 1, punct. 3, *Porro ex primo.*

Item que Antonii Rosmini.

Pejus erravit Antonius Rosmini, secundum quem creatio triplici constat actu: *abstractione*, *imaginatione* et *synthesi*. Abstractio est actus, quo *Pater* æternus, Verbum respiciens, abstrahit ab ipso *esse*, in quo virtualiter continetur ens omne finitum: hoc est *esse initiale* rerum omnium. Imaginatio dicitur a Rosminio actus, quo *Pater* concipit varios terminos reales limitatos, quibus realitas mundi continetur. Synthesis demum est junctio utriusque hujus elementi, nempe *esse* illius initialis et finitarum formarum imaginatione conceptarum. Et hæc tandem junctio vel synthesis, per quam *esse* initiale non jam ut purum intelligibile, sed tamquam essentia refertur ad finitos terminos, est, quæ facit alia entia subjective ac formaliter existere in rerum natura (1).

Veritas catholica;

et de qua disputatur inter catholicos

Sententia vero catholica omnino tenenda docet Deum, eumque unum ac trinum, operatione tribus Personis communi mundum creasse *de facto*. Solum disputatio aliqua inter catholicos fuit circa absolutam possibilitatem creaturæ adeo perfectæ, quæ virtute creandi polleret. Et quidem, ut initio innuebam, de duobus disputatur: primum est, utrum per absolutam Dei potentiam communicari possit creaturæ virtus, qua creet ex nihilo, tamquam causa principalis, utique cum concursu Dei operans, nam concursum hujuscemodi absolute necessarium esse ad quamlibet operationem causæ creatæ mox demonstrabimus. Secundum est, utrum creatura possit a Deo assumi ad creandum, saltem tamquam instrumentum elevatum ad opus, ad quod nihil de se naturaliter conferre valet. Primam duntaxat istarum controversiarum in hoc articulo tractandam suscepimus, alteram ad sequentem rejicimus (2). Et planum est sermonem hic non esse de causa morali, sed de physice efficiente, dubium enim non est, quin creatura cum divino auxilio possit impetrare creationem alicujus rei. Itaque circa primam ex controversiis inter catholicos agitatis, asseruit Durandus (3) ad aliquid creandum non

(1) Vide *Teosofia*, vol. 1, lib. 2, sezione 4, cap. 6, art. 7.

(2) Supponendæ sunt hic notiones causæ principalis et instrumentalis, quas suo loco enucleatas reliquimus in *Ontolog.* num. 392, pag. 1118 seqq.

(3) 2.° dist., quæst. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

requiri virtutem infinitam, ideoque posse a Deo per absolutam potentiam conferri alicui creaturæ virtutem creandi, non quidem ens in tota sua latitudine (secus enim illa posset et se ipsam vel res se perfectiores efficere), sed quædam saltem rerum genera. Proxime accessit Durando P. Rodericus Arriaga (1), qui non veretur ceu probabiliorem tueri sententiam, quæ docet possibilem esse creaturam virtute præditam creandi, non solum instrumentali, sed etiam principali. Communis tamen doctrina cum S. Thoma (2), tenet creaturæ virtutem creandi communicari non posse, saltem ut creet tamquam principalis causa, etiam cooperante Deo (3). Quamquam plerique fateantur, valde arduum esse rationem naturalem efficacem ad rem probandam invenire, et ita Suarez, Vazquez, Valentia aliique argumenta afferri solita fuse ac diligenter expendunt.

242. PROPOSITIO. **Solus Deus hunc mundum creavit, virtusque creandi est ita ejus propria, quæ nulli creaturæ possit communicari, saltem ut creet ceu causa principalis.**

Deus est Creator mundi.

Prima pars: *Solus Deus hunc mundum creavit*, fide divina certum est, decernente Vaticano concilio: *Hic* **solus** *verus Deus..., liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem*, etc. (4).

(1) *Physic.* disp. 11, sect. 6, subsect. 2.

(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 5; 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 3; 4.ª dist. 5, quæst. 1, art. 3, solut. 3; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 21, 85 et 96; lib. 3, cap. 67; *de potent.* quæst. 3, art. 4, etc.

(3) Vide Hugon. Victorin. lib. 1; *de Sacram.* lib. 1, part. 1, cap. 1, Magistr. *Sentent.* in 4.º dist. 5; Albert. M. 2.ª dist. 1, art. 7 et 8; S. Bonavent. 2.ª dist. 1, art. 2, quæst. 2; Richard. 2.ª dist. 1, art. 4, quæst. 4; Ægid. 2.ª dist. 1, part. 1, quæst. 2, art. 5, et *Quodlib.* 5, quæst. 1; Henric., *Quodlib.* 4, quæst. ult.; Scotum 4.ª dist. 1, quæst. 1, quem sequitur universa ejus schola; Capreol. 2.ª dist. 1, quæst. 3, art. 1, conclus. 1; Cajetan, Báñez et omnes Thomistas, in 1.am part., quæst. 45; Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 2; Tolet., Molina, Vazquez, Valentia, etc. in 1.am part., quæst. 45, ac demum omnes Philosophos ac Teologos Societatis, excepto Arriaga.

(4) Const. *de Fide cathol.* cap. 1. Vide apud Denzinger, *Enchirid.* num. 1632. Cfr. Canon huic capiti respondens, apud Denzinger, num. 1652.

Idemque traditur in Symbolo Constantinopolitano, ubi Deus creditur *Creator cœli et terræ visibilium omnium et invisibilium*. Idque dudum etiam definierat concilium Lateranense IV in capite *Firmiter*, ubi Deus dicitur unum *universorum principium et Creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium; qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem* (1). Eademque veritas continetur in multis fidei Symbolis (2), licet non tam perspicue, cum Deus creditur Creator cœli et terræ. Idem diserte traditum reperimus in Sacris Litteris, ex quibus sufficiat laudasse librum Isaiæ, prophetæ: *Ego sum*, inquit, *Dominus faciens omnia, extendens cælos* **solus**, *stabiliens terram, et* **nullus mecum** (3). Et alibi: **Omnia per ipsum facta sunt** (4): quod profecto verum non foret, nisi a Deo creata fuisset etiam materia.

Probatio vero, sive theologica sive philosophica, hujus partis pendet ex secundæ partis probatione. Deum enim *solum* esse creatorem hujus mundi, est propositio exclusiva duabus hisce assertionibus categoricis equivalens: *Deus est creator hujus mundi*, et *nulla alia causa præter Deum est mundi creator*. Et prima quidem istarum assertionum facile demonstratur, ac demonstratam reliquimus in *Cosmologia* (5). Nam α) virtus creativa profecto magna perfectio est, ideoque Deo asserenda. β) Modus operandi sequitur modum essendi. Atqui Deus ens independentissimum est in essendo. Ergo et in operando, ac proinde virtute pollet creandi. γ) Deus est auctor et effector hujus mundi. Atqui Deus non potuit condere mundum nisi creando, prout probatum habes in laudato loco *Cosmologiæ*.

Altera vero assertio probanda est simul cum secunda parte stabilitæ a nobis propositionis. Si enim virtus creandi

et quidem solus.

(1) Vide apud Denzinger, num. 356.

(2) Vide apud Denzinger, initio sui *Enchirid.*

(3) *Isaiæ* cap. 44, vers. 24. Plura invenies apud Theologos, e quibus vide, v. g., Suarez, *De opere sex dierum*, lib. 1, cap. 1, num. 17.

(4) *Joann.* cap. 1, vers. 3.

(5) Vide num. 58, pag. 180, *Secunda pars...*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est creaturæ incommunicabilis, planum est quod *solus* Deus creaverit. Itaque

Duplex argumentum theologicum: primum ex modo argumentandi adhibito a Patribus adversus Arianos:

Probatur secunda pars: *Virtus creandi ita est Deo propria, quæ nulli creaturæ possit communicari, saltem ut creet ceu causa principalis.* Duplex ante omnia indicabo argumentum theologicum; juvat enim Philosophum in re tanti momenti nosse, quid Theologia doceat: 1.um Patres Ecclesiæ tamquam rem exploratam proponunt doctrinam tenentem, creationem esse opus solius Dei. Ergo ita nobis sentiendum est. Antecedens probatur, tum quia id plures diserte asserunt, ut S. Athanasius (1), S. Cyrillus Alexandrinus (2), S. Augustinus (3), quorum testimonia lege, si vis, apud P. Gregorium de Valentia (4) et Eximium Doctorem (5); tum quia alii ex eo inferunt adversus Arianos divinitatem Verbi vel Filii, quia ipse res cunctas ex nihilo creavit, quorum sane argumentatio imbecillis foret, si virtus creandi posset creaturæ conferri (6).

Ecclesiæ traditionem hac in re sic exponit Angelicus Doctor: *Et ideo secundum Fidem catholicam ponimus, quod omnes substantias spirituales et materiam corporalium Deus immediate creavit, hæreticum reputantes, si dicatur per angelum vel aliquam creaturam aliquid esse creatum; unde Damascenus dicit* (7): **Quicumque dixerit angelum aliquid creare, anathema sit** (8).

Dices. Si Arianis persuasum fuisset creaturam non posse creare, aut negassent Verbum Dei creasse, aut non negassent Verbi divinitatem. Ergo credendum est, doctrinam, quam tuemur, non fuisse tam communem in Veteri Ecclesia.

Respondeo *neg.* conseq. Fides enim Ecclesiæ temporibus illis non est dijudicanda ex hæreticorum opinionibus, sed ex

(1) Serm. 3 contr. Arium.
(2) *Contr. Julian.* lib. 2.
(3) *De Genes. ad litter.* lib. 9, cap. 15; lib. 12 *de civitate Dei*, cap. 24; *de Trinit.* lib. 3, cap. 8.
(4) In 1.am part., disp. 3, quæst. 2, punct. 4 ante med.
(5) *Metaphys.* disp. 20, sect. 2, num. 40, 42.
(6) Ita v. g. S. Basilius, *Cont. Eunom.* lib. 4; S. Athanas., loc. nup. cit.
(7) Libr. 2 *Orthodox. Fid.*, cap. 2.
(8) S. Thomas, *de Potent.* quæst. 3, art. 4.

principiis, quæ fidei Magistri tamquam indubitata assumebant ad illorum revincendos errores. Ariani vero sicut errarunt turpissime circa divinitatem Verbi, potuerunt consequenter errare circa virtutem ad creandum requisitam; et sicut cæcutierunt in media luce, ut non intelligerent apertissima sacrorum Bibliorum testimonia de Filii divinitate, ita etiam potuerunt non advertere incohærentiam doctrinæ in neganda illius divinitate, *per quem omnia facta sunt*, donec incohærentia ista eis objecta esset a Patribus.

alterum ex auctoritate Theologorum.

2.um Altera probatio theologica desumitur ex communi et constanti Theologorum de hac re doctrina; quid enim valeant adversus infinitam propemodum multitudinem scriptorum unus aut alter inconcinne rauceque canentes extra chorum? Hic vero communis doctorum virorum sensus eo pluris faciendus est, quo illorum multi fateantur nullum hactenus excogitatum esse intrinsecum argumentum satis efficax ad propositionem hanc evidenter demonstrandum; id enim manifeste probat, persuasissimum illis esse, hanc veritatem in deposito Fidei apud Sanctam Ecclesiam asservari. Atqui communis Theologorum consensus in doctrina theologica propugnanda certum præbet motivum assensus. Ergo virtus creandi tam propia Dei est dicenda, ut nulli creaturæ conferri queat (1). Verum jam rationes philosophicæ producendæ sunt, quæ firmiores videantur.

Argumenta rationis: primum

Prob 1.ª cum S. Thoma. Quo effectus universalior est, talis nempe, qui in pluribus reperiatur, eo universaliorem atque adeo perfectiorem efficacioremque postulat causam (2). Atqui *esse*, quod per creationem producitur, est communissimum atque universalissimum. Ergo causam postulat universalissimam, perfectissimam atque efficacissimam, qualis est Deus (3).

(1) Theologis hac in re convenisse videntur veteres Philosophi omnium scholarum, quorum una vox erat *ex nihilo nihil fieri posse*. Hujus enim effati ea videtur esse penitior vis atque interpretatio, productionem rei ex nihilo, videlicet subjecti, tantæ perfectionis esse, quæ superet omnem finitam virtutem.
(2) Cfr. *Ontolog.*, num. 390, pag. 1116. *Axiom* 5.um.
(3) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 5; *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minus placet multis.

Hæc vero ratio multis non placet, ex eo quod concludat quidem recte, non posse a creata et finita virtute produci *esse* atque ens in tota sua latitudine; secus enim posset creatura producere omne ens possibile, atque adeo se ipsam; non tamen probet, non posse ab eadem produci peculiare aliquod esse aut ens (1).

secundum

Prob. 2.° Tanto major requiritur virtus, quæ rem de uno extremo transferat in alterum, quanto extrema illa magis inter se distant. Atqui purum nihil et ens infinite distant. Ergo potentia, quæ rem ex puro nihilo ad conditionem entis transferat, quod fit per creationem, infinita sit, oportet (2).

quo pacto solvatur a multis.

Respondent multi cum Scoto, negando Minorem, nam distantia inter purum nihil et ens per creationem superanda, dimetiri debet ex gradibus entitatis, quos habet ens, et quos præcise negat non ens seu nihilum. Idque docuit ipse S. Thomas, cum scripsit inter ens et non ens ex parte entis

(1) Vide Valentia, Molina et Suarez locis citatis; Vazquez, in 1.am part., quæst. 45, disp. 175; Joann. Ulloa in *Prodromo*. Probationem hanc sic exponit P. de Benedictis: «Potentia tendens ad ens, ut ens, non est nisi omnipotentia. Potentia creativa tendit ad ens ut ens. Ergo non est, nisi omnipotentia. **Minor prob.** a Goudino sic. Causa creans nihil supponit de ente. Ergo debet tendere ad universalissimam rationem entis comprehendentem omnes essendi modos. Ab aliis sic: Ad illud per se primo terminatur vis productiva, quod per se primo ad ejus actionem non supponitur. Sed ad creationem, per se primo non supponitur *esse*. Ergo vis creativa per se primo terminatur ad *esse*. **Major** est certa; ut enim cognitio est ad id, quod supponit, et per se primo, consequenter est ad id quod per se primo in objecto supponit, ita actio est ad id, quod non supponit, adeoque per se primo est ad id, quod per se primo non supponit. **Minor** autem prob., quia si ratio entis propria effectus ad creationem supponeretur, violaretur ratio creationis; adeoque creatio illam rationem per se primo non supponit. **Confirmatur**. *Physicorum* primo libro, text. 76, dicitur, quod si animal generatur ex animali, per se non ponitur animal, quia supponitur. Ergo ex Philosopho illud per se ponitur, quod per se non supponitur. Atqui ad creationem per se nihil effectus supponitur. Ergo ens effectus per se ponitur». *Philosophia peripat.*, tom. 4, *Metaphys.* lib. 7, quæst. 2, cap. 3, ubi statim prædictus scriptor rationem hanc enervare conatur.

(2) S. Thom. 4.° dist. 5, quæst. 1, art 3 ad 5.um Cfr. de hac ratione Suarez, loc. cit. num. 36 et 37.

tum solum esse infinitam distantiam, quando ens est infinitum (1).

Prob. 3.° Simili ratione paulo aliter proposita. Ad creandum virtus infinita requiritur. Atqui nulli creaturæ conferri potest virtus infinita. Ergo....

tertium argumentum.

Probatur Major. Eo major potentia requiritur ad aliquid efficiendum, quo minor est potentia passiva vel dispositio ac juvamen ex parte subjecti, circa quod versatur actio, vel quo potentia passiva magis est impedita aut ab actu remota. Quod illustrari potest inductione; sic enim ad calefaciendum tanto major requiritur virtus, quanto minor est dispositio aut majus impedimentum ad calorem recipiendum, et proinde major elongatio ab actu caloris introducendo. Atqui in creatione nulla est potentia passiva, ideoque distantia est summa et maxima omnium ab actu. Ergo requirit virtutem maximam, atque adeo infinitam (2). Ratio hæc, desumpta ex summa improportione inter ens et nihil, frequentissima est inter scriptores, et mihi quoque magis placet, quamquam possit et contra illam aliqua objici calumnia, quæ videri potest apud Suarez (3). Sed inferius magis res hæc declarabitur in difficultatum solutione.

efficacius judicatur.

Et Confirmari potest, quia inter causas naturales nullam videmus, quæ quantumvis nobilissimos effectus parere valeat, virtutem habeat causandi materiam primam, quæ tamen longe imperfectior est illis effectibus, et aliunde prorsus necessaria illis producendis. Atqui hujus impotentiæ nulla apparet ratio, nisi quod materia prima licet in se imperfectissima et prope nihil, modum tamen productionis requirit omnino improportionatum creatæ virtuti. Vel assignetur alia ratio idonea ad aliquam rei reddendam rationem (4).

quartum argumentum.

Probatur 4.° Cum modus operandi sequatur modum essendi, oportet, ut Deo, enti omnino independenti in essendo, asseratur modus aliquis operandi proprius et independens.

(1) S. Thom. 4.° dist. 5, quæst. 3, art. 3, ad 5.um. Cfr. de hac ratione Suarez, loc. cit. num. 36 et 37.

(2) S. Th. 1 p., quæst. 45, art. 5.um ad 2.um; *Contra. Gent.* lib. 2, cap. 21.

(3) Loc. cit. num. 39.

(4) Cfr. Molina, in part. 1.am, quæst. 7, art. 1. *Quinta ratio.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Atqui nullus alius modus operandi omnino independens a cæteris causis et a quolibet juvamine extraneo assignari potest præter creationem. Ergo hæc est actio solius Dei, ac proinde virtus creandi est incommunicabilis.

Laudatur summa Dei sufficientia ex sensu atque independentia a quolibet alio in operando: tum eget materia, non virtute accidentali; nec externa causa exemplari, nec motivo impellente extra se, nec fine extraneo.

243. *Corollarium*. Hinc vero illa concludenda est præclara laus divinæ Majestatis, plenissima videlicet sufficientia et independentia in operando a qualibet alia causa. Gloriosus enim Deus, quidquid vult, operari potest, neque eget in primis materia vel juvamine causæ materialis, qua indigent aliæ omnes causæ; nec secundo indiget virtute vel accidentali potentia superaddita aut alterius concausæ concursu, sicut egent causæ creatæ, ipse enim est sua virtus et sua potentia infinita; nec tertio indiget extrinseca causa exemplari, quia in sua essentia in promptu habet ideam omnium rerum faciendarum et factibilium; nec quarto eget motivo extra se, ut ad agendum impellatur, quandoquidem ipsa sua bonitas est objectum formale omnis volitionis divinæ; quinto ipse denique est finis omnium aliarum rerum, ita ut non possit extra se finem ullum alium ultimum sibi proponere. Quæ omnia, quamvis seis locis aut probata manent, aut certe mox probabuntur, sub uno conceptu nunc contemplari juvat, ut appareat, Deum O. M., sicut in essendo ita et in operando esse primum et independentissimum ens, a quo cætera omnia in essendo et in operando dependent.

An creatio sit opus trium divinarum Personarum.

244. Si quis jam quærat, num creatio sit opus unius Personæ divinæ, an vero totius Smæ. Trinitatis; respondebo remittendam esse quæstionem ad Theologos, qui omnes uno ore docent, creationem, sicut reliqua opera Dei ad extra, esse communem toti Trinitati, quamvis processiones divinarum Personarum, quatenus includunt attributa essentialia intellectus et voluntatis illis omnibus communia, sint rationes creationis rerum. Præclare S. Thomas: *Creare est proprie causare, sive producere esse rerum. Cum autem omne agens agat sibi simile, principium actionis considerari potest ex actionis effectu. Ignis enim est, qui generat ignem. Et ideo creare convenit Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quæ est communis tribus Personis. Unde creare non est proprium alicui Personæ, sed commune toti Trinitati. Sed tamen divinæ Personæ secundum rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est* (quæst. 14, art. 9 et quæst. 19, art. 4), *cum de Dei scientia et voluntate ageretur, Deus est causa rerum per suum intellectum et voluntatem, sicut artifex, rerum artificiatarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, et per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Unde et Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, et per suum amorem, qui est Spiritus Sanctus. Et secundum hoc processiones Personarum sunt rationes productionis creaturarum, in quantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia et voluntas* (1).

Qua verissima doctrina dissipata manent commenta Henrici et Rosmini (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

245. Objic. 1.º In sacris Litteris (3) Deus dicitur *mundum creasse ex materia invisa* (ἐξ ἀμόρφου ὕλης); quod postea tradiderunt S. Augustinus (4) aliique Patres (5). Ergo Deus non proprie creavit mundum, sed tantum effecit ex præjacta materia.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 6, quem in locum vide interpretes, ac nominatim Molina et Valentia, apud quos reperies argumenta Scripturæ Patrumque ac Conciliorum.

(2) Postremus hic scriptor et plurimorum absurdorum systematum architectus non in eo solum hac in re peccavit, quod creationem soli Patri attribuerit, sed etiam in eo quod α) fingat in Deo Patre actus illos *abstractionis, imaginationis* et *synthesis*. Quod β) esse initiale rerum omnium posuerit esse ipsum increatum ac divinum esse præcisum a substantia Verbi. (Vide *Psychologiæ* nostram, vol. 2, num. 316, pag. 1002, 1003). Atqui *esse* divinum nec re nec ratione abstrahi in Deo potest a substantia Verbi γ) Istud *esse* initiale, quod est ipsissimum *esse* increatum Dei, per junctionem cum formis finitis rerum a Patre per *imaginationem* excogitatarum constituit realitatem entium creatorum. Atqui hoc purum pantheismum induxit (Vide *Psychologiæ*, vol. 2.um num. 316, pag. 1007). δ) Denique creatio secundum Rosminium in mero ideali ordine remanet; siquidem *abstractio* in mera cognitione præcisiva consistit; imaginatio perficit contemplatio terminorum aut formarum finitarum ac proinde ad ordinem duntaxat idealem per se pertinet; *synthesis* vero duplicis elementi pure idealis nihil reale potest præbere.

(3) *Sapient.* cap. 11, vers. 18.

(4) *De Genes. contra Manich.* lib. 1, cap. 5.º

(5) Apud P. Petav. *De opere sex dier.* lib. 1.º cap. 2.

Respondeo, *dist.* antec. Deus dicitur mundum creasse ex materia invisa, quam et ipse prius ex nihilo creavit, *transeat*; quam aut increatam aut ab alia causa creatam accepisset, *nego*, et *nego* conseq. In illis enim verbis intelligi egregie potest processus in creatione mundi ex imperfectiori ad perfectiorem statum, ut prius quidem producta et creata fuerint corpora omnia mundana in statu quodam informi et rudimentario, ex quo deinde paulatim aptum ordinem et compositionem acciperent opera ipsius Dei simul cum viribus et actione causarum naturalium (1).

Aliæ objectiones, quæ eo tendunt, ut eripiatur Deo vis aut actus creandi, fere petuntur ex repugnantia creativæ actionis, et videri queunt apud S. Thomam (2), et alibi a nobis solutæ sunt (3).

Objic. 2.° Omnis substantia, et potissimum perfectiores, potest facere aliam sibi similem, nam docente Philosopho (4), perfectum est, quod potest sibi simile facere. Atqui sunt multæ substantiæ, videlicet immateriales seu spirituales, quæ produci nequeunt nisi per creationem, ut suo loco demonstratum est (5). Ergo substantiæ immateriales debent pollere virtute creandi, per quam alias sibi similes efficiant (6).

Respond. *nego* Major., donec probetur; non autem probabitur in æternum. Neque enim id a priori potest probari; a posteriori autem sola corpora, non tamen omnia, virtute pollere gignendi alia sibi similia demonstrat experientia. *Non*, inquam, *omnia*, nam neque corpora simplicia seu elementaria, neque mixta vel composita inorganica, producunt alia sibi similia secundum suam speciem. Testimonium autem Aristotelis non probat, quod omnis substantia perfecta gignat aliam sibi similem, sed quod substantiæ illæ, quæ gignendi aliam ejusdem speciei substantiam virtute gaudent, non soleant eam gignere nisi cum perfectum evolutionis statum assecutæ

(1) Cfr. *Cosmolog.* num. 75, pag. 240 seqq.
(2) S. Thom. 1 p. quæst. 45, art. 2; *de potent.* quæst. 3, art. 1.
(3) *Cosmolog.* num. 64, pag. 196 seqq.
(4) *De anim.* lib. 2, text. 44.
(5) Vide *Psycholog.* vol. 3.um num. 230, pag. 713 seqq.
(6) Apud S. Thomam, 1 part., quæst. 5, art. 15, argum. 1.°

fuerint. Substantias vero immateriales vel spirituales hujusmodi virtute carere, communis ac certissima doctrina est (1).

Objic. 3.° Quanto major est resistentia ex parte passi vel materiæ, tanto major virtus requiritur in faciente. Sed plus resistit contrarium, quam nihil. Ergo majoris virtutis est aliquid facere ex contrario (quod tamen causæ creatæ sæpe faciunt), quam aliquid facere ex nihilo. Creatura ergo poterit a fortiori hoc facere, ac proinde creare (2).

Respond. *neg.* Minor. Subjectum enim formam aliquam habens minus dispositum est ad suscipiendam formam contrariam, sed tamen habet *realem potentiam* ad eam suscipiendam, unde videmus etiam resistentiam illam et minorem dispositionem vinci per causas naturales, ut tandem nova forma introducatur. Sic ignis calefacit aquam frigidam, et comburit lignum humidum aut viride, superando contrarias dispositiones. Verum nihilum nullam reapse præbet potentiam ad recipiendam formam. Quare minus resistit subjectum contrariam formam habens, quam nihilum, quod proinde longe potentiorem requirit virtutem.

Objic. 4.° Magnitudo virtutis ad operandum requisitæ mensuratur ex effectus perfectione. Ergo ad producendum per creationem aliquid finitum, quale est omne ens creatum, non requiritur nisi virtus finita. Non est ergo, cur dicamus virtutem creandi non posse communicari alicui creaturæ, saltem perfectissimæ (3).

Respond. *dist.* antec. Magnitudo virtutis ad operandum requisitæ mensuranda est ex sola effectus perfectione, *nego*; ex effectus perfectione atque insuper etiam ex modo operandi, *conc.*, jam enim ostendimus modum operandi absque præsupposita materia esse excellentissimum, et superare omnem proportionem cum creata et finita virtute (4).

Instabis. Probatio nostra tertia reapse non evincit ad creationem requiri virtutem infinitam, sed ut summum virtutem *altioris ordinis*, quam sit omnis virtus agens ex

(1) Cfr. *Psycholog.* vol. 3.um, num. 230, pag. 713 seqq.
(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 5, argum. 2.°
(3) S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 5, argum. 3.°
(4) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 45, art. 5, ad 3.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præsupposito subjecto. Altioris enim ordinis potest esse virtus quædam supernaturalis, quæ tamen sit finita, donec efficacius ostendatur non posse esse illam finitam.

Respondeo, *nego* assertum, quia necessitas virtutis infinitæ satis probatur, quantum possibile est, in re obscurissima. Virtus enim illa altioris ordinis debet esse talis, quæ nullam servet proportionem cum virtutibus et potentiis ex præsupposito subjecto agentibus. Præterea ipsæ virtutes supernaturales, quas novimus, quantumvis *in essendo* sint improportionatæ cum causis et virtutibus naturalibus, ut suppono ex Theologia, tamen *in operando* sunt omnes ejusdem ordinis cum istis, nam nullus est actus vel effectus supernaturalis ex virtute supernaturali procedens, qui non productus sit ex præsupposita materia. Ergo altior ille ordo, ad quem pertinet virtus creativa, dicendus est non solum supernaturalis, sed supra creatum omnem ordinem positus, atque adeo divinus et infinitus.

Objic. 5.° Quamvis nulla creatura per naturales vires intuitive Deum videre queat, elevatur tamen divinitus ad visionem beatificam. Ergo poterit similiter causa creata elevari a Deo ad creandum virtute sibi consentanea superaddita.

Respond., *neg.* conseq. et paritatem, quia visio Dei, quantumvis sit actus præstantissimus et altioris ordinis in essendo, quam omnis operatio intellectualis naturalis, non est reapse alterius ordinis in modo productionis, quia est ex præsupposito subjecto, ideoque actio immanens eductiva, non creativa.

Objic. 6.° Modus operandi sequitur modum essendi. Sed modus essendi entium immaterialium vel spiritualium creatorum est independens a subjecto. Ergo et modus operandi eorum debet esse independens a subjecto, ac proinde creatio est modus operandi conveniens nedum repugnans, entibus immaterialibus etiam creatis.

Respondeo, *neg.* conseq. Argumentum enim nimis probat, ideoque nihil probat. Probaret enim entia immaterialia naturali virtute creandi pollere, cum tamen certum sit et constans apud omnes Theologos et Philosophos christianos, nec animam rationalem nec angelos posse creare. Axioma ergo illud philosophicum sensu quidem negativo severissime

interpretandum est, ita ut modus operandi nequeat esse perfectior essendi modo, ne principium causalitatis violetur; sensu tamen positivo non potest accipi secundum arithmeticam proportionem, quasi v. g. omnis substantia sine subjecto existens debeat producere aliam substantiam sine subjecto existentem.

ARTICULUS II

Utrum creatura possit esse saltem instrumentum creationis.

Varietas sententiarum.

246. Longe major est in hac controversia difficultas. Unde ipse S. Thomas probabilem duxisse videtur non uno in loco opinionem tenentem, posse divinitus assumi creaturam ut instrumentum ad creandum (1). Quam opinionem tenuere plures, iique graves scriptores, ut *Magister Sententiarum*, Petrus Lombardus (2), Tanner (3), Eximius Doctor (4), Arriaga (5), Albertinus (6), Oviedo, Franciscus Alphonso, Petrus Hurtado, Carleton Compton, Soarez lusitanus, Quiros (7), Rhodes (8), De Benedictis (9), Lossada (10), Antonius Mayr (11), et alii. Communior tamen longe est sententia negans posse creaturam esse instrumentum creationis; quam tuetur S. Thomas (12) et Thomistæ

(1) Vide S. Thom. 4.° dist. 5.° quæst. 1, art. 3.°, solut. 3.°, ad 4.um et 5.um; 2.° dist. 1, quæst. 1, art. 3, corp. et ad 2.um.
(2) 4.° distinct. 5.
(3) 1.° part. disput. 6, quæst. 1, dub. 2.
(4) *Metaphys.* disp. 20, not. 3.
(5) *Physic.* loc. cit.
(6) Tom. 1. *Princip.* 2, corollar. 1, num. 32.
(7) *Curs. philos.* tract. 1, disp. 62, sect. 2, num. 23.
(8) *Philosoph. perip.*, lib. 2, disp. 7, quæst. 1, sect. 2, paragr. 5.
(9) *Philos. perip.*, tom. 4.° *Metaphys.* lib. 3, quæst. 2, cap. 3, *Hinc patet.*
(10) *Physic.* tract. 2, disp. 1, cap. 3, num. 43 seqq.
(11) *Philos. perip.* part. 2, disp. 3, quæst. 5, art. 5, num. 1384.
(12) 1 p., quæst. 45, art. 5; *de potent.* quæst. 3, art. 4; *Contr. Gent.* libr. 2, cap. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

communiter, Albertus M. (1), Scotus (2), Richardus (3), et e nostratibus Vazquez (4), Molina (5), Valentia (6), Petrus Fonseca (7) aliique, quibus adhærent etiam multi recentiores ut PP. Mendive (8), Hontheim (9), alii.

Quotuplex instrumentum: connaturale

Ad quæstionis resolutionem notandum est, duplicis generis distingui posse instrumentum, alterum connaturale, alterum elevatum vel obedientiale. Connaturale est illud, quod suapte natura institutum est ad actionem aliquam physicam efficiendam: quo pacto calor v. gr. est instrumentum connaturale ignis; et idem cum proportione dicendum videtur de illis instrumentis artis, quæ naturalem habent proportionem ad agendum instrumentaliter in manu artificis, qualis est calamus ad scribendum, penicillum ad pingendum, et alia id genus, quæ sic affabre construuntur, prout requirit actio, ad quam perficiendam assumuntur.

et elevatum vel obedientiale

Instrumentum elevatum vel obedientiale est illud, quod natura sua vel arte non ordinatur, nec aptitudinem habet ad aliquam actionem, sed tamen assumitur a Deo ad illam producendam, ut si aqua in baptismate adhibeatur ad producendam physice gratiam.

Convenient omnes in eo, quod non detur instrumentum connaturale creationis

Omnes porro in eo conveniunt, quod nulla creatura possit esse instrumentum connaturale creationis. Et ratio est manifesta, quia creatura posset fingi hujuscemodi instrumentum connaturale sive respectu causæ cujuspiam creatæ, sive respectu causæ increatæ. Atqui neutrum dici potest. Et probo. *Non potest esse instrumentum respectu causæ alicujus creatæ*, quia cum nulla esse valeat causa creata principalis creationis, nec potest dari ejus instrumentum ad actionem, quam illa perficere nullatenus potest. Si ergo dari posset instrumentum connaturale creationis, illud adhiberetur a causa prima, Deo.

(1) 2.ª dist. 1, art. 7.
(2) 4.ª dist. 1, quæst. 5, ad primum.
(3) 4.º dist. 5, art. 1, quæst. 2.
(4) In 1.am part., disp. 170, cap. 3.
(5) In 1.am part. quæst. 45, art. 5, disp. 2.
(6) In 1.am part. disp. 1, quæst. 2, punct. 4. *Superest ut dicamus...*
(7) *Metaphys.* lib. 5.
(8) *Theodic.*, num. 223 seqq.
(9) *Theodic.* num. 933.

Verum nec potest ulla creatura esse instrumentum connaturale, nam instrumentum ejusmodi semper ordinatur, ut suppleat defectum causæ principalis, vel certe ut hæc concursu ac juvamine instrumenti commodius ac melius operetur: quorum neutrum dici de Deo potest (1). Accedit, quod virtus ejusmodi instrumentaria connaturalis profecto esset aliquod accidens, quemadmodum sunt accidentales virtutes omnes naturales, per quas causæ secundæ operantur (2). Atqui nulli virtuti accidentali connaturalis potest esse concursus etiam instrumentalis ad creandum. Nam modus operandi independens a subjecto non servat proportionem cum modo essendi dependenter a subjecto, qui proprius est accidentium (3). Itaque tota controversia versatur circa instrumentum obedientiale aut elevatum.

controversia est solum circa obedientiale.

247. PROPOSITIO. **Videtur probabilior sententia negans posse a Deo elevari creaturam ut instrumentum ad creandum.**

Videtur probabilior sententia negans posse creaturam elevari ad creandum ceu instrumentum

Probatur 1.º Quia sententia contraria reapse nullo positivo nititur fundamento, quod non sit valde dubium. Nam duo illa solent innui a suis patronis: 1.um quod quælibet res possit elevari divinitus ad quodlibet opus secundum potentiam obedientialem, qua de re disputatur in Theologia: istud vero fundamentum est valde incertum et controversum. 2.um quod etiam in sacramentis res corporeæ divinitus assumuntur tamquam instrumentum ad producendum effectum, gratiam, ad quem nullam proportionatam virtutem possident. Verum hoc fundamentum non minus incertum est, quandoquidem physica sacramentorum causalitas probabilius rejicitur a Theologis, admissa sola morali. Adde contra utrumque fundamentum, quod necesse non sit, ut ab assertoribus illatum sententiarum propugnetur concursus instrumenti nisi ad actionem eductivam, quamtumvis præstantissimam; neque enim gratia in sacramentis producitur

(1) Cfr. Lossada, loco cit. num. 4.
(2) Vide *Cosmolog.*, num. 379, pag. 1142; *Psycholog.*, vol. 1.um, num. 38 seqq., pag. 161 seqq.
(3) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 20, sect. 3, num. 1 et 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actione creativa, sed eductiva. In hac autem quæstione nostra sermo est non de possibilitate assumptionis aut elevationis creaturæ ad quamlibet actionem inferioris ordinis, sed precise ad actionem sine ullo præsupposito subjecto, quæ ab omnibus agnoscitur altioris ac præstantissimi et plane divini ordinis. Quamobrem verum fundamentum contrariæ opinionis reapse huc revocatur, ut contendat, rationes probantes impossibilitatem creaturæ, quæ ceu causa principalis creet, minus efficaces esse, ut evincant etiam impossibilitatem causæ instrumentalis; itemque rationes theologicas excludentes possibilitatem creaturæ, quæ virtute creandi prædita sit, posse limitari ad solam causam principalem.

Probatur propositio 2.ª Quamvis equidem fatear parum probare rationes quasdam, ad hanc propositionem positive probandam afferri solitas (1); nihilominus probationes 3.ª et 4.ª loco adductæ in præcedenti articulo, ut ostenderemus, creaturam non posse esse causam creationis principalem, videntur efficacitatem suam retinere etiam in præsenti materia. Nam illæ demonstrant creationem esse genus actionis, ad ordinem altiorem et exclusivum Dei pertinens. Quod si verum est, nullæ partes in creatione possunt esse creaturæ, sive ut causæ principalis, sive ut instrumentalis, quandoquidem etiam tum, cum instrumentum ad nobilius opus assumitur, non exuit nativam conditionem requirentem modum operandi ex præsupposito subjecto.

Dices. Quamdiu non ostendatur repugnantia oppositi, standum est pro potentia Dei, valentis communicare virtutem creandi per modum instrumenti; hoc enim commendat perfectionem Dei Optimi Maximi.—Bene quidem; sed si probabilius ostenditur repugnantia oppositi, probabilius quoque neganda est Deo potentia faciendi, quod probabilius repugnat. Cæterum sive dicatur posse Deus communicare virtutem creaturæ, ut concurrat ad creandum instar instrumenti, sive non posse, opinor, æque commendari perfectionem Dei; nam tandem creatura etiamsi elevaretur, non mutaret suam naturam, nec perfectior in se redderetur, nec crearet nisi per ipsissimam virtutem Dei, quam nos ejus solius propriam

(1) Cfr. apud Suarez, loc. cit. sect. 3, num. 6, 9 seqq.

attestamur. Idque clarius patet, si supponatur sententia nostratum, qui elevationes istas creaturæ ad altiorem aliquam operationem generatim fieri tuentur non quidem per altiorem virtutem Dei ipsi causæ, quæ elevatur, impressam, aut eidem inhærentem, quemadmodum volunt Thomistæ, sed per auxilium extrinsecum seu per meram assistentiam omnipotentiæ, supernaturali decreto applicatæ ad concurrendum cum illa causa (1).

CAPUT III

DE CONSERVATIONE RERUM A DEO

Quod sæpe alias fecimus, id in hac quoque quæstione præstandum nobis esse duximus, ut primo ipsam rei, de qua sermo est, existentiam et veritatem stabiliamus, mox naturam modumque investigemus (2).

ARTICULUS I

Utrum omnis res creata indigeat, ut a Deo positive conservetur in *esse*.

Conservatio passiva et activa

248. Conservatio bifariam accipi potest, active seu ex parte causæ conservantis, et passive seu ex parte ipsius rei conservatæ. Passive nihil est aliud, quam permansio rei in *esse* dependenter a sua causa; active autem est ipsa actio vel influxus causæ, rem in suo *esse* sustentantis. Verum nota, bifariam dici posse rem conservari ex parte causæ conservantis, *directe* et *per se* aut etiam positive, atque *indirecte* et *per accidens* aut negative. Indirecte ac negative dicitur una res conservare aliam, quando removet impedimenta, vel præpedit

Conservatio directa et per se ac conservatio

(1) Cfr. Losada, *Phys.* tract. 2, disp. 6, cap. 5, num. 42.

(2) Videatur de hac re S. Thomas, 1 p. quæst. 104, art. 1 et 2; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 65; *de potent.*, quæst. 5.ª, art. 1.

Indirecta et per accidens.

actionem, per quam hæc periret, vel corrumperetur: sic dicitur sal quasdam res conservare, quia præservat illas, ne per actiones causarum naturalium corrumpantur; et si aliquis puerum custodiat, ne cadat in ignem, dicitur eum conservare (1). Conservatio hæc, ut vides, aut non continet positivam actionem, aut certe non illam exercet directe circa rem, quæ conservatur in *esse*, sed solum circa aliam, cujus actione res illa naturaliter periret. Conservatio e converso directa vel positiva exercetur circa ipsam rem conservatam, ut hæc permaneat in *esse*. Quæ nullibi melius intelligitur, quam in spiritualibus substantiis, quæ contrarium non habent, cujus actione corrumpi valeant: quare eatenus conservari dicuntur, quatenus directe ac positive in suo *esse* sustentantur. Et de hac conservatione directa et positiva nos agimus in præsenti. Jam proposita controversia intelligi potest bifariam, assertive atque exclusive: assertive, videlicet, utrum Deus reapse conservet res omnes in *esse;* exclusive autem, utrum solus Deus eas conservet, ita ut nulla res efficienter concurrat ad conservationem sui vel alterius rei: et in utroque sensu quæstio resolvenda est.

§ 1.—UTRUM DEUS REAPSE CONSERVET POSITIVE RES OMNES IN *esse*.

249. Circa præsentem controversiam in hoc sensu propositam, nulla est opinionum varietas inter scriptores catholicos. Quamvis qui negant Deum *immediate* operari in omni operatione creaturæ, seu concurrere ad omnem causarum creaturarum actionem et effectum, consequenter cogentur negare rem omnem creatam seu omne ens per participationem, pendere immediate ab actuali influxu Dei; quia quod non pendet *in fieri*, neque in *esse* pendebit (2). Verum sententia negans Deum immediate operari in omni operatione creaturæ, mox in sequenti disputatione profligabitur.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 1.
(2) Suarez, *Metaphys.* disput. 21, sect. 1, num. 3.

PROPOSITIO 1.ª **Omnia entia creata pendent in suo *esse* ex divina conservatione, seu nullum ens creatum in *esse* permanere potest nisi a Deo positive conservetur.**

Omnia ent-a creata pendent in suo esse ex divina conservatione.

Veritas hæc non uno in loco sacrorum Bibliorum doceri videtur. *Quomodo posset aliquid permanere nisi voluisses; aut quod a te revocatum non esset, quomodo conservaretur?* (1). Et Alibi: *Qui* (Filius) *cum sit splendor gloria et figura substantiæ ejus portans omnia* verbo virtutis suæ (2). Id est, interpretatur S. Anselmus, *sursum tenet, ne decidant, et in nihilum revertantur, unde creata ab ipso fuerant.* Item: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt, et omnia in ipso constant* (3). Quæ verba sic explicat S. Joannes Chrysostomus: *In ipsum omnia pendent quia duntaxat ipsum inclinari et annuere satis est ad conservandum.* Eodem spectant illa solatio plena Apostoli verba: *In ipso* (nempe Dei actione atque influxu) *vivimus, movemur, et sumus* (4). Denique aliis omissis, Christus Dominus sic diserte elocutus est. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (5). Quæ verba declarans S. Augustinus: *Sic credamus,* inquit, *vel si possumus, etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio subtrahatur, intereant* (6). Eademque verba S. Gregorius Nazianzenus de gubernatione rerum et conservatione interpretatur (7).

Patres vero loculentius eamdem tradidere doctrinam. S. Augustinus tractans illa verba *Genesis* (8): *Requievit Deus die septimo ab universo opere, quod patrarat,* scribit intelligenda esse de requie a novis operibus ex nihilo condendis, non vero a conditis gubernandis et conservandis. *Alioquin,* inquit, *continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia et omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ. Quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis, si aliquando*

(1) *Sapient.* cap. 11, vers. 26.
(2) *Hebr.* cap. 1, vers. 3.
(3) *Coloss.* cap. 1, vers. 17.
(4) *Act. Apost.* cap. 17, vers. 28.
(5) *Joann.* cap. 5, vers. 17.
(6) S. August., *De Genes. ad litter.* lib. 5, cap. 20. Cfr. ibid. lib. 9, cap. 5.
(7) S. Gregor. Nazianzenus, orat. 2 de *Theolog.*, quæst. 36.
(8) *Genes.* cap. 2, vers. 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structuram ædium cum fabricaverit quis, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus, ita vel in ictu oculi mundus stare poterit, si Deus ei regimen sui subtraxerit (1). Quod tamen S. Doctor non probat ratione, sed Scripturæ duntaxat testimoniis confirmat (2). Similia docet S. Gregorius M.: *Aliud est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt. Et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu teneret* (3). Nec aliter S. Joannes Damascenus: *Ipsa*, inquit, *rerum conditarum compages et conservatio atque gubernatio Deum esse, qui universam hanc rerum molem coagmentavit, eamque tueatur, et* conservet, *eique perpetuo prospicial, nos docet* (4). Ac denique S. Anselmus: *Dubium nonnisi irrationali menti esse potest, quod cuncta, quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, et perseverant esse, quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse, quod sunt. Sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil viget nisi per ejus servatricem potentiam* (5). Sed jam ratione.

Prob. 1.ª propositio argumento S. Thomæ, quod in hunc modum propono. Res, quæ simpliciter et absolute postulant actionem alicujus causæ, ut *sint*, pendent ab illa causa non modo in *fieri*, sed etiam in *conservari*, ita ut non possint permanere *in esse* nisi per actionem illius causæ. Atqui res cunctæ creatæ absolute ac simpliciter postulant actionem causæ primæ, Dei, ut sint. Ergo non possunt permanere *in esse*, nisi a Deo conserventur.

Quid sit effectum pendere a

Consequentia bona est: *Major* autem et *Minor* probandæ sunt, sed prius necesse est terminos ipsos declarare.

(1) S. Augst. *De Genes. ad litter.* lib. 4, cap. 12.
(2) Nempe *Actuum Apost.* cap. 17, vers. 28; *Sapient.* cap. 7 vers. 24, et cap. 8, vers. 1; *Joann.* cap. 5, vers. 17.
(3) S. Greg. M., *Moral.* lib. 16, cap. 18. Cfr. homil. 17 in *Ezechiel.*
(4) *De fide orthod.* lib. 1, cap. 3.
(5) S. Anselm., *Monolog.* cap. 12. Cfr. cap. 13.

causa in fieri et quid in esse.

Effectus tum dicitur pendere ab aliqua causa tantummodo *quoad fieri*, cum producitur quidem, seu fit hic et nunc ab illa, posset tamen esse sine illa, videlicet per alterius causæ productionem. Sic Alexander M. pependit *quoad fieri* a patre suo Philippo, quia de facto ab illo generatus *esse* accepit; verum non fuit essentiale illi generari a Philippo, ac proinde esse dependenter ab eo, quia potuit eamdem naturam individuam accipere ab alio patre, vel a solo Deo. Idemque sentiendum est generatim de quovis effectu individuo respectu causæ, a qua producitur. Dicitur effectus pendere a causa *quoad esse*, quando non potest *esse* accipere nisi per actionem illius præcise causæ, a qua fit, vel producitur. Sic materia prima, anima humana et angelus pendent a Deo non solum *quoad fieri*, sed etiam *quoad esse*, quia non possunt existentiam sortiri nisi per creationem a Deo (1). Itaque jam

Probatur Minor, quia sine divina efficientia nihil potest esse etiam eorum, quæ a causis secundis producuntur; quandoquidem nihil potest a causis secundis produci, nisi ad eorum actionem concurrat Deus, ut in sequenti disputatione probandum erit. E converso sola divina efficientia potest produci quælibet res. Ergo nulla res esse potest nisi dependenter ab actione Dei, ac proinde omnes res absolute ac simpliciter postulant actionem illius, ut sint (2).

Probatur Major. Quando effectus pendet *in fieri* ab aliqua causa, tamdiu pendet ab illa, quamdiu durat ipsum *fieri*, quia tamdiu præcise durat influxus effectivus illius causæ, fieri vero effectus tum cessat, cum cessat influxus et actio ejusdem causæ. Ergo quando effectus pendet a causa directe ac per se primo secundum *esse*, tamdiu debet pendere, quamdiu durat ipsum *esse*, ita ut hoc non possit permanere cessante actione causæ, quod perinde est, ac non posse subsistere, nisi ab illa positive conservetur (3).

Confirmatur 1) *Esse* cujuslibet creaturæ ratione sui et essentialiter postulat influxum causæ primæ, ut sit aliquando in rerum natura. Ergo quamdiu est, eumdem influxum

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 21, sect. 1, num. 7 et 8.
(2) Cfr. Suarez, loc. cit., num. 9, 10.
(3) Cfr. Suarez, ibid. num. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

postulat, quia semper est idem, et quod essentialiter ac per se primo convenit alicui, semper ei convenit.

Confirmatur 3) Permanentia seu duratio in *esse*, vel est aliquid præter ipsum primum *esse*, ut nonnulli volunt (1), vel non. Si primum eligas, quamvis minus probabile sit, illud procul dubio pendet a Deo; siquidem quidquid quomodolibet fit in rerum natura, non potest fieri neque existentiam sortiri nisi operante Deo, quemadmodum inferius patebit. Sin alterum velis, pendet pariter a Deo, ac proinde sicut *esse* rei creatæ, ut primo sit, essentialiter a Deo pendet, ita etiam pendet, ut diutius perduret, quoniam quamdiu est, semper idem est (2).

Prob. 2.º Ad omnipotentiam perfectumque dominium Dei spectat, ut possit rem quamvis in nihilum redigere. Atqui id non posset, nisi omnia positive conservet *in esse*.. Nam annihilatio non est actio positiva, cum non habeat terminum positivum. Ergo non concipitur, quomodo possit locum habere nisi negativo influxu, videlicet per cessationem actionis, per quam res prius *in esse* sustentabatur, quod profecto supponit, Deum positivo influxu et actione rem jugiter conservare in esse (3).

Immo vero sunt substantiæ quædam, nempe immateriales et materia prima, quæ nec destrui nec perire ullatenus possunt nisi sola annihilatione; non enim proprie corrumpi queunt, sicut corpora et composita, quibus proinde spoliandis existentia Deo non alius modus suppetit præter annihilationem.

Prob. 3.º Deo tribuendum est quidquid perfectissimum cogitari potest. Atqui ad magnam perfectionem Dei spectat, ut omnia quæcumque sunt, esse non possint nisi dependenter ab eo, quod perinde est, atque omnia conservari debere *in esse*. Ergo.....

Minor patet, quia quamvis res absolute possint esse vel non esse, nec ex eo quod sint, major Deo perfectio accrescat; tamen supposito quod sint, magnam arguit perfectionem

(1) Vide *Ontolog.* num. 362, pag. 1040.
(2) Cfr. Suarez, loc. cit., num. 12.
(3) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 14.

Dei, quod pendeant *in esse* ab ejus nutu, et dominio ejusdem penitus subjiciantur, ut ne per instans quidem retinere valeant *esse* sine jugi Dei conservantis influxu atque actione, sicut lumen pendet a sole. Secus enim posset concipi ens, a quo magis penderent creaturæ *in esse*, quodque perfectius exerceret in eas dominium.

Atquæ hæc veritas ipsis quoque Philosophis ethnicis comperta esse dicitur, prout refert de multis S. Justinus M. (1), et Eugubinus (2), ac de Platonicis Marsilius Ficinus (3), qua de re videri possunt Suarez et Conimbricenses, qui alios quoque laudant ejusdem veritatis assertores (4).

Difficultates solutæ.

250. **Objic. 1.º** «Quod non potest non esse, non indiget, ut conservetur in *esse*, sicut quod non potest abscedere non indiget, ut conservetur, ne abscedat. Sed quædam creaturæ sunt, quæ secundum suam naturam non possunt non esse. Ergo non omnes creaturæ indigent ut a Deo conserventur *in esse*.» Prob. Minor. «Quod per se inest alicui, necesse est ei inesse, sicut necessarium est binarium esse parem, et impossibile est eum esse imparem.» Sed esse inest per se substantiis immaterialibus, cum sint formæ subsistentes vel non dependentes a materia in essendo et incoruptibiles (5).

Respondeo, *conc.* Major., *neg.* Minor., Ad cujus probation. *dist.* Major. Quod per se inest alicui tamquam ad essentiam ejus spectans vel ex ea necessario consequens, *conc.*; quod per se inest alicui supposito, tamen influxu causæ, a qua dependet *nego*. Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Quo sensu dicatur *esse* convenire per se substantiis immaterialibus.

Esse dicitur per se convenire substantiis immaterialibus, non quatenus per essentiam suam existant, vel essentiæ illarum debeatur absolute *esse;* nihil enim est in rerum natura quod necessario creatum sit a Deo; vel nihil est inter omnia possibilia, quod exigat effici a Deo, et sic esse. Dicuntur autem immateriales substantiæ quodammodo necessario

(1) In sua *Paræneti ad gentes*.
(2) *De perenni Philosophia*, lib. 1.º, cap 38.
(3) *De Theologia Platonica*, lib. 2.º, cap. 1.
(4) Suarez (loc. cit. sect. 1, num. 15), *Conimbricenses* (*Physicor*, lib. 2, cap. 7, quæst. 10, art. 2). Cfr. Rhodes (*Philosoph. peripat.* lib. 2, disp. 7, quæst. 1, sect. 3, paragr. 1).
(5) *Apud S. Thom.* 1 p., quæst 104, art. 1.º, argum 1.º

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

esse, *postquam creatæ a Deo sunt*; quia cum jam existunt, exigunt pergere in *esse*, propterea quod non habent contrarium, cujus naturali actione corrumpantur, ac pereant, sicut habent corpora mundana, quæ ex naturali actione aliorum corporum dissolvuntur. Ideoque cum Deus non sit destructor operum semel a se factorum, quamdiu inter agentia naturalia nihil est, quod substantiam aliquam valeat actione sua destruere, tenetur illam conservare, *si velit agere* secundum consentaneas naturæ rerum exigentias. Et in hoc sensu dicuntur substantiæ naturales per se esse vel necessario existere, postquam semel creatæ sunt, quia non habent intrinsecam potentiam passivam corruptionis, et solum perire valent per annihilationem (1). Annihilatio autem est modus quidam agendi præternaturalis et *quasi miraculosus*, ut mox declarabitur. Egregie Suarez: Entia incorruptibilia dicet secundum potentiam intrinsecam, et in ordine ad naturalia agentia dicantur entia necessaria, non tamen in ordine ad extrinsecam potentiam Dei, a qua semper ac continue pendent in suo *esse*. Unde licet dicantur per se esse in ordine ad intrinsecam causam, quia non per formam distinctam, sed per se habent *esse*, in quo subsistant, quod maxime verum est in immaterialibus substantiis, tamen in ordine ad causam extrinsecam non convenit illis per se esse, sed per superiorem causam et dependenter ab illa» (2).

Objic. 2.° Deus potentior est quolibet creato agente. Sed aliquod creatum agens potest communicare suo effectui, ut conservetur in *esse*, etiam ejus operatione cessante; sicut, cessante actione ædificatoris, remanet domus, et, cessante actione ignis, remanet aqua calefacta per aliquod tempus. Ergo multo magis Deus potest suæ creaturæ conferre, quod conservetur in *esse*, sua operatione cessante (3).

Respond. *conc.* Major, et Minor., et *neg.* conseq. Quod enim effectus perduret etiam, cessante operatione suæ causæ creatæ, non est propter perfectionem hujus, sed propter imperfectionem. Nimirum ideo effectus esse potest, quin

(1) Cfr. alibi scripta de immortalitate vel incorruptibilitate animæ humanæ, *Psycholog.* vol. 3.°, num. 217, pag. 646.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 21, sect. 1.ª, num. 16.
(3) Apud S. Thom. 1 part., quæst. 184, art. 1, argum. 2.°

conservetur a sua causa creata, quia solum pendet ab illa quoad *fieri*, non vero quoad *esse*, sed potest, esse independenter ab ea, sicut potuit fieri sine illa, prout in probationibus declaratum reliquimus.

Objic. 3.° Nihil violentum aut innaturale potest rei contingere nisi per actionem alicujus extrinsecæ causæ. Sed tendere ad non *esse* est violentum et innaturale cuilibet creaturæ semel existenti, siquidem quælibet creatura naturaliter appetit *esse*. Ergo nulla creatura potest tendere ad non *esse* nisi per actionem corruptivam extraneæ alicujus causæ. Atqui quædam sunt creaturæ, nempe immateriales, quæ corrumpi nequeunt per actionem naturalium causarum. Ergo ejusmodi creaturæ non possunt tendere ad non esse, etiam cessante Dei operatione (1).

Respond. *dist.* Minor. Tendere ad non *esse* positive, nempe per innatam propensionem est innaturale cuilibet creaturæ semel existenti, *conc.*, nam omnia appetunt esse, cum *esse* sit bonum omnium. Tendere ad non *esse* negative, quatenus nihil creatum sufficit sibi, ut sit, ideoque nisi ab alio sustentetur, pereat, necesse est, *nego*. *Distinguo* etiam conseq: si res quævis non indigeret positiva conservatione, ut permaneret in *esse*, *transeat*; si res quævis indigeat positiva conservatione, quemadmodum satis demonstratum est, *neg.*, nam res egens conservatione positiva potest perire solum ex eo, quod cesset actio causæ, qua conservabatur.

Et *concessa* Minore subsumpta, *nego* ultimum conseq. Argumentum ergo solum probat, quemadmodum notat S. Thomas (2), res immateriales, utpote quæ non habent contrarium, cujus actione corrumpi queant, sicut corpora, non indigere conservatione indirecta, per quam præserventur ab actione contrarii agentis; nullatenus autem evincit esse ullam rem creatam, quæ non indigeat positiva conservatione Dei, de qua nos agimus in præsenti controversia.

Instabis. Quælibet res retinet, quod sibi datur, donec eo privetur. Ergo quælibet res potest retinere *esse*, quod in sui productione accepit, donec illud per positivam actionem sibi

(1) *Apud* S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 1, argum. 3.°
(2) *Loc.* cup. cit., ad 3.um.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

auferatur, ideoque non indiget conservatione, saltem directa et positiva, sed ut summum indirecta, si sermo sit de substantiis corruptibilibus, ut nempe præserventur adversus incursus contrariorum agentium, per quæ illa privari possunt suo *esse*.

Respondeo, *nego* conseq. Si enim ostensum est nullam rem sibi sufficere, ut sit, sed subsistere nequit nisi per positivam et jugem actionem conservativam, planum est, quod amittet *esse* acceptum, quamvis illud ipsa sibi non auferat ex eo solum, quod cesset jugis ille influxus vel actio causæ, sine qua non potest subsistere.

Objic. 4.º Si Deus conservat positive res in *esse*, id fiet per aliquam actionem. Atqui non potest hoc dici. Nam per illam actionem Dei conservantis vel fieret ipsum *esse* creaturæ, quod esse nequit, quia quod jam est, non fit; vel fieret aliquid aliud superadditum, quod etiam perperam diceretur, quia tunc quamdiu res conservatur, continue aliquid ei adderetur, id vero et experientiæ et rationi repugnat (1).

Respond. *dist.* Major.: id fieret per aliquam actionem novam, *neg.*; per eamdem continuatam, *conc.*

Et contradist. Minore, ad cujus probationem, *nego* utrumque membrum. Quia sicut in conservatione nulla datur nova actio, ita nec quidpiam de novo producitur, sed idem *esse* rei primo acceptum in sui productione, quod non perit, quamdiu conservatur, perseverat, vel continuatur continuatione actionis. Verum hæc pendent ex inferius probandis circa identitatem actionis primo productivæ ac conservativæ (2).

Objic. 5.º Videtur ad potentiam Dei spectare, ut possit tales effectus producere, qui postquam facti sunt, in suo *esse* permaneant, etiam cessante illius operatione, sicut quo major est potentia et industria humani artificis, poterit solidiora exstruere opera, quæ diu ac perpetuo conserventur sine interventu suo.

Respond. *neg. assertum.* Contrarium enim ostendimus, in probationibus. Quod enim nihil possit esse vel momento temporis absque positivo influxu Dei, nihilque efugiat dominium

(1) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 1.º, argum. 4.º
(2) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 16.

Creatoris, a quo possunt omnia in nihilum verti, multo luculentius commendat potentiam et perfectionem Dei, quam si esset aliquid, quod aut posset in *esse* permanere sine divino influxu, aut non posset a Deo in nihilum redigi (1).

Objic. 6.º «Deus continet in suo *esse* materiam et omnes formas, excepta rationali, interventu mutuo earum causalitatis; et compositum per partes, ex quibus coalescit; et omnia corpora corruptibilia ope suorum accidentium et proprietatum. Ergo saltem non omnia immediate conservat» (2).

Respondeo, hanc objectionem non tam impetere ipsam conservationem, quam postulare, ut declaretur modus ejusdem, quod præstandum est in sequenti paragrapho.

§ II.—QUO PACTO DEUS RES CUNCTAS CONSERVET IN ESSE.

Status quæstionis.

251. Ut dubium hoc melius resolvatur, probe nota duplici actionis genere res primo fieri posse, creatione atque eductione vel generatione. Generantur illæ res, quarum formæ educuntur de potentia materiæ, vel quæ fiunt ex præsupposito subjecto: talia sunt generatim omnia composita sive substantialia sive accidentalia, quorum productio debetur generatim causis creatis cum concursu Dei, causæ primæ, sine cujus operatione repugnat quidpiam ab illis effici, prout in sequenti disputatione probabitur. Et ratio est, quia composita producuntur ex eo, quod formæ illorum producantur de potentia materiæ, illique uniantur; formæ autem omnes, sive accidentales seu accidentia, sive substantiales materiales, educuntur de potentia materiæ per causas secundas simul cum concursu Dei. Quæ omnia constant ex probatis et declaratis in *Cosmologia*. Creantur vero per se omnes substantiæ vel formæ subsistentes atque immateriales, quæ cum non dependeant in *esse* a subjecto, ita nec fieri possunt ex præsupposito subjecto. Possunt etiam creari divinitus composita vel etiam formæ materiales per miraculum, et dicuntur creari per accidens, quia creantur non ex exigentia naturæ illarum, sicut

(1) Vide P. Suarez, loc. nup. cit, num. 17.
(2) Apud Conimbricenses. *Physicor.* lib. 2, cap. 7, quæst. 10 art. 1.º argum. 5.º, apud quos etiam soluta videri queunt præcedentes objectiones, ibid, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

formæ immateriales, sed præter naturalem exigentiam propter extrinsecam aliquam causam. Jam ex probatis in præcedenti paragrapho constat Deum omnia positive atque immediate seu per actionem suam propriam conservare. Dubitatur autem, utrum omnia *solus* conservet, an etiam ipsæ res creatæ partialiter concurrant cum Deo ad ejusmodi conservationem.

Et ad conservandam rem aliquam in *esse*, præter Deum concurrere intelligi posset primo res ipsa, quæ conservatur, ita ut ipsa *se* efficienter conservet; deinde causæ, per quas producta est, ac tandem aliquæ aliæ causæ naturales. Nonnulli ergo, quos tacite refert P. Leonardus Lessius, ac vocat recentiores (1), rati minorem efficacitatem sufficere ad conservandam rem in *esse*, quam ad primo producendam, voluerunt effectum semel existentem concurrere partialiter cum Deo ad sui conservationem, sicut experientia novimus res quasdam ipsa sua firmitate ac soliditate ad sui conservationem juvare. Quam sententiam dudum tenuisse Gandavasem Henricum (2) et alios, scribit Didacus Ruiz de Montoya (3). Quam ad rem posset ipse quoque Aristoteles laudari, cujus sunt illa verba: *Generat nihil se ipsum, sed conservat* (4). Verum communis sententia negat posse rem aliquam in sui ipsius conservationem ne inadequate quidem vel partialiter concurrere: quam tuentur Lessius (5) et Ruiz de Montoya (6), apud quem plurimi alii, ac postea PP. Joannes Martinon (7), Thomas Carleton Compton (8), Arriaga (9), Soarez Lusitanus (10), Lince (11) aliique.

(1) Lessius, *De perfect. divin.* lib. 10, cap. 4.
(2) *Quodlib.* 1.° quæst. 6, post. med.; et *Quodlib.* 9, quæst. 1 circa medium.
(3) Ruiz de Montoya, *de Providen.* disp. 5.ª
(4) *De anim.*, libr. 2, text. 47.
(5) Loc. cit. et *Summo Bono.*, lib. 3.º num. 31.
(6) Loc. cit. sect. 8.
(7) *De Deo*, tom 1, disput. 54, sect. 1, fin.
(8) *De Deo*, disput. 24, sect. 4.
(9) *Physic.* disp. 9, sect. 6.
(10) *Physicor.*, tract. 2, disput. 5, sect. 1, num. 342.
(11) *Physicor.* lib.° 5, tract. 4, cap. 5.

Quod vero attinet ad conservationem aliarum rerum a se distinctarum auctores videntur in quibusdam convenire, et in quibusdam aliis discrepare. Consentiunt in primis in eo, quod substantiæ immateriales, utpote a solo Deo creatæ, a solo Deo conserventur; conveniunt etiam in eo quod quædam aliæ, quæ perennem fluxum a sua causa exposcunt, ut v. gr. lumen, a fonte luminis, non a solo Deo, conserventur, sed pendeant etiam ex partiali concursu causæ creatæ. Discrepare autem dicuntur respectu eorum effectuum non creatorum, qui, adhuc cessante causæ suæ actione, perdurant. Et de iis P. Petrus Fonseca (1) opinatur, illos conservari per causas generales, nempe influentiam cœlorum, solis et intelligentiæ seu angeli, a quo veteres arbitrantur moveri cœlos (2). Eademque est sententia P. Didaci Ruiz de Montoya (3), quam ipse supponit esse communissimam. Et idem diserte docet S. Thomas (4). Alii vero contra sentiunt, dicentes, predictos effectus a solo Deo adæquate conservari sine interventu effectivo aliarum causarum creatarum; quæ est opinio P. Lonnardi Lessii, Martinonis, Soarez lusitani (5), Antonii Bernaldi Quiros (6) et aliorum, itemque Doctoris Eximii (7), qui pro se laudat Capreolum (8), et inducit S. Thomam sic loquentem (9). *Actio agentis corporalis non se extendit ultra motum; et ideo est instrumentum primi agentis in eductione formarum de potentia in actum, quæ est per motum, non autem in conservatione earum, nisi quatenus ex aliquo motu dispositiones in materia retinentur, quibus materia sit propria formæ. Sic enim per motum corporum cælestium inferiora conservantur in esse.* Quæ opinionum diversitas pendet ex varietate sententiarum apud priscos doctores circa efficacitatem corporum cælestium in sublunaria, majorem

(1) *Metaphys.* lib. 5, cap. 2, quæst. 9, sect. 2.
(2) Cfr. *Cosmolog.*, num. 32, pag. 78, 79 seqq.
(3) *De Providen.* disp. 5, sect. 7 et 8.
(4) 1.ª p., quæst. 104, art. 2.
(5) Locis nuper citatis.
(6) *Curs. philos. Physic.* tract. 30, disp. 60, sect. 3, num. 19.
(7) *Metaphys.* disp. 21, sect. 3, num. 4 seqq.
(8) 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 3, ad 4.um contra 3.um conclus.
(9) *De potent.* quæst 5, art. 1, ad 7.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minoremve, prout ipsam horum substantiam immediate attingerent, concurrendo id illius productionem, vel immediate solum attingerent prævias aliquas dispositiones necessarias ad eductionem formæ.

252. PROPOSITIO 2.ª **Si sermo sit de conservatione indirecta et per accidens, certum est posse res corporeas ab aliis rebus creatis conservari.**

Si sermo sit de conservatione indirecta et per accidens, possunt res corporeæ ab aliis conservari.

Probatur, quia *manifestum est, quod etiam in rebus corporalibus multa sunt, quæ impediunt actiones corrumpentium, et per hoc dicuntur rerum conservativa, sicut sal impedit carnes a putrefactione et simile est in multis aliis* (1).

Porro res, quæ hoc pacto conservantur, sunt corporeæ, prout exprimitur in ipsa propositionis enuntiatione, quia solum illa contrarium habent, et actioni aliorum agentium obnoxia sunt, a quibus corrumpi possunt. At vero rebus immaterialibus nihil hujusmodi accidere potest. Res autem, a quibus corpora indirecte conservari queunt, sunt non solum corpora, sed etiam spiritus; ab his enim multo efficacius, quam a corporibus, res corruptibiles a clade præservari valent.

253. PROPOSITIO 3.ª **Si vero sermo sit de conservatione positiva et directa, in primis nulla res creata potest se ipsam immediate conservare vel partialiter: Deus vero omnia per se atque immediate conservat, alia quidem solus, alia simul cum aliis causis creatis.**

Nulla res creata conservat se ipsam directe ac positive.

Prima pars: *Nulla res creata conservat seipsam conservatione directa et positiva*, probatur illa fundamentali ratione, qua usi sumus in præcedenti paragrapho. Omnis res creata est insufficiens ex se ad essendum. Ergo non potest se conservare. Prob. conseq. Si ex se non est sufficiens ad essendum, singulis instantibus perire deberet ex se; sicut grave, quod, ne ruat, manu sustineri debet, singulis instantibus rueret, nisi manu teneretur. Et ratio est, quia illius entis, quod ex se non est sufficiens ad existendum, proprietas essentialis est ex se non esse, sed rationem sufficientem sui *esse* aliunde repetere, nempe ex ente a se. Secus ens ab alio converteretur in ens quodammodo a se.

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 104, art. 2.

Dices. α) Omne ens semel existens appetit esse. Ergo quomodo dici vere potest omnis rei creatæ proprietas essentialis esse ex se non esse? β) Entia creata multa virtutem habent producendi, ac proinde dandi *esse* aliis substantiis ejusdem speciei. Ergo possunt se conservare, quandoquidem minus videtur requiri ad conservandam rem, quam ad primo producendam. γ) Nec obstat, quod nihil possit causare in instanti, in quo jam non est, quia potest dici res existens in instanti A causare suum *esse* pro instanti B sequenti, fere sicut docent Thomistæ sacramenta agere causando gratiam in primo instanti sui non *esse* seu cum præterierunt. δ) Saltem viventia vita vegetativa se conservant. Nam vita vegetativa conservatur nutritione. At nutritio est operatio immanens ipsius viventis. Ergo vivens vegetativa vita se conservat. ε) Accedit, quod subjectum conservat accidentia, quæ ab alia extranea causa sibi adveniunt, ut paries albedinem, etc. Cur ergo res non possit conservare *esse* sibi tributum a sua causa?

Quo sensu res dicuntur appetere esse.

Respondeo ad α) nullam inesse in doctrina nostra contradictionem. Substantiæ permanentes, secus atque res successivæ, habent naturam aptam, ut diu perseverent in *esse*, saltem quamdiu per contrariam aliorum agentium naturalium actionem non fatiscant. Ergo Deus, qui non est naturarum destructor, nec per se pœnitet operis sui, oportet, ut substantias ejusmodi conservet in *esse*, quamdiu non postulet aliud conflictus aliarum causarum naturalium. Et in hoc sensu res permanentes ratione suæ naturæ capacis diu existere dicuntur appetere *esse*; ex quo tamen non sequitur, quod illæ debeant, aut etiam possint, sibi dare *esse*, quo conserventur. Aliud enim est appetere *esse*, et aliud posse sibi tribuere *esse*. Quot res potest appetere appetitu etiam ordinatissimo mendicus, quibus tamen perpetuo carere debebit, nisi ab alio sibi donentur?

Respondeo ad β), dist. antec. Supposito quod a Deo conserventur, *conc.*; secus, *nego.*, nam *esse* est causæ conditio et fundamentum prævie requisitum ad quidpiam causandum, quod tamen non est in manu sua: nec illud esse in manu sua probatur, ex eo solum quod quis, eo posito, multa alia possit facere. Tum *nego* conseq., cujus etiam probationem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nego. Quamquam enim si sermo sit de accidentibus ac dispositionibus ad productionem alicujus substantiæ prævie requisitis, possit verum esse, quod minus requiratur ad conservationem, quam ad primam rei productionem, quia nimirum forma conservatur in materia etiam cum accidentibus et dispositionibus in gradu remissiori, quam necesse fuisset ad primam illius introductionem; verum ad conservandum ipsum *esse* substantiale rei non minor efficacitas requiritur in causa, quam ad primo illud producendum. Ad illud vero, quod adjungebatur de modo, quo creatura posset se conservare causando suum *esse* pro futuro instanti, nihil necesse est me respondere. Nam ego non desumpsi probationem propositionis meæ ex eo, quod nihil possit causare in instanti, in quo jam non est. Itaque ab hac quæstione omnino præscindo (1).

Respondeo ad γ), *neg.* assertum. Et ad probationem, *dist.* Major. Vita vegetativa conservatur nutritione remote, *transeat*; formaliter, ita ut nutritio ipsa sit formalis conservatio, *nego*. *Concedo* Minor., et simili modo *disting.* conseq.

Instabis. Vivere viventibus est *esse*. Ergo nutriri perinde est viventi, ac esse. **Respondeo**, *nego* iterum conseq. Revoca in mentem quod suo loco diximus in *Psychologia*, explicantes definitionem vitæ, nimirum dupliccm esse vitam, substantialem vel in actu primo et accidentalem vel in actu secundo. Vita substantialis et in actu primo est ipsum *esse* substantiale viventis; et sic vivere substantiale est *esse* substantiale viventis. Vita vero accidentalis seu in actu secundo est operatio vitalis, qualis est nutritio est vita et vivere accidentale. Ergo nutriri non est viventi perinde, ac esse vel vivere substantiale viventis, sed tantum accidentale.

Respondeo ad δ), *dist.* anteced. Subjectum conservat accidentia, etc., quamdiu ipsum sustentetur in *esse*, *conced.*; nisi sustentetur, *neg.* Cum enim Deus, ut iterum id notem, non sit naturarum destructor, conservat etiam accidentia et formas impressas alicui subjecto, quamdiu nulla est causa naturalis exigens interitum earum. Quid ergo mirum, si

(1) Cfr. *Ontolog.*, num. 401, pag. 1153.

subjectum existens formas vel accidentia aliunde sibi advenientia conservet in *esse*?

Tum *nego* conseq. et peritutem in mea quidem opinione, non distinguente realiter essentiam et existentiam rei existentis; nam secundum hanc opinionem essentia non est subjectum physicum et reale existentiæ, nec ipsa existentia est forma vel actus realis ejusdem, sed utraque est una eademque res, quæ proinde aut utraque conservatur, aut utraque perit. Secus atque accidit in subjecto, de quo sermo est in antecedente. Verum si tu malueris essentiam realiter ab existentia distinguere, tum dicam essentiam realem, quamdiu talis permanet, existentiam suam conservare, fere sicut paries conservat albedinem, non quia ipsa essentia efficienter conservat *esse*, sed quia Deus conservat illud. Cum enim essentia realis non possit separari a sua existentia, Deus debet ei existentiam tribuere, quamdiu illa permaneat in sua realitate.

Deus omnia per se atque immediate conservat.

Secunda pars propositionis: *Deus omnia per se atque immediate conservat*, non eget reapse probatione, sed tantum posita est, ut melius intelligatur, quod probatum reliquimus in præcedenti paragrapho. Si enim Deus non omnia immediate ac per se agendo seu propria, ut ita dicam, personali operatione in *esse* conservaret, jam verum non foret omne *esse* creatum absolute ac positive pendere ex actione Dei. Itaque sive Deus solus rem aliquam conservet, sive simul cum aliis, semper ipse agit per se; et solum dicitur quasdam res *mediis aliis causis* conservare, ad significandum consortium aliarum causarum, nullatenus vero ad excludendam suam propriam actionem. Eodem prorsus modo, quo Deus sua propria actione operatur, non solum cum ipse solus rem aliquam facit, sed etiam cum per causas creatas; nec dicitur *mediis illis* aliquid producere, nisi ad ostendendum, quod actio et effectus procedat a Deo simulque a causis creatis. Hoc ergo et nihil aliud exprimitur, cum dicitur Deus omnia per se atque immediate conservare.

quædam quidem solus.

Tertia pars: *Deus quædam conservat solus*, nempe quin ulla alia causa interveniat in illorum conservationem. Tales sunt materia prima et omnes substantiæ immateriales, angelus et rationalis anima, quæ *per se* creantur, seu quæ non

possunt produci nisi per creationem. Et ratio est, quia cum *esse* hujuscemodi creaturarum nequeat attingi nisi actione creativa, ab eo solum conservari valet, qui virtute pollet creandi. Atqui solus Deus virtute creandi præditus est. Ergo solus Deus illud conservat.

Dixi tales esse substantias omnes, quæ *per se creantur*, quia si quid per accidens creatum est, videlicet præter exigentiam naturæ, Deo per miraculum operante; dummodo illud sit ex earum rerum genere, quæ a creaturis quoque partialiter conservari possunt ex modo dicendis, necesse non est, ut a solo Deo conservetur.

quædam alia mediis causis secundis

Quarta pars: *Deus quædam alia mediis, id est, simul cum aliis causis creatis conservat*, prout jacet in hac generalitate, est diserta doctrina S. Thomæ: qui postquam distinxisset conservationem directam et indirectam, sic enuntiat: *Utroque autem modo aliqua res creata invenitur esse alterius rei conservativa* (1). Et mox speciatim de directa conservatione in hunc modum scribit: *Invenitur etiam, quod ab aliqua creatura pendet aliquis effectus secundum suum esse. Cum enim sunt multæ causæ ordinatæ, necesse est, quod effectus dependeat prime quidem et principaliter a causa prima, secundario vero ab omnibus causis mediis.* Et *ideo principaliter quidem prima causa est effectus conservativa*, secundario vero omnes mediæ causæ: *et tanto magis, quanto causa fuerit altior et primæ causæ proximior. Unde superioribus causis, etiam in corporalibus rebus, attribuitur conservatio et permanentia rerum.* Ac tandem ita concludit: *Sic igitur dicendum, quod* Deus conservat res quasdam in esse mediantibus aliquibus causis.

Assertio vero probatur exemplis quorumdam accidentium, de quibus nulla esse potest controversia. Sic enim lumen procul dubio conservatur a Deo, sed simul a suo fonte, sole, electro, etc.; species intentionales sensuum exteriorum pendent etiam ab objecto illas gignente, ita ut illæ perdurent, quamdiu durat objecti actio, qua cessante, illico evanescunt. Ipsi actus vitales cognitionis et appetitionis tamdiu conservantur in *esse*, quamdiu immanentem influxum exserit

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 2.

potentia ad illos producendos. Motus denique, qui definitur *actus in potentia, prout in potentia*, quemadmodum in *Cosmologia* declaratum et explicatum reliquimus (1), pariter postulat, ut conservetur a Deo, quamdiu durat influxus moventis. Nec dicas, motum saltem localem adhuc durare postquam cessavit impulsus motoris; quia id reapse non est verum, si vera sunt, quæ de causa motus localis in eadem *Cosmologia* docuimus, quam diximus esse qualitatem quamdam, *impetum*, mobili a motore impressam (2). Quamvis ergo motor semel impetum impresserit, nec eum iterare pergat, vel continuare, adhuc censetur conservare motum, quamdiu duret energia impetus ab illo impressi.

Si jam intimam rationem quæras, cur hactenus memorata accidentia conserventur partialiter a causis creatis, ea videtur petenda ex peculiari natura et conditione illorum, quia vel eorum esse videtur situm esse in *fieri*, ut dici potest de motu, vel certe naturalem dependentiam habet a suis causis in *esse*, quemadmodum explicat Doctor Eximius (3). Et hæc potest esse secunda probatio nostræ assertionis enuntiantis quædam a Deo simul cum causis creatis conservari.

Utrum substantiæ corporeæ conserventur partialiter ab aliis causis creatis.

Major est difficultas, si quæratur, utrum etiam substantiæ corporeæ conserventur partialiter ab aliis, nempe ab universalibus agentibus; nam ipsa *experientia compertum* est, substantias corporeas non conservari a causis *particularibus*, a quibus productæ sunt, cum adhuc illarum cessante actione, immo et illis pereuntibus, perdurent in *esse*. Quod agentia universalia, sol, calor, etc., concurrant partialiter aliquo modo ad conservandas substantias corporeas, videtur omnino concedendum; nam suo influxu favent, ut eas dispositiones accidentales, v. g., temperiei, habeant, sine quibus non potest forma unita materiæ permanere, ac proinde corpus fatiscit. Sic viventia, sive vegetalia, sive animalia, sive etiam homo (4), ut notum est, nisi certam temperiem caloris et

(1) *Cosmolog.* num. 278 seqq., pag. 1001 seqq.
(2) *Cosmolog.* num. 311 seqq., pag. 1069 seqq.
(3) *Metaphys.* disp. 21, sect. 3, num. 14 seqq.
(4) Non perturberis audiens hominem aliquo modo conservari posse per agentia naturalia, cum supra diximus animam rationalem a solo Deo conservari. Nam homo non est anima rationalis, sed

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

convenientem organismi dispositionem servent, intereunt. Ergo agentia universalia, dum fovent ista accidentia, necessaria ad conservandum compositum corporeum; saltem *mediate* conservant in *esse* ipsam substantiam corporis. Et in hoc possunt convenire omnes, et fortasse in hoc sensu locutus est P. Didacus Ruiz de Montoya, cum supponit, ut nuper referebamus, *communem* esse opinionem eorum, qui arbitrantur posse substantias corporeas ab agentibus universalibus partialiter conservari, nempe saltem mediate, videlicet conservando per suum influxum debitam temperiem ac dispositiones in corpore. Et hunc saltem sensum admittit locus S. Thomæ paulo superius exscriptus.

Non est autem æque perspicuum, utrum agentia prædicta *immediate* conservent substantias corporeas, ita videlicet ut actio eorum conservativa per se attingat ipsam substantiam corporis, fere sicut dicuntur substantiæ corporeæ ad productionem aliarum substantiarum concurrere (1). Qua de re legi possunt auctores diversarum sententiarum superius laudati, quamvis illi quædam permisceant, quæ nunc in præsenti naturalium scientiarum statu non possunt admitti. Ego enim cum nullam satis idoneam rationem inveniam, rem in medio relinquo.

Et hæc quidem dicta sint de concursu et causalitate *effectiva*, quam exhibent creaturæ in rebus partialiter conservandis. Illud pro complemento addendum restat Deum, sicut quotiescumque mediis causis secundis operatur, præsupponit materiam, et non nisi dependenter ab illa formas educit, ut tandem novus effectus existat; ita res conservare dependenter a materia, et sic materiam in genere causalitatis

Materia concurrit ad formarum conservationem

compositum ex anima rationali et corpore; unde anima rationalis creatur a solo Deo, homo vero non creatur, sed generatur a parentibus, quippe qui ad eam dispositionem perducunt materiam, ut exigat animam rationalem creari, et materiæ uniri, et præterea ad hanc ipsam unionem animæ rationalis cum materia aliquo modo concurrunt secundum dicta in *Psychologiæ* vol. 3.°, num. 267, pag. 833. Sic ergo ex eo quod anima rationalis a solo Deo conservetur, non sequitur, quod homo etiam a solo Deo conservari debeat.

(1) Vide *Cosmolog.* cum 352, pag. 1193 seqq.; num. 368, pag. 1235 seqq.

non *efficientis*, sed *materialis* concurrere ad conservationem rei. Nam Deus non conservat formam in materia, nisi quamdiu hæc apta et disposita est ad recipiendam talem formam; et tunc conservare desinit formam aliquam in materia, quando actio naturalium causarum post consentaneam mutationem et alterationem dispositionum novam inducit formam in corpus, ut v. g. cum ignis comburit lignum, quæ præcedentis formæ, cum qua incompossibilis est, expulsionem vel interitum postulat. Simili modo potest dici etiam Deus ipsam materiam primam conservare mediis formis; quia cum naturaliter saltem (1) non possit esse in rerum natura, quamdiu est possibilis forma aliqua, quæ materiam actuet, illa conservari potest, ac porro debet ex dicendis circa annihilationem. Ac tum solum necesse foret illam annihilare, cum esset naturaliter impossibilis forma capax illam informandi: quod est impossibile.

in genere causæ, non efficientis, sed materialis.

et vicissim forma quodammodo concurrit ad materiæ conservationem.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Difficultates solvuntur.

254. **Objic. 1.°** Eadem actione Deus est conservator, qua et creator. Sed Deus est immediate creator omnium. Ergo et immediate, seu nullis aliis causis concurrentibus, est omnium conservator (2).

Respondeo. *dist.* Major. Eadem actione est Deus conservator et creator respectu eorum quæ per se seu ex naturæ exigentia creantur, *conc.*; respectu eorum, quæ per accidens seu præter naturæ exigentiam creantur, *nego. Distinguo* etiam Minor. In prima rerum productione, *trans.*; in productione novarum substantiarum, *nego.* Tum *mg.* conseq.

Quamquam Deus creator sit, et in vero sensu mundum creaverit; ex hoc tamen non cogimur dicere, omnia et singula corpora initio producta in propio sensu creata fuisse, ita ut etiam formæ ipsæ materiales, actione vere creativa, non vero eductiva, exiterint. Verum quidquid sit de hoc dicendum, certum est in continua corporum productione jam Deum non

(1) Vide *Cosmolog.* num 153, 154, pag. 581. *Dices* 1.°, et pag. 584 seqq.

(2) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 2, argum. 1.°

agere actione creativa, sed eductiva, cooperando cum causis secundis ad producendos earum effectus. Itaque etiamsi Deus omnia in prima mundi molitione creasse dicamus, non sequitur, quod omnia corpora, quæcumque sint nunc in rerum natura, debeat conservare ipse solus, quia hæc saltem *corpora* hodierna non sunt creata, sed generata vel actione eductiva producta. Accedit, quod etiamsi corpora omnia in prima mundi productione, vere creata fuissent, non fuissent per se creata, sed tantum per accidens; quia nimirum illa erant ejusdem speciei, ac alia quæ jam non creantur, sed generantur, nec proinde ex intrinseca natura sua exigebant creari. Ergo nec ex eo quod creata fuissent, postulassent a solo Deo conservari, quemadmodum paulo superius monuimus (1).

Objic. 2.° Effectus conservantur in *esse* ab eo, quod est causa eorum non solum secundum fieri, sed etiam secundum *esse*; ex dictis in primo hujusce capitis articulo. Sed nulla causa creata est causa suorum effectuum nisi secundum fieri: Ergo nulla causa creata potest vel partialiter concurrere ad conservationem ullius effectus (2).

Respondeo, *dist.* Major. Intelligendo hanc doctrinam in sensu assertivo, *conc.*; in sensu exclusivo, *nego*. Et *concessa* Minore, *nego* conseq. Nimirum cum probaremus veritatem conservationis, eam deduximus ex eo, quod res, quæ ab aliquo pendent tum *secundum fieri* tum *secundum esse*, non possint non pendere ab eo, quamdiu sunt; verum ex hoc non sequitur, nec nos diximus, rem aliquam non posse conservari etiam per concursum partialem causæ alicujus, a qua illa pendeat solum secundum fieri. Potest enim rectus ordo institutus a divina providentia requirere, ut causæ quoque creatæ partialiter et secundario concurrant ad conservandam rem, quæ non pendet ab eis secundum *esse*.

Objic. 3.° Unaquæque res proximior est sibi, quam rei alteri. Sed non potest ulli creaturæ communicari, quod

(1) Forte in objectione cum Deus omnia creasse dicitur, vis non est in eo, quod præcise creaverit creatione propria et pura seu non admista eductivæ actioni, sed in eo quod Deus solus res produxerit sine aliorum agentium concursu. Verum etiam in hac hypothesi objectio soluta manet hac observatione postremo loco facta.

(2) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 104, art. 2, argum. 3.°

conservet se ipsam. Ergo multo minus quod conservet aliam, ideoque solus Deus omnia conservare dicendus est (1).

Respond. *neg.* conseq. *Quia sicut nulli effectui præstari potest, quod sit causa suipsius, potest tamen ei præstari, quod sit causa alterius; ita etiam nulli effectui præstari potest, quod sit suipsius conservativus, potest tamen ei præstari, quod sit conservativus alterius* (2).

ARTICULUS II.

De natura conservationis, ubi utrum eadem sit actio productio rei et conservatio.

235. Conservatio dici consuevit *continuata rei creatio vel effectio*. Quod verissimum pronuntiatum sic interpretatus est Petrus Bayle (3), ut conservationem conciperet instar novæ productionis rei, quæ singulis instantibus iteretur. Unde concludere potuit, nos singulis instantibus in alios converti. Verum consecutio hæc absurda est et plane homine omnis Philosophiæ ignorantissimo digna. Si enim res potest conservari eadem permanendo, quo jure statuitur nos singulis instantibus mutari, vel in alios converti? Si vero impossibile est, rem conservari, nisi jugi serie reproductionum, in quibus res in aliam convertitur, reapse non datur conservatio, res enim quæ in aliam mutatur, nullatenus conservari dicitur; itemque nullum jam esset ens permanens in natura, quandoquidem omnia singulis instantibus perirent.

Sententia Petri Bayle et absurda illatio.

Cæterum conservationem instar reproductionis concepit multo ante Bayle Gandavensis Henricus, non tamen ita ut hæc reproductio haberet pro termino rem aliam novam, sed eamdem numero, quæ prius producta fuerat. Existimavit enim Henricus Gandavensis primum rei productionem et subsequentem conservationem esse duas actiones re distinctas,

Sententia verorum quorumdam Scholasticorum.

(1) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 104, art. 2.°, argum. 2.°.

(2) S. Thom. ibid., ad 2.um.

(3) In suo *Dictionario*, art. *Pyrrhon*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

res opponitur communis caeterorum doctrinae.

quarum prima res acquirit *esse*, altera illud retinet diutius (1). Idemque opinati esse dicuntur Gregorius Ariminensis (2) et Aureolus (3). Contraria opinio communissima tenet «conservationem non esse aliam actionem a creatione secundum rem aut modum realem, sed solum connotatione quadam aut negatione inclusa seu ratione distingui. Nam creatio importat effectionem rei, connotando, quod antea non fuerit; conservatio autem dicit eamdem effectionem, connotando, quod res antea jam fuerit» (4). Ita docet S. Thomas (5) et cum eo communiter Thomistæ ac nostrates. Hæc sententia vera est, dummodo recte intelligatur, prout eam intelligunt ejus assertores. Nimirum vera est, quatenus conservatio ex sua ratione non requirit, ut distinguatur a prima rei productione; sed quod distinguatur, vel non distinguatur pendet ex eo, quod res conservetur ab iisdem causis, a quibus producta est, vel a diversis. Quo sensu interpretantur, et sectantur frequentissime nostri communem sententiam cum Eximio Doctore (6), Georgio Rhodes (7), Antonio Bernaldo Quiros (8), Ludovico Lossada (9), etc., etc.

256. PROPOSITIO 1.ª **Quando effectus conservatur ab eadem vel iisdem causis, a quibus productus est, prout fit v. g. in conservatione rei per se creatæ, productio et conservatio non re distinguuntur, sed ratione tantum vel connotatione atque habitudine.**

Quando effectus conservatur ab eadem vel iisdem causis, a quibus productus est, productio et

Probatur primo, primam rei productionem et conservationem re non distingui sive specifice sive individue; quia nullum est principium, unde actiones illæ in primis specifice distinguantur. Nam actiones ex alibi dictis distingui possunt specifice bifariam, ratione termini, si nimirum termini diversi

(1) Henric., *Quodlib.* 1, quæst. 7.
(2) *Quodlib.* 9, quæst. 1.
(3) 2.º dist. 1, art. 2.
(4) Suarez, *Metaphys.* disp. 21, sect. 2, num. 2.
(5) 1 p. quæst. 104, art. 1, ad 4.um; de *potent.*, quæst. 3, art. 3, ad 6.um; et quæst. 5, art. 1, ad 2.um
(6) Loc. nup. cit., num. 3, seqq.
(7) *Philos. perip.* lib. 2, disp. 7, quæst. 1, sect. 3, paragr. 3.
(8) *Curs. Philos.*, tract. 3, disp. 61, sect. 3.
(9) *Physic.*, tract. 3, disp., cap. 2, num. 20.

conservatio re non distinguuntur.

sint, quamvis causa sit eadem, et ratione causarum, quando licet terminus sit idem, causæ variantur (1). Ergo ubi et terminus productus et conservatus est idem, et eadem quoque causa producens et conservans, eadem esse dicenda est species actionis productio et conservatio. Quod si prima rei productio et conservatio, ubi eadem est omnino causa producens et conservans, specifice eadem est; eadem quoque est actio individua. «Quis enim credat solem vel lucernam alia actione illuminare hunc aerem, cum primo applicatur, et deinceps? Quis enim fuisset in causa, ut prior actio interrumperetur, vel cessaret, ut alia deinde inchoaretur? Rursus deberet prima actio tantum per instans nostri temporis durare, quia qua ratione amplius duraret, semper durare posset; subsequens actio ergo vel duraret per aliud simile instans tantum, et sic essent duo instantia immediata; vel duraret per totum subsequens tempus, quo res conservatur, et tum eadem, vel majori ratione idem dici poterit de priori actione, et vitabitur illa superflua multiplicatio actionum. Adde, quod illa secunda actio inchoanda esset per ultimum non *esse*, quod est præter naturam talium actionum (2). Item in visione beata, verbi gratia, alia est actio, qua Beatus primo videt Deum, et qua deinde perseverat in visione Dei. Et ita prima actio non esset beatitudo, neque de se perpetua, quod est absurdum. Immo hoc admittere in quacumque corporali visione vel in omni intellectione et volitione, est præter omnem rationem et præter experientiam, quantum in hac re intervenire potest. Immo vix est homini possibile, perseverare tantum per instans in actione vitali, quam exercet. Mirum etiam esset, quod in agente naturali, verbi gratia, visu, variaretur actio non mutato principio, neque objecto, neque passo, neque effectu. Et similiter quod in agente libero multiplicaretur actio absque usu novo libertatis. Tandem actio habet unitatem ex termino et principio vel etiam ex passo, si versetur circa illud; sed productio et conservatio habent eumdem omnino terminum; ergo si principium sit

(1) Vide *Ontolog.* num. 360, 361, pag. 1045.
(2) Vide dicta in *Cosmolog.*, num. 371, pag. 1246, ubi de modis incipiendi et desinendi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

idem, ut supponimus, actio, de qua agimus, erit eadem, quia creatio nullum habet subjectum, idem autem est servata proportione in actione et conservatione, quæ fit ex subjecto, si passsum sit idem» (1).

Dices. Possunt actiones distingui etiam ex tempore; quapropter Aristoteles ad motus unitatem requirit unitatem temporis (2). Atqui creatio et conservatio fiunt in diversis temporibus, videlicet creatio in primo instanti, conservatio vero in toto reliquo tempore. Ergo... Et confirmatur, quia si Deus annihilaret angelum, et postea eumdem crearet, actio ista creandi esset diversa, solum quia diverso tempore fieret. Ergo creatio et conservatio, cum diversis temporibus fiant, diversæ actiones dicendæ sunt: (3).

Respond., *neg.* Minor. Ex sententia Aristotelis satis est idem tempus continuum, «ut motus sit idem, et consequenter ut actio sit eadem. At in præsenti instans, quo fit creatio, continue conjungitur cum tempore subsequenti, quo durat conservatio; *continue*, inquam, eo modo, quo potest indivisibilis terminus rei divisibili immediate copulari; hoc ergo satis esset, ut illa actio esset una, et ideo sæpe dicit Divus Thomas, conservationem esse quasi continuatam creationem. Quod non est intelligendum de continuatione propria, sed nostro modo intelligendi, seu per coexistentiam ad veram successionem continuam. Continuatio enim proprie dicta solum est in re divisibili, creatio autem et conservatio sunt una actio indivisibilis; unde ejus unitas major est, ejusque duratio non est per successionem nec per veram continuationem, sed per ejusdem indivisibilis actionis permanentiam; nam quando non est successio in termino vel acquisitione termini, neque in actione esse potest; hic autem non est successio in termino, quia est *esse* substantiale indivisibile, neque in acquisitione ejus, quia simul totum acquiritur, et simul totum conservatur. Quo fit, ut cum dicitur productio ac conservatio durare una tempore continuo, intelligendum id sit de tempore extrinseco, cui illa actio coexistit; nam si sit sermo de intrinseca

(1) Suarez, loc. cit. num. 3.
(2) Cfr. *Cosmolog.* num. 293, pag. 1033 3) tertiam.
(3) Apud Suarez, loc. cit num. 4 et 6.

duratione, potius est unum instans aut ævum indivisibile, quod totum simul incipit in primo instanti, totumque perseverat toto tempore sequente, et in singulis partibus ac instantibus ejus» (1).

Unde etiam ad confirmationem respondeo, *transmisso* antecedente, *negando* conseq. Quia si Deus annihilaret, et iterum crearet angelum, darentur duæ actiones intereuptæ ac discretæ, dum in nostra sententia circa conservationem non datur nisi una continuata. Quare non est paritas. *Transmisi* autem antecedens, quia necesse non est definire nunc, utrum, si Deus annihilaret angelum, et iterum crearet, deberet illum diversa actione reproducere, an non posset reproducere eadem numero actione, qua primo creaverat, quemadmodum existimat P. Suarez (2). Id enim necessarium non est ad solvendam difficultatem.

sed eadem, ratione.

Dixi secundo loco, conservationem distingui ratione a creatione. Idque probatur ex communi modo loquendi et concipiendi. Quia res non dicitur conservari in primo instanti, cum jam conservari dicitur. Est ergo aliquod discrimen inter hæc, quod sufficienter declaratur modo jam enuntiato, quia nimirum creatio connotat negationem *esse* prius habiti, conservatio vero connotat possessionem ejusdem *esse* prius habiti (3).

et quo modo.

Quæ cum ita sint, conservatio rei per se creatæ est actio de genere suo creativa, quia identificatur cum creatione.

257. PROPOSITIO 2.ª **Quando res non conservatur per easdem causas, per quas creata est, productio et conservatio non sunt eadem actio, sed distinctæ; quamvis hujusmodi distinctio est potius materialis et per accidens.**

Quando res non conservatur per easdem causas, per quas producta est, productio et

Probatur prima pars ex eo quod, cum terminus actionis est unus idemque, diversitas principiorum vel causarum sufficit ad diversificandas actiones, ut in probanda præcedenti propositione assumebam. Atqui res primo effecta et conservata eadem est. Ergo si causæ primo producentes, et mox

(1) Suarez, loc. cit. num. 4.
(2) Loc. cit, num. 6.
(3) Suarez, loc cit. num. 7, ubi plura.

conservatio re distinguitur.

conservantes distinctæ sint, productio et conservatio rei distinctæ actiones dicendæ sunt.

unde substantiæ generatæ, actione diversa conservantur.

Hinc vero sequitur 1.° substantias, quæ communiter generantur, diversa actione conservari. Et ratio est, quia istæ substantiæ generantur actione eductiva a propriis causis earum, cooperante utique Deo, quæ causæ mox jam non amplius influunt in effectum suorum conservationem. Conservantur autem a Deo, et quidem solo, saltem in sententia eorum, qui negant universalia agentia, in rerum conservationem influentia, immediate attingere ipsum *esse* substantiale illarum secundum dicta in præcedenti articulo. Quæ si vera sunt, ut sunt profecto, actio, qua Deus hujusmodi res conservat, potentior est, quam actio, qua illas primo produxit cooperando cum causis secundis, saltem in eorum sententia, qui putant influxum Dei cooperantis ad effectus causarum secundarum non esse tam potentem, ac foret, si Deus solus prædictos effectus produceret.

itemque substantiæ corporeæ per accidens, et non per se, creatæ.

Sequitur 2.° substantias corporeas per accidens creatas, si mox naturaliter conserventur, conservari actione distincta. Nam nisi in conservatione operetur Deus miraculose, sicut in creatione, hujusmodi substantiæ sustinentur in *esse* per actionem de genere suo non creativam, sed generativam, quæ rei tribuit *esse* dependenter a præsupposito subjecto; siquidem tales substantiæ eatenus durant in *esse*, quatenus forma earum retinetur in materia sustentante illam, non quidem in genere efficientis causæ, sed materialis. Ergo jam variantur causæ.

similiter quantitas panis et vini miraculose concreta in Eucharistia, diversa actione conservetur.

Sequitur 3.° Quantitatem panis, quæ miraculose conservatur separata a materia in Sacra Eucharistia, conservari actione diversa a prima ejus productione. Nam prior illa actio fuit eductio de potentia materiæ, vel concreatio cum materia, aut comproductio cum pane, juxta varias opiniones. Posterior vero actio est ex nullo subjecto, et in re est idem quod creatio; solum non ita appellatur, quia res illa jam præexistebat. Unde obiter intelligitur, hunc modum distinctionis inter productionem et conservationem, scilicet ut altera sit per modum eductionis, altera per modum creationis, vel e converso, non posse naturaliter intervenire, nisi per miraculum aut supernaturale opus; nam forma, quæ fit

per actionem dependentem a subjecto, non potest naturaliter fieri aut conservari independenter a subjecto. Et eadem ratione si accidens productum in uno subjecto, transmutaretur in aliud, et in eo conservaretur, actio illa, qua conservaretur in alio subjecto, esset distincta ab illa, qua fuit productum in priori; quia esset quasi nova edectio, novaque dependentia a distincta causa; tamen illa diversitas non potest esse naturalis, quia non potest accidens migrare naturaliter de subjecto in subjectum (1).

Distinctio tamen, ejusmodi non est formalis ac per se, sed materialis et per accidens.

In secunda parte propositionis dicebam distinctionem hujuscemodi non esse formalem ac per se, sed materialem ac per accidens. Etenim, quemadmodum supra dicebam in explicanda communi hac, quam hactenus tueri conati sumus, doctrina, distinctio hæc creationis et conservationis non accidit ex ipsa natura et intrinseca ratione creationis et conservationis, quasi illæ postularent necessario distinctionem, sed tantum ex diversitate principiorum seu causarum, quæ inducit eodem modo distinctionem in ipsa prima productione ejusdem rei et in ipsa quoque conservatione. Quandoquidem productio prima ejusdem rei, prout fiat v. g. a solo Deo, vel a Deo cum concursu creaturarum, diversa est; et conservatio, quæ a solo Deo per aliquod tempus fieret, et postea continuaretur cum partiali concursu aliarum causarum, jam duplicem distinctam actionem importaret. Ergo concludendum est productionem et conservationem de se non postulare distinctionem, sed distinctionem earum, quando adest, extrinsecus petendam esse, nempe ex causis ac principiis ad eas concurrentibus.

(1) Suarez, loc. cit num. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS III

Utrum Deus possit aliquid in nihilum redigere.

Discrimen inter annihilationem et corruptionem ac desitionem vel interitum rei.

258. Annihilatio opponitur creationi, quare differt a mera corruptione, quæ generationi vel productioni ex præsupposito subjecto opponitur, atque a rei desitione vel interitu. Desinere enim solum exprimit, rem amittere *esse*, præscindendo a modo, quo illud amittit, sive totaliter, sive non totaliter. Corrumpi vero per se dicitur res proprie, cum ita amittit *esse*, ut tamen subjectum vel materia adhuc permaneat, sicut a contrario res proprie generatur, quando non totaliter de novo accipit *esse*, sed fit ex subjecto aut materia, quæ jam prius existebat. Annihilatio denique est totalis interitus rei, ita ut jam nihil amplius de illa remaneat, ne materia quidem aut subjectum; sicut e converso creatio est totalis effectio rei, seu productio ex nullo præsupposito subjecto. Unde sicut creatio est subsistentium, ita etiam annihilatio, siquidem formæ non subsistentes non ita intereunt, ut subjectum quoque illarum eamdem cladem subeat, sed tantum mutet statum, vel aliam illius loco accipiat formam.

Annihilatio et generatio dumaxat subsistentium, sicut creatio.

Differt præterea annihilatio a corruptione in eo, quod non importet actionem positivam. Corruptio proprie non est sine actione positiva, per quam causa, quæ rem corrumpere vel destruere dicitur, agendo in illam ita alterat, et mutat, ut novam ei formam imprimat eductam de potentia materiæ atque incompossibilem cum priore, quæ proinde desinit jam conservari a Deo, et sic perit, atque eatenus res corrumpi dicitur, ejusque loco res nova generari ex eodem subjecto aut materia quæ prius forma modo corrupta informabatur. Verum in annihilatione res sic tota perit, ut nec quidquam de illa remaneat, nec alia in ejus locum subeat: quare non est actio positiva et realis, cum nulla sit realis actio sine termino vel effectu, sed tantum negatio actionis, et tantum in hoc sensu dicitur aliquando actio negativa. Contingit vero annihilatio ex mera cessatione actionis conservativæ totius alicujus rei subsistentis, quæ nimirum quoad

Alterum annihilationis a corruptione discrimen

totam suam entitatem desinit conservari. Quocirca annihilatio opponitur privative conservationi, cujus est privatio.

Ad complementum doctrinæ de divina rerum conservatione quæritur, utrum Deus possit annihilare res.

259. PROPOSITIO. **Deus absolute potest, et quidem solus, res in nihilum redigere, quamvis de facto nullam redigat.**

Deus potest de absoluta potentia res in nihilum redigere.

Prima pars: *Potest Deus de absoluta potentia res in nihilum redigere.* Sicut Deus libere res creavit *esse* communicando, ita libere conservat, idem illud *esse* jugiter influendo. Ergo potest Deus absolute cessare a conservatione rerum. Atqui eo ipso res in nihilum verterentur ex data modo annihilationis descriptione. Ergo...

Major certa est ex asserta in primo volumine divina libertate in cunctis operibus ad extra (1). Et ita profligati manent Joannes Wicleff et cæteri, quotquot blasphemarunt, omnia ex absoluta necessitate evenire, vel Deum necessario agere (2).

Probatio est tota S. Thomæ: *Quidam posuerunt, quod Deus res in esse produxit agendo de necessitate naturæ. Quod si esset verum, Deus non posset rem aliquam in nihilum redigere, sicut non potest a sua natura mutari. Sed, sicut supra est habitum* (quæst. 19, art. 4), *hæc positio est falsa et a fide catholica penitus aliena, quæ confitetur, Deum res libera voluntate produxisse in esse, secundum illud* (Psalmi 134): **Omnia quæcumque voluit Dominus fecit.** *Hoc igitur, quod Deus creaturæ esse communicat, ex Dei voluntate pendet: nec aliter res in esse conservat, nisi in quantum eis continue influit esse, ut dictum est* (art. 1, et 2 hujus quæst.). *Sicut ergo antequam res essent, potuit eis non communicare esse, et sic eas non facere; ita* **postquam jam factæ sunt, potest eis non influere esse, et sic esse desinerent**; *quod est eas in nihilum redigere* (3). Idemque fortasse ipsemet voluit propheta Hieremias, cum sic

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.ᵐᵘ, num. 168, pag. 318, seqq., et hoc ipsum volum. supra num. 140, pag. 484.

(2) Quos vide citatos *Theodic.* vol. 1.ª, num. 167, pag. 317.

(3) S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 3. Cfr. 1 part. quæst. 9, art. 2.

Dominum rogavit: *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio et non in furore tuo: ne forte* ad nihilum redigas me (1).

et quidem solus Deus id potest.

Secunda pars: *Solus Deus potest res in nihilum redigere*, facile demonstratur. Quia ab eo solum res possunt in nihilum redigi, a quo absolute dependent in *esse*. Atqui a solo Deo res dependent in *esse*: unde etiam demonstravimus res omnes a Deo conservari, ita ut omnes ab illo solo possint conservari, et etiamsi quævis alia causa quoquomodo concurrat ad rei alicujus conservationem, tamen nihil possit conservari sine actione Dei. Ergo sicut nihil potest fieri omnino, non interveniente concursu et actione Dei, sic etiam nihil potest annihilari, nisi cessante conservatione Dei, atque adeo a solo Deo. Idque vel ipsa experientia passim demonstrat; nam agentia corporea, quantacumque polleant virtute, nihil possunt penitus destruere, sed ita destruunt, ut aliquid de substantia priori remaneat sub illa forma vel statu, sicut etiam nihil penitus efficere valent nisi ex præsupposita materia. Agentia vero immaterialia, v. g. angelos, non præstantiore pollere virtute, constat ex communi Theologorum doctrina. Nec necesse est meminisse rationalem animam, cujus in statu separationis pene nullam esse activitatem ad extra colligitur ex scriptis in extremo volumine tertio *Psychologiæ*; in statu autem unionis nihil efficere potest nisi medio, quod informat, corpore.

de facto tamen nihil annihilat.

Tertia pars: *Deus de facto nihil in nihilum revocat*, traditur in primis in sacris Litteris: *Didici, quod omnia, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum* (2).

Probatur autem ratione a priori. Si quid Deus in nihilum redigeret, profecto redigeret vel agendo secundum naturalem conditionem rerum, vel præter naturalem conditionem, operando quasi miraculose. Atqui neutro modo Deus potest ordinata potentia quidpiam in nihilum redigere. Ergo....

Major constat. Minor probatur per partes. α) *Deus nihil in nihilum vertit, si velit operari secundum naturalem rerum conditionem.* Nam omnis substantia de se permanentiam aliquam importat vel capacitatem ad permanendum, si a Deo

(1) *Hierem.* cap. 10, vers. 24.
(2) *Eccles.* cap. 3, vers. 14.

conservetur. Ergo non est secundum naturam rei de se permanentis, ut si semel existat, privetur existentia. Idque declaratur amplius in hunc modum. Res quæ possunt in nihilum redigi, vel sunt substantiæ immateriales, vel materiales; jam enim initio monuimus terminum annihilationis, sicut et creationis, esse rem subsistentem. Atqui substantiæ immateriales, cum careant intrinseca potentia corruptionis, nec obnoxiæ sint actioni destructivæ illius causæ creatæ, de se important capacitatem perpetuo existendi, dummodo eas Deus velit conservare, quemadmodum fuse declaratum reliquimus, cum demonstraretur rationalis animæ incorruptibilitas atque immortalitas (1). Ergo si Deus vellet substantiam aliquam immaterialem in nihilum redigere, profecto non ageret secundum naturalem conditionem illius, quia nimirum rei non incapaci, sed capacissimæ ad existendum, negaret existentiam.

Verum nec substantias materiales potest Deus in nihilum revocare, agendo secundum earum naturam. Nam substantiæ materiales vel sunt composita corporea, vel etiam formæ dependentes a materia in essendo. Et hæ quidem postremæ, cum non sint subsistentes, proprie nequeunt dici annihilari. Ergo de compositis tantum nobis est loquendum. At composita catenus in nihilum redigerentur, quatenus totaliter perirent etiam quoad ipsum primum eorum substratum vel subjectum, materiam primam. Atqui materia prima de se permanens est seu capacissima existendi, nec ulla est in universa natura vis, præter divinam, quæ valeat illam destruere. Sane in irrequieto turbine actionum et reactionum mundanarum, causæ creatæ agendo in corpora, modificant quidem illa varie, sive substantialiter sive accidentaliter, sed materiam primam in se intactam penitus relinquunt, diversis duntaxat formis illam actuando. Ergo iterum si Deus velit substantiam corpoream annihilare, videlicet ipsam materiam primam destruendo, profecto non aget secundum naturalem capacitatem et conditionem. Quare si quid Deus in nihilum redigeret, ageret præter naturam sicut in miraculis.

(1) Vide *Psychol.* vol. 3.º, num. 215 et 216, pag. 630, 641 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3) *Deus nihil in nihilum vertit, etiam agendo præter naturalem rerum conditionem.* Namque Deus nunquam operatur præter naturalem conditionem, nisi ad ostensionem suæ gloriæ ac gratiæ, quemadmodum fit in omnibus miraculis. Atqui annihilare res non pertinet ad ostensionem gloriæ ac gratiæ Dei, cum sit negatio actionis, sed potius commendat potentiam et bonitatem Dei conservatio. Ergo nec potest, potentia ordinata, Deus in nihilum redigere res operando præter conditionem naturalem, ut in miraculis.

Tota hæc demonstratio S. Thomæ est: *Quæ a Deo fiunt circa creaturam, quædam proveniunt secundum naturalem cursum rerum; quædam vero miraculose operatur præter ordinem naturalem creaturis inditum, ut infra dicetur* (quæst. seq. art. 6). *Quæ autem facturus est Deus secundum ordinem naturalem rebus inditum, considerari possunt ex ipsis rerum naturis. Quæ vero miraculose fiunt, ordinantur ad gratiæ manifestationem, secundum illud Apostoli* (I. ad Cor. 12). Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem. *Et postmodum inter cætera subdit de miraculorum operatione. Creaturarum autem naturæ hoc demonstrant, ut nulla earum in nihilum redigatur: quia vel sunt immateriales, et sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales; et sic saltem remanent semper secundum materiam, quæ incorruptibilis est, utpote subjectum existens generationis et corruptionis. Redigere etiam aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifestationem, cum magis per hoc divina potentia et bonitas ostendatur, quod res in esse conservat. Unde simpliciter dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigetur* (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

360. Objic. 1.º Docente S. Augustino, *Deus non est causa tendendi in non esse* (2). Atqui esset, si quam creaturam redigeret in nihilum. Ergo Deus non potest aliquid in nihilum redigere (3).

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 4.

(2) S. August. in lib. *De sapienta trium quæstion.*, quæst. 21 in med.

(3) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 3, argum. 1.º

Respondeo, *dist.* Major. Per se ac positive, *conc.*, per accidens et negative, *nego*.

Et contradist. Minore, *nego* conseq. *Non esse*, inquit Angelicus, *non habet causam per se; quia nihil potest esse causa nisi in quantum est ens, eius autem per se loquendo, est causa essendi. Sic igitur Deus non potest esse causa tendendi in non esse; sed hoc habet creatura ex se ipsa, in quantum est de nihilo. Sed per accidens Deus potest esse causa, quod res in nihilum redigantur, substrahendo scilicet suam actionem a rebus* (1).

Objic. 2.º Deus est causa rerum, ut sint, per suam bonitatem, siquidem ex S. Augustino: *In quantum Deus bonus est, sumus*, (2). Sed Deus non potest non esse bonus. Ergo non potest facere, ut res non sint (3).

Respond., *dist.* Major. Deus per suam bonitatem est causa rerum necessario, *nego*; libere, *conc.* Et *concessa* Minore, *nego* conseq. Divina utique bonitas est causa rerum, ita tamen ut non necessario, sed liberrime illas producat, qui a sibi sufficientissimus est, nec ad suam bonitatem conservandam indiget creaturis. *Unde sicut potest sine præjudicio bonitatis suæ res non producere in esse, ita absque detrimento suæ bonitatis potest res in esse conservare* (4).

Objic. 3.º Finis respondet principio. Ergo sicut initio nihil fuit nisi solus Deus, ita in fine non debet esse nisi Deus solus: quare reliqua in nihilum redigentur (5).

Respondeo, *dist.* antec.: ubi est conveniens ratio, *trans.*; secus, *nego*, et *nego* conseq. *Quod enim res producit sunt, postquam non fuerunt, declarat potentiam producentis: sed quod in nihilum redigerentur, hujusmodi manifestationem impediret, cum Dei potentia in hoc maxime ostendatur, quod res in esse conservat, secundum illud Apostoli* (Hebr. 1). Portans **omnia verbo virtutis suæ** (6).

(1) S. Thom., ibid. ad 1.um

(2) S. August., *De doctrin. christ.*, lib. 1, cap. 32.

(3) Apud S. Thom., ibid., argum. 2.º

(4) S. Thom., ibid. ad 2.um Tertia objectio, quam ibi sibi proponit S. Thomas ex eo, quod annihilatio deberet esse per actionem, et tamen non possit esse, soluta manet ex dictis circa rationem annihilationis.

(5) Apud S. Thom. 1 p., quæst. 104, art. 4, argum. 1.º

(6) S. Thom. ibid. 4, ad 1.um

Objic. 4.º *Omnis* creatura habet potentiam finitam, quæ profecto nequit se extendere ad infinitum. Atqui potentia creaturæ se extenderet ad infinitum, si hoc semper duraret. Ergo tandem redigenda creaturæ est ad nihilum (1).

Respondeo, *dist.* primum membrum Majoris. Creatura habet potentiam finitam activam, *conc.*, passivam vel receptivam, *nego*.

Distinguo etiam alterum membrum Majoris: potentia finita nequit se extendere ad infinitum secundum effectus producti perfectionem, *conc.*; secundum durationem in *esse* aliunde recepto et conservato, *nego*.

Et *contradist.* Minore, *neg.* consequentiam. Egregie Aquinas: *Potentia creaturæ ad esse sui est receptiva tantum, sed potentia activa est ipsius Dei, a quo est influxus essendi. Unde quod res in infinitum durent, sequitur infinitatem divinæ virtutis. Determinatur tamen quibusdam rebus virtus ad manendum tempore determinato, in quantum impediri possunt ex aliquo contrario agente, ne percipiant influxum essendi, qui est ab eo, cui finita virtus non potest resistere tempore infinito, sed solum tempore determinato. Et ideo ea, quæ non habent contrarium, quamvis habeant finitam virtutem, perseverant in æternum* (2).

Objic. 5.º Formæ et accidentia non componuntur ex materia. Atqui interdum pereunt. Ergo pereunt omnino, quin quidpiam de illis remaneat, ac proinde annihilantur (3).

Respond., *dist.* Major. Formæ, si materiales sint, et accidentia non componuntur ex materia, nec dependent a materia, *nego*; non componuntur ex materia, sed tamen dependent ab ea, ideoque non subsistunt, *conc.*

Et *concessa* Minore, *dist.* primum consequens. Pereunt omnino, quin remaneat quidpiam de intrinseca illorum entitate, *conc.*; quin remaneat eorum subjectum, cujus illa erant, et dependenter a quo existentiam sortita fuerant, *nego*. Et *nego* alterum consequens (4). Sicut ergo eductio

(1) Apud S. Thom. ibid., argum. 2.º
(2) S. Thom. ibid., ad 2.um
(3) Apud S. Thom. ibid., argum. 3.º
(4) Cfr. S. Thom., ibid., ad 3.um

novæ formæ non est creatio, quia forma, quamvis tota fit de novo, tamen non fit nisi dependenter a materia et modificando illam (1); ita e converso interitus formæ hujusmodi vel accidentis, quamvis hoc quoad intrinsecam entitatem suam pereant, nequit dici annihilatio, quia remanet eorum subjectum vel materia.

DISPUTATIO SEPTIMA

DE CONCURSU DEI CUM CAUSIS SECUNDIS.

Quid concursus.

261. Nomine concursus hic intelligitur actio vel influxus Dei, cum causis secundis operantis. Et duplex potest esse, *physicus* et *moralis*: ille consistit in physico influxu vel juvamine, hic vero in morali, jussione nimirum, hortatione, minis, etc. Neque enim ille solum, qui cum alio physica actione operatur, sed ille etiam, qui alium confirmat in agendo per illa media, quæ in actum voluntatis influunt, cooperari cum ipso dicitur. Dividi etiam solet concursus in immediatum et mediatum. Immediatus est talis operatio, a qua proxime pendeat effectus; mediatus vero est talis operatio, a qua effectus non proxime, sed media alia posteriori actione dependet. Sic duo homines trabem trahentes immediatam cooperationem exercent, quia tractio illa ab utroque immediate procedit; miles autem explodens tormentum bellicum, mediate duntaxat concurrit ad evertenda mœnia. Et generatim causæ moraliter solum in effectum aliquem influentes, mediatam cooperationem obtinent; quandoquidem media moralia non aliter effectum causant, nisi quatenus prius et immediatius excitant in alio cognitionem aliquam, unde voluntas illius ad opus exercendum inclinetur. In hac vero materia ille sæpissime intelligitur nomine concursus mediati, qui in eo consistit, ut alter det alteri, aut conservet vires agendi.

et quinplex concursus physicus et moralis.

immediatus et mediatus.

Quid veniat in hac tractatione sæpe nomine concursus mediati.

Hisce in antecessum breviter declaratis, duo nobis in hac tractatione de concursu inquirenda proponimus, necessitatem

(1) Cfr. *Cosmolog.*, num. 159, pag. 612, *Objic.* 6.ª, et pag. 613 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 4.º *Omnis* creatura habet potentiam finitam, quæ profecto nequit se extendere ad infinitum. Atqui potentia creaturæ se extenderet ad infinitum, si hoc semper duraret. Ergo tandem redigenda creaturæ est ad nihilum (1).

Respondeo, *dist.* primum membrum Majoris. Creatura habet potentiam finitam activam, *conc.*, passivam vel receptivam, *nego*.

Distinguo etiam alterum membrum Majoris: potentia finita nequit se extendere ad infinitum secundum effectus producti perfectionem, *conc.*; secundum durationem in *esse* aliunde recepto et conservato, *nego*.

Et *contradist.* Minore, *neg.* consequentiam. Egregie Aquinas: *Potentia creaturæ ad esse sui est receptiva tantum, sed potentia activa est ipsius Dei, a quo est influxus essendi. Unde quod res in infinitum durent, sequitur infinitatem divinæ virtutis. Determinatur tamen quibusdam rebus virtus ad manendum tempore determinato, in quantum impediri possunt ex aliquo contrario agente, ne percipiant influxum essendi, qui est ab eo, cui finita virtus non potest resistere tempore infinito, sed solum tempore determinato. Et ideo ea, quæ non habent contrarium, quamvis habeant finitam virtutem, perseverant in æternum* (2).

Objic. 5.º Formæ et accidentia non componuntur ex materia. Atqui interdum pereunt. Ergo pereunt omnino, quin quidpiam de illis remaneat, ac proinde annihilantur (3).

Respond., *dist.* Major. Formæ, si materiales sint, et accidentia non componuntur ex materia, nec dependent a materia, *nego*; non componuntur ex materia, sed tamen dependent ab ea, ideoque non subsistunt, *conc.*

Et *concessa* Minore, *dist.* primum consequens. Pereunt omnino, quin remaneat quidpiam de intrinseca illorum entitate, *conc.*; quin remaneat eorum subjectum, cujus illa erant, et dependenter a quo existentiam sortita fuerant, *nego*. Et *nego* alterum consequens (4). Sicut ergo eductio

(1) Apud S. Thom. ibid., argum. 2.º
(2) S. Thom. ibid., ad 2.um
(3) Apud S. Thom. ibid., argum. 3.º
(4) Cfr. S. Thom., ibid., ad 3.um

novæ formæ non est creatio, quia forma, quamvis tota fit de novo, tamen non fit nisi dependenter a materia et modificando illam (1); ita e converso interitus formæ hujusmodi vel accidentis, quamvis hoc quoad intrinsecam entitatem suam pereant, nequit dici annihilatio, quia remanet eorum subjectum vel materia.

DISPUTATIO SEPTIMA

DE CONCURSU DEI CUM CAUSIS SECUNDIS.

Quid concursus.

261. Nomine concursus hic intelligitur actio vel influxus Dei, cum causis secundis operantis. Et duplex potest esse, *physicus* et *moralis*: ille consistit in physico influxu vel juvamine, hic vero in morali, jussione nimirum, hortatione, minis, etc. Neque enim ille solum, qui cum alio physica actione operatur, sed ille etiam, qui alium confirmat in agendo per illa media, quæ in actum voluntatis influunt, cooperari cum ipso dicitur. Dividi etiam solet concursus in immediatum et mediatum. Immediatus est talis operatio, a qua proxime pendeat effectus; mediatus vero est talis operatio, a qua effectus non proxime, sed media alia posteriori actione dependet. Sic duo homines trabem trahentes immediatam cooperationem exercent, quia tractio illa ab utroque immediate procedit; miles autem explodens tormentum bellicum, mediate duntaxat concurrit ad evertenda mœnia. Et generatim causæ moraliter solum in effectum aliquem influentes, mediatam cooperationem obtinent; quandoquidem media moralia non aliter effectum causant, nisi quatenus prius et immediatius excitant in alio cognitionem aliquam, unde voluntas illius ad opus exercendum inclinetur. In hac vero materia ille sæpissime intelligitur nomine concursus mediati, qui in eo consistit, ut alter det alteri, aut conservet vires agendi.

et quinplex concursus physicus et moralis.

immediatus et mediatus.

Quid veniat in hac tractatione sæpe nomine concursus mediati.

Hisce in antecessum breviter declaratis, duo nobis in hac tractatione de concursu inquirenda proponimus, necessitatem

(1) Cfr. *Cosmolog.*, num. 159, pag. 612, *Objic.* 6.ª, et pag. 613 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus et naturam modumque. Scilicet, quoniam ostensum alibi est (1), non Deum solum omnia efficere, sed entia quoque creata effectuum, qui vulgo eisdem tribuuntur, veras esse causas, non autem meras occasiones; quærimus nunc primum, utrum causæ creatæ quidpiam solæ operari valeant, an vero in omnibus operibus suis divino egeant influxu atque adminiculo, quo nativa illarum infirmitas defectusque adjuvetur. Deinde concursus istius naturam et indolem, quantum assequi pro modulo nostro poterimus, exponere conabimur.

De quo ex agendum

CAPUT I

NECESSITAS CONCURSUS DIVINI.

Qualisnam concursus necessitas vindicanda.

Cum de necessitate divini concursus quæstio moveatur, non venit in controversiam concursus moralis nec mediatus, sed physicus duntaxat et immediatus. Concursus enim moralis, qualem nuper descripsimus, nec sunt capaces causæ vita sensuque destitutæ, nec ipsa etiam agentia rationalia indigent in omnibus suis operationibus, quemadmodum cuique perennis experientia testatur. Concursum etiam mediatum negare nemo potest, nisi pariter Deum, rerum omnium, ac proinde omnis virtutis et potentiæ activæ, primum auctorem conservatoremque, per summam impietatem atque insipientiam neget. Itaque de solo physico et immediato concursu quæstio agitabitur.

ARTICULUS I

Utrum Deus physice et immediate concurrat ad omnes prorsus actiones causarum secundarum.

Quinam negent veritatem concursus immediati.

262. Negavit Durandus (2) aliique ab Alberto M. et Henrico relati (3) necesse esse, ut Deus ad omnes operationes causarum secundarum immediate concurrat, sed sufficere, si tantum iisdem conferat concursum mediatum, dando singulis et conservando virtutes activas naturæ cujusque consentaneas; iis enim instructæ satis fœcundæ reputari debent ut, si adsint omnia prærequisita, possint agere, ac porro agant, quin opus habeant ullius novi influxus et juvaminis ex parte Dei. Quæ sententia valde affinis est illi, quam jam pridem commemoraverat S. Augustinus his verbis: *Sunt qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem ipsum nihil operari* (1). Doctrinam tamen hanc Durandianam temerariam erroneam, minusque tutam in fide, vel etiam hæreticam censuere gravissimi Doctores (2), et contra eamdem stat communis catholicorum omnium sententia.

Necessitatem.

Censura Durandianæ doctrinæ.

263. PROPOSITIO. **Deus causis omnibus secundis immediatum præbet concursum, ita ut illæ sine hujusmodi influxu, nihil prorsus efficere valeant** (3).

Deus causis omnibus secundis immediatum præbere debet concursum, ut illæ ponant quidpiam efficere.

Solet propositio hæc a Theologis auctoritate sacrarum Litterarum Patrumque testimoniis validissime confirmari. Nobis unius Augustini verba recitasse sufficiat, qui postquam sententiam, nihil Deum operari, sed omnia fieri ab ipso mundo, opinantium retulisset: *Contra quos*, inquit, *protertut illa sententia Domini*: **Pater meus usque nunc operatur**. *Et ne quisquam putaret apud se ipsum aliquid operari non in hoc mundo*: **Pater in me manens**, *inquit*, **facit**

(1) Vide *Ontolog.* num. 393, pag. 1132, seqq.

(2) 2.º *Sent.* dist. 1, quæst. 5.

(3) Apud Suarez (*Metaphys.* disp. 22, sect. 1, num. 2), Anton. Rubium (*Physicor.* lib. 2, tract. 4, quæst. 7), Conimbric. (*Physicor.* lib. 2, in cap. 7, quæst. 12).

(1) S. August., *de Genes. ad litt.* lib. 5, cap. 20.

(2) Albert. M. (2.ª dist. 15, art. 7.º), S. Thom (2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 2), Capreolus (4.ª dist. 12, quæst. 1, art. 3.º), Sotus (lib. 2, *Physicor.*, quæst. 4, concl. 1), Suarez (*Metaphys.* disp. 22, sect. 1, num. 7, et opusc. *de concursu Dei cum volunt.* lib. 1, cap. 4, num. 2), Molina (In 1.ª part. quæst. 14, art. 13, disp. 5), Rubius (loc. cit. *Physicor.* lib. 2, tract. 4q. 3.ª), Benedict. Pereira (*De communibus omnium rerum natural.* etc., lib. 8, cap. 8), Conimbric. (lib. 2, *Physicor.* cap. 7, quæst. 12, art. 2), Petrus Fonseca (*Metaph.* lib. 5, cap. 2, quæst. 6, sect. 2), Gregor. de Valentia (Commentar. Theolog. tom. 1, disp. 3, quæst. 1, punct. 1).

(3) Videri potest hac de re S. Thomas, 2.ª, dist. 1, quæst. 1, art. 4; 1 p., quæst. 105, art. 5; 1.ª 2.æ, quæst. 109, art. 1; quæst. 3 *de potent.* art. 7; 3.ª lib. *Contr. Gent.* cap. 67, et alibi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

opera sua: et sicut Pater suscitat mortuos, et vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat. *Deinde quia non solum magna atque præcipua, verum etiam terrena et extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus:* **Stulte, tu, quod seminas, non vivificatur, nisi moriatur; et quid seminas?** *Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum fere tritici, aut alicujus cæterorum. Deus autem dat illi corpus, quomodo voluerit, et unicuique seminum proprium corpus. Sic ergo credamus, vel, si possumus, intelligamus, usque nunc operari Deum* (1). Verum quia hæc ad Theologos spectant veniamus ad rationes philosophicas.

Prob. 1.° Omnis effectus creatus immediate pendet a Deo *in esse* et conservari. Ergo etiam in *fieri* seu in sua possitiva productione. Atqui in tantum effectus omnis immediate pendet a Deo *in fieri*, in quantum fit a Deo, seu in quantum Deus immediate concurrit ad actionem causæ, a qua ille producitur. Ergo...

Antecedens probatum jam est in præcedenti disputatione, cum demonstraretur res omnes a Deo *in esse* conservari.

Probatur primum consequens, nam reliqua patent. 2) Quia ens creatum non est minus ens per participationem in suo *fieri*, quam in sui conservatione, quælibet enim res, sicut se habet ad *esse*, ita se habet ad *fieri*. Atqui ideo res omnis eget immediata Dei conservatione, quia est ens per participationem. Ergo etiam omnis res eget actione Dei, ut fiat (2).

3) Deinde nulla est ratio, cur res aliqua immediate pendeat in *esse* ab illo, a quo facta non est, cum facilius videatur esse existentiam semel receptam retinere, quam eam primo accipere. Itaque si res aliqua posset sine immediato influxu causæ primæ existentiam sortiri, cur non eamdem

(1) S. August., *de Genes. ad litt.* lib. 5, cap. 20. Vide etiam epist. 205 (al. 106) ad Consentium, cap. 3. Cfr. alia loca Scripturæ S. Augustini aliorumque Patrum apud Suarez (*Metaphys.* disp. 22, sec. 1, num. 7, et opuscul. *de concursu*, lib. 1, cap. 4, num. 2). Fonseca et Conimbricenses et Valentia (loc. cit.), P. Georg. Rhodes (*Philos. Perip.*, lib. 2, disp. 2, quæst. 4, sect. 1, paragraph. 1).

(2) Vide Rhodes, loc. cit., *Secunda ratio.*

conservaret, per solam immediatam efficientiam causarum secundarum?

γ) Si omnis entitas creata, utcumque perfecta et substantialis, immediate et essentialiter pendet a Deo, a fortiori entitas illa imperfectissima, quæ est actio creaturæ, pendebit a Deo in suo *esse*; quod perinde est, ac dicere effectum omnis causæ creatæ immediate produci a Deo, *esse* enim actionis idem est, ac *fieri* effectus.

Aliis vocibus: Omne ens participatum pendet a Deo immediate in suo *esse*. Atqui quævis actio creaturæ est ens quoddam participatum, imperfectissimum quidem et modale. Ergo nulla esse potest actio creaturæ, quæ non pendeat, seu procedat ex immediato influxu causæ primæ (1).

Prob. 2.° Ad perfectionem Dei spectat, ut summum habeat dominium in res omnes creatas, et hæ summe ab ipso dependeant. Atqui dominium Dei longe perfectius est, dependentia etiam causarum secundarum major procul dubio existit, si nihil hæ agere possint, quin simul Deus ipse cooperetur immediato suo concursu. Tum enim causæ creatæ pendent a Deo non solum in essendo et habendo virtutem operandi, sed etiam in agendo et in ipsa actuali operatione. Itemque ex parte ipsorum effectuum subjectio ac dependentia major est, si non solum mediis causis creatis, sed immediate etiam a Deo pendeant. Cum ergo aliunde divina hujusmodi cooperatio nullam imperfectionem involvat, asserenda Deo omnino est (2).

Dices forte, dominium Dei æquale fore, si creaturæ penderent in agendo a Dei permissione, tamquam a conditione, quamvis non penderent a Deo physice cooperante. **Respondeo**, *negando*, tum quia secus simili modo possent dici res in conservari dependere a Deo solum permissive, quod falsum esse constat ex aliis dictis; tum quia magis est dependere a

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 1, num. 8, Molina, In 1am p., quæst. 14, art. 13, disp. 5, et in *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis* etc. quæst. 14, art. 13, disp. 25.

(2) Cfr. Suarez (loc. cit. num. 14), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 2, quæst. 4, sect. 1, paragr. 1), Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 1, num. 2).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Deo cooperante, quam a permittente, et tamquam a causa, quam tamquam a conditione (1).

Prob. 3.ª Ad perfectum Dei dominium pertinet etiam posse quaslibet operationes creatarum causarum et effectus earumdem impedire, quin causas ipsas earumve virtutes destruat, vel illarum actioni contrariam actionem opponat. Nam nisi id concedatur, nihil Deo in hac parte tribuitur, quod causis ipsis creatis non conveniat, siquidem entia quoque creata possunt aliarum causarum actus et effectus impedire, causas ipsas destruendo, aut contrarias actiones objiciendo. Atqui Deus id aliter præstare nequit, nisi quatenus retrahere potest influxum et cooperationem suam, quæ prorsus necessaria sit ad hoc, ut causa aliqua creata vel minimam exerceat actionem. Et sic Deus censetur actionem ignis impedivisse in fornace Babylonica, ne combureret sanctos pueros, aliaque similia patrasse miracula. Neque enim suppetit indicium ullum fingendi ibi actionem aliquam contrariam igni, aut qualitatem ei amissam corporibus illorum, ne combustioni forent obnoxia.

Immo sunt actiones, quas certe Deus impedire potest, quin destruat earumdem causas, nec possibile est, ut impediat objiciendo contrariam actionem, quia contrarium non habent. Enim vero quis neget Deum posse facere, ut sol non illuminet, vel ut angelus non intelligat, etiamsi adsint omnia prærequisita, quin hasce causas ad nihilum redigat? Atqui nec illuminatio solis nec intellectio contrarium habent. Ergo reliquum est, ut dicamus has aliasque actiones, stantibus causis, Deum non posse impedire, nisi substrahendo concursum suum, ac proinde hic omnino necessarius est, ut agere causæ creatæ possint (2).

Prob. 4.ª Quidquid magis commendat divinam perfectionem, asserendum Deo est, si nullam contineat imperfectionem. At concursus immediatus cum omnibus causis secundis perfectionem præ se fert, quæ inesse et exerceri potest

(1) Vide Rhodes, lib. 2, disp. 2, quæst. 4, sect. 1, paragr. 1, post 1.am ration. natural.

(2) Vide Suarez (loc. cit. num. 12), Molina, Conimbr. et Rhodes (locis citatis), et Lossada ibid. num. 3).

absque ulla imperfectione, quemadmodum patebit amplius ex solutione difficultatum.

Fatendum ergo est Deum causis omnibus creatis præstare non modo concursum mediatum, conferendo singulis, et conservando perfectionem ac virtutem consentaneam, qua causare possint, sed etiam immediatum, per se ipsum efficiendo, quidquid illæ actu causant, ita ut effectus non minus proxime et immediate pendeant, ac procedant ab ipso Deo, quam a propriis causis secundis.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

264. **Objic. 1.ª** Si Deus operaretur immediate cum causis secundis ad earum effectus, v. g. cum igne ad calefaciendum, vel operaretur eadem actione vel diversa. Atqui neutrum dici potest. Et probatur per partes.

α) *Non eadem.* Primo, quia frustra adhibetur concursus alterius causæ immediate operantis ad actionem, quæ non superat virtutem illius. Atqui actio ignis non excedit virtutem specificam ejusdem. Secundo, quia quamvis actio una possit fluere ab uno immediate et ab alio mediate, nequit tamen a duobus causis immediate procedere, nisi aut una numero sit earum virtus, quo modo Pater et Filius in divinis per eamdem communem virtutem spirant Spiritum Sanctum, aut a neutra procedat perfecte, sed tantum a singulis imperfecte ac partialiter, ut cum duo trahunt eadem actione navim. Jam vero neque est una virtus Dei et creaturæ simul operantium, neque dici potest Deus solum imperfecte ac partialiter operari. Ergo....

β) *Neque etiam diversa actione*, quia aut hæc diversa actio unum eumdemque terminum haberet, aut diversum, ita ut actio Dei faceret partem effectus, et actio creaturæ alteram partem. Si primum dicatur, quoniam actiones identificantur cum suis terminis, impossibile est, ubi unus communis est effectus, diversas esse actiones. Sin alterum, pars illa effectus correspondens actioni creaturæ ab hac sola procedit immediate, non autem a Deo, ac proinde verum non est causam

primam immediate concurrere ad omnes actiones causarum secundarum. Ita fere Durandus (1).

Respond., *conc.* Maj., et eligo primum membrum; ex dicendis in articulo sequenti. Tum *neg.* primum membrum Minoris.

Ad cujus primam probationem *dist.* Maj.: frustra adhibetur concursus alterius causæ ejusdem ordinis ad actionem, quæ non superat virtutem illius, *trans.*; concursus alterius causæ diversi ordinis, *nego.*

Contradist. Minor. Actio ignis non superat virtutem specificam ignis in ordine et genere suo, quia nimirum ignis non eget juvamine alterius causæ secundæ ad comburendum, modo habeat expeditam suam vim combustivam, *conc.*; absolute, quatenus nec egeat ad actu comburendum concursu causæ altioris, *nego.* Agere enim nullo alio cooperante proprium est solius Dei, reliquæ vero causæ, sicut non habent *esse* nisi ex influentia divina, ita nequeunt operari nisi dependenter ab eadem (2).

Ad secundam probationem *dist.* Major: nequit eadem actio procedere immediate a duabus causis, si sint ejusdem ordinis *trans.*: si sint diversi ordinis, *neg. Una actio*, inquit Angelicus, *non procedit a duobus agentibus unius ordinis; sed nihil prohibet, quin una et eadem actio procedant a primo et secundo agente* (3). Et exemplum habes in causa principali et instrumentali.

Objic. 2.º Ordo agentium correspondet ordini finium. Sed unius rei non possunt esse duo fines inmediati et perfecti. Ergo nec duo agentia, nisi forte supplerent vicem unius agentis modo, quo dictum est de trahentibus navem; quia consimiliter possent esse duo immediati fines. Ita idem Durandus (4).

Respondeo, *dist.* conseq. Ergo nec duo agentia, si sint invicem subordinata, *neg.*: si non sint, *conc.* Jam enim mox dicemus causas secundas esse perfectissime subordinatas,

(1) 2.º dist. 1, quæst. 5. Cfr. apud S. Thom. *de potent.* quæst. 3, art. 7.

(2) Cfr. S. Thom., *de potent.* quæst. 3, art. 7, ad 1.um

(3) 1 p., quæst. 105, art. 5, ad 2.dum

(4) Loco nuper citato.

eamque primam rationem afferemus, cur creaturæ respectu Dei quodammodo instrumenta vocari valeant. Unde sicut non repugnat plures dari ejusdem rei fines invicem subordinatos, ita nec plura esse agentia immediata.

Objic. 3.º «Quandocumque Deus aliquam naturam instituit, ex hoc ipso dat ei omnia illa, quæ sunt de ratione illius naturæ; sicut ex hoc ipso quod fecit hominem, dat ei animam rationalem. Sed de ratione virtutis est ut, sit principium agendi. Ergo ex hoc ipso quod virtutes naturales rebus indidit, dedit eis, quod operationes naturales perficerent. Non ergo oportet, quod ulterius in rebus naturalibus operetur (1).

Respondeo, *disting.* Minor. De ratione virtutis est, ut sit principium agendi in modo et ordine suo, *conc.*; aliter, *nego.* Modus autem agendi virtutis creatæ, ob essentialem indigentiam suam, est, ut compleri prius debeat per influxum divinum, sicut proprium virtutis instrumentalis est, ut prodire in actionem nequeat sine juvamine superioris virtutis. Etenim *sicut... securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis esset in ea quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad esse ut instrumentum primæ causæ, nisi daretur ei, quod esset universale essendi principium* (2).

Instabis. Causæ secundæ habere dicendæ sunt virtutem sufficientem, ut ipsæ solæ suos effectus producant. Nam virtus proportionatur perfectioni causæ. Atqui causa creata sæpe est æqualis aut etiam superior effectu in perfectione. Ergo.—**Respondeo**, *neg.* asseri. **Ad probation.** *dist.* Major. Ita tamen ut omnis virtus creata essentialiter subordinata sit ac dependens in agendo a prima, *conc.*; secus, *nego.*

Et *concessa* Minori, *neg.* conseq. Adde, quod non semper causa habeat virtutem faciendi effectus æque perfectos aut minus perfectos, quam ipsa sit, ut patet in angelo, qui non potest producere alium angelum, nec etiam muscam. Quin etiam illæ ipsæ causæ, quæ virtute proportionata præditæ

(1) Apud S. Thom., *de potent.*, quæst. 3, art. 7, argum. 5.º; et 1 p., qnæst. 105, arg. 3.º

(2) S. Thom., *de potent.* quæst. 3, art. 7, ad 5.um

sunt ad effectus specifice similes producendos, sæpissime non habent adæquatam virtutem nisi ab alio adjuventur, ut patet generatim in viventibus, in quibus generatio non accidit nisi concurrentibus principiis duplicis sexus.

Objic. 4.° Quod potest fieri sufficienter per unum, superfluum est, quod per multa fiat.... Cum igitur virtus divina sufficiens sit ad producendos effectus naturales, superfluum est adhibere ad eosdem effectus producendos, etiam naturales virtutes. Vel si virtus naturalis sufficienter proprium effectum producit, superfluum est, quod divina ad eumdem effectum agat (1).

Respondeo. Licet *res naturalis producat proprium effectum, non est superfluum, quod Deus illum producat, quia res naturalis non producit ipsum nisi in virtute divina. Neque est superfluum, si Deus per se ipsum potest omnes effectus naturales producere, quod per quasdam alias causas producantur. Non enim hoc est ex insufficientia divinæ virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causæ essent. His enim duobus modis creaturæ communiter omnes divinam similitudinem consequuntur, ut supra* (cap. 21) *ostensum est. Per hoc etiam decet ordinis in rebus creatis apparet* (2).

Instabis 1.° Atqui si creaturæ divinam similitudinem participant tum in eo quod sunt actu, tum in eo quod actu agunt, videtur dicendum esse, quod agere possint seorsim a Deo.—**Respondeo,** *neg.* Nam quamvis *creatura habet aliquam Dei similitudinem participando bonitatem ipsius, in quantum est, et agit; non tamen ita quod per similitudinis perfectionem ad æqualitatem perveniat. Et ideo sicut imperfectum indiget perfecto, ita virtus naturæ in agendo indiget operatione divina* (3).

Instabis 2.° Si Deus operatur cum causis secundis, sufficienter operatur, (Dei enim perfecta sunt opera). Ergo supervacanea est actio creaturarum, si Deus ipse immediate

(1) Apud S. Thom., 3.ª *Contr. Gent.* cap. 70, *Item*...
(2) S. Thom., lib. 3.º *Contr. Gent.* cap. 70.
(3) S. Thom., de *potent.* quæst. 3, art. 7 ad 19.um

operatur (1).—**Respondeo.** *Deus perfecte operatur ut causa prima: requiritur tamen operatio naturæ ut causæ secundæ. Posset tamen Deus effectum naturæ sine natura facere; vult tamen facere mediante natura, ut servetur ordo in rebus* (2).

Objic. 5.° Passim dicitur Deus agere mediis causis secundis. At concursus immediatus excludit medias alias causas operantes. Ergo.....

Respond. *dist.* Major.: ad indicandum, quod Deus non agat solus, sed causæ quoque secundæ simul cum eodem operentur, *conc.*; ad indicandum, quod Deus per se ipsum non operetur, *nego.*

Contradist. Minor: concursus immediatus intellectus pro operatione, quam solus Deus efficiat; *conc.*: intellectus pro operatione, quæ a Deo immediate pendeat, quamvis simul etiam immediate procedat e causa secunda, *nego*; et *neg.* conseq.

Instabis. Agens quod operatur per instrumentum, non operatur immediate, sed mediate. Atqui Deus agit per causas secundas tamquam per instrumenta, ut mox dicetur. Ergo...

Respond. *dist.* antec.: agens creatum, quod operatur per instrumentum proprie dictum, *trans.*; agens increatum, quod ratione suæ immensitatis ubique præsentissimum est, *nego.*

Minorem etiam *disting.*: Deus agit per causas secundas tamquam per instrumenta proprie dicta, *nego*; impropria ac latius dicta, *conc.*

Objic. 6.° Ad perfectionem et liberalitatem Dei videtur pertinere, quod possit creare causam secundam, quæ virtute simul divinitus accepta, non egeat novo alio juvamine atque influentia ad agendum. Sicut valde commendat peritiam artificis, quod machinam fabricet, quæ sine immediato ipsius concursu moveatur.

Respond. *neg.* assert. Etenim repugnat, «quod creatura sit potens ad agendum independenter a Creatore, tum ex parte ipsius causæ creatæ, quæ necessario habet vim commensuratam et proportionatam suo esse; tum ex parte effectus vel actionis ab illa manantis, nam cum illa sint entia

(1) Apud S. Thom. *de potent.* quæst. 3, art. 7, argum. 16.º
(2) S. Thom. loc. super cit., ad 16.um

per participationem, essentialiter pendent a primo ente. Quapropter sicut non spectat ad divinam potentiam producere ens a se independens in *esse*, ita nec producere agens in se independens in agendo. Immo utrumque æque repugnat divinæ perfectioni Creatoris, et imperfectioni creaturæ, ut satis declaratum est» (1).

Objic. 7.º «Ea quæ sunt omnino disparata, possunt ab invicem separari. Sed actio Dei et actio naturæ sunt omnino disparatæ, cum Deus agat per voluntatem, natura vero per necessitatem. Ergo actio Dei potest separari ab actione naturæ, et ita non oportet, quod Deus in natura agente operetur» (2).

Respondeo. *Licet natura et voluntas sint secundum esse disparata, tamen in agendo habent aliquem ordinem. Nam sicut actio naturæ præcedit actionem voluntatis nostræ, ratione cujus in operibus artis, quæ a voluntate sunt, naturæ operatione indigel; ita voluntas Dei, quæ est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ, unde et ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur* (3).

Objic. 8.º Si nihil facere possunt causæ secundæ, nisi concurrente Deo, tunc ad quemlibet effectum requireretur virtus infinita. Id autem falsum videtur, quia secus nullius effectus productio esset majoris difficultatis, quam alterius (4).

Respondeo, *dist.* Major. in causa prima, *conc.*; in secunda, *nego*. Tum *contradistinguo*. Minor., et *nego* hujus probationem, quia facilitas et difficultas effectus alicujus producendi desumitur ex ordine ad causas secundas (5).

Objic. 9.º Si Deus concurreret ad actiones causarum secundarum, deberet pariter concurrere cum causa materiali et formali ad earum causalitatem, eadem quippe est ratio pro cujuslibet causalitate. Atqui repugnat Deum ad causalitatem causæ materialis ac formalis concurrere; nam secus

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. num. 16. Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 1, num. 6; Rhodes, loc. cit. sect. 1, paragr. 2.
(2) Apud S. Thom., *de potent.*, quæst. 3, art. 7, argum. 9.º
(3) S. Thom., ibid., ad 9.um
(4) Apud Capreol., 2.º dist. 1, q. 2, art. 2 fin.
(5) Cfr. Capreol. ibid., art. 3 fin.

diceretur Deus materialiter ac formaliter causare, id quod est absurdum. Ergo...

Respondeo, *dist.* Major. Deus concurreret cum causa materiali et formali in eodem genere causalitatis, *neg.*; in diverso, nimirum efficienter, *conc.*

Et simili modo *disting.* rationem superadditam; tum *contradistincta* Minori, *nego* conseq. Deus enim in genere causæ efficientis immediate concurrit cum omnibus causis ad causalitates earum. «Quo sensu non solum efficientes causæ secundæ, sed etiam materialis et formalis, subordinantur Deo et ab eo pendent, non tantum in essendo, sed etiam in causando. Quod nihil aliud est, quam quod cum materiali causa Deus non tantum concurrit conservando materiam, sed etiam efficiendo ipsam causalitatem materiæ, dando effective illud *esse*, quod materia dat materialiter. Et idem est proportionaliter de forma, immo et de fine, quatenus ejus causalitas aliquid reale esse potest. Et ratio per se constat ex dictis, quia quidquid reale est, necesse est esse immediate ex efficientia Dei. Quo sensu recte intelligi potest de omni causa secunda, quod dicitur in libro *de Causis* in principio: «*Causa prima adjuvat secundam super operationem suam*» (1).

Ratio vero, cur Deus causalitates has exercere non potest in genere causæ materialis et formalis, sed solum efficienter, est, quia causalitates harum causarum propriæ important essentialiter imperfectionem, nempe mutuam unionem et physicam compositionem ad unum compositum constituendum. Unde Deus, si materialiter ac formaliter causaret, sicut causat efficienter; quemadmodum dicitur efficere res, diceretur etiam materia esse et forma compositi, vel uniri cum materia et forma ad constituendum compositum. Id quod horridum et blasphemum est. Deus enim *unit* quidem, seu *efficit* unionem, sed non *unitur*, nec recipit in se formam, nec informat materiam (2).

(1) Suarez (*Metaphys.* disp. 22, sect. 1, num. 25. Vide quæ sequuntur num. 27 seqq.) Cfr. etiam Joannes a S. Thoma (loc. cit., quæst. 25, art. 1, *Ad id vero, quod dicitur de causalitate materiali*).
(2) Vide Suarez, loc. cit., quem sequitur Joannes a S. Thoma.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 10.° Deus dicitur hominem *reliquisse in manu consilii sui* (1). Atqui id intelligi nequit, si Deus concurriere debeat ad omnes actus nostros. Homo enim est in manu consilii sui ratione libertatis ac dominii, quod habet actuum suorum. Atqui non sumus domini concursus et operationis divinæ. Ergo si sine hac impossibile est nobis operari, ea vero posita, immo et ab æterno efficaciter decreta, etiam creatura operetur necesse est, actum est de hominis libertate (2).

Respond. *conc.* Major., *neg.* Minor. **Ad probation.** *conc.* Major., *dist.* Minor.; ita ut non pendeat ex nobis, quod Deus decernat concurrere ad nostras operationes, *conc.*; ita ut non pendeat ex nobis vel respuere concursum, quem Deus paratus est exhibere, vel etiam sistere illum jam concessum retinendo operationem pro arbitrio nostro, *neg.* Et *neg.* conseq.

Difficultas hæc tangit multa, quæ fusius mox evolvenda sunt. Nunc sufficiat hæc tantum notasse: α) Homo non est liber ac dominus sui actus in eo sensu, ut penes ipsum stet *absolute loquendo*, habere generalem concursum Dei pro solo suo arbitrio. Est enim Deus liber in concurrendo in singulis casibus, sicut in omnibus operibus ad extra. Quod si de facto concurrit promptissime, quotiescumque libuerit homini operari, id est, quia gens humana constituit humana natura, et Deus ita ab æterno libere decrevit, ut satisfaceret naturali ipsius exigentiæ. β) Nihilominus homo liber est ac dominus sui actus, tum quia in promptu adest sibi ex æterno decreto Dei, quoties vult operari, concursus præparatus, sine quo non posset operari; tum quia cum actu datur hic concursus eandem operationem eliciens cum homine, ita attemperatur hujus arbitrio, ut in manu ejus sit vel diutius habere illum pergendo in operatione, vel etiam cohibere cessando ab operatione, sicut in manu ejus fuit initio operationis illum accipere (3). Verum hæc inferiu probabuntur.

(1) Cfr. apud S. Thom., *de potent.* quæst. 3, arg. 12.°, 13.° et 14.°; et 1 p. quæst. 105, art. 4, argum. 3.°

(2) *Eccle* cap. 15, vers. 14.

(3) Cfr. S. Thom., *de potent.*, quæst. 3, art. 7, ad 12.um, 13.um 14.um Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 10, seqq.

Objic. 11.° Si Deus concurrit immediate ad omnes operationes, etiam peccaminosas ipse nobiscum efficiet. Atqui id prorsus repugnat sanctitati divinæ. Ergo ....

Respond. *dist.* Major. Deus efficit actus malos sumptos materialiter, seu efficit totam physicam entitatem peccati, *conc.*; formaliter sumptos, seu causat ipsam formalem malitiam ac deordinationem peccati, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq. Et ratio est, quia concurrit ad actum peccati voluntate tantum permissiva, non autem approbativa existentiæ illius, quia detestatur illud, ab eoque graviter deterret minis ac suppliciis intentis, ita tamen ut non teneatur illud impedire, sed possit permittere tanquam Provisor universalis, ad quem spectat causis omnibus secundis necessaria suppeditare ad agendum juxta conditionem uniuscujusque. Unde nequit Deus dici auctor peccati.

Sed plura de his alibi (1).

ARTICULUS II

Quomodo comparetur in concursu divino actio Dei et actio creaturæ.

265. Demonstrata veritate divini concursus, operæ pretium est, ut ex penitiori consideratione rei quædam derivemus corollaria, quæ naturam et conditionem istius concursus illustrent, quin tamen adhuc ingrediamur salebrosas et obscuriores de hac materia controversias. Oportet enim prius obvia et communiora inter Doctores, atque adeo certiora, præmittere ac rite intelligere, ut mox ad dubia et controversa tutius gradus fiat.

PROPOSITIO 1.ª **In actione et effectu creaturæ nihil est, quod non sit totaliter a Deo immediate: unde actio causæ creatæ eadem numero indivisibiliter procedit a concursu Dei.**

(1) Vide interea S. Thom. 1.ª 2.æ, quæst. 79, art. 1 et 2; *de malo* quæst. 3, art. 1 et 2. Cfr. Suarez, loc. cit.

In actione et effectu creaturæ nihil est, quod non sit totaliter a Deo immediate.

Prima pars: *In actione et effectu creaturæ nihil est, quod non sit totaliter a Deo immediate*, per se patet. Quia si quid assignari posset in actione et effectu creaturæ, quod non procederet totaliter ab influxu divino, illud produceretur a causa creata cum solo concursu mediato Dei, nec aliter in Deum refundi posset, nisi quia fieret per virtutem acceptam et conservatam ab illo. Et sic incideretur in sententiam Durandi hactenus profligatam.

Unde actio causæ creatæ eadem numero indivisibiliter procedit a concursu Dei.

Altera pars: *Actio causæ creatæ eadem numero indivisibiliter procedit a concursu Dei*, sequitur ex prima. Nam nisi eadem numero actio creaturæ indivisibiliter esset ab immediato concursu Dei, actio illa diversa et creaturæ solius propria non procederet immediate a Deo.

Dicendum ergo omnino est activitati et influxui creaturæ nihil respondere in rerum natura, quod non procedat a Deo, immediate, ac per se ipsum influente et cooperante, seu actionem creaturæ totam esse immediate a Deo. Fere sicut eadem numero est actio causæ instrumentalis et principalis, quin possit assignari ulla pars actionis, quæ peragatur a sola causa instrumentali sine influxu principalis. Similiter actio creaturæ fluit et a virtute propria ipsius et a virtute causæ primæ, ac proinde actio creaturæ una eademque est cum divina.

Hæc est sententia S. Thomæ; *Patet*, inquit, *quod non sic idem effectus causæ naturali et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus* (1). Et alibi: *In operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura; sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis*, etc. (2). Atque ita etiam expresse loquuntur nostri

(1) S. Thom., lib. 2.º *Contr. Gent.* cap. 70, fine.

(2) *De potent.* quæst. 3, art. 7 ad 3.um Cfr. 1 p. quæst. 105, art. 5, ad 2.um; ex quibus locis explicandus est alter, qui videtur contrarius in opusc. 1, *Contra errores Græcorum*, cap. 23.

AA. communiter (1) et Capreolus (2). Joannes a S. Thoma (3) aliique.

Diversus modus loquendi et scribendum in hac materia.

Notare tamen diligenter debes, quamquam doctrina hæc quoad rem ipsam communissima sit; non leves controversias contentionesque exstitisse inter veteres auctores sub hisce terminis, an una eademque sit actio causæ secundæ ac primæ cum illa concurrentis. Diversitas vero opinionum fere pendet ex modo loquendi vel ex statu quæstionis. Etenim multi existimant nullam Dei actionem esse formaliter transeuntem, sed actionem divinam consistere formaliter in voluntate Dei, actionem vero, quæ transit in externam materiam, licet respectu causarum secundarum sit vera actio, respectu tamen Dei non habere rationem actionis, sed effectus. Unde consequenter negant actionem creaturæ ac Dei esse unam eamdemque, actio quippe Dei est æterna Dei volitio, actio vero creaturæ actualis ac temporanea productio termini alicujus. Verum, ut vides, hæc non obstant, nisi secundum modum loquendi, stabilitæ a nobis assertioni. Certum quidem est, volitionem divinam, sive in ea consistat formaliter omnis actio Dei ad extra, sive non, de quo acris est disputatio inter Doctores, ut suo loco vidimus, re distingui ab actione creaturæ. At non de hoc nunc agimus, sed hoc unum contendimus, in quo omnes convenire debent, actionem creaturæ, quæ est formalis ipsa productio termini, sive habeat, sive non habeat respectu Dei rationem ac nomen actionis, esse immediate a Deo, atque adeo totam prorsus esse Dei, et quidquid quomodolibet fluit a creatura, penitus etiam fluere a Deo. Et hæc est doctrina non

(1) Vide Petrum Fonseca (*Metaph.* lib. 5, cap. 2, quæst. 9, sect. 3), Conimbr. (loc. cit. quæst. 12, art. 3, ad 1.um), Suarez (*Metaphys.* disp. 22, sect. 1, num. 2 seqq.; opuscul. de *concursu Dei*, lib. 1, cap. 4, num. 5 seqq.), Molina (in 1.am p. quæst. 14, art. 13, disp. 5, sub. fin. in solut. secundi arg. Durandi; disp. 6, *Dicendum itaque...*; et *Simili præterea modo*; disp. 7, *Ad id vero quod dicit*; disp. 8, *Ad hoc argumentum*); Rub. (loc. cit., quæst. 9), Rhodes (loc. cit., sect. 2), Lossada (loc. cit. cap. 2 etc.)

(2) 2.ª dist. quæst. 2, art. 3.º in responsionibus contr. 6.am conclus. pag. 48. Venet. 1589.

(3) *Curs. Philos. Phys.* quæst. 25, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solum Eximii Doctoris (1), sed etiam Capreoli (2) et Joannis a S. Thoma (3).

Cæterum cum doctrina nostra communis esse debeat quoad rem, non est, cur modum hunc loquendi deseramus, cum potissimum sit conformis modo loquendi Aquinatis, qui, ut supra vidimus, non effectum solum, sed actionem etiam creaturæ scripsit esse unam cum actione Creatoris concurrentis (4).

Altera divisionis in modo loquendi.

Solet etiam alio sensu in controversiam vocari, an una eademque sit actio creaturæ cum concursu divino. Sunt enim multi auctores, qui ad hoc, ut agat causa secunda, præviam quamdam motionem seu *præmotionem* vel *prædeterminationem* a solo Deo illi impressam, qua ad agendum applicetur, ac efficaciter permoveatur, requirunt: quamobrem concursus divinus adæquate spectatus, ex doctrina illorum auctorum, complectitur duplicem actionem, præmotionem a solo Deo procedentem et in causa ipsa secunda receptam, et actionem causæ secundæ, quæ inde infallibiliter sequitur, ac terminatur ad ejus effectum. Et sic patroni hujus opinionis possunt negare actionem creaturæ eamdem esse cum actione Dei concurrentis, quia nimirum divina operatio aliquid amplius continet, quam actio causæ secundæ, ab eaque realiter distinctum, præmotionem videlicet seu prævium illum concursum (5).

Sed iterum vides doctrinam hanc, sive vera sit sive falsa, propositioni nostræ ne hilum quidem officere. Propositio enim nostra non est *exclusiva*, sed *assertiva*: non dicimus nunc, concursum divinum esse solummodo concomitantem et minime prævium; neque dicimus nunc, ante operationem creaturæ nullam præcedere motionem, quam solus Deus efficiat, de hoc enim mox fuse disputandum est: verum id solum nunc contendimus, operationem creaturæ quamlibet, sive ante ipsam detur, sive non, aliqua præmotio solius Dei,

(1) *Metaphys.* disp. 22, sect. 3, num. 3.

(2) 2.ª dist. 1, quæst. 2, art. 1, *Ad argum. contra*, 6.um *conclus.*, in respons. ad 1.um Durandi.

(3) *Curs. Philos.*, *Physic.* quæst. 25, art. 1, vers. fin.

(4) Vide Suarez, loc. cit., num. 2, 6.

(5) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 5.

esse quoque operationem divinam, totaliter atque immediate manantem ab ipso Deo. Et quoniam actio una immediate a duplici causa fluere ac pendere nequit, nisi utraque simul concurrat et cooperetur; concursus divinus unam eamdemque habens operationem cum operatione creaturæ, simultaneus sit, oportet, cum ipsius creaturæ concursus, quidquid sit de necessitate alicujus concursus prævii, quo causa secunda ad unam cum Deo actionem peragendam applicetur, ac præmoveatur.

Neque vero argumenta, quibus immediatum Dei concursum ad omnes entium creatorum actiones vindicavimus, jus nobis præbent concludendi alium concursum nisi simultaneum, quem proinde admittere omnes debent, qui nolint Durando adstipulari, quemadmodum fatentur etiam Joannes a S. Thoma (1) et P. Antonius Goudin (2).

366. PROPOSITIO 2.ª **Hinc sequitur, causam omnem creatam, licet possit esse completa in suo ordine; absolute tamen loquendo esse essentialiter incompletam atque inadæquatam vel imperfectissimo effectui producendo.**

Causa omnis creata, quantumvis completa in suo ordine, absolute loquendo est essentialiter insufficiens ad quidpiam agendum.

Et ratio est manifesta ex dictis, quia repugnat causam secundam agere sine immediato concursu causæ primæ. Atqui causa undequaque completa et adæquata non eget concursu alterius ad agendum, sed potest sola operari. Ergo quævis creata causa, absolute loquendo, incompleta est, quandoquidem actio ita ab ipso procedit, ut nequeat procedere sine simultanea influentia causæ primæ. Apposite S. Bonaventura: *Quia enim Deus est causa primordialissima, ideo est influentiæ maximæ in causas secundas, et ideo magnæ influentiæ, ut nec modicum nec quantumcumque parvum, dum tamen aliquo modo sit ens, procedat ab aliqua causa creata, nisi cooperante divina potentia. Omnis autem potentia creata, quantum est de se, defectiva est, nec est pure activa. Ergo quantumcumque faciat modicam operationem, necesse habet adjuvari*

(1) Loc. cit., art. 1.

(2) *Philosophia juxta inconcussa testissimaque D. Thomæ dogmata*, tom. 4, 2.ª part., quæst. 4, art. 2, circa medium, *Respondeo, concursum simultaneum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ab ea potentia, quæ est actus purus propter omnimodam impermixtionem cum materia, et quæ sola sibi sufficit, nullo modo indigens adjuvari ab alia causa. Et ideo hæc propositio quæ dicit omnem actionem esse a Deo, solum quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est (1).

Quo pacto concipienda sit actio creaturæ simul a Deo procedens.

Itaque actio creaturæ, quam eamdem numero probavimus indivisibiliter procedere a Deo simul concurrenti, est et concipi debet tamquam entitas una duplicem importans relationem ac respectum dependentiæ, alterum ad causam propriam creatam, alterum ad causam primam et universalissimam: ab utraque enim pendet indivisibiliter.

Dixi causas creatas posse in suo ordine completas esse; idque per se innotescit. Passim enim videmus causas secundas ita paratas ad agendum, ut non egeant juvamine alterius causæ creatæ cujuscumque. E converso aliæ sunt causæ etiam in ordine causarum secundarum incompletæ et partiales, quia effectum producere nequeunt nisi, accedat efficacitas virtusque ulterior, qua in actu primo proximo constituantur. Sic si bini equi requirantur ad pondus aliquod trahendum, singuli censendi sunt causæ incompletæ ac partiales, ex quibus simul coeuntibus una totalis et completa evadat.

267. PROPOSITIO. 7.ª **Si comparentur inter se causa prima et secunda cooperantes invicem, influxus Dei longe præstantior ac vehementior est influxu creatæ respectu cujuslibet actionis ab utraque illa causa procedentis.**

Si comparentur invicem causa prima et secunda simul operantes, influxus Dei longe præstantior est ac vehementior.

Nam, docente Angelico, *quanto aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, et de remotiori potentia ipsum reducit in actum* (2). Vel, ut alibi loquitur, causa primaria plus dicitur influere, quam secunda, in quantum ejus effectus est *intimior et permanentior in causato, quam effectus causæ secundæ* (3).

(1) 2.ª dist. 37, art. 4, quæst. 1.

(2) *De potent.* quæst. 3, art. 7, corp. Cfr. ib. ad 15.um; et de *Verit.* quæst. 24, art. 1 ad 2.um; 2.ª *Contr. Gent.* cap 89. *Quod vero tertio objicitur;* et de *Causis* lect. 1.

(3) *De Verit.* quæst. 5, art. 9, ad 10.um Cfr. 4.ª dist. 12, quæst. 1, art. 1, solut. 1.ª

Plus influit causa prima, seu est vehementioris impressionis, ut loquitur Angelicus, quia et mediatum et immediatum præbet concursum causæ secundæ. *Causa secunda*, inquit S. Thomas ex Proculo, *cum sit effectus causæ primæ, substantiam suam habet a causa prima. Sed a quo habet aliquid substantiam, ab eo habet potentiam sive virtutem operandi. Ergo causa secunda habet potentiam sive virtutem operandi a causa prima. Sed causa secunda per suam potentiam vel virtutem est causa effectus. Ergo hoc ipsum, quod causa secunda sit causa effectus, habet a causa prima. Esse ergo causam effectus inest primo causæ primæ, secundo autem causæ secundæ. Quod autem est prius in omnibus est magis, quia perfectiora sunt priora naturaliter. Ergo causa prima est magis causa effectus, quam secunda* (1).

Præterea, cum nihil fieri a creatura possit nisi ex præsupposita materia seu subjecto, nequit activitas causarum secundarum attingere effectum quoad materiam seu subjectum; activitas autem causæ primæ pertingit ad ipsam materiam per creationem, ac proinde effectus penitus quoad totam physicam entitatem suam procedit ab actione Dei (2).

Omnis operatio causæ secundæ fundatur in operatione causæ primæ.

In hoc sensu facile intelligitur, quomodo omnis operatio causæ secundæ, fundetur necessario in operatione causæ primæ, non solum quia creatura nequit operari sine virtute prius divinitus accepta (3), et sine influentia aliqua nova et actuali ab æterno decreta et præparata pro simultaneo concursu; sed quia ad hoc ut actio cujusliбet creaturæ inchoari possit, debet aliquod prævie per operationem divinam factum præsupponi, tamquam materia et subjectum, circa quod illa exerceatur (4). Nempe omnis operatio creaturæ necessario præsuponit saltem operationem divinam, ex qua efficiens causa virtutem suam accepit, et aliam, unde subjectum ipsum, circa quod illa operetur, produceret. Quia antequam creatura operetur, jam erat aliquid prævium, unde operetur,

(1) S. Thom. Comment. in lib. *de Causis*, lect. 1, paragr. 6.

(2) Cfr. S. Thom., *de potent.* quæst. 3, art. 4 et 7; 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 4.

(3) Cfr. 3.ª dist. 40, quæst. 1, art 2, vol. 2, 1 p. quæst. 105, art 5; *de potent.* quæst 3, art. 7; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 66, 67.

(4) *De potent.* quæst 3, art. 4.

non enim potest creare; sicut etiam quando destruitur opus creaturæ, aliquid semper remanet, quia nihil anihilatur (1).

Effectus magis dependet a causa prima, quam a secunda.

Atque ita demum omnis effectus magis dependet a causa prima, quam a secunda, a qua solum habet, utique concurrente etiam Deo, quod sit tale ens, dum a causa prima non solum habet, quod sit tale ens determinati generis, sed etiam simpliciter quod sit ens (2). Item effectus a nulla causa secunda dependet essentialiter, quia vel potest esse a solo Deo, vel saltem ita est de facto ab hac individua causa, ut possit esse ab alia; a Deo vero essentialiter dependet, quia repugnat quidpiam fieri et esse sine actione atque influxu Dei.

Causæ secundæ omnes in aliquo sensu comparantur ad Deum, sicut instrumentum ad causam principalem,

268. PROPOSITIO 4.ª **Creaturæ omnes in aliquo sensu comparantur ad Deum sicut instrumentum ad causam principalem, non tamen stricte et proprie.**

Prima pars: *Creaturæ omnes in aliquo sensu comparantur ad Deum sicut instrumentum ad causam principalem*, constat non solum auctoritate ac modo frequentissimo loquendi S. Thomæ (3) aliorumque, sed etiam variis rationibus.

ac variæ analogiæ illorum instrumentis declarantur.

Primo a) quia sicut instrumenta pendent in agendo a causa principali, nec possunt agere nisi in virtute causæ principalis, unde essentialiter sunt causæ ex sese deficientes et imperfecte relate ad effectum obtinendum; ita etiam omnis causa secunda, iis etiam non exclusis, quæ in suo ordine completæ sunt, ac principales dicuntur, agere nequeunt nisi in virtute causæ primæ. At Deus agere potest solus absque præsidio creaturarum, quidquid per ipsas operatur, nisi forte sermo sit de aliquo actu, qui ex essentiali conditione vel nativa deordinatione sua requirat concursum causæ alicujus creatæ, qualis est v. g. actus peccaminosus, actus vitalis, actus deambulandi, etc., id quod certe non est aut ex defectu et indigentia Creatoris, aut ex independentia in agendo causarum illarum, unde hujusmodi actus procedant, necesse est (4).

(1) Cfr. Lossada, *Physicor.*, tract. 2, disp. 2, cap. 5, num. 25 seqq.

(2) Cfr. S. Thom., *de Causis*, lect. 1.

(3) Cfr. 2.ª dist. 1, quæst. 1, art. 4; lib. 1. *Contr. Gent.* cap. 45. 2.ª *Contr. Gent.* cap. 21, *ad hoc*.

(4) 2. *Contr. Gent.* cap. 21, *Amplius*; cap. 89, *Quod vero tertio objicitur*; ibid. lib. 3, cap. 100; lib. 4.ª *Contr. Gent.* cap. 41, versus 1. 2.ª quæst. 6, art. 1, ad 3.um; *de potent.* quæst. 3, art. 7, etc.

Secundo β) sicut a causa principali et instrumentali una numero actio fluit unusque efficitur effectus; ita etiam a causa prima et secunda.

Tertio γ) sicut causa principalis diversis utitur instrumentis pro varietate actionum et effectuum, puta penicillo ad pingendum, penna ad scribendum, serra ad secandum; ita Deus diversas elicit operationes, diversosque parit effectus per causas secundas, nam cum igne comburit, cum aqua refrigerat, cum sole illuminat, cum intellectu intellectionem, cum voluntate volitionem elicit, et cum cæteris causis alias exercet operationes in infinita propemodum varietate, ut parum dixeris, si totam naturam velut ingens organum musicum reputaveris in manu Dei, jucundissimum edens concentum innumerarum vocum.

Plures addunt aliam causam, cur creaturæ rationem instrumenti habeant respectu Dei, quia nempe agere nequeunt nisi mota et applicata ab illo. Sed quoniam id explicari potest, et solet etiam a multis eo modo, qui acerrimis controversiis segetem præbeat, ut mox videbimus; omittendum nunc esse duximus in hoc capite, in quo certa duntaxat vel communissime recepta in scholis catholicis persequenda esse nobis videntur.

tamen causæ secundæ non sunt propria instrumenta respectu causæ primæ.

Secunda pars: *Creaturæ operantes non sunt proprie ac stricte instrumenta, sed analogice et per quandam metaphoram.* Namque causa instrumentalis in eo discriminatur a principali, quod effectum sibi non assimilet. *Agens per se et agens instrumentale in hoc differunt*, inquit Angelicus, *quod agens instrumentale non inducit in effectu similitudinem suam; sed similitudinem principalis agentis; Principale autem agens inducit similitudinem suam. Et ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quam in alterum transfundere potest; non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum* (1). Jam vero causæ secundæ

(1) S. Thom. 4.ª dist. 10, quæst. 1, art. 2, solut. 1.ª corp. Similia habes 1.p. quæst. 62, art. 1; 4.ª dist. 1, quæst. 1, art. 4, solut. 1, ad 4.um, dist. 12, quæst. 1, art. 2, solut. 2, ad 1.um; 4.ª *Contr. Gent.* cap. 77, *Amplius*, et alibi.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cum divino concursu operantes, sibimetipsis, non autem Deo, assimilant effectus (1). Ergo causis secundis non competit proprietas hæc instrumentorum, ut effectus assimilent causæ principali, nec proinde univoce et perfecte conveniat ipsis ratio instrumenti. Præterea, si rationem investigare velimus, cur instrumenta non sibi assimilent effectus, secus atque causæ principales, hanc unam profecto reperiemus, quam Angelicus non semel proponit (2), quia instrumenta ad effectum, quem, principali concurrente, producunt, non agunt virtute propria, sed virtute causæ principalis, hæc autem agit per propriam virtutem ac formam. Atqui causæ secundæ per suas proprias formas et virtutes, non certe inferiores in specifica perfectione, quam sint effectus ipsi, operantur, concurrente Deo. Ergo iterum patet causas secundas non esse proprie atque univoce instrumenta.

Accedit alia ratio pro causis liberis. Proprium namque instrumenti est, ut careat libertate ac dominio sui actus. Atqui causæ rationales, etiam quamdiu agunt sub influxu divino, suam servant libertatem ac dominium actus, quemadmodum catholica fides omnibus credendum proponit.

Ad rem S. Thomas: *Instrumentum dupliciter dicitur: uno modo* **proprie**, *quando scilicet aliquid ita movetur, quod non confertur ei a movente aliquod principium* (intellige connaturale ac perenne) *talis motus, sicut serra movetur a carpentario: et* **tale instrumentum est expers libertatis**. *Alio modo dicitur instrumentum magis* **communiter**, *quidquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso principium sui motus, sive non; et sic ab instrumento non oportet, quod omnino excludatur ratio libertatis, quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen se ipsum movet* (ratione videlicet principii ingeniti perenniter sibi inhærentis): *et ita est de mente humana* (3).

(1) Vide S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 9.º ad 10.um; quæst. 23, art. 1, ad 4.um et 5.um

(2) In locis nuper citatis, et alibi sæpe.

(3) S. Thom., *de verit.* quæst. 24, art. 1, ad 5.um

Et inde est, quod non raro Angelicus Doctor, cum causas secundas vocat instrumenta Dei, temperamentis ac particulis diminuentibus utatur (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

369. **Objic. 1.** Actiones specificantur a causis (2). Ergo a diversis causis, quales sunt Deus et creaturæ, non una sed diversæ actiones procedant necesse est.

Respondeo, *dist.* antec.; si sermo sit de causis penitus adæquatis et completis, *trans.*; si sermo sit de causis, quarum saltem aliqua, quantumvis in suo ordine adæquata, absolute tamen inadæquata sit, atque alterius postulet essentialiter concursum, *nego*. Et *neg.* conseq. Et solutio patet ex demonstratis in corpore articuli (3).

Objic. 2.° Actio creaturæ dependet a concursu Dei, ac proinde posterior est illo: item concursus Dei universalior est ac perfectior. Atqui hoc sine reali actionum distinctione stare non potest. Ergo...

Respondeo, *neg.* Minor, quoad alteram partem. Si verum foret majorem perfectionem concursus divini vindicare realem ejusdem distinctionem ab operatione creaturæ, sequeretur profecto etiam, actionem causæ principalis debere esse re distinctam ab actione causæ instrumentalis, quod falsissimum est.

Quod alteram partem attinet, *dist.* Major. Actio creaturæ posterior est concursu divino in actu primo considerato, nempe a decreto divino concurrendi cum creatura, atque adeo a concursu sic a tota æternitate parato, *cons.*; concursu divino in actu secundo, seu actione Dei cooperantis cum creatura, *subdist.*; re, tempore aut etiam causalitate vel natura (4) posterior est, *nego*; dignitate ac ratione universalitatis

(1) Cfr. 2.ª *Cont. Gent.* cap. 100; 1.ª 2.æ quæst. 6, art. 1, ad 2.um Cfr. de hac materia P. Didacus Ruiz de Montoya, *De actibus Dei*, disp. 48; Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 54; Fonseca, *Metaphys.* lib. 5, cap. 2, quæst. 6, sect. 2.

(2) Cfr. *Ontolog.* num. 361, pag. 1045.

(3) Cfr. *Ontolog.* num. 361, pag. 1046, *Quæres.* 2.°

(4) Vide de prioritate naturæ. *Ontolog.* num. 176, pag. 511.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vel principalitatis, *transeat*. Et *contradist*. Minore, *neg*. conseq. Verum hæc jam ad controversiam de modo concursus spectant, et inferius probanda erunt.

Objic. 3.º Deus et creatura agunt sub diversa ratione formali. Ergo debent agere rationibus realiter distinctis.

Respondeo, *neg*. conseq. Sunt enim alia quoque comprincipia sub diversis rationibus formalibus agentia, quæ tamen unam indivisibilem actionem efficiunt. Sic potentia cognoscitiva et species unam solam actionem eliciunt, licet potentia tanquam virtus vitalis, species tanquam objectivum comprincipium concurrant. Sic etiam intellectus et voluntas unam actionem supernaturalem simul cum gratia efficiunt, potentia quidem sub titulo ac ratione formali principii vitalis, liberi....., gratia vero sub titulo ac ratione formali principii supernaturalis. Sic etiam Deus concurrit ad omnem actionem creaturæ tanquam causa prima et universalis, sine qua nullum novum *esse* poni potest in rerum natura, causæ vero secundæ concurrunt, ut existat effectus specificus respondens naturæ ac viribus illarum.

Objic. 4.º Deus nequit agere per actionem realiter a se distinctam. Atqui ita ageret, si actio ejus cum creatura cooperantis foret eadem cum creaturæ actione. Ergo... Major patet, tum α) quia Deus est infinitus in linea agendi, infinitum autem in ea linea, in qua infinitum est, identificat secum ultimam actualitatem, quæ profecto actualitas in linea agendi est actio: quo pacto Deus vivere nequit nisi per actionem vitalem secum identificatam; tum β) quia agens perficitur per suam actionem. Deus autem perfici nequit per actionem a se distinctam.

Respondeo, *dist*. Major. Deus agere nequit per actionem a se distinctam, quando ipse solus operatur, *transeat*., vel *omitto*; quando cum creaturis operatur, concurrendo ad earum actiones, *neg*. Et *contradist*. Minore, *neg*. conseq.

Ad probationem α) dist. Minor. Infinitum in ea linea, in qua est infinitum, secum identificat ultimam actualitatem secundum id, quod illa actualitas importat in ipso infinito, *conc*.; secundum quamlibet etiam actualitatem, quam importet extra ipsum subjectum, *neg*. Actio vero non est actualitas ipsius infiniti operantis, quasi constituens

ultimum ejus complementum; quia, ex probatis in *Ontologia* (1), agens non est subjectum recipiens actionem, sed tantum subjectum denominationis, nec proinde actio, qua talis, nec actio externum habens effectum est perfectio agentis, sed passi; et sola actio immanens recipitur in agente, cujus est etiam perfectio. Et ideo etiam Deus vivit per actionem vitalem indistinctam, quia vitalis actio est essentialiter immanens, in Deo autem nullus actus nec perfectio esse potest, quin sit ipsa ejus essentia. Unde

Ad probationem β) *nego* prorsus assertum secundum probabiliorem sententiam in *Ontologia* traditam (2).

Objic. 5.º Quilibet effectus per se ipsum pendet a Deo, non enim est indifferens, ut sit vel non sit ab eo, si semel existat. Ergo quilibet effectus est productio sui a Deo. Atqui nullus effectus est productio sui a causa creata, sed producitur per actionem, quæ sit modus, ut nos ipsi docuimus in *Ontologia* (3). Ergo effectus non eadem actione producitur a Deo et creatura.

Respondeo, *dist*. simili modo Major. Effectus, qui a solo Deo producitur, per se ipsum pendet a Deo, *trans*., vel *omitto*. Effectus, qui producitur a Deo cooperante cum creatura, *neg*. Nam quamvis effectus non sit indifferens, ut sit, vel non sit a Deo, est tamen indifferens, ut sit, vel non sit a creatura, posset enim esse absolute a solo Deo, ideoque non potest a creatura produci nisi media actione distincta, quæ actio non potest non esse etiam a Deo (4).

Objic. 6.º Si Deus ita concurrit cum causis secundis, ut una communis actio et effectus insit utrisque, Deus dicendus est causa partialis atque adeo imperfecta, sicut etiam causæ secundæ. Atqui hoc derogat dignitati ac perfectioni causæ primæ. Ergo.....

Respond. *dist*. Majoris primam partem: Deus dicendus est causa partialis partialitate effectus, quasi solum partem

(1) Vide *Ontolog*., num. 356, pag. 1039 seqq.
(2) Vide *Ontolog*. loc. sup. cit.
(3) Vide *Ontolog*. num. 347, pag. 1022 seqq.
(4) Cfr. de his Lossada, *Physic*. tract. 2. disp. 8, cap. 2, num. 6 seqq., ubi fusissime.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

effectus produceret, *neg.*; partialitate causæ actu influentis, *subdist.*; ex indigentia vel insuficientia virtutis Dei, *nego*; ex liberalitate ac dignatione ipsius, volentis, ut creaturæ vere agant cum suo concursu, *transeat*. Hinc *nego*, quod Deus ullo modo sit causa imperfecta.

Utrum Deus dicendus sit causa partialis

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq. In primis noto, tum Deum, tum creaturas cum illius concursu agentes, esse *totales* causas in ordine suo, Deum nempe in ordine causæ primæ, quia nulla alia causa prima datur præter ipsum, et creaturas in ordine causæ secundæ, quando sufficientem habent virtutem ad effectum producendum cum causæ primæ influentia. Deinde circa hanc difficultatem probe distinguenda est quæstio de re a quæstione de nomine: quæstio de re respicit doctrinam in præsenti materia tenendam; quæstio vero de nomine respicit modum loquendi, qui, supposita tali doctrina, servandus est.

Doctrina certa et communis hæc est: primo, effectus causarum secundarum non procedere ex sola virtute Dei neque ex sola virtute creatæ causæ, sed ex virtute et influentia utriusque. Sola enim causa creata cum sua virtute nihil potest agere; Deus vero, licet posset cum sola sua virtute omnes effectus causarum secundarum modo superius explicato producere, non tamen vult hic et nunc, nisi miraculose agere decernat. Nam *quamvis causa prima vehementius imprimat, quam secunda, tamen effectus non sequitur, nisi adveniente operatione causæ secundæ* (1). Talis quippe est immensa liberalitas et bonitas ipsius, ut creaturis communicet non solum *esse*, sed etiam agere, easque proinde assumat in consortium effectionum illarum, quibus ipse solus cumulatissime sufficeret (2).

Secundo, certum est in actione et effectu creaturæ nullam esse particulam, quæ sit solius creaturæ aut solius Dei, quia et Deus facit totam actionem et effectum, licet non *solus* ipse, et similiter creaturæ. Et ideo tum primæ tum secundæ causæ

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 2, art. 14, ad 5.um Cfr. *de verit.* quæst. 5, art. 9 ad 12.um

(2) Vide S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 70; et *de potent.* quæst. 3, art. 7, ad 16.um

tribui solet actio *tota* et *totus* effectus *totalitate rei productæ*, quia singulæ re vera concurrunt ad totum effectum; sed non *totalitate causæ efficientis*, quia singulæ non producunt effectum nisi ex conjuncta virtute et effectu utriusque. Hinc plane sequitur, quantum attinet quæstionem de nomine, nec Deum nec causam secundam singillatim vocari posse causas partiales partialitate effectus, quia neutra facit solum partem illius, sed utraque totum. Utrum vero liceat eas dicere aliquo modo partiales, nempe attendendo tantum ad partialitatem causæ efficientis, non convenit apud auctores. Multi non verentur in hoc sensu tum primam tum secundas singillatim spectatas vocare causas *partiales*: in qua sententia videtur fuisse ipse Thomistarum princeps Capreolus (1), S. Bonaventura (2) aliique apud P. Ruiz de Montoya (3), quibus consonant Molina (4) et plurimi recentiores. Aliis vero displicet denominatio causæ *partialis*, etiam partialitate agentis, Deo attributa (5).

Qua de re sic sapientissime scribit Eximius Doctor. «Aliud inconveniens erat, quod talia agentia essent partialia. Sed si intelligatur ex parte effectus, non sequitur, quia non fit pars effectus ab una causa, et pars ab alia, sed totus effectus a singulis in suis generibus, ut D. Thomas supra notat. Si vero intelligatur ex parte causæ, potest esse diversitas

(1) En ejus verba in lib. 2.º *Sentent.*, dist. 25, q. 1, art. 3, ad 12.um «Sic ergo ad argumentum dico, quod Deus non juvat immediate ipsum efficiendo, et quod non ipse solus efficit actum, sed etiam voluntas coefficit. Sed ut jam tetigi, non solum juvat Deus ad bonum velle *partialiter* coefficiendo, qui est modus *communis, quo concurrit ad cujuslibet agentis creati effectum quemlibet*, ut in argumento dicebatur (in quo argumento Gregorius Arimínensis his inter alia utebatur verbis: «ita quod Deus sit *tantummodo partiale efficiens*, sed etiam quodam modo speciali, videlicet faciendo ipsam voluntatem *partialiter* concurrere, ita quod voluntas *partialiter* concausat applicata, et quasi instrumentaliter mota a Deo ad sic partialiter concausandum». Adde lib. 2.º, dist. 37, quæst. 1, art. 3, ubi non semel eadem doctrina repetitur.

(2) 1.ª dist 45, art. 2, quæst. 2, ad argumenta.

(3) *De volunt. Dei*, disp. 45, sect. 7, num 17.

(4) In 1.am p. quæst. 14, art. 13, disp. 6, et alibi.

(5) Vide Joann. S. Thoma, loc. cit. art. 1, *Nihilominus nulla apartialitas.*

in modo loquendi. Nam quidam concedunt sequelam, quia considerando absolute integram causalitatem effectivam necessariam ad illum effectum, neutra illarum causarum totam illam adhibet, sed ex utriusque concursu consurgit integra causalitas; et ideo dicitur partialiter concurrere ex parte causæ, quod non est imperfectio in Deo, quia, ut diximus, id non est ex insufficientia, sed ex ipsius bonitate. Alii vero putant negandam sequelam, quia cum illæ duæ causæ sint diversorum ordinum, non proprie dicuntur componere unam causam totalem, sed unaquæque est causa integra in suo ordine. Qui modus loquendi quia et *communior est et aptior ad indicandam inæqualitatem et subordinationem harum causarum, magis probandus videtur* (1).

Quam concursum quem Deus præbeat, tantus sit, ut sufficeret ad rem producendam etiam sine causæ secundæ actione.

Ecce autem hinc illa sponte enascitur quæstio, an concursus, quem Deus creaturis agentibus præbet ad unam cum iisdem communem actionem effectumque producendum, tantus sit, quantus sufficeret ad eumdem effectum ponendum, etiamsi de facto non agerent creaturæ. Plures affirmant, contendentes hanc esse differentiam inter influxum causæ primæ et secundæ, quod influxus hujus nequeat ullo modo habere actionem et effectum, nisi compleatur, atque integretur ab influxu causæ primæ, hic autem se solo possit cumulatissime efficere actionem ac terminum illius, sicut etiam ipse solus sine juvamine ullius causæ efficientis creatæ conservat res semel factas. Conservatio enim est quasi continuatio actionis, qua primum res facta est. Si ergo effectus aliquis conservatur sine efficientia illius creaturæ, dicendum est concursum ipsissimum, quo Deus, cooperantibus causis secundis, aliquid efficit, posse quoque illud absque alterius causæ cooperatione efficere. Quamobrem quando Deus solus aliquid facit, dicitur «specialiori modo producere, non quia *majori concursu producat, sed quia modo magis extraordinario*, scilicet impediendo causam creatam, aut non concurrendo cum illa». Ita Joannes a S. Thoma (2) aliique.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 1, num. 22. Quæ cum ita sint, vide tu ipse, quo jure potuerit Joannes a S. Thoma Exim. Doctorem ut adversarium suum hac in ipsa re citare.

(2) Loc. cit. Cfr. etiam Goudin, op. cit. tom. 4, *tertia pars Philos.* quæst. 3, art. 1, post init., et art. 2, vers. fin.

At vero aliter sentiunt multi cum Molina (1) et Suarezio (2) influxum causæ primæ, cum secunda operantis non esse per se sufficientem, ut ipse solus effectum producat, nisi etiam accedat concursus causæ secundæ. Unde aliter influere dicendus est Deus in effectum «si se solo illum efficiat, aliter cum causa secunda, quia cum se solo agit, adhibet influxum per se sufficientem ad effectum; cum vero concurrit cum causa secunda, accomodat talem activitatem, quæ per se sola non sufficeret sine causa secunda: quod est manifestum ex dictis, quia non vult agere nisi ea actione, quæ sit communis causæ secundæ. Quamvis autem ille idem effectus posset esse a solo Deo, et ideo influxus Dei ad talem *effectum absolute et secundum se possit esse sine causa secunda*, tamen *talis* actio, quæ est a causa secunda, non potest esse sine illa, et ideo neque concursus, quem Deus præbet ad talem actionem, est solus absolute sufficiens ad effectum sed tantum in suo genere (3).

Ita etiam sensisse videtur cardinalis Cajetanus, cum hæc scripsit: «Et si contra hoc instetur, quia ut dicitur in prima propositione libri de *Causis*, causa prima plus influit et prius in effectum, quam secunda: ergo si est infinita, et agit naturaliter, in primo signo totum effectum totaliter causat, quod sic non remanet, ad quid actio causæ secundæ terminetur. Responderi potest, quod ex hoc quod causa prima plus et prius natura influit, quam secunda, non habetur: *ergo totaliter causat ipsum*, quantumque ponatur infinita et naturaliter agens, accipiendo ly *totaliter ex parte causalitatis*. Tum quia non *causat ipsum omni modo, quem effectus exigit ad sui factionem naturalem*, nec ex eo quod totus effectus causatur ab una causa, habetur: *aliæ causæ nihil faciunt*, quia faciunt *realiter* idem alio modo. Tum quia infinitas causæ primæ *non largitur necessario nisi efficaciam causalitatis in suo ordine*. V. g. *quantumcumque ponatur solis virtus infinita*,

(1) In 1.ºm part. quæst. 14, art. 13, disp 9; quæst. 23, art. 4 et 5, disp. 1, membr. 6, *Ad primam harum objectionum*; et in *Concordia*, quæst. 14, art. 13, disp. 26, etc.

(2) *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 9.

(3) Suarez, loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex hoc non habetur, quod ipse absque homine posset producere hominem, sed quod effectum proprium in homine efficacissime sortiretur. Ita quantumcumque ponatur divina virtus infinita (1).

Hæc mihi secunda sententia magis placet, eaque plane sequi videtur ex doctrina Aquinatis, quam supra exposuimus (2). Nec video, cur Deum dedeceat, quod agens cum creaturis non tantam concursus efficacitatem exserat, quantam exsereret, si solus operaretur. Si enim ita virtutem suam infinitam attemperat in operationibus suis, ut producens v. g. ignem non extrinsecus expromat influxum et activitatem, quæ sufficere posset ad creandam animam rationalem vel angelum, ut per se patet; cur repugnet, ita Deum suum accommodare concursum virtuti secundorum agentium, ut illum solum influxum præstet illis, qui conjunctus cum eorum viribus effectui producendo sufficiat, qui proinde non sufficeret, si solus Deus operaretur?

Quod vero auctores contrariæ sententiæ dicunt eumdem, et non majorem, præberi a Deo influxum ad conservandam rem jam productam, quam ad primo producendam cum concursu causarum secundarum, probandum esset, et non simpliciter asserendum, nec tamen hactenus probatum est ab illis.

Dices. Admissa nostra sententia, sequitur, sicut creatura pendet a Deo in operando, ita vicissim Deum a creatura pendere, quandoquidem eum duntaxat adhibet concursum, qui sine influxu creaturæ impar foret effectui producendo. Idque sine ullis ambagibus docuit P. Molina (3). Atqui tolerari nequit hujusmodi dependentia in ente absolutissimo summeque independenti.

Bene quidem, inquam; sed dic mihi, sodes, potestne Deus efficere actum vitalem in creatura sine concursu principii alicujus interni ac vitalis? Potestne ratiocinationem efficere

(1) Cajetan., opusc. *de Infinit. Dei*, in quæstione *Num Deus moveat ut finis, vel ut agens*, paragr. *Ad secundum autem dicitur*...

(2) Vide *de verit.* quæst. 2, art. 14, ad 5; quæst. 5, art. 9, ad 12.um; *de Potent.* quæst. 3, art. 7, ad 16.um

(3) In 1.am p. quæst. 14, art. 11, disp. 6, *Simili præterea modo*; et in *Concordia*, loc. cit.

sine facultate rationali? Potestne meritum obtinere sine libertate subjecti merentis? Non certe affirmabis. Ergo, inferam, dependet Deus a creatura ad actum vitalem, ratiocinationem, operationem meritoriam eliciendam. Cur ergo, quæso, repugnat Deum dependere a creatura in operatione et effectu, quem, *potuit* quidem Deus solus efficere, *voluit* tamen *sibi communem* esse cum illa? Hujusmodi dependentia non repugnat vel ipsi enti absolutissimo, quia non est vera dependentia, dependentia orta ex indigentia, sed dependentia ex suppositione voluntaria, quæ tota procedit ex immensa Dei liberalitate ac dignatione.

Cæterum etiam in sententia contraria vitari nequit in Deo aliqua dependentia ejusmodi a creatura, quia certum est, quicumque tandem concursus a Deo præbeatur creaturæ, effectum non sequi *nisi adveniente causa secunda*.

Objic. 7.° «Quando duæ causæ conveniunt ad agendum, vel casu et contingenter concurrunt, vel ex instituto ac per se. Prior autem ex his modis non potest attribui concursui causæ primæ cum secunda, tum quia hoc repugnat perfectioni divinæ providentiæ et operationis; tum etiam quia alias non esset subordinatio per se in causa secunda ad primam; vel omnis operatio causæ secundæ casu et per accidens eveniret. Posterior item modus habet difficultatem, quia si duæ causæ ex instituto conveniunt ad eadem operationem, vel id est, quia ambæ subordinantur alicui superiori, quæ illas simul applicet, quod hic locum non habet, ut per se constat: vel quia ambæ sunt natura sua determinatæ ad ita operandum hic et nunc, quod etiam hic dici non potest, quia nec causa prima est sic determinata natura sua, nec causa secunda, saltem *ad individuum effectum vel actionem:* vel quia una ex peculiari intentione sua determinat effectum et actionem efficiendam, et consequenter determinat aliam causam ad cooperandum eidem actioni. Et hic modus non videtur posse hic habere locum, quia nec causa secunda potest ita determinare primam, ut per se notum videtur; neque e converso potest ille modus agendi tribui causæ primæ respectu secundæ, tum quia alias causa prima moveret et applicaret secundam (quod a pluribus reprobatur), tum etiam quia alias determinatio actionis nullomodo esset a

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causa secunda, quod omnes negant; tum etiam quia alias causa secunda nihil aliud agere posset, nisi id quod agit, quia ad nihil aliud habet concursum Dei, sine quo nihil agere potest» (1).

En lucidissime expositam ab Eximio Doctore difficultatem, cujus solutio jam inde a tribus sæculis in diversas sententias distraxisse gravissimos Philosophos ac Theologos non sine ingenti animorum æstu. Qua in re quid nobis verius videatur, quanta possumus perspicuitate in sequentibus capitibus aperiemus. Prius tamen breviter alia controversia expedienda est.

ARTICULUS III

Utrum Deus concurrens dicendus sit immediate agere immediatione suppositi, an vero solum immediatione virtutis.

270. Quoniam dupliciter dici potest causa aliqua immediate agere, *immediatione*, quam vocant *suppositi*, et *immediatione virtutis*, quæritur quonam ex his modis intelligendus sit Deus *immediate* concurrere, cum efficit actiones omnes causarum secundarum. Cajetanus (2) et Ferrariensis (3), cum aliis concedunt Deum cooperari cum causis secundis agendo immediate immediatione virtutis, negat tamen illum agere immediate immediatione suppositi. Et eamdem sententiam indicat Capreolus (4). Alii vero cum Suarez (5), Toleto (6), Molina (7), Fonseca (8), Conimbricensibus (9), et Antonio Rubio (1), censent Deum immediate agere utraque immediatione, virtutis et suppositi.

Varietas sententiarum.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 2.
(2) In 1.am 1 p., quæst. 8, art. 1.
(3) In lib. 3.us *Contr. Gent.* cap. 70.
(4) 2.° distinct. 1, quæst. 2, fin. Ad argumenta Durandi in resp. ad 2 probation. primi argumenti, et ad 3.um
(5) *Metaphys.* cap. disp. 22, sect. 1, num. 17.
(6) In 1.am p., quæst. 8, art. 1, *Secunda conclusio.*
(7) In 1.am p., quæst. 14, art. 13, disp. 6.
(8) Lib. 5 *Metaphys.* cap. 2, quæst. 9, sect. 4.
(9) Lib. 2 *Physicor.* cap. 7, quæst. 14.

Controversia hæc et varietas opinionum videtur potissimum consistere in modo loquendi; nam in re omnes conveniunt in eo, quod Deus, etiam secundum suum suppositum, intime præsens sit, nec omnino distet ab effectu vel a subjecto, circa quod actio exercetur. Nihilominus quia non omnes eodem sensu accipiunt immediationem suppositi, propterea alii affirmant, alii negant, Deum, utcumque rebus omnibus præsentissimum, dicendum esse agens immediatum immediatione suppositi. Ut ergo res pateat, sciendum est illud agens dici agere immediate immediatione virtutis, quod operatur per virtutem sibi propriam, nec aliunde sibi communicatam, sive patiens sit in eodem loco cum agente, sive distet ab eo. Sic ignis immediate comburit paleam sibi proximam immediatione virtutis, et sol etiam licet remotissimus, calefacit terram, quia virtutem suam propriam per media spatia diffundit usque ad nos. Ex quo patet, Deum semper agere immediate immediatione virtutis, et quidem in sensu proprio et strictissimo, quia non habet aliunde suam virtutem operativam, nec ulla dari actio potest sine influxu virtutis increatæ ipsius. Causæ autem creatæ *absolute et in sensu strictissimo* non agunt immediatione virtutis, quia nempe non agunt nisi per virtutem acceptam a Deo. Nihilominus in *suo ordine* dici possunt, et solent agentia immediata immediatione virtutis omnes causæ secundæ, quæ per virtutes sibi naturaliter insitas operantur; quia virtutes hujusmodi re vera sunt propriæ ipsarum. E converso instrumenta et causæ illæ, quæ non agunt per virtutem sibi inhærentem, sed aliunde transeunter acceptam, ut cum aqua calefacta calefacit aliud, vel rota per aquam mota movet aliam rotam, non sunt agentia immediata immediatione virtutis, quia non agunt per virtutem sibi propriam, sed aliunde communicatam. Et hinc est, quod secundum Angelici doctrinam, in serie plurium agentium subordinatorum, quorum alia ab aliis accipiunt motum ac virtutem agendi, qualis foret v. g. series plurium rotarum, quæ ab aliquo motore moventur;

pendeat potissimum ex modo loquendi.

Explicantur voces.

(1) Lib. 2 *Physicor.* tract. 4, *de causa efficiente*, quæst. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

primum omnium illorum agentium est immediatum secundum virtutem, quamvis mediatum ac remotissimum sit secundum suppositum a passo vel subjecto, in quod agit, quia reliqua agentia non agunt nisi in virtute illius; et e converso ultimum agens, quod secundum suppositum est maxime proximum passo, agit maxime omnium mediate, quia nempe agit per virtutem a primo agente per intermedia agentia, ideoque post omnia illa acceptam. Hoc modo *quanto... agens est magis proximum et immediatum, tanto virtus ejus est mediata, et primi agentis virtus est immediatissima*. Itaque *cum Deus sit prima causa omnium; sua virtus est immediatissima omnibus* (1), et ita necessario dicendum est, Deum omnia operari immediate immediatione virtutis. Et in hoc, ut notabam, omnes Scholastici conveniunt.

271. At agens immediatum immediatione suppositi intelligit Ferrariensis cum quibusdam aliis illud, quod non operatur per aliud tamquam per instrumentum ab eo motum, sive distet loco a passo, in quod influit per causas illas intermedias, ut contingit in agentibus corporeis, v. g. sole, qui remotissimus est loco secundum suum suppositum a corporibus terrestribus, in quæ influxus suos atque operationes exercet; sive etiam non loco distet, ut evenit in Deo mediis causis secundis operante, est enim ratione immensitatis ubique præsentissimus. Unde ad hoc ut aliquid vere agat immediate immediatione suppositi, sufficit quod inter illum et effectum aut passum nulla sit causa ipsi coagens tanquam ab ipsa mota. Quoniam ergo, inquiunt hi auctores, Deus quando concurrit cum causis secundis, agit per illa tanquam per agentia sibi subordinata et ab ipso mota, in aliquo vero sensu operatur quidem immediate immediatione virtutis, non vero immediatione suppositi; et solum operatur immediatione suppositi tum, cum ipse solus sine consortio causarum secundarum aliquid efficit.

272. Alii vero illud dicunt agere immediate immediatione suppositi, inter quod et ipsum effectum seu passum nullum aliud agens interjectum est, quo mediante actionem ac

(1) S. Thom. 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 1, ad 4.um Cfr. *Contr. Gent.* cap. 70.

virtutem suam diffundant; atque hoc modo aqua manum, quam abluit, refrigerat, quia ipsa immediate ac per se tangit manum. Illud vero agit mediate mediatione suppositi, inter quod et passum adest aliquid aliud interpositum: quo pacto inter fabrum et statuam mediat instrumentum, per quod statua fabricatur. Jam vero Deus, sive per se solum operetur, sive cum causis secundis, præsentissimus est passo ita, ut non transmittat duntaxat suam virtutem per illas, sed ipse immediate per suam increatam virtutem secum identificatam producat quamlibet actionem et effectum creaturarum. Nam præter quam quod Deus tribuat causis secundis virtutes operativas, immo etiam dato quod ulterius imprimeret illis aliquam virtutem vel actum per modum præmotionis et aplicationis; semper ipse præterea actionem illarum per suam omnipotentiam efficit non minus immediate, quam eædem et causæ secundæ. Ergo concludunt isti auctores non minus Deus, quam ipsæ causæ secundæ, immediate operatur etiam immediatione suppositi. Et re quidem vera, si vocabuli proprietati stemus, immediatum egens immediatione suppositi esse debet illud, quod ita operatur, ut præsens et proximum sit secundum suam substantiam sive in essendo sive in operando. Atqui ens, quod est ubique, et quod est sua virtus, per quam ubique operatur secundum suam substantiam et suppositum, præsentissimum est sive in essendi sive in operando, ita ut licet aliæ causæ simul cum ipso operentur, re tamen vera nihil intercedat medium inter illud et passum, sed illud in hoc immediate suam virtutem atque efficacitatem exerceat. Ergo Deus immediate operari dicendus est etiam immediatione suppositi. Et id tandem videtur significari, cum dicitur Deus esse ubique per essentiam, præsentiam et potentiam. Quod vero Deus operetur per causas secundas sibi subordinatas, non officit immediationi suppositi. Nam quamquam inter agentia corporea id, quod medio instrumento operatur, non agit immediatione suppositi, quia non tangit passum, nec est illi præsens loco; at Deus semper est præsens per suam substantiam effectui vel passo, nam operatur per virtutem, quæ est ipsa sua substantia. Unde ex hac parte non minus immediatus est supposito quam ipsæ causæ proximæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et resolvitur controversia.

273. Quod ad me attinet, quamquam lites de nomine detestor, potius eligo secundam hanc sententiam et modum loquendi. Et existimo hanc esse doctrinam S. Thomæ: *Illud, quod agit per suam absentiam*, inquit, *non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota: virtus enim solis primo imprimitur in corpore sibi conjuncto, et sic deinceps usque ad ultimum, et hæc virtus est lumen ejus, per quod agit in his inferioribus, ut Avicenna dicit. Similiter patet, quod rex præcipiens est causa prima; sed exsequens præceptum est causa proxima et conjuncta. Deus autem immediate operatur: unde oportet, quod in omnibus sit* (1). Ubi vides, S. Doctorem illam immediationem in agendo Deo asserere, qua caret sol, et quam habet causa prima. Atqui hæc non est immediatio virtutis, sed immediatio suppositi.

Dices. S. Thomam concedere quidem eumdem effectum esse et a Deo et a causa inferiori, ab utroque immediate, addendo tamen, id esse *alio et alio modo* (2).—Bene quidem. Sed undenam infers, S. Thomam diversitatem illam in eo reponere, quod causa secunda immediate operetur immediatione suppositi, secus vero Deus? Cum potissimum in iis eisdem locis doceat Angelicus, Deum proxime et immediatissime agere in omnibus. Diversitas ergo illa potius sita est ex S. Doctore in eo, quod licet tum Deus tum causæ secundæ sint agentia proxima et immediate operantia immediatione suppositi, nihilominus Deus præterea est absolute agens immediatum immediatione virtutis, cum non operetur nisi per suam virtutem, causæ autem creatæ non solum instrumentales, sed ipso etiam principales, immo et ipsæ, quæ universales et primæ dici solent in aliquo ordine, non sunt absolute ac simpliciter agentia immediata immediatione virtutis, cum nihil creatum operari queat nisi per virtutem Dei, tum per illam naturaliter in sui creatione aceptam sibique perennitter inhærentem, tum per virtutem et influxum omnipotentiæ immediate cooperantis, transeunter communicatum in ipso momento actionis (3). Quamobrem cum omnis causa secunda,

(1) 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 1, ad 2.um Cfr. ibid. ad 4.um

(2) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 70. Cfr. 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 3, ad 4.um

(3) Cfr. de his Suarez, loc. cit.

utcumque perfecta et completa in suo ordine, absolute tamen inadæquata et incompleta sit, et essentialiter postulet complementum divini concursus; plane cernitur, quomodo non repugnet, sed e contrario necessarium sit, ut præter causas secundas immediate operantes adsit aliud agens, nempe Deus immediate operans; neque enim potest Deus creare causam, quæ ex sola virtute naturali operetur sine auxilio divinæ concursus. Sic etiam non repugnat, sed necessarium est, ut præter causam partialem, alia partialis adsit, per quam prior compleatur in suo ordine; et utraque hujusmodi causa immediate operaretur etiam immediatione suppositi, ut cum duo equi trahunt currunt.

CAPUT II

MODUS DIVINI CONCURSUS, UBI PRIMUM PERPENDITUR SYSTEMA PRÆVIÆ MOTIONIS, QUAM PRÆMOTIONEM ET PHYSICAM PRÆDETERERMINATIONEM DICUNT.

274. Celeberrimam jam controversiam illam aggredior, qua nescio, an ulla unquam majori animorum æstu sit agitata. Eam nisi crederem, salva charitate, tractari posse, equidem nunquam disputandam suscepissem; intelligo enim omnia post habenda esse huic virtutum reginæ, quæ cum inter omnes homines vigere debeat, tum inter religiosos viros diversorum Ordinum omni ope conatuque faveatur, oportet.

Sed certum mihi est rem ita temperate peragere, ut dum solam veritatem in tota disceptatione quæro, nulli hominum generi dem justam offensionis causam. Quod si quid mihi invito exciderit asperius vel inurbanius, id totum deletum retractatumque velim, eo vel magis quod vehementer doleam non semel hac in re peccatum fuisse, controversiamque jam per se non parum perplexam, verborum

et resolvitur controversia.

273. Quod ad me attinet, quamquam lites de nomine detestor, potius eligo secundam hanc sententiam et modum loquendi. Et existimo hanc esse doctrinam S. Thomæ: *Illud, quod agit per suam absentiam*, inquit, *non est causa proxima ejus, quod fit, sed remota: virtus enim solis primo imprimitur in corpore sibi conjuncto, et sic deinceps usque ad ultimum, et hæc virtus est lumen ejus, per quod agit in his inferioribus, ut Avicenna dicit. Similiter patet, quod rex præcipiens est causa prima; sed exsequens præceptum est causa proxima et conjuncta. Deus autem immediate operatur: unde oportet, quod in omnibus sit* (1). Ubi vides, S. Doctorem illam immediationem in agendo Deo asserere, qua caret sol, et quam habet causa prima. Atqui hæc non est immediatio virtutis, sed immediatio suppositi.

Dices. S. Thomam concedere quidem eumdem effectum esse et a Deo et a causa inferiori, ab utroque immediate, addendo tamen, id esse *alio et alio modo* (2).—Bene quidem. Sed undenam infers, S. Thomam diversitatem illam in eo reponere, quod causa secunda immediate operetur immediatione suppositi, secus vero Deus? Cum potissimum in iis eisdem locis doceat Angelicus, Deum proxime et immediatissime agere in omnibus. Diversitas ergo illa potius sita est ex S. Doctore in eo, quod licet tum Deus tum causæ secundæ sint agentia proxima et immediate operantia immediatione suppositi, nihilominus Deus præterea est absolute agens immediatum immediatione virtutis, cum non operetur nisi per suam virtutem, causæ autem creatæ non solum instrumentales, sed ipso etiam principales, immo et ipsæ, quæ universales et primæ dici solent in aliquo ordine, non sunt absolute ac simpliciter agentia immediata immediatione virtutis, cum nihil creatum operari queat nisi per virtutem Dei, tum per illam naturaliter in sui creatione aceptam sibique perennitter inhærentem, tum per virtutem et influxum omnipotentiæ immediate cooperantis, transeunter communicatum in ipso momento actionis (3). Quamobrem cum omnis causa secunda,

(1) 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 1, ad 2.um Cfr. ibid. ad 4.um

(2) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 70. Cfr. 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 3, ad 4.um

(3) Cfr. de his Suarez, loc. cit.

utcumque perfecta et completa in suo ordine, absolute tamen inadæquata et incompleta sit, et essentialiter postulet complementum divini concursus; plane cernitur, quomodo non repugnet, sed e contrario necessarium sit, ut præter causas secundas immediate operantes adsit aliud agens, nempe Deus immediate operans; neque enim potest Deus creare causam, quæ ex sola virtute naturali operetur sine auxilio divinæ concursus. Sic etiam non repugnat, sed necessarium est, ut præter causam partialem, alia partialis adsit, per quam prior compleatur in suo ordine; et utraque hujusmodi causa immediate operaretur etiam immediatione suppositi, ut cum duo equi trahunt currunt.

CAPUT II

MODUS DIVINI CONCURSUS, UBI PRIMUM PERPENDITUR SYSTEMA PRÆVIÆ MOTIONIS, QUAM PRÆMOTIONEM ET PHYSICAM PRÆDETERERMINATIONEM DICUNT.

274. Celeberrimam jam controversiam illam aggredior, qua nescio, an ulla unquam majori animorum æstu sit agitata. Eam nisi crederem, salva charitate, tractari posse, equidem nunquam disputandam suscepissem; intelligo enim omnia post habenda esse huic virtutum reginæ, quæ cum inter omnes homines vigere debeat, tum inter religiosos viros diversorum Ordinum omni ope conatuque faveatur, oportet.

Sed certum mihi est rem ita temperate peragere, ut dum solam veritatem in tota disceptatione quæro, nulli hominum generi dem justam offensionis causam. Quod si quid mihi invito exciderit asperius vel inurbanius, id totum deletum retractatumque velim, eo vel magis quod vehementer doleam non semel hac in re peccatum fuisse, controversiamque jam per se non parum perplexam, verborum

aculeis et animorum irritatione solutu redditam esse difficiliorem. Itaque divino fretus auxilio periculosam ingrediar viam, ut complementum hoc addam, quod multi desiderant, et sine quo mancum remaneret hoc qualecumque opus meum.

De qua re agatur

Quærimus, utrum cooperatio vel influxus divinus, quem in præcedenti capite necessarium esse ostendimus ad omnem actionem et effectum causæ creatæ, ponatur simul cum ejusdem causæ creatæ influxu, an vero debeat prius inchoari, et ita in ipsa causa secunda recipi, ita ut hæc debeat prius in se recipere aliquam prævian motionem Dei seu influxum, quo mediante ad operationem applicetur, et sic applicata operationem suam efficiat, concurrente utique Deo; fere sicut v. g. videmus instrumenta multa, puta calamum, penicillum, etc., priusquam cum causa principali communem operationem efficiant, recipere in se impulsum, quo ad opus applicentur. Qua in re celebris est sententia plurium Doctorum, existimantium concursum divinum, hactenus in capite præcedenti descriptum, inchoandum necessario esse a prævia quadam motione *(præmotionem physicam* dicunt, aut etiam *prædeterminationem)*, quæ a solo Deo efficiatur, et recipiatur in ipsa causa secunda, quæ actura illico est. Unde contenti non sunt concursu duntaxat simultaneo, sed concursum immediatum Dei contendunt sub se complecti tum prævium hujusmodi motionem in causa prius receptam, tum influxum, qui simul cum influxu causæ secundæ in hujus actionem et effectum terminetur. Et per hanc præmotionem facile explicant, quomodo causa prima et secunda conjungantur in una communi operatione. Alii vero negant ex generali ratione concursus causæ primæ requiri hujusmodi præmotionem, sed existimant sufficere simultaneum illum concursum in præcedenti capite descriptum. En controversiam, quam, divina opitulante gratia, tractandam aggredimur.

ARTICULUS I

Describitur prædeterminatio physica (1)

275. Verum non potest judicium ferri de controversia proposita, nisi prius describatur prædeterminatio physica; eamque describere juvat omnino ad mentem et ex ipsis verbis eorum, qui inter patronos ejusdem clarius nomen obtinuerunt in superioribus sæculis.

Duplex prædeterminatio:

Duplex distinguitur ad mentem Thomistarum prædeterminatio, ut jam monuimus agentes de scientia Dei: prima æterna Deoque immanens, altera temporanea et recepta in causa creata. Prima est decretum Dei absolute definiens actus, quos causæ creatæ producent in tempore, et dici etiam solet prædefinitio ac decretum prædeterminans (2). Secunda est motio vel actio realis a Deo impressa causæ creatæ, applicans illam ad agendum vel operandum; et vocatur *præmotio vel physica prædeterminatio* (3). Hæc secunda prædeterminatio est instrumentum primæ; per hanc enim Deus in sententia Thomistarum exsecutioni mandat absoluta sua decreta prædeterminantia prædefinitionesque (4).

altera aterna,

altera temporanea,

quæ vocatur physica prædeterminatio vel præmotio.

Et de hac prædeterminatione secunda, physica nempe ac temporanea, vel præmotione physica, præsens a nobis instituitur controversia. Unum tamen probe notatum velim, voces has, *præmotionem* ac *prædeterminationem*, quamvis indifferenter accipiantur, et a nobis etiam accipiendæ sint, quamdiu aliud non animadvertatur, de se tamen non esse synonymas. Præmotio enim de se nihil aliud significat nisi *prævium*

quamquam hæ voces non sunt penitus synonymæ.

(1) Fusissime de hoc agit Suarez, lib. 3 *de auxiliis gratiæ*, cap. 30 et seqq., et passim veteres scriptores.

(2) Vide Alvarez, *de auxiliis*, disp. 32, num. 2; Billuart, *de Deo*, dissert. 8, art. 3, paragr. 1 et 3.

(3) Vide Didac. Alvarez (op. cit. disp. 23), Billuart (*de Grat.*, dissert. 5, art. 6, *Resolutio quæstionis*; et *Probatur ex S. Thoma*).

(4) Alvarez (disp. 32, n. 13; disp. 73, num. 3, disp. 93, num. 3), Gonet (*Clypeus... de Prædestin.* disp. 6, paragr. 1, not. 1 et 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

motionem; prædeterminatio vero significat præviam motionem, quæ infallibiliter trahat effectum; unde omnis prædeterminatio est, fatentibus cunctis, præmotio quædam, sed non omnis præmotio est prædeterminatio, saltem in communi nostratum sententia. Omnis gratia præveniens, sive sit efficax sive pure sufficiens, dici potest præmotio, et nihilominus gratia pure sufficiens in nullius sententia dici potest prædeterminatio, immo nec ipsa gratia efficax in sententia Societatis. Verum quoniam adversarii passim indifferenter usurpant utramque vocem, eumdem et nos communiter morem sequemur, quamdiu non aliud speciatim notemus.

Quid est prædeterminatio.

Est ergo prædeterminatio vel præmotio physica, influxus causæ primæ receptus immediate in causa secunda, non quidem per modum virtutis in actu primo, sed per modum applicationis atque ultimæ determinationis, ut ab actu primo transeat ad secundum (1). Præmotio physica est, inquit P. Antonius Goudin, e sacro Prædicatorum Ordine (2), «influxus causæ primæ receptus, non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet, et applicat non solum objective et moraliter, alliciendo et suadendo, sed etiam physice et active interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo. Et ideo dicitur *motio physica*. Sed, quia motio et applicatio virtutis activæ ad agendum est prius natura, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, et omnis causa suo effectu; ideo motio illa dicitur *prævia motio* seu *præmotio*..... Unde per istum influxum Deus active et proprie facit, ut creatura faciat, redditque illam a se dependentem non ut concausam concausæ, sed ut secundum agens primo agenti, et ut causam subditam ac inferiorem superiori, a qua applicatur, ac determinatur, cui

(1) Cfr. Joann. a S. Thom., *Curs. Philosoph. Physic.* quæst. 25, art. 2, *Tertia sententia*.

(2) Hunc præcipue in describenda prædeterminationee consulemus, cujus hoc est judicium et ellogium, a R. P. Billuart exaratum in suo tractatu *de Deo*, dissert. 5, art. 7 fin.: «Qui (Goudin) hanc materiam, meo judicio, non minus solide, quam dilucide, et ad captum omnium tractavit».

proinde non solum effectum suum debet, sed etiam propriam suam in productione effectus cooperationem» (1).

Differt proinde præmotio physica, secundum eosdem scriptores, non solum a morali motione et objectiva, sed etiam a concursu mere simultaneo. Nam objectiva motio fit solum per propositionem objecti, sicut intellectus movet voluntatem; moralis vero aliud non est nisi «invitatio quædam objectiva nihil imprimens voluntati, sed solum eam metaphorice movens et trahens per modum allicientis, suadendo, illustrando, deprecando, comminando, præcipiendo, consulendo, etc.» (2). Brevi, «motio moralis solum invitat ad agendum, physica vero intrinsece et active applicat ad agendum, concursus autem simultaneus creaturæ agenti cooperatur. Prima movet solum objective, per modum finis allicientis; secunda movet effective, per modum agentis applicando; concursus vero simultaneus se habet per modum concausæ, cooperando et adjuvando. Movere moraliter possunt omnes creaturæ, præcipue vero angeli boni bona inspirando, angeli mali tentando, homines persuadendo. Movere physice, præcipue voluntatem, soli Deo proprium est, qui solus omnes virtutes passivas in manu sua habet, voluntatique illabitur, ac præest tamquam ejus auctor, conservator ac moderator. Concurrere vero physice speciali modo convenit Deo, attamen et suo modo creaturis potest competere» (3).

et quid differt tum a morali motione tum a concursu simultaneo.

Declaratur amplius res sensibili exemplo. «Pictor dum præcipit discipulo, ut pingat, est motio moralis: si apprehensam ejus manum simul cum penicillo moveat, et applicet ad pingendum, est motio prævia physica; si demum ipsi cooperando difficiliora tabellæ lineamenta perficit simul, cum discipulus faciliora expedit, erit concursus simultaneus. Ita quoque Deus dum bonum præcipit, suadet, consulit voluntati....., est motio moralis. Dum voluntatem interius

Declaratur res exemplis

(1) Goudin, *Philosophia juxta inconcussa tutissimaque D. Thomæ dogmata*. Quarta para, quæst. 4, art. 2, pag. 228. Parisiis, 1857... Cfr. ibid., art. 1 fin.

(2) Goudin, ibid.

(3) Goudin, ibid. pag. 229, 230.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et active applicat, movet et inclinat ad amplectendum bonum, est motio physica. Dum nobis agentibus cooperatur, altiores formalitates operis attingendo, quæ nostram virtutem superant, est concursus simultaneus» (1).

Prædeterminatio non est virtus aliqua nova, sed applicatio, motio, excitatio virtutis activæ.

Cæterum, ut patet ex ejus definitione, præmotio ista imprimitur causæ inferiori tamquam «complementum et applicatio ad agendum non per modum *virtutis in actu primo*, sicut dantur habitus, sed *per modum ultimæ determinationis et applicationis actus primi ad secundum*» (2), ideoque est motio quædam Dei «non dans activitatem, sed activitatis applicationem ad effectum» (3). Et sic vocari solet etiam *applicatio* causæ secundæ ad agendum, *complementum virtutis, motio, excitatio virtutis activæ, determinatio causæ secundæ ad suam actionem*. Etenim munus ejus est reducere creaturam ab actu primo ad secundum, seu constituere creaturam in actu secundo operativam, vel dare creaturæ ipsum agere. Creatura enim recipit quidem in creatione virtutem agendi in actu primo seu posse agere, et sic constituitur *potens agere*, non tamen recipit virtutem agendi in actu secundo, seu activitatem unimam agendi, qua constituatur *actu profundens actionem*; neque secum identificat esse operativam in actu secundo, sed esse activam habituliter seu in actu primo. Itaque «serra, quando fabricatur, recipit quidem ipsam virtutem rodendi in actu primo, sed tamen præter ea, ut de facto corrodat, debet recipere motionem applicationam ab artifice». Itaque creatura omnis hujusmodi motione et complemento, et per illud præcise, dependet a causa prima in ratione *actu agentis*, sicut per virtutem in creatione acceptam dependet in ratione *potentis agere* (4). Ideo dicitur præmotio ista conferri a Deo titulo causæ primæ, et accipi

et confertur

(1) Id. ibid., pag. 230. Quædam aliæ comparationes ad rem declarandam videri possunt apud eumdem Goudin, pag. 220.

(2) Joann. a S. Thom. *Phys.* quæst. 25, art. 2, *Tertia sententia*.

(3) Id. ibid. Dico tertio. Quidam Thomistæ nihilominus præmotionem dari voluerunt ad complendam virtutem agendi creaturæ in actu primo. Vide Suarez, *de Grat.* lib. 3, cap. 33 initio.

(4) Vide Goudin, loc. cit. art. 4, paragr. VIII. Prob. 2.ª et *Prob. tandem ultimo*.

titulo essentialis subordinationis creaturæ in operando a causa prima.

a creatura titulo essentialis subordinationis a causa prima in operando, quia non est necessaria solum ex peculiari conditione aliquarum operationum, sicut v. gr. gratia excitans necessaria est ad actus supernaturales propter specialem eorum naturam, sed ex generali ratione operationis creaturæ, quia nempe nulla creatura, quantumvis perfecta et virtute prædita et completa in ordine suo cum omnibus prærequisitis, quæ adesse possunt ex parte aliarum causarum, valet actu operari sine ultima hac applicatione, quæ a sola causa prima fieri potest.

Concursus divinus secundum Prædeterminantes complectitur et præviam motionem et simultaneum fulcrum.

Hinc est, quod concursus divinus adæquate sumptus, secundum istam Prædeterminantium sententiam, utrumque completitur, et prævium istum influxum seu præmotionem et simultaneum, hunc quidem, quia secus operatio creaturæ non foret immediate a prima causa, illum vero, quia sine motione prævia, quæ virtutem determinet, atque applicet ad opus, nequit operari creatura (1). Unde dici potest concursum Dei immediatum inchoari in præmotione, et consummari in ipsa operatione creaturæ. Jam quamquam non desint, qui physicam Dei præmotionem non realiter, sed tantum ratione ratiocinata distingui ab actione causæ secundæ existiment (2); communissime tamen contrarium sustinetur a patronis hujus doctrinæ (3), tum quia præmotio a solo Deo est, actio vero immediate procedit et a Deo et a creatura, tum quia præmotio recipitur in ipsa causa secunda, habetque pro termino proximo applicationem hujus ad operandum, et nonnisi remote effectum, ideoque se habet per

(1) Vide Goudin, loc. cit. art. 2. *Respondeo concursum simultaneum*.

(2) Ita sentit Estius (lib. 2.o dist. 24, paragr. 14) et Sylvius (in opusculo de *Primo Motore*, pars. 3.ª art. 1.ª), aliique nonnulli apud P. Didacum Ruiz de Montoya (*de voluntat. Dei*, disp. 46, sect. 1, n. 1). Cfr. Suarez (lib. 3, *de Grat.* cap. 31).

(3) Vide Cabrera, Navarrete, Cabezudo et Didacum Alvarez (apud P. Ruiz, id. num. 2). Adde Nazarium (in primam part. quæst. 22, art. 4, controv. 2), Gonet (in *Clypeo Thomistico, de Prædest.* disp. 6, num. 206, 207), Billuart (*de Gratia* dissert. 4, a 2), Sylvium (in 1.am 2.æ quæst. 110, art. 2, conclus. 1.ª). Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 2, *Dico* 3.ª et *Quod si inquiras*.) Cfr. (ib. quæst. 26, art. 1 *Dico ultimo*).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modum principii ac viæ respectu operationis ipsius, hæc autem recipitur in subjecto, in quo effectus ejus peragitur, et habet pro termino immediato ipsum effectum (1). Quare præmotio præcedit operationem causæ secundæ, non quidem tempore, sed natura, estque necessaria prorsus ad agendum, cum sit applicatio et actuatio virtutis ad actionem: illa vero posita, impossibile est actum, ad quem movet, non fieri, dum talis adest motio (2).

Denique, quantum attinet ad naturam hujus præmotionis, ea dicitur a pluribus spectare ad prædicamentum qualitatis, licet non sit qualitas fixa et stabilis ac per modum virtutis aut habitus permanentis (secus enim causa secunda permanenter esset applicata ad operandum), sed per modum motus transeuntis ac fluentis. Quare cum S. Thomas videtur negare (3) hujusmodi influxum esse qualitatem, dicitque illum esse motum quemdam animi, intelligendus est hoc modo, inquit Joannes a S. Thoma, ut tantum velit illum non esse

(1) Vide Goudin (loc. cit. art. 2, quæst. 4, art. 2), Joann. a S. Thoma, loc. cit. art. 2. *Dico* 1.ª et *Dico* 2.ª et *Dico* 3.ª).

(2) Vide Goudin (loc. cit. art. 6, sæpe), Billuart (*De Gratia*, dissert. 5, art. 7), Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 3), Gonet (*Clyp. thomist. de Prædest.* disp. 9, art. 5, paragr. 1, num. 67).

Audi Reginaldum: «Quia non stat, Deum nos movere, quin una moveamur, neque nos aliquo posito moveamur, quum agendo, fit inde, ut sicut non consistunt simul actio et cessatio ab actione vel contraria actio, ita prorsus non stet, nos a Deo moveri (præmotione physica), quin simul agamus: et hinc est, quod per illam motionem inseparabiliter et indeclinabiliter dicimur agio. (*De mente concilii Tridentini*, tom. 2, lib. 1, cap. 7, vol. 57, Antuerp. 1706). Nec aliter Lemos: «Si ergo impossibile est, quod actus determinatus procedat a potentia indeterminata in actu primo, ergo necesse est, ut producatur actus determinatus, quod potentia sit determinata in actu primo, et *prius natura sit reducta in actum primum, et prius sit reducta de potentialitate in actum. Hæc ergo reductio in actum primum, necessaria omnino ad actum secundum, est illa Dei motio prædeterminans*, et auferens illam potentialitatem et indeterminationem privativam et imperfectam voluntatis. Ista sunt manifestissima principia in Philosophia». *Panoplia*, tom. 2, pag. 1244. Cfr. Didacus Alvarez, *De auxil.* disp. 22, pag. 156. (Edit. Lugdun. anno 1611, num. XIV, pag. 190.

(3) 1. 2.ª quæst. 110, art. 2.

qualitatem permanentem (1). Ut ergo paucis omnia contrahamus, prædeterminatio vel præmotio physica est verus impulsus realisque motio, α) a solo Deo prodiens, β) recepta in causa secunda, γ) ita ut non pendeat ab hujus arbitrio illum habere, vel habitam respuere: δ) prior natura et causa actionis, ε) absolute necessaria omni creaturæ ad agendum, ζ) infrustabilis et infabilliter connexa cum actione causæ secundæ, η) non collata tamquam complementum virtutis activæ ad hoc, ut causa secunda constituatur *proxime potens* ac fœcunda operationis illico secuturæ, sed tamquam applicatio virtutis ad actionem, ideoque per modum conditionis ad hoc, ut creatura constituatur *actu agens:* unde solet etiam dici non se tenere ex parte actus primi nec ex parte actus secundi, sed esse in quodam signo medio inter posse et agere, tamquam applicatio actus primi ad secundum, activitatis ad operationem. Supponit enim causam secundam in *suo ordine* constitutam in actu primo sufficiente ad agendum cum plena virtute et cum omnibus conditionibus ex parte aliarum causarum secundarum requisitis. Sic v. gr. supponit ignem, cui non solum adsit virtus comburendi, sed etiam combustibile sufficienter dispositum atque applicatum; et voluntatem cum sufficienti objecti propositione tacta per intellectum. Et his omnibus suppositis, requiri dicitur adhuc alia conditio absolute necessaria ex parte solius primæ causæ titulo supremi dominii ejus in omnes causas secundas et plenissimæ harum subordinationis ab illa in agendo, neque enim, licet reliqua omnia in promptu adsint, agere possunt, nisi *applicentur, excitentur, moveantur, actuentur, ac determinentur a Deo* (2).

Descriptio prædeterminationis physicæ.

Hæc est doctrina, quam tenent communissime Patres ex Sacro Prædicatorum Ordine, eamdemque tribuit P. Antonius Goudin SS. Augustino et Thomæ aliisque Patribus, toti antiquitati, primatibus philosophis ac theologis, præcipuis

(1) Joann. a S. Thoma (loc. cit. art. 2 *Dico* 3.ª), Sylv. (In 1.am 2.æ quæst. 110, art. 2, conclus. 1).

(2) Vide breviter et optime expositam hanc sententiam apud Suarez, opusc. *de Concursu*, lib. 1, cap. 5, num. 4. Cfr. *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 7 seqq.; Lossada, *Phys.* tract. 2, disp. 8, cap. 5, num. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

orbis academiis, ac nominatim Salmanticensi, Duacensi, Lovaniensi, etc., præcipuis religiosis Ordinibus: ac demum omnes, niquit Goudinus, «qui sincere profitentur se Divum Thomam sequi, physicam præmotionem scholæ thomisticæ tesseram agnoscunt» (1). Quanta tamen id veritate scriptum fuerit, mox, Deo favente, videbimus.

Cæterum præmotionem physicam patroni ejusdem, non solum ad generalem Dei cum omnibus causis creatis concursum explicandum inducunt, sed etiam, ac precipue, ad declarandam efficacitatem gratiæ, per quam actus supernaturales æternæque vitæ meritorios elicimus.

Prædeterminatio physica explanatur.

Præter hunc modum physicæ præmotionis excogitari potest alter modus, quo causa prima secundam moveat, atque efficaciter determinet ad agendum per solam motionem extrinsecam, sid est non per impresionem alicujus rei præviæ, sed solum per antecedentem actum efficacem voluntatis divinæ, quo vult causam secundam aut voluntatem humanam agere: ad quam Dei volitionem statim sequitur actio causæ secundæ, non propter rem aliquam ei impressam, sed propter naturalem subordinationem et quasi sympathiam harum causarum. Sicut ad motum voluntatis movetur brachium aut pes (2), et potentia motiva existens in his membris efficit illum motum, non quia aliquid prævium per eam volitionem in ea fiat, sed propter naturalem sympathiam et subordinationem talium potentiarum; quæ multo major intelligi potest inter causam primam et secundam (3). Et hæc sententia modusque præmotionis tribui solet a quibusdam Scoto (4).

(1) Op. et loc. cit., art. 1 sub fin. et art. 4 initio.

(2) Cfr. *Physiologiæ* vol. 3.us, num. 82, pag. 206.

(3) Vide Suarez, opusc. *de concurs.*, lib. 1, cap. 5, num. 3.

(4) Vide Suarez, loc. cit. num. 6; et Joann. a S. Thoma, *Cursus Philosoph. Physic.* quæst 25, art 2, *secunda sententia*). Nihilominus cl. P. De San existimat Scotum aperte negasse omnem prædeterminationem extrinsecam eorum actuum voluntatis creatæ, qui vere ac proprie sint liberi. *De Deo uno*, num. 195, in nota, *Dicimus* 2.ª, pag. 444 seqq. Lovanii, 1894.

ARTICULUS II

Utrum admittenda sit prædeterminatio vel præmotio physica modo exposita ad actiones causarum naturalium.

Status quæstionis.

276. Si in omni disputatione philosophica necesse est rite statum controversiæ definire, multo magis id oportet facere in præsenti quæstione, in qua non semel auctores quidam aut adversariis suis ea, quæ nunquam illi docuerant, imposuerunt, aut sub nomine præmotionis physicæ doctrinas a nemine negatas demonstrarunt, alias interea, de quibus potissimum tota lis versabatur, pro certis supponentes gratisque affirmantes (1).

Non est hic sermo de actibus supernaturalibus.

1.° Cum investigamus necessitatem præviæ motionis divinæ, sermo non est de actibus supernaturalibus, sed tantum de actibus ordinis naturalis. Certum enim supponimus ex Theologia dari ad actus supernaturales eliciendos auxilium gratiæ prævenientis, quæ realis et physica motio animi est, non quidem talis, quæ ex natura sua antecedenter, infallibiliter atque indeclinabiliter connexa sit cum consensu voluntatis, sed, ut nobis quidem videtur, talis, quæ amice conciliari cum libertate possit, et a Theologis declaranda est.

Nec sub nomine physicæ præmotionis disputatur de necessitate divini concursus.

2.° Sub nomine physicæ præmotionis non venit in controversiam necessitas concursus divini. Neque enim sufficit influxus moralis, sed physicum omnino requiri ostendimus in primo capite: neque ullus est inter auctores nostræ Societatis, quatum ego sciam, qui morali concursu contentus foret, atque ob eam rationem prædeterminationem physicam impugnaret.

3.° Sub nomine physicæ præmotionis vel prædeterminationis nolumus nunc excludere præmotionem illam, quam Estium et nonnullos alios admisisse nuper innuimus, *prorsus identificatam cum ipsa actione causæ secundæ, sed*

(1) Vide, si lubet, P. Didacum Ruiz de Montoya, de *Scientia Dei*, disp. 38, sect. 2, 18, 19; Suarez, opusc. *de vera intelligentia auxilii efficacis*, per totum.

præmotionem thomisticam, qualem descripsimus in articulo præcedenti, distinctam nempe ab actione creaturæ tamquam viam ad illam ejusdemque causam.

nec de præmotione aliqua indifferenti seu non infallibiliter connexa cum voluntatis consensu.

4.° Sciendum denique est non defuisse quosdam etiam Societatis Doctores, ut mox videbimus, qui necessitatem alicujus præviæ motionis a Deo solo procedentis propugnarent ad hoc, ut voluntas creata in actum suum de facto prodeat: nihilominus talem ponebant præmotionem, quæ indifferens prorsus foret ex natura sua, cuique resisti pro libertate arbitrii posset. Neque horum modo opinionem in controversiam revocamus, sed in alium articulum rejicimus; et solum illam præmotionem tractandam assumimus, quæ, supposita in agente creato plena virtute ac prærequisitis ex parte causarum secundarum, supposito nempe actu primo completo, quantum complebilis est per causas secundas, adhuc necessaria dicitur, ita ut sine ipsa repugnet creaturam agere, et adeo infallibiliter connexa cum hujus actione, ut repugnet, ea recepta, non agere. Et hujusmodi doctrinam impugnare pro viribus contendemus cum communi consensu auctorum nostrorum aliorumque plurimorum ex omni ordine Doctorum, sive respectu habito ad causas naturales, sive ad libera agentia, sive ad actus peccaminosos.

Ut porro clarior evadat disputatio, seorsim agendum est de causis naturalibus necessario operantibus, ac de liberis. Ac de primis ita nobis existimandum esse videtur:

277. PROPOSITIO. **Præmotio physica Thomistarum in causis naturalibus necessario operantibus tamquam inutilis reficienda est.**

Præmotio physica in causis naturalibus necessario operantibus tamquam inutilis rejicienda est.

Prob. 1.° Prævia illa motio, supposita causa secunda in actu primo proximo cum tota sua virtute in ordine suo completa et cum omnibus prærequisitis ad agendum necessariis, ideo adhuc prorsus requiritur a patronis suis, ut salvetur plena creaturæ dependentia et subordinatio a Deo in agendo plenumque dominium causæ primæ super omnes secundas. Atqui solo simultaneo concursu, absque ulla prævia notione, salvatur plenum hujusmodi dominium causæ primæ in secundas et plena harum ab illa subordinatio in agendo. Ergo, quia non sunt entia multiplicanda sine necessitate

rejiciendam prorsus esse ducimus a causis necessario agentibus tamquam otiosam præmotionem physicam.

Major ultro conceditur ab adversariis, qui ex eo capite ac titulo generatim repetunt necessitatem suæ præmotionis (1).

non enim requiritur ut salvetur dominium Dei et subordinatio illarum.

Minor autem facile probatur. Nam in causa agente tria considerari possunt: virtus agendi cum omnibus suis prærequisitis ad agendum necessariis ex parte causarum secundarum, actio ipsa formalis, et effectus. Atqui tria hæc essentialiter dependent a causa prima. Nam virtus certe activa creaturis inest per efficientiam Dei, et conservatur perenniter ab eodem, et repugnat quidpiam fieri aut conservari sine efficientia Dei. Conditiones item ad agendum requisitæ, pro igne v. gr. approximatio ad combustibile et hujus dispositio ad actionem ignis suscipiendam, dependent essentialiter a Deo, tum quia impediri ab ipso possunt, tum quia ponuntur per aliquam actionem creaturarum prævium (v. gr. in igne per motum localem ignis vel combustibilis et exsiccationem), quæ actio essentialiter dependet a Deo, sicut ipsa actio causæ, ad cujus operationem prævia hujusmodi conditionis positio ordinatur. Nam, ut jam in præcedenti capite demostravimus, omnis operatio causæ secundæ a causa prima essentialiter, immo multo magis, quama secunda dependet, quia est eadem numero actio cum cooperatione divina, et ex immediato concursu Dei procedit.

Denique effectus quivis causæ secundæ propter eamdem rationem essentialiter dependet a prima. Uno verbo, ex eo solum quod creatura sine immediato ac simultaneo concursu agere nequeat, licet reliqua omnia in promptu habeat, concludimus, omnem causam secundam, utcumque *perfectam et completam in ordine suo*, absolute loquendo esse deficientem et incompletam pro quovis effectu, et compleri non posse omnino sine aliqua influentia divina, saltem sine ullo concursu. Ergo solo concursu immediato ac simultaneo, etiamsi nulla præmotio fingatur, omnes creaturæ subordinatæ sunt ac plenissimæ dependent a causa prima in agendo, et hæc solo illo concursu jam plenisimum dominium exercet in

(1) Vide inter alios Goudin, loc. cit., art. 4, paragr. VIII, initio.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

illas, ne quippiam, vel minimum, agere sine ipsius influxu possint. Sola itaque ratio supremi dominii ex parte Dei ac perfectissimæ subordinationis ex parte creaturarum non præbet jus adstruendi physicam promotionem.

Quod si contenderis solum simultaneum concursum non sufficere ad salvandum plenum dominium Dei ac subordinationem creaturarum, id tibi probandum est; et donec probes, jus nobis adest negandi omnem gratis assertam entitatem, ac tamquam inutilem et fictitiam respuendi. Itaque quando R. P. Antonius Goudin hanc propositionem: *Per concursum simultaneum creatura fit dependens a Deo*, sic distinguit: *fit dependens a Deo, ut a cooperatore, conc.; ut a primo motore applicante, neg.*, additque solutionem patere ex terminis; re vera non solvit argumentum, sed petit principium. Omnes enim fatemur essentialem dependentiam creaturæ a Deo tum in essendo tum in operando. Certum etiam est, hujusmodi dependentiam in operando erui vel ex eo solum, quod creatura nequeat operari absque simultaneo concursu: item certum est creaturam dependere a Deo ut a primo motore, saltem quatenus nequeat operari, quin Deus dederit prius suam virtutem operativam, et ab æterno decreverit exhibere præterea suum hunc concursum simultaneum. Utrum autem creaturæ dependeant a Deo tamquam a primo motore in sensu thomistico; controvertitur, et nequit sine petitione principii assumi pro certo ad respondendum nostris rationibus.

Dices forte, majorem fore dependentiam causæ secundæ, si non solum egeat concursu simultaneo, sed insuper etiam præmotione.—Verum in primis id negari posset; nam quæ major dependentia esse potest, quam essentialis illa subordinatio fluens ex absoluta impossibilitate operandi sine concursu Dei?

Deinde addo, si major est dependentia et subordinatio creaturæ, supposita præmotione, majorem fore, si duas, tres, centum finxeris præmotiones. Quod si nolis addere centum præmotiones, sed una contentus sis, quia una sufficit ad explicandum dominium Dei, cur non sufficiat solus concursus simultaneus sine ulla præmotione, quandoquidem ille solus sufficit ad asserendum causæ primæ plenum

dominium et secundis essentialem et omnimodam subordinationem ac dependentiam? (1).

Prob. 2.° Sed ratio hæc urgeri amplius potest, excludendo modos ac titulos diversos ex dominio Dei fluentes, in quibus fundari solet a suis propugnatoribus absoluta necessitas physicæ præmotionis. Dicunt enim creaturam ob nativam et essentialem imbecillitatem ac dependentiam suam, etiamsi reliqua omnia, quæ ab aliis causis creatis exhiberi possunt in ejus adjumentum, præsto adsint, adhuc expectare *applicationem, motionem, complementum virtutis* seu *excitationem ac determinationem* a causa prima, sine qua illam de facto agere impossibile est, id vero totum præstari per physicam præmotionem. Atqui, supposita causa secunda in ordine suo completa cum sufficienti virtute et necessariis prærequisitis, quæ per alias causas secundas suppleri possunt, et ordinarie supplentur, opus non est ulla entitate interna et physica in illa recepta, per modum hujusmodi *applicationis, motionis, complementi virtutis* seu *excitationis ac determinationis*, quæ a sola causa prima provenire debeat. Ergo...

278. **Probatur Minor per partes.** *Et in primis, non est opus applicatione ulla per physicam præmotionem facienda.* Fateor causas secundas plenumque ad agendum egere aliqua applicatione, quæ se habeat instar conditionis prærequisitæ. Sic ignis agere nequit, nisi applicetur ad combustibile in proportionata distantia, et voluntas nisi objectum sibi proponatur ab intellectu, etc. Hujusmodi autem applicationis fieri possunt, ac porro fiunt ordinarie per aliquam actionem aliarum causarum secundarum, ac proinde etiam a Deo, quia omnis actio est ab ejus immediato concursu, sed non a *solo* Deo. Quod si quando a solo Deo sine mediis causis secundis fiant hujusmodi applicationes, id est per miraculum (2). Non ergo est sermo de hujusmodi applicationibus; et si tales applicationes intelligant adversarii sub nomine præmotionis,

Non est opus præmotione tituloapplicationis causæ secundæ ad agendum.

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 22, 23; et num. 55 seqq.; opusc. *de concursu*, lib. 1, cap. 6, num. 3.

(2) Vide S. Thomam, lib. 3.° *contra Gent.* cap. 67. *Item, quidquid applicat.*; Ruiz de Montoya, *de voluntate Dei*, disp. 45, sect. 5, num. 23.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nulla est nobis controversia, has enim libenter amplectimur, nec est ullus Philosophus, qui non amplectatur. Sed non de his applicationibus loquuntur, ut jam sæpe declaravimus. Volunt nempe ignem, v. gr., licet habeat virtutem comburendi et combustibile sufficienter applicatum ac dispositum, et solem, licet sit in nostro hemisphærio cum sua virtute illuminandi, adhuc alia speciali applicatione indigere, quæ a solo Deo effici possit. Et hujusmodi applicationem dico esse inutilem ac fictitiam.

Etenim, ut cætera omittam, quæ urget Eximius Doctor(1), quæro, quid efficiat applicatio ista in causa secunda. Conjungit illam, dices, tum, cum prima causa, cujus est instrumentum, tum cum effectu; nam per hujusmodi applicationem creaturæ, quæ nondum agebat, constituitur actu profundens actionem suam. Jam vero quod ad primum attinet, inutilis est applicatio illa, quia causa prima intime præsens est secundæ ratione suæ immensitatis. Nec intelligi potest, quæ alia unio requiratur ad hoc, ut causa prima et secunda simul agere possint, cum præsertim sine tanta unione videamus passim duas causas partiales unam efficere communem actionem et effectum. Quod ad alterum spectat, causa secunda *actu* profundens actionem suam, non constituitur *formaliter* nisi per ipsam actionem, siquidem ante ipsam formalem actionem, nondum concipitur *actu profundens actionem*, sed solum concipi potest inclinata et determinata ad profundendam actionem. Ergo per applicationem istam thomisticam nondum constituitur actu formaliter profundens actionem. At neque etiam virtualiter seu efficienter, quatenus illa applicatio tribuat causæ ultimam inclinationem irresistibilem ad actum, nempe ad usum suæ activitatis ac virtutis, quæ supponitur completa in ordine suo. Etenim causæ naturales ac necessario agentes non egent hujusmodi superaddita inclinatione, sed per proprias formas ac virtutes suas jam sunt ineluctabiliter propensæ ad agendum statim, ac adsit virtus completa in ordine suo cum prærequisitis necessariis, modo jam declarato. Ergo inutilis est ac fictitia

(1) *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 24; *de concursu*, lib. 1, cap. 6, num. 7.

quævis nova applicatio et inclinatio virtutis. Et ratio patet, quia hæc est conditio causarum naturalium, ut *necessario* agant, ut positis omnibus prærequisitis nequeant cohibere actionem, sed eam profundere necessario debeant. Et in hoc præcise discriminantur a causis liberis, quæ non habent hujusmodi propensionem.

Dices forte, inter prærequisita illa, quibus positis causæ naturales nequeunt non agere, includi non solum prærequisita et conditiones, quæ suppleri ac poni possunt ab aliis causis secundis, sed etiam potissimum hanc applicationem physicæ præmotionis a solo Deo faciendam.—**Verum primo** id dici nequit, nisi iterum confundantur, et æquiparentur causæ necessariæ cum liberis. Nam ex adversariorum sententia, applicatio hujusmodi est talis conditio, qua posita infallibiliter actio ponatur etiam a liberis agentibus. Deinde negari nequit causas liberas a necessariis, etiam præcisione facta ab hujusmodi applicatione, de qua disputamus, inter se discrepare, quod enim aliæ sint necessario agentes, aliæ libere, sequitur ex eorum propria natura.

Jam vero hæc discrepantia ab omnibus ita explicatur, nec aliter explicari potest, nisi quod causæ necessariæ, secus ac liberæ, per suas formas ac virtutes inclinatæ ac determinatæ sunt naturaliter ad agendum, ut passim docet Angelicus (1). Unde alibi per has præcise *impressiones* Dei naturaliter inditas rebus ad agendum explicuimus naturales mundanarum causarum leges, quas Deus illis imposuit, illæque adamussim exsequuntur, obedientes Creatori suo (2). Ergo vel sunt causæ istæ naturales sufficienter inclinatæ actu ad profundendam actionem, ubicumque adsint conditiones prærequisitæ, vel non. Si sunt, inutilis est omnis alia applicatio, per quam fingitur illas ultimam suam inclinationem accipere. Si vero non sunt, ostendatur id, et non gratis asseratur. Cur enim Creator dedit tantum dimidiatas inclinationes, quæ complendæ forent per novam inclinationem atque applicationem? Cum præsertim positis virtutibus naturaliter inclinatis ac propensis

(1) Vide 1 p., quæst. 105, art. 1, ad 3.um; et art. 8; 1. 2.æ quæst. 91, art. 2; et art. 6; et loca paulo inferius citanda.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 101, pag. 362 seqq.

ad agendum et simultaneo concursu, salvetur dominium divinum ac dependentia essentialis creaturarum, quemadmodum nuper ostendimus. Itaque donec necessitas hujusmodi applicationis demonstretur, liceat nobis illam tamquam inutilem repudiare (1).

Dices. Atqui necessitas hæc facile demostratur. Nam «causa secunda ita est in potentia ad operandum, quod indiget mutari in se, ut de facto operetur; siquidem non semper operatur in actu. Ergo necesse est, quod, ut operetur, aliter se habeat, si enim eodem modo se habet, sicut antea manebit in potentia operans, quia antea erat in potentia operans» (2). Ergo oportet, ut causa secunda mutetur in se antecedenter ad operationem; cum vero mutari nequeat, nisi actum aliquem in se recipiat, applicationem aliquam accipere debet, per quam in actum operationis perducatur.

Hæc fere est una ex rationibus ex verbis Aristotelis, quas sibi objicit S. Thomas pro mundi æternitate in hunc modum: «Omne quod agit, vel movet, postquam non agebat, vel movebat, educitur de potentia in actum, quia unumquodque agit, secundum quod est in actu. Unde si agit postquam non agebat, oportet, quod sit aliquid in actu in eo, quod prius erat in potentia. Sed omne, quod educitur de potentia in actum, movetur. Ergo omne, quod agit, postquam non agebat, movetur» (3), ac proinde «omnis actio vel motus, qui est ab agente, vel movente non moto, oportet quod sit semper.»

Respondeo in forma, *dist.* antec. Causa secunda ita est in potentia,... etc., si non habeat virtutem in suo ordine completam, *conc.*; si habeat, *neg.* Rationem superadditam item *disting.*; quia caret virtute adæquata vel aliquo prærequisito, quod ab aliis causis secundis apponi possit, *transeat*; aliter, *nego*.

Distinguo etiam conseq. Si ratio, cur prius causa non operaretur, erat defectus virtutis internæ vel complementi in se recipiendi, *trans.*; secus, *nego*. Tum *neg.* ultimum conseq.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit.
(2) Joannes a S. Thoma, loc. cit. art. 2.
(3) Apud S. Thom. 2.ª dist. 1. quæst 1, art. 5, arg. 11.º

Nam ista complementa, quibus sæpe egent causæ ad agendum, talia sunt, quæ suppleri ab aliis causis soleant: unde non sequitur necessitas præmotionis. Itaque causæ naturales, si *virtutem completam habeant in ordine suo, non indigent ulla mutatione prævia* ad hoc, ut de facto aliquid efficiant, quia ex sua propria natura sine ulteriori actu in se recepto, supposito semper concursu divino simultaneo, jam sunt ad agendum determinatæ nisi adsit impedimentum. Et ratio est, quia simili modo se habet actio fluens ex virtute naturali, sicut proprietas ad essentiam rei. Quare sicut sufficit ad hoc, ut illico proprietas resultet, quod efficiatur natura aliqua, ita etiam sufficit habere virtutem completam ut statim actio consequatur. Est hæc expressa doctrina S. Thomæ (1): *In omnibus, quorum potentia activa determinata est ad unum, effectum*, inquit Angelicus, *nihil requiritur ex parte agentis ad agendum supra potentiam completam, dummodo non sit impedimentum ex defectu recipientis ad hoc, quod sequatur effectus, sicut patet in omnibus agentibus ex necessitate naturæ* (2). Et alibi: *Potentiæ naturales operantur circa aliqua determinata: unde possunt secundam naturam suam esse in actu simpliciter respectu illorum; et ideo non oportet, quod eis aliquid addatur ad producendum suum effectum* (3).

Hinc sequitur, ubicumque adest causa naturalis, si statim non sequitur effectus, ideo esse, vel quia virtus non est completa (4), vel quia licet completa sit, objicitur aliquod impedimentum (5), vel deest prærequisitum (6). Et in primo casu causa illa non est omnino in actu primo constituta, nec

(1) Lib. 2.º *Contra Gent.* cap. 30 post medium.
(2) S. Thomas, 1.ª disp. 45, quæst. 4, art. 3 in corp.
(3) 3.ª dist. 24, quæst. 1, art. 1. solut. 2.ª ad 3.um Cfr. *de verit.* quæst. 2.ª, art. 2, ad 6.um; *de virtut.*, quæst. 1, art. 1, ubi de potentiis pure activis.
(4) V. gr. In potentia cognoscitiva, quæ eget specie.
(5) V. gr. In igne, qui habet combustibile nimis distans vel humidum et non dispositum ad combustionem.
(6) Ut deest, v. gr., in intellectu sua prædito specie si non adsit phantasma correspondens; vel in voluntate, si ei non propunatur ab intellectu bonum proportionatum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

constituetur in illo sine aliqua sui mutatione, accipiendo nempe complementum virtutis, qua prius carebat (1). In altero vero casu causa illa re vera in actu constituta est ad agendum, nec indiget ulla mutatione sui, ut actio et effectus sequatur, quia quod effectus forte non adsit, non est ex defectu vel potentialitate sua, sed ex impedimento externo; ac proinde sola impedimenti remotione potest procedere ex causa aliqua necessario actio et effectus, qui prius non erat. Enimvero quis sibi persuadeat ignem, quin realiter in se mutetur, non posse incipere actu comburere pejeam, quam prius virtutem quidem habebat completam comburendi, non tamen comburebat, quia vel nondum existebat, vel procul aberat vel madefacta erat, et propterea ignis actioni resistebat? (2).

Sed præstat totam hanc doctrinam audire ex ipso Aquinate: *Necessitas.... agentis consideratur et quantum ad ipsum agere, et quantum ad effectum consequentem. Prima autem necessitatis consideratio similis est necessitati accidentis* (nempe propri), *quam habet ex principiis formalibus. Sicut enim alia accidentia ex necessitate principiorum essentialium proceduut, ita et actio ex necessitate formæ, per quam agens est actu. Sic enim agit, ut actu est. Differenter tamen hoc accidit in actione, quæ in ipso agente manet, sicut intelligere et velle, et in actione, quæ in alterum transit, sicut calefacere. Nam in primo genere*

(1) Id concluait recte S. Thomas, cum sic scripsit: *Agens per necessitatem naturæ... determinatur ad actionem per illud, quod est in natura ejus: unde impossibile est, quod incipiat agere nisi per hoc quod educitur de potentia ad actum, vel essentiali vel accidentali.* 2.ª dist. 1 quæst. 1 a. 5 ad 11.um Nam, supposita naturali necessitate causæ et præcio impedimento, si lignum v. gr. non calefacit, non poterit incipere calefacere, nisi mutetur vel substantialiter, nempe si ignescat, vel accidentaliter, si calefiat remanente in sua natura ligni.

(2) Hinc S. Thomas rationem, cur causæ quædam naturales, licet virtute completa et sufficientissima ad agendum instructæ, non tamen de facto proprios pariant effectus, non aliunde repetit, quam ex impedimento externo. Vide S. Doctorem in 1 p., quæst. 115, art. 6; lib. 2.º *Contr. Gent.*, cap. 23, initio; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 86. *Hanc autem rationem*, 1. 2.ª quæst. 75, art. ad 2.um; 2.ª dist. 36, quæst. 1, art. 1 ad 2.um; *de malo*, quæst. 6, art. unico, ad 15.um et 21.um.

actionis, sequitur ex forma, per quam agens fit in actu, necessitas actionis ipsius, quia ad esse ejus nihil extrinsecum requiritur, in quod actio terminetur. Cum enim sensus fuerit actu per speciem sensibilem, necesse est ipsum sentire; et similiter cum intellectus est in actu per speciem intelligibilem (1). *In secundo autem genere actionis, sequitur ex forma necessitas actionis, quantum ad virtutem agendi. Si enim ignis sit calidus, necessarium est ipsum habere virtutem calefaciendi, non tamen necesse est ipsum calefacere, eo quod ab extrinseco impediri potest... Necessitas autem, quæ est a causa agente vel movente in effectu vel moto, non tantum dependet a causa agente, sed etiam a conditione ipsius moti et recipientis agentis, cui vel nullo modo inest potentia ad recipiendum talis actionis effectum, sicut lignum, ut fiat prora, vel est potentia impedita per contraria agentia vel contrarias dispositiones inhærentes mobili, aut formæ, motore impedito, quo impeditur virtus agentis in agendo, sicut ferrum non liquefit a debili calido. Oportet igitur ad hoc, quod sequatur effectus, quod in passo sit potentia ad recipiendum, et in agente sit victoria supra passum, ut possit ipsum transmutare ad contrariam dispositionem....*

Ex prædictis igitur patet, quod necessitas, quæ est ex causa agente, in quibusdam dependet ex dispositione agentis tantum, in quibusdam vero ex dispositione agentis et patientis. Si igitur talis dispositio, secundum quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria et absoluta in agente et patiente, erit necessitas absoluta in causa agente, sicut in his, quæ agunt ex necessitate et semper. Si autem non fuerit absolute necessaria, sed possibilis removeri, non erit necessitas ex causa agente nisi ex suppositione dispositionis utriusque debitæ ad agendum, sicut in his, quæ impediuntur interdum in sua operatione vel propter defectum virtutis vel propter violentiam alicujus contrarii. Unde non agunt semper ex necessitate, sed ut in pluribus (2).

(1) Vides in his omnibus ne umbram quidem cerni necessitatis applicationis, de qua disputamus, potentiæ activæ præter completam virtutem superadditæ.

(2) S. Thom., lib. 2.º *Contr. Gent.* cap. 30, post medium. Habentur præ oculis etiam in hac re, quæ inferius dicentur, ubi de mente S. Thomæ, cap. 4 hujus disputationis, art. 4, *Dices*.

nec titulo motionis, per quam creatura, jam completè potens agere, ad actualem actionem perducatur.

279. **Probatur jam altera pars Minoris.** *Non est opus ulla entitate per modum motionis, per quam creatura, jam completè potens agere, ad actualem actionem perducatur.* Sane quid, quæso, efficeret hujusmodi entitas, quemve terminum haberet? Certe non mutationem aliquam localem, siquidem præter motum localem, qui sæpe necessarius est ad hoc, ut causa passo sufficienter appropinquet, et ordinarie fieri solet per alias causas secundas, ut quando coquus applicat igni combustibile, nullus alius requiritur, ut agens naturale operetur, quemadmodum experientia compertum omnibus est. Nec motio illa, quam adversarii obtrudunt, novam aliquam virtutem adjungit causæ, ut statim videbimus. Nec denique intelligi potest, quid aliud efficiat nisi tribuere, vel actuare inclinationem ad actu *profundendam actionem*, ad quam prius erat in potentia. Jam autem abunde probavimus in præcedenti argumento, ad hoc sufficere naturalem impetum et inclinationem causis omnibus necessariis naturaliter insitam per divinam impressionem.

nec titulo complementi virtutis et excitationis.

280. **Tertia pars Minoris.** *Non est opus complemento virtutis et excitatione.* Nam complementum virtutis intelligi posset duplici modo, vel quatenus virtus naturalis in se compleretur, augereturque, vel quatenus virtus quidem ipsa activa in se non augeretur, sed actuaretur, et ad operandum incitaretur. Atqui præmotio physica necessaria non est ad actuandam et incitandam virtutem causæ ad opus, multoque minus ad eamdem augendam et sufficientem effectui reddendam.

Non quidem ad primum, ob rationes hactenus allatas, quia virtus naturalis ex se ipsa, quando sufficiens est, habet, ut ab agendo temperare nequeat.

Non ad secundum, tum quia ipsi Thomistæ id diserte negant communissime, cum præmotionem requirunt non per modum virtutis, sed per modum ultimæ determinationis et applicationis actus primi ad secundum, neque ut creatura constituatur *potens* ad agendum, sed ut, jam aliunde potens ad agendum, constituatur actu absolute et undequaque *profundens actionem* (1); tum quia principium adæquatum et

(1) Vide Joann. a S. Thom. et Goudin supra citatos.

completum operationis existit causa secunda ex virtute naturali in suo ordine completa et ex influxu Dei simul cum illa cooperantis. Jam vero independenter a præmotione supponitur, ac debet supponi creatura in ordine suo completa, quia præmotio, utpote a solo Deo procedens, nec spectat ad ordinem causæ secundæ, nec potest complementum esse ordinis creati. Influxus autem divinus supplens et adjuvans ingenitum defectum creaturæ, ut per se sola operetur, præstatur per concursum simultaneum. Ergo frustra præmotio invehitur ad complendam augendamque virtutem operativam creaturæ (1).

Et idem fere dic de excitatione. «Nam excitatio proprie locum habet in potentiis animæ, quatenus una per actum alterius ad operandum movetur ob sympathiam naturalem, quam habet, quia in eadem anima radicantur. Solet etiam applicari hæc vox aliquibus virtutibus naturalibus, quæ interdum aliquam alterationem prærequirunt, ut suam actionem exerceant, ut vis odorifera non emittit odorem, nisi calefiat, et piper et sinapis non calefaciunt, nisi conterantur, et sic de aliis. Sed omnis hæc excitatio fit, aut quia virtus activa per illam alterationem completur, vel quia disponitur, dum rarefit, aut alio modo afficitur, ut melius ad agendum applicetur. Nihil autem horum est necessarium in causa secunda ex præcisa ratione subordinationis ejus ad primam. Et quando aliquid simile necessarium est ex peculiari natura vel defectu alicujus rei, conferri seu fieri potest per aliam causam secundam, concurrente prima suo generali concursu, dummodo actio aliunde non sit miraculosa, vel ad ordinem supernaturalem pertineat. Ergo hæc excitatio a causa prima, quæ propria ejus fingitur, et necessaria in omni actione causæ secundæ, solum quia causa secunda est, etiam est sine fundamento adinventa: nec majorem probabilitatem habet hæc declaratio hujus præviæ actionis, quam reliquæ (2).

(1) Vide Suarez fuse disserentem in opusc. *de Concursu*, lib. 1, cap. 6, num. 13, 18.

(2) Suarez, opusc. cit. cap. 6, num. 18, ubi plura; *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 27, 30.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec titulo determinationis.

281. **Quarta pars Minoris.** *Venio jam ad quartum titulum, nempe determinationem, quam dicunt adversarii necessariam esse creaturis omnibus ad actu operandum, quantumvis habeant virtutem in genere suo completam, quia nempe sunt ex se ipsis indeterminatæ.*

Quæ doctrina paradoxo similis forte videbitur, cum constet omnibus eam esse tesseram agentium naturalium proprium, ut sint determinata ad suum. *Quia voluntas et natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad unum, sed voluntas non est determinata ad unum. Cujus ratio est, quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum est autem, quod unius rei non est nisi una forma naturalis, per quam res habet esse. Unde qualem ipsum est, tale facit* (1). Atqui esse indeterminatum et indifferens et esse determinatum ad unum pugnant inter se.

Verum, ut difficultas adversariorum melius pateat, revoca in mentem, determinationem posse esse vel quoad speciem actus vel quoad individuum actum aut effectum. Licet ergo detur, causas naturales determinatas esse ad speciem actus, tamen non sunt determinatæ ad unum individuum actum ex se ipsis, nec satis determinantur ex circumstantiis et subjecto, circa quod operantur, ut alibi ostendi solent, et conceditur etiam communissime a nostris auctoribus (2), quia nempe omnia hæc indifferentia sunt ad hunc numero vel alium effectum. Imo non desunt potentiæ activæ naturales, quæ non solum quoad individuum actus, sed quoad ipsam etiam speciem actus ex se sunt indeterminatæ, ut v. g. intellectus, qui est re vera in potentia ad multa (3).

Hisce præfactis, sic ego existimo: Causæ naturales ex sua virtute determinatæ sunt quoad speciem actus, unde hoc modo potius in aliquo vero sensu determinant actionem causæ primæ, quam determinantur ab ea; quoad individuum

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 41, art. 2, corp. Cfr. 1 p., quæst. 19, art. 4, quæst. 47, art. 1, ad 1.um; 2.a dist. 18, quæst. 2, art. 2; 2.a *Contr. Gent.* cap. 21, initio; 3.a *Contr. Gent.* cap. 99, initio; *de potent.* quæst. 3, art. 13; *Comp. Theolog.* cap. 96, et alibi passim.

(2) Vide *Ontolog.* num. 306, pag. 1142.

(3) Cfr. Joann. a S. Thom., loc. cit. art. 2, *Dico ergo primo.*

vero actum facile intelligitur eas posse determinari a causa prima per concursum simultaneum ab æterno præfinitum. Ergo nulla est necessitas præmotionis physicæ causis secundis impressæ ad removendam indifferentiam vel indeterminationem respectu actum aut effectum individuorum.

Consequentia recta est; *probatur autem antecedens* quoad utramque partem Et primo quidem

A) *Causæ naturales ex sua virtute determinatæ sunt quoad speciem actus, et hoc modo ipsæ in aliquo vero sensu determinant causam primam, et modificant ejus concursum.* Et re quidem vera, constat inductione causas omnes naturales non efficere indifferenter quosvis effectus, sed certos ac determinatos pro specificis cujusque naturis ac virtutibus, quia, ut modo dicebamus cum S. Thoma, «in naturalibus agentibus actio sequitur ex necessitate formæ: unde secundum unitatem formæ oportet esse unitatem in effectu (1). Quod si interdum hæc naturalia agentia propter vim agendi universalem habent indifferentiam aliquam in facultate agendi res specie diversas, naturaliter ac physice loquendo semper determinantur ad unum effectum in specie vel ex se vel ex concursu aliarum causarum, aut materialis aut coefficientium» (2). Cæterum etiamsi vera non foret hæc assertio, non sequeretur necessitas præmotionis physicæ, siquidem determinatio quoad speciem actus dependet ex gradu et mensura virtutis, quæ impenditur in productione illius actus; præmotio autem non datur per modum virtutis.

Quo pacto dici possit causæ naturales quodammodo determinare actionem et concursum Dei.

Jam quod causæ naturales quodammodo determinet actionem et concursum Dei, si rite intelligatur, negari a nemine potest. Dicuntur enim causæ particulares determinare concursum Dei, non quia aliquid efficiant erga divinam actionem in se spectatam, vel quia aliquid prævium operentur, quo moveatur Deus ad concurrendum, sed quia hæc causa natura sua postulat hunc concursum potius, quam alium, et Deus vult se accommodare naturæ uniuscujusque. Sicut enim sol per calorem suum innumeras actiones

(1) Vide S. Thom. 2.a dist. 18, quæst. 2, art. 2.

(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 30. Cfr. disp. 19, sect. 1, num. 10; et lib. 1, *de concursu*, cap. 7, num. 1, 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

efficit in natura pro varietate causarum particularium, ita tamen ut ratio, cur per hanc plantam producat triticum, per aliam pira, et per illam aliam flores rosarum, non sit repetenda ex calore et activitate solis, quæ una eademque est in omnibus hisce diversis effectibus, sed ex natura virtutibusque specificis causarum istarum inferiorum; simili modo ratio, cur Deus, quando mediis causis secundis operatur, combustionem efficiat per ignem, illuminationem per solem, productionem variorum fructuum per certas ac peculiares causas, et ita porro, alia non est, nisi quia naturæ illarum determinatæ sunt ad illas actionum species, quæ proinde postulant, ut si Deus per illas operari velit secundum naturalem earum appetitum et exigentiam, debeat alium aliis præstare concursum (1). Dei enim virtus et operatio non est determinata et restricta ex sese ad ullam speciem particularem, sed ad omnia se extendere potest, atque adeo determinatur, ac limitatur in singulis casibus ex conditione agentium creatorum, per quæ placet divinæ bonitati ac liberalitati operari.

Atque hæc est doctrina S. Thomæ, quam non uno in loco proponit. «*Secundum ordinem causarum*, inquit S. Doctor, *est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse, nam omnia alia sunt in causa determinationes ipsius. Igitur esse est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum, in quantum agunt in virtute primi agentis. Secunda autem agentia, quæ sunt* quasi *particulares* (alias *particulantes*) et determinantes actionem primi agentis, *agunt sicut proprios effectus alias perfectiones, quæ determinant* esse (2). Et alibi: *Licet causa prima sua vi influit in effectum, tamen ejus influentia* per causam proximam specificatur, et determinatur (3). Item: *Causa primaria plus dicitur influere, quam secunda, in quantum ejus effectus est intimior et permanentior, quam effectus causæ secundæ*; tamen magis similatur

(1) Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 30; et *de auxiliis gratiæ*, lib. 7, cap. 36, num. 6; Molina, in 1.am p. quæst. 14, art. 13, disp. 6; Ruiz de Montoya, *de voluntate Dei*, disp. 45, sect. 9.

(2) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 66 item.

(3) *De potent.* quæst. 1, art. 4, ad 3.um

causæ secundæ, quia per eam determinatur quodammodo actus primæ causæ ad hunc effectum (1). Et idem colligi potest ex illo principio, quod sæpe usurpat Aquinas, causam primam in operando accomodare se causis secundis.

Et eadem est etiam doctrina plurium eorumque insignium Thomistarum veterum, card. Cajetani et Ferrariensis, quorum primus diserte scribit motionem causæ primæ modificari secundum modum et conditionem secundæ (2); alter vero non veretur dicere virtutem et actionem divinam, secundum quod in secunda causa recipitur, accipere limitationem et determinationem ex conditione causæ secundæ tanquam ex susceptivi conditione, quia unumquocque recipitur in alio per modum recipientis. (3).

Displicet hæc sententia P. Dominico Bañez, qui propterea cardinalem Cajetanum reprehendit in eo, quod scripserat, virtutem et attingentiam activam causæ primæ modificari per causam secundam; quod pluribus rationibus improbare nititur. Et primo α) quidem, quia «omnis causa modificabilis ab altera, non determinat se ipsam ad effectum specialem; sed divina voluntas se ipsam determinat ad quemcumque effectum specialissimum et singularem producendum. Ergo non est modificabilis a causa inferiori concursus activus divinæ voluntatis.»

β) «Et confirmatur. Quia esset supponere maximam imperfectionem in Deo, asserere, quod quemadmodum idem omnino concursus solis producit distinctos effectus, quia modificatur per distinctas causas inferiores, ita concursus divinæ voluntatis, quantum est ex parte sua manet indifferens, sed modificatur, et determinatur ad distinctos effectus per distinctas causas inferiores.»

γ) Præterea sicut se habet liberum arbitrium hominis respectu illorum, quæ omnino subjiciuntur sibi, ita se habet, immo multo efficacius, divina voluntas respectu eorum, quæ sibi

(1) *De verit.* quæst. 5, art. 7, ad 10.um Cfr. 2.am dist. 1, quæst. 1, art. 4; *de malo*, quæst. 3, art. 2; *de verit.* quæst. 2, art. 4

(2) Cajetan, In 1.am p. quæst. 14, art. 13. *Nec sustinendus est Scotus.*

(3) Ferrariens., In lib. 3.um *Contr. Gent.*, cap. 66 *Quinto... Circa istam propositionem.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

subjiciuntur, quæ quidem sunt universa. Sed concursus liberi arbitrii nostri ad aliquid agendum per media subordinata non modificatur ab ipsis mediis, sed potius liberum arbitrium modificat motum et concursum mediorum, quæ sibi subjiciuntur; v. gr. quando artifex vult pingere imaginem, ipsemet exacte adaptat penicillum, præparat colores, movet manum, determinat ideam in mente, quam vult imitari. Tunc profecto liberum arbitrium artificis non modificatur ab istis, quatenus sibi subjiciuntur, nisi forte impediendo perfectionem effectus, quatenus sibi non subjiciuntur in aliquo. Quin potius ipsemet artifex per liberum arbitrium et artem determinat sibi hujusmodi media, in quantum sibi subjiciuntur. Ergo multo minus potest inveniri aliquid creatum, quod determinet divinæ voluntatis activum concursum sive attingentiam divinam».

δ) «Denique arguitur. Nam omnis causa cujus actio modificatur ab aliquo, dependet ab illo in sua operatione in aliquo genere. Sed Dei voluntas in sua operatione nun dependet ab aliqua causa. Ergo ejus actio non modificatur ab aliquo...» Ita Bañez (1), quem sequuntur communissime recentiores Thomistæ ex sacro ordine Prædicatorum.

Hæc tamen non urgent. *Ad primum α) enim respondeo*, divinam voluntatem non determinari neque modificari per causas secundas in se ipsa secundum sententiam S. Thomæ, quam tuemur, sed tantum actionem ejus externam; quia nempe quod ab æterno decreverit, et nunc faciat hanc vel illam operationem, combustionem, floritionem, illuminationem, etc., est, quia voluit in hac differentia temporis operari cum hisce causis secundis, quæ nequeunt alias efficere operationes. Optime enim hæc duo cohærent inter se, et quod Deus libere se determinaverit ab æterno ad operandum nunc cum igne et sole modo consentaneo naturæ harum causarum, et quod propterea actio, quam nunc exercet, sit calefactio vel illuminatio præcise, quia operatur cum igne et sole.

Ad confirmationem β) respondetur. Fore quidem imperfectionem, quod sicut solis concursus determinatur, ac

(1) In 1.am part. quæst. 19, art. 8, *Sed antequam nostram sententiam.*

modificatur ex defectu virtutis ipsius per distinctas causas inferiores, quia nempe ipse solus non potest harum effectus producere, ita etiam actio divina ex impotentia virtutis modificaretur a causis secundis. Quod vero Deus, licet posset omnia per se facere, velit tamen actionem causis secundis communicare, et ita influxum suum infinitæ virtutis attemperet conditioni et naturis earum, nolens cum igne aliud facere, nisi quod ignis naturaliter potest, cooperante Deo, et sit cum aliis causis; non arguit imperfectionem in Deo, sed excessum bonitatis ac liberalitatis.

Ad tertiam probationem γ) eadem responsio. Nam licet verum sit artificem pro arbitrio suo eligere instrumenta, eaque dirigere, et movere, et efficacitate donare, certum pariter est, actionem ipsius nunc de facto esse pingere vel citharizare, quia voluit operari per penicillum vel per citharam.

Ad postremam probationem δ) patet, quid dicendum sit ex iis, quæ in precedenti capite tradidimus (1).

B) Probatur jam **altera** pars antecedentis argumenti superius facti: *Determinatio quoad individuum actum provenire potest ex concursu Dei simultaneo ab æterno præfinito.* Et ratio est, quia ex altera parte concursus Dei, sine quo creatura nequit operari, ab æterno decernendus, ac preparandus est, et quidem in individuo, ex altera vero parte concursus ille eamdem numero cum causa secunda efficit actionem. Plane igitur patet per decretum concurrendi ad hanc duntaxat numero actionem remanere prorsus determinatam indifferentiam agentium necessariorum ad varios numero actus et effectus.

Et confirmatur. Quia si Deus potest determinare, ac definire individuum effectum per creatam entitatem, qualis est præmotio, cur non poterit per decretum æternæ suæ voluntatis? Si enim hoc modo determinat Deus plurimas actiones et effectus, quos ipse solus efficit, cur non poterit simili modo decernere singulas actiones et effectus, quos simul cum causis secundis producturus est?

(1) Vide cap. 1, art. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Itaque concludendum est, nullam esse necessitatem physicæ præmotionis ad tollendam indifferentiam atque indeterminationem naturalium agentium (1).

ARTICULUS III

Utrum admittenda sit physica prædeterminatio in causis libere agentibus.

282. Expeditis causis naturalibus, ad liberas gradus faciendus est, circa quas investigare oportet, utrum requirant id, quod prorsus supervacaneum esse ostendimus in causis necessario agentibus.

PROPOSITIO. **Prædeterminatio vel præmotio physica in agentibus liberis non solum necessaria non est, sed etiam pessumdare videtur libertatem (2).**

Præmotio physica etiam in causis liberis necessaria non est.

Prima pars: *Præmotio physica etiam in causis liberis necessaria non est.* Si qua enim foret necessitas præmotionis in voluntate, peteretur vel α) ex essentiali hujus subordinatione ac dependentia a causa prima, vel β) ex indifferentia ad plures actus, propter quam applicanda et determinanda foret ad unum præ alio. Atqui ex neutro capite derivatur necessitas præmotionis in agentibus liberis. Ergo....

Major continet argumentorum capita, ex quibus solent adversarii probare suam doctrinam.

Minor vero probatur. Et primo quidem α) *Præmotio physica necessaria non est ad salvandam subordinationem voluntatis a prima causa;* quia hæc sufficienter salvatur per simultaneum concursum, quatenus nihil agere possit voluntas etiam libera sine divino influxu, ac proinde impediri a Deo possint omnes actiones illius sola negatione sui concursus; unde sequitur agens creatum liberum essentialiter de-

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 32. sect. 2. num. 31, 32. Opusc. *de concurs.*, lib. 1. cap. 7. num. 3 seqq. Cfr. Lossada, op. et loc. cit. cap. 6. num 26.

(2) Fuse de hoc Suarez, *de concursu.* lib. 1, cap. 3 seqq., *de Gratia* lib. 3, cap. 4. seqq.; *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 33. seqq.; Lossada. loc. cit. cap. 6. ab init.

pendere, ac subordinari Deo in omnibus operationibus suis, quemadmodum probavimus de causis naturalibus necessario agentibus.

Nihilominus quoniam hæc est differentia inter agentia libera et necessaria, quod hæc, ubi adsit virtus completa cum omnibus prærequisitis et concursus divinus ab æterno decretus ac præparatus, nequeunt non agere, libera vero, etiamsi omnia in promptu habeant, possunt pro suo arbitrio retinere actionem; timere aliquis poterit, ne forte aliqua causa libera sit adeo rebellis duræque cervicis, ut quantumvis Deus vellet eam operari in aliquo casu determinato, ipsa tamen nollet se ad operandum applicare. Id enim possibile videtur, nisi admittatur physica præmotio; si quando vero accideret, non parum detraheretur de Omnipotentis Dei dominio.

Quæstio hæc ad Theologos spectat; nobis id unum satis sit respondere, Deum in infinito thesauro sapientiæ et omnipotentiæ suæ habere procul dubio modos, quibus voluntatem, quantumvis reluctantem, suaviter absque ulla præmotione physica, qualem Thomistæ invehunt, ad operandum divinoque beneplacito obtemperandum adducatur. Quod si id obtinere non posset omnino sine physica præmotione, quid inde sequeretur, nisi quod in aliquo casu absolute possibili præmotio necessaria esset, ut Deus consensum extorqueret a rebelli voluntate? Si vero Deus etiam in eo casu mallet talem voluntatem in sua rebellione relinquere, quam invitam ad obedientiam ope physicæ præmotionis perducere, profecto nihil detraheretur de divino dominio. Dominium namque non amittitur ex eo solum, quod quis nolit uti liberrime jure ac potestate sua obtenendi quocumque modo aliquid ad alio.

β) *Deinde præmotio necessaria non est ad removendam et actuandam indifferentiam agentis liberi.* **Prob. 1.º** Etenim non est minus efficax et potens causa libera ad agendum, quando adsunt prærequisita omnia, quam causa necessaria. Sed hæc non eget ulla promotione physica, ut de facto operetur, cum ex sua propria natura determinata sit. Ergo etiam causa libera potest se ipsam determinare.

Minor probata jam est in præcedenti articulo; **Major** vero declaratur. Nam quod causa libera ita sit potens ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

operandum, ut possit etiam non operari, etiamsi adsint omnia prærequisita, non procedit ex defectu aut imperfectione sua, sed ex eminentia perfectionis supra causas necessarias, ideoque dicendum est ipsam habere in se totam efficacitatem ad ponendam actionem, cooperante divino concursu, absque necessitate alterius complementi, quin tamen ad actualem operationem necessario pertrahatur, sicut agentia naturalia. Cum præsertim, ut constat ex alibi probatis (1), agens liberum in ipsa sui creatione divinitus acceperit inclinationem ad bonum in genere, respondentem illi impresioni, qua naturalia agentia diriguntur ab Auctore naturæ ad suos fines (2). Quæ inclinatio in bonum in genere talis est, ut ex altera parte voluntas non habeat libertatem specificationis circa ejusmodi objectum (3), ex altera vero parte inclinatio illa naturalis ad istud objectum *sufficiat* ad hoc, ut voluntas pro *sua indifferentia activa possit* se determinare ad amplectenda bona particularia et concreta, in quibus intellectus videt relucere rationem boni.

Prob. 2.° Si voluntas libera non posset se ipsam determinare sine agentis externi determinatione per actum aliquem vel motionem sibi impressam, non haberet nisi passivam et negativam indifferentiam ad operandum. Atqui voluntas gaudet indifferentia activa, nec aliter salvari ejus libertas potest ac dominium actus. Ergo....

Major patet, quia indifferentia negativa consistit in mera carentia determinationis sive ad agendum sive ad non agendum, passiva vero in capacitate receptiva actus, per quam ad utrumlibet ab alio determinatur. Jam vero voluntas libera in sententia *Prædeterminantium* ad nihil potest se ipsam determinare sine præmotione, neque in recipienda præmotione se habet active, sed solum passive, solus enim Deus illam efficit, nec potest «e homo ad eam disponere positive, vel eamdem mereri, ut fatentur adversarii, nec possunt non fateri, quomodo enim id faciat sine alia præmotione priori? de qua eadem rediret quæstio. Ergo non restat liberæ voluntati alia

(1) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 79, pag. 68, 7).
(2) Vide *Cosmolog.* num. 101, pag. 362.
(3) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 103, pag. 140.

indifferentia ad utramvis partem contradictionis nisi indeterminatio procedens ex impotentia se determinandi ob carentiam præmotionis: nec alia potestas se determinandi nisi capacitas receptiva actus illius, per quem determinetur ad hoc vel illud extremum. Nempe voluntati solum inest, secundum adversarios, indifferentia pure passiva et negativa.

Minor etiam probatur 1.° Quia ad dominium actus et libertatem voluntatis necessaria est potestas activa, qua se ipsam determinet sine alterius determinatione, siquidem docente Aquinate, *dominium est in homine* secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec in aliquod eorum determinatur nisi ex se ipsa, quod totum convenit voluntati (1). Et alibi: *Ipsa potentia voluntatis, in quantum in se est, indifferens est ad plura*, sed quod determinate exeat in hunc actum vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate (2).

Præterea 2.° Si facultas sit indifferens sine interna vi *se determinandi;* quantum est ex se, semper ac necessario manebit in eadem dispositione et indifferentia seu carentia omnis actus, donec ab alio determinetur. Quod poterit quidem esse liberum alteri causæ efficienti determinationem, non vero recipienti (3). Passio enim, ut passio, non potest esse sub dominio et libera patientis facultate nisi sub ejus potestatem ac dominium cadat actio, a qua est talis passio. Receptio ergo præmotionis non est in dominio voluntatis, nec proinde actio, quæ sine illa effici nequit. Quomodo enim habeam in manu mea id, quod obtinere non possum sine prævia actione, quæ non pendet ex me? (4).

Et confirmatur. Quia etiam in facultatibus necessariis, ac nominatim in intellectu, adest potentia et indifferentia passiva eliciendi hunc vel illum actum etiam specifice diversum

(1) 2.ª dist. 39, quæst. 1, art. 2.
(2) Ibid. art. 1. Nonnullæ editiones pro *ab alio determinante*, habent *ab alio determinate*: quæ lectio mendosa videtur esse, licet non immutet sensum.
(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 19, sect. 2, num. 20 et seqq. Cfr. *de concursu*, lib. 1, cap. 2, num. 2.
(4) Cfr. Suarez, opusc. *de concurs.* cap. 2, num. 2; et *Metaphys.* disp. 19, sect. 2, num. 19.

accepta extrinsecus determinatione, per speciem videlicet sibi impressam; et nihilominus liber non est nec dominus sui actus, nec dici potest se ipsum determinare. Cur ita, nisi quia sine specie ac determinatione objectiva nequit operari, ea vero accepta nequit cessare ab operatione? Ergo aliquid amplius reperiatur, oportet, in facultate libera, neque aliud assignari potest nisi potestas et indifferentia activa se ipsam determinandi. Verum hæc alibi fuse declarata probataque sunt (1).

Immo vero præmotio physica tollit libertatem.

283. **Secunda pars.** *Præmotio physica pessumdat libertatem*, probatur. Dogma fidei est, illudque naturæ lumine compertum, voluntatem nostram libertate indifferentiæ gaudere. Atqui, si ad omnes actus requiritur prædeterminatio physica, nullus amplius remanet actus liber.

Nam in primis ea non sita est in nostra potestate (2); et deinde, illa posita, voluntas impotens est quidem impotentia antecedenti, ad omittendum actum, ad quem prædeterminatur, vel ad ponendum ejus loco alium, ad quem non prædeterminatur. Atqui nulla est libertas, ubicumque non est potentia operandi vel non operandi proxima et sufficienter expedita et in actum reducibilis, vel ubicumque potentia in eo statu versatur, in quo chimæricum sit ipsam in actum reduci. Sic ille, qui caret alis ad volendum, luce ad legendum, vel qui ligatus est compedibus, nequet dici liber ad volandum, legendum, ambulandum. Ergo...

Major hujus probationis patet ex attributis præmotionis superius declaratis. Nempe ipsa a solo Deo procedit, qui suo arbitrio dat, vel negat illum quibus vult, deinde antecedit, sin minus tempore, saltem natura, operationem, cum debeat voluntatem determinare ad operandum; denique ita infallibiliter, et quidem ex natura sua, trahit consensum, ut implicet prædeterminatum, v. gr., ad actum amoris, omittere illum

(1) Vide *Psychologiam*, vol. 2.um num. 211, pag. 300 seqq.

(2) Ita expresse docet Magister Didacus Alvarez (*de auxiliis*, disp. 18, num. 20) quod «motio prævia non sit in potestate voluntatis, tamquam in causa efficiente, cum talis motio sit effective a solo Deo». Similia habet disp. 105. Cfr. Suarez, *de Concursu*, lib. 1, cap. 9, num. 4, 5.

et converso; sicut implicat non prædeterminatum quippiam operari (1). Unde decretum prædeterminans assignatur a Thomistis medium metaphysice infallibile, in quo Deus futura libera cognoscat, quia nimirum præmotio physica ex natura sua connexa est cum operatione voluntatis, estque ab eadem essentialiter inseparabilis (2). Si ergo nullatenus mihi libera est physica præmotio, sine qua operari non valeo, et qua recepta non possum non operari, quomodo est in potestate mea ponere actum vel omittere? (3).

«Hoc argumentum, inquit P. Antonius Goudin, est Achilles adversariorum (id est, patronorum nostræ sententiæ), quamvis sit Thersite debilius» (4). Nihilominus non Thersitis

(1) «Hæc duo incomposibilia sunt, quod justus moveatur efficaciter ad diligendum Deum, tamen non diligat illum», inquit Alvarez (op. cit. disp. 19 in conclus. 3.ª Cfr. disp. 122, num. 17). Et Billuart: «Cum repugnet esse applicationem activam sine passiva, sequitur esse *infallibilem connexionem inter gratiam applicantem ad actum* et voluntatem agentem». *De gratia*, dissert. 17, paragr. art. 3. Et Magister Dominicus Bañez: «Quantumlibet Petrus libere operatur, dum disponitur ad gratiam, implicat tamen contradictionem, quod simul, stante auxilio Dei efficaci non consentiat Deo vocanti et præparanti.» In 1.am p. quæst. 23, art. 7, *Adlertum*. Vide alia loca tum Didaci Alvarez, tum PP. Davila et Lemos et Bañez apud Livinum Meyer, *Historia controversiarum de auxiliis* lib. 6, cap. 15; et apud P. Schneemann, *Controversiarum de divinæ Gratiæ libertique arbitrii concordia*, paragr. 1, pag. 13. Friburgi Brisgoviæ, 1881.

(2) Iterum Alvarez: «Potest accipi, inquit, illud verbum *ex natura sua*, ut significet idem, quod ex reali et intrinseca virtute, quam habet a solo Deo antecedenter ad liberam cooperationem arbitrii, etiam præcognitam per scientiam, quam vocant mediam». Opusc. cit. disp. 90, num. 4, et alibi. Cfr. Gonet, *Clypeus Theol. Thomist., de Prædest.* disp. 6, num. 214, et ibid., art. 3, paragr. 1, num. 67, ubi hæc habentur. «Notandum tertio divinam motionem in creatura receptam ab eisdem Thomistis *physicam* appellari, non quod forma naturalis sit, seu per modum naturæ ad unum determinans, sed quia *ex propria essentia et ab intrinseco est efficax*, independenter a quocumque creato consensu... Exemplum tibi dat ipse Thomista, dum docet gratiam physice expellere peccatum..., quia oppositionem habet cum ipso ex sua propia essentia et ab intrinseco».

(3) Vim hujus argumenti egregie urget Lossada, loc. cit. cap. 5, num. 1239.

(4) Goudin, loc. cit. art. 6, *Objic. ex 4.° capite*, *Urgebis*.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

instar habendum esse demonstrant facto ipso Thomistæ, dum certissimum ejus ictum non uno modo conantur effugere, quamvis frustra.

Exceptiones Thomistarum rejectæ.

284. **Respondent ergo 1.°**, motionem illam prævium non quidem esse in manu nostra originative seu ex parte principii dantis, sed esse in manu nostra *terminative* sive ex parte termini, ad quem datur; quia nimirum datur ad operandum modo libero, et consequenter non tollendo aliquid a manu nostra, sed perficiendo (1).

Conceditur ergo aliis verbis id, quod assumebamus in probatione, nempe ipsam receptionem præmotionis non esse in manu nostra, siquidem principium illam nobis imprimens est Deus, qui liberrime operatur. Solum addunt, qui ita respondent, usum hujus præmotionis semel receptæ liberum esse, quia datur ad libere operandum. Id autem dicunt quidem, sed undenam probant? Si præmotio illa datur ante operationem, ac præcise ut infallibiliter et indeclinabiliter et ex sua interna conditione ac natura trahat voluntatem ad operandum, quia implicat ea accepta non subsequi operationem, cum impossibile sit eidem resistere, quomodo usus illius liber est? Hoc est mysterium illud, quod nondum potuimus intelligere, nec satis explicatur ab adversariis (2).

Sensus compositus et sensus divisus Thomistarum.

Respondent 2.° communissime, physice præmotum ad aliquem actum, v. g. ad amorem, non posse non amare in sensu composito, posse vero in sensu diviso; neque enim possunt dari duo hæc simul, habere prædeterminationem et carere actu amoris; at vero dantur simul hæc duo, habere prædeterminationem, et retinere potentiam omittendi actum amoris. Ut vero hanc distinctionem celeberrimam *sensus compositi ac divisi*, quam dicit esse S. Thomæ (1), declaret Magister Goudin, in primis conqueritur eam fautores nostræ sententiæ maligna interpretatione conatos fuisse reddere odiosam, quasi Thomistæ illam ita intelligerent, «ut præmotus possit oppositum, si tollatur præmotio, non possit vero, si ponatur præmotio, eo quod ferreis vinculis istius præmotionis sibi præripiatur omnis facultas faciendi oppositum; sicut homo ligatus ad columnam potest ambulare, si tollantur vincula, non potest vero cum ipsis vinculis. Hæc explicatio, inquit, falsa est et calvinistica, quam nunquam intenderunt Thomistæ».

«Dicimus enim, pergit doctissimus scriptor, sub ipsa præmotione ad amandum remanere potentiam non amandi; et quicumque hoc negat, pro hæretico habemus, eo quod contradicat definitioni concilii Tridentini. Sed dicimus illam potentiam non amandi non respicere *negationem amoris, ut ponendam simul cum præmotione ad amandum*, ita ut aliquis in eodem instanti sit præmotus ad amandum, et tamen non amet; sed solum potentia ad non amandum respicit non amorem ut divisum a præmotione ad amorem. Sicut dum sedeo, etiam cum ipsa sessione habeo potentiam ad ambulandum: sed illa potentia non respicit ambulationem ut conjungendam cum sessione..., sed solum respicit ambulationem ut divisam a sessione. Unde sicut sedens dicitur habere potentiam ad ambulandum in sensu diviso, non tamen in sensu composito; ita dicimus præmotum ad amorem habere potentiam non amandi in sensu diviso, non in sensu composito. Et sicut propter potentiam in sensu diviso sedens sedendo est liber, ita quoque præmotus ad amorem, liberrime amat, eo quod talem potentiam retineat» (2).

Tota hæc doctrina solet etiam hac brevi formula exprimi, quod sub prædeterminatione ad amorem, v. gr. datur

(1) Ita Joannes a S. Thoma, in respons. ad *Secundo arguitur*, paragr. Et *quando dicitur*; et Goudin, loc. cit. art. 6, post *Objicies ex eodem capite*.

(2) Quod vero addit R. P. Antonius Goudin, præmotionem esse quodammodo in nostra potestate, ex eo quod, qui eam daturus est nobis, sit Deus, motor præsentissimus et optimus, qui nemini deest in iis, quæ ad ipsum spectant; non est ad rem, nec meretur responsionem. Nam quod nobis non deerit præmotio, spectata divina bonitate ac providentia, non probat præmotionem esse in nostra potestate.

(1) *De verit.* quæst. 6, art. 4, ad 8.um Addi possunt alia loca de eadem quæst. 6 *de verit.* art. 3, ad 8.um, et 1 p., quæst. 22, art. 6, ad 3.um, citata a Thoma de Lemos in disputationibus *de auxiliis gratiæ*, apud P. Livinum Meyer, op. cit. lib. 6, cap. 10.

(2) Goudin, loc. cit. art. 6, *Objicies ex quarto capite. Urgebis. Respondeo tertio*, pag. 274. Parisiis, 1857. Præiverat P. Thomas de Lemos in disputationibus *de auxiliis Gratiæ*, apud P. Livinum Meyer, op. cit. lib. 6, cap. 10.

simultas potestatis ad amorem et omissionem amoris, sed non datur *potestas simultatis*, qua conjungatur amor cum negatione amoris.

Verum hæc etiam solutio insufficiens prorsus videtur. Nam in primis, ut insistam primo exemplo de homine ligato ad columnam, quæro, num, dum vinculis constrictus est, habeat potentiam ambulandi. Ex adversariorum doctrina respondendum est, illum habere potentiam in sensu diviso, non vero in sensu composito, secundum datam explicationem, nempe habere simultatem potentiæ, non vero potentiam simultatis, qua simul alligatus sit, et ambulet, neque enim potest ambulare, nisi vincula solvantur. Atqui potentia hujusmodi non sufficit ad hoc, ut alligatus ad vincula vere dici possit liber ad ambulandum. Quis enim sanus id dicat? et quis imputet homini alligato, quod non se moveat, quod non audiat missam die festo, etc.? Ergo a pari simultas potentiæ, quæ adest voluntati sub prædeterminatione, non sufficit ad libertatem, nisi adsit vera potestas ad resistendum illi motioni, ac dissentiendum. Et ratio est, quia potentia hujusmodi ad omissionem amoris non est reducibilis in actum sub prædeterminatione ad amorem, immo repugnat metaphysice, ut reducatur; potentia vero non reducibilis in actum et repugnans cum actu, non est proxime expedita et vera potentia, dum ita remanet alligata, et solum dici potest remota et radicalis. Quamobrem sine causa conqueritur R. P. Goudinus, quod maligne interpretemur distinctionem illam sensus compositi ac divisi.

Nec juvat quidpiam Reverendum Patrem autoritas S. Thomæ. Hæc enim sunt verba S. Doctoris: *Quamvis de quolibet absolute concedi posset, quod Deus potest eum prædestinare, vel non prædestinare; tamen supposito, quod prædestinaverit, non potest non prædestinare, vel e converso: quia non potest esse mutabilis. Et ideo dicitur communiter, quod hæc:* Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, *in sensu composito est falsa, in diviso vera* (1). Hæc verba potius destruunt totam doctrinam Goudini. Nam certum est, licet Deus in sensu diviso possit

(1) *De verit.* quæst. 6, art. 4, ad 8.um

non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare; supposito, quod aliquem prædestinaverit, jam non amplius Deo integrum ac liberum esse, ut non prædestinet, et e converso (1). Ergo a pari concludendum foret ex modo loquendi S. Thomæ, supposita præmotione, non amplius remanere libertatem non ponendi actum, licet adsit simul potentia, quæ, remota præmotione, illum omitteret. Ut ergo libertas remaneret salva sub præmotione, oporteret, ut voluntas posset conjungere prædeterminationem cum actus omissione.

Dices. «Etiam implicat ea, quæ sunt ordinata a divina providentia, non evenire; ea quæ sunt præscita a Deo et prædicta a prophetis, non fieri...: et tamen nec Dei providentia, nec præscientia, nec prophetiæ tollunt libertatem», licet non amplius sit possibile causas liberas aliter operari, quam providentia divina ordinavit, aut Deus præscivit, ac prælixere prophetæ. Ergo vel falsa est nostra doctrina, vel nobis ipsit solvenda pariter est difficultas, quam contra Thomistas urgemus (2).

Respondeo. Disparitas est immensa et manifesta; quandoquidem nec providentia divina nec scientia nec prophetia sunt formæ physicæ atque inhærentes in rebus ipsis provisis ac præscitis, unde virtutes ac potentias harum rerum intactas relinquunt in sua physica natura; ideoque causæ liberæ, non obstante præscientia effectus alicujus ab ipsis fiendi, retinent potentiam suam *physice expeditissimam* et *intrinsece reducibilem in actum* oppositum ei, qui prævisus ac præordinatus est,

(1) Cfr. S. Thom. 1.ª p., quæst. 23, art. 6, ad 3.um

(2) Ita Goudin, loc. cit. *Respondeo* 1.° ad *Urgebis* post *Objicies ex quarto capite*. Addit P. Goudinus instantiam desumptam ex præcepto moriendi, quod Christus Dominus habuit a Patre, et nihilominus libere mortuus est, licet implicaret ipsum non acceptare, ac subire mortem, stante illo præcepto. Hanc tamen instantiam omittimus, tum quia res theologica est; tum quia valde controvertitur, utrum illud fuerit verum præceptum, an simplex mandatum ac beneplacitum Patris; et si præceptum fuit, quanta fuerit ejus, ut ita dicam, extensio, utrum fuerit solum quoad substantiam mortis, an etiam quoad circumstantias variasillius. Quæ omnia tractare non possumus, quin falcem in alienam segetem mittamus.

et sic plenissimam retinet libertatem (1). At vero præmotio est forma physica facultati prædeterminatæ inhærens, eamque immutat intrinsece, et alligat, atque inhabilem reddit ad omittendum actum, quamdiu ipsa durat, seu ad conjungendam motionem cum dissensu. Et propterea intelligere non possumus, quomodo libertas superstes sit, dum adest præmotio.

Nec amplius juvat eumdem scriptorem exemplum de sessione. Profecto qui sedet, etiamsi nequeat sedere simul et ambulare, adhuc tamen retinet plenam libertatem. Sed quid ita? Quia dum sedet, adhuc penes ipsum est statum suum mutare, ac facere pro arbitrio suo, ut cesset sessio, et incipiat deambulatio. Quod si id facere non posset, certissime libertatem ambulandi non haberet. Finge v. g. hominem, qui sedeat penitus ligatus, ut impossibile foret illum, nisi prius ab alio vincula solverentur, ambulare: quis sanus hunc hominem liberum diceret ad ambulandum? Atqui hic est præcise casus hominis ad aliquem actum physice prædeterminati. Nam præmotionem, sicut Deus solus voluntati impressit, ita solus Deus amovere potest; voluntas vero solum passive se habet in ea recipienda et conservanda, et quamdiu illam tenet, adeo est ligata et impedita potentia ejus, ut impossibile sit metaphysice ipsam non operari. Hinc facile est etiam solvere aliam instantiam, quam argumento nostro adversarii opposuerunt. Etenim

Respondent 3.° Etiam stante concursu simultaneo Dei, non adest potentia conjungendi illum cum omissione actus, et nihilominus libere ponitur actus cum illo concursu, et plena etiam adest libertas illum omittendi. Et simili modo auxilium et motio efficax, cum qua voluntas elicit actus supernaturales, etiam in nostra sententia infallibiliter connexa est cum actuali operatione. Ergo non relinquit potentiam conjungendi talem motionem cum dissensu, ac proinde libertatem perimit non minus, quam præmotio physica (2).

(1) Hæc est expressa doctrina S. Thomæ, *de verit.* quæst. 6, art. 3, ad 8.um.

(2) Ita ex Joanne a S. Thoma, loc. cit. art. 3, in respons. ad *Secundo arguitur*, paragr. *Et hinc patet ad idem*; Goudin, loc. cit. in respons. 1.ª *ad Urgebis*.

Verum iterum nihil evincunt istæ instantiæ. Primo, quia concursus, divinus in sententia nostra non antecedit actionem creaturæ. Deinde quia concursus simultaneus a nobis ponitur indifferens, ita ut adhuc eo posito, semper sit in manu nostra sistere in operando, nec decernitur illa ab æterno, nec confertur in tempore, nisi supposita præscientia, qua Deus prævideat fore, ut voluntas, si ab ipso exhibeatur concursus, operatura sit, quemadmodum amplius declarabitur suo loco. Unde potentia voluntatis, etiam dum adest simultaneus concursus et actualis operatio, semper physice expedita manet ad non operandum pro suo lubito; impotentia vero quam habet conjungendi simultaneum concursum cum omissione actus, non est antecedens nec etiam concomitans, sed pure consequens et hypothetica de hypothesi sita in ipsius voluntatis potestate; supposito enim, quod libere utitur concursu divino agendo eamdem cum Deo actionem, sequitur, quod, dum utitur illo concursu, nequeat non agere. Nihil autem simile reperitur in prædeterminatione, ut jam satis declaratum est.

Ad alterum respondeo, etiam in nostra sententia auxilium et motionem gratiæ, cum qua elicimus actus supernaturales, infallibiliter connexam esse cum illis actibus, sed non infallibilitate intrinseca consequente naturam ipsam talis motionis, sed infallibilitate extrinseca, proveniente potissimum ex scientia divina: unde logice concludunt, motionem, quæ in uno est efficax et infallibiliter connexa cum actu, posse frustrari in altero, id quod verum esse nequit in præmotione physica, præcise quia infallibilem illam suam connexionem cum actu habet ex sua propria et intrinseca natura, atque adeo ubicumque reperiatur, metaphysice repugnat, ut non secum trahat ineluctabiliter actum. Itaque difficultas, quam urgebamus contra prædeterminationem, minime premit nostram sententiam, sive relate ad concursum, sive relate ad motionem gratiæ efficacis.

Respondent 4.° Deus, utpote motor primus et universalis omnium causarum inferiorum, singulas movet pro earum conditione ac natura, necessarias nempe, ut necessario agant, et liberas, ut libere, docente S. Thoma: *Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes (1). Ergo præmotio physica, utcunique infallibiliter obtineat effectum, non destruit libertatem voluntatis, quin immo eamdem potius perficit, et complet, quatenus confert voluntati ut libere velit (2).

Respondeo: *conc.* anteced., et *neg.*, conseq., vel, si mavis, *distinguo:* præmotio physica, qualem docent Thomistæ, *neg.*; præmotio physica, quæ non inferat actum ex conditione intrinseca suæ naturæ, *transeat.* Omnes tenemus Deum sic movere voluntatem, ut non auferat ei liberum arbitrium; nec possumus aliter sentire, quin offendamus contra fidem catholicam. Et hoc est, quod docet Angelicus infinitis in locis. Verum nihil id prodest adversariis, donec ostendant motionem Dei liberam fore, si Deus moveat thomistica præmotione, ea nimirum, quæ non est in nostra potestate, quæ antecedit saltem natura nostros actus, quæque infallibili ac metaphysica connexione infert illos ex interna sua conditione ac natura. Quod enim præmotio hujusmodi amice cohærere possit cum libertate, est mysterium, quod capere non possumus, credere autem non debemus, donec demonstretur nobis in deposito fidei divinæ contineri. Et præterea respuimus hujusmodi præmotionem, et quærimus alium modum motionis et concursus divini, qui nec libertatem voluntatis nostræ pessumdet, nec pugnet cum alia certa veritate. Quæ cum ita sint, aliis judicandum relinquo, num argumentum hoc, quod contra præmotionem communiter objiciunt propugnatores nostræ sententiæ, sit, prout asserebat R. P. Goudinus, *Therstis debilius*, cum non potuerit vel minimum lædi telis omnibus adversariorum. Sed jam

Probatur 2.° eadem pars propositionis. Admissa physica prædeterminatione ad omnes actus voluntatis nostræ,

(1) S. Thom. 1. 2.æ quæst. 1, num. 4.

(2) Vide Goudin, loc. cit., in respons. ad *Objicies etiam ex eodem capite*; Joann. a S. Thom., loc. cit., in respons. ad 2.um argum.; Billuart, *de Grat.*, dissert. 8, art. 4.

nulla omissio præcepti potest nobis imputari. Atqui hoc absurdum est.

Et prob. Majorem. Quod impossibile est, nequit imputari, nam ad impossibile nemo tenetur. Atqui, admissa doctrina de physica prædeterminatione, non adimplentem præceptum aliquod, impossibile est adimplere illud. Nam qui non adimplet, sed omittit præceptum, certissime non habet prædeterminationem ad illud adimplendum, quia si illam haberet, procul dubio adimpleret. Atqui sine præmotione physica secundum adversarios, metaphysice impossibile est præceptum aliquod adimplere. Ergo impossibile est eum, qui præceptum aliquod omittit, illud adimplere.

Respondebis forte præmotionem ad præceptum implendum denegari a Deo propter culpam voluntatis nolentis eam oblatam acceptare, ideoque jure imputari, ac puniri posse omissionem præcepti. «Sicut si Deus, inquit P. Didacus Alvarez, imponeret homini præceptum volandi, et quantum est ex parte sua, offerret illi alas et adjutorium necessarium ad volandum, ipse autem sua libertate responderet: *Domine, nec volo alas accipere, nec volare;* merito reputaretur reus et transgressor præcepti; etiamsi non possit absque alis volare, quia sua culpa se impedivit, ne illi donarentur a Deo» (1).

Verum prædeterminatio est motio physica, quæ a Deo solo efficitur in voluntate, atque ideo, si efficitur, nequit non recipi, quia voluntas in suo actu receptionis solum passive se habet. Ergo eatenus dici potest præmotio a Deo quidem offerri, non tamen acceptari a voluntate, quatenus, quamvis Deus, quantum est de se, paratus sit ad imprimendam præmotionem, retrahitur tamen ob perversam aliquam dispositionem vel præviam resistentiam culpabilis voluntatis. Hæc vero mala dispositio et resistentia voluntatis vel consistit in aliquo actu positivo peccaminoso, vel in mera carentia positivi alicujus actus, qui prævie ponendus esset. Si primum dicas, quæro, num actus ille positivus peccati positus est cum prædeterminatione, vel sine illa. Si sine illa; ergo prædeterminatio non est necessaria penitus

(1) Didacus Alvarez, *de auxiliis*, disp. 18, num. 20, apud P. Joann. Bapt. de Benedictis S. J., *Philos Peripat.* tom. 4 *Metaphys.*, lib. 3, quæst. 3, cap. 4, paragr. II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad omnem actum voluntatis. Si cum prædeterminatione; ergo actus ille, utpote qui non potuit caveri a voluntate, non est ipsi imputandus, ut statim amplius declarabimus. At si prava dispositio et resistentia dicatur esse mera carentia positionis alicujus actus, iterum dico hujusmodi carentiam et omissionem accidere non potuisse, nisi quia voluntas carebat præmotione ad illum actum. Et iterum quæretur, quomodo potuerit esse culpabilis et imputabilis ista alia denegatio præmotionis, et ita porro, donec veniamus ad primam omnium omissionem, quæ fuerit causa, cur denegata fuerit a Deo prædeterminatio physica ad subsequentes actus ponendos præceptumque adimplendum. Atqui ante primam omissionem non potest fingi alia prior omissio, propter quam Deus præmotionem denegaret. Ergo prima illa omissio imputabilis non fuit, nec consequenter aliæ, ac proinde nec omissio ulla præcepti. Itaque nihil valet solutio argumenti ex Didaco Alvarez deprompta.

Probatur 3.º Voluntas nequit esse libera, nisi ipsa se ab intrinseco determinet ad actum suum, ut omnes docent cum S. Thoma sic scribente: *Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud.* Atqui duo hæc inter sese repugnant, quod voluntas se determinet, et quod *voluntas ab alio* prædeterminetur. Ergo... Et re quidem vera, si prædeterminatio determinat omnem indifferentiam voluntatis liberæ, quid restat voluntati determinandum? quomodo potest aliquis dici se determinare ad id, ad quod prævie determinatus ab alio est? Nonne hoc modo etiam causæ naturales dici poterunt se determinare ad agendum? Quæ rationes tanta fulgere videntur evidentia, ut non dubitaverit P. Ludovicus Lossada ita concludere: «Mitto alia quam plurima, quæ omnia revocari possunt ad hæc duo principia: α) *Qui sine libertate caret requisito essentiali ad actum, non est liber ad actum*: β) *Qui sine libertate patitur impedimentum essentiale omissionis actus, non est liber ad omissionem actus.* Quorum primum verificatur in homine non prædeterminato, secundum in prædeterminato ad agendum. Et utrumque perpetuo verum et inconcussum agnoscitur ab omnibus præter solos Prædeterminatores, immo et ab ipsis extra rem præsentem. Ea vero adeo clara sunt et urgentia ex terminis, ut apud me

nihil magis probet subtilia PP. Dominicanorum ingenia, quam quod potuerint nihilominus physicam prædeterminationem reddere probabilem» (1).

285. PROPOSITIO 3.ª **Multo intolerabilior est prædeterminatio physica ad actus peccaminosos** (2).

Prob. 1.º Prædeterminatio hujusmodi faceret Deum auctorem peccati. Ergo....

Prob. antecedens. Ille est procul dubio auctor peccati, qui ad peccatum determinat, atque ineluctabiliter impellit. Atqui hoc faceret Deus prædeterminando.

Major videtur certa et ex terminis nota. Minor vero probatur. Nam posita prædeterminatione, vel potest vitari peccatum a voluntate prædeterminata, vel non. Non potest dici primum in adversariorum sententia; quia eatenus solum posset vitari, quatenus vel adest potentia sequendi motionem illam, vel quatenus sub ea non amplius remaneret libertas ad moralem malitiam necessaria; quorum neutrum admittitur a Prædeterminantibus. Dicendum est ergo, posita physica præmotione, vitari non posse peccatum a voluntate. Atqui hæc impossibilitas vitandi peccatum non procedit ex alio capite, quam ex ipsa præmotione; nam sine illa metaphysice repugnat actionem peccaminosam subsequi, cum illa vero metaphysice impossibile est actionem peccaminosam omitti.

Respondent. Deum determinare ad materialem et physicam entitatem peccati, non vero ad ipsam formalem malitiam, ideoque non esse auctorem peccati.

Verum in primis præmotio illa ad physicam et materialem entitatem peccati talis est, ut nequeat a voluntate in aliquem bonum usum applicari, vel detorqueri, sed ineluctabiliter ad formalem malitiam inducit. Unde vere Deus facit

(1) Lossada, *Cura. philos.* tom. 2.º *Physic.*, tract. 2, disp. 8, cap. 5, num. 15.

(2) Fuse de hac materia Suarez, *de Gratia*, lib. 3, cap. 45, 46, 47, 48; *de concursu*, lib. 3, cap. 1 seqq.; Ruiz de Montoya, *de voluntate Dei*, disp. 27, 28; de Benedictis, *Phil. peripat.* tom. 4, lib. 3, quæst. 3, cap. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccare voluntatem. Atqui quomodo non est auctor peccati, qui facit alium peccare, aut est in causa, cur alius absolute nequeat vitare peccatum? *Causa peccati*, inquit Angelicus, *est aliquis dupliciter: uno modo, quia ipse peccat; alio modo, quia facit alterum peccare; quorum neutrum Deo potest convenire* (1). Deinde non ob aliud ipsa voluntas peccat, saltem sæpissime, nisi quia amat solum ipsam physicam entitatem peccati, licet forte cuperet interea, quod illa actio non turparetur tali malitia. Cur ita? Quia malitia illa inseparabilis est prorsus a tali physica entitate actionis, saltem hic et nunc, et resultat in actu physico eo ipso, quod ametur ejus entitas materialis, licet ipsa formalis malitia directe ac per se non ametur. Ergo qui determinat ad physicam entitatem peccati, non minus, sed immo magis peccat, quam qui vult, et amat eamdem.

Prob. 2.° Multo absurdior est physice impellere ad actionem peccaminosam, quam moraliter movere ad eamdem, hortando, suadendo, consiliando, præcipiendo, etc. Atqui nemini licet, multoque minus Deo, suadere, hortari, præcipere, aut consiliari alteri actionem, quæ hic et nunc sit illi peccaminosa, ut ab omnibus conceditur. Ergo multo minus poterit Deus physice præmovere ad actum peccati.

Prob. 3.° Nequit Deus destruere atque impossibile reddere ceu agens physicum id ipsum, quod ceu agens morale vehementissime intendit, et procurat. Atqui id faceret, si ad peccatum prædeterminaret. Etenim Deus omnibus mediis moralibus voluntatem conatur avertere ab omni peccato, hortando, præcipiendo, minitando, etc.; et nihilominus, in adversariorum sententia, talem imprimit eidem inclinationem ad peccatum, prædeterminando, ut impossibile sit metaphysice non peccare.

Prob. 4.° «Hæc omnia, inquit P. De Benedictis, efficaciter roborantur ex iis, quæ Patres communiter docent adversus Manichæos, qui in homine duplicem animam agnoscebant: alteram natura bonam, unde sunt bona opera; alteram natura malam, unde sunt mala opera. Patres vero universim assumunt, *nihil, cujus Deus sit actor, determinatum esse ad*

(1) *De malo*, quæst. 3, art. 1.

malum usum. Ex quo duplex est consequentia: prima: *Ergo Deus non est auctor peccati, etiam accepti secundum materiale*, quia certe hoc est per se determinatum ad formalem malitiam. Secunda: *Ergo Deus non est auctor præmotionis ad actum peccati*, quia ista præmotio, cum sit determinata ad actionem connexam hic et nunc cum malitia, est etiam determinata ad malitiam. Vide hoc argumentum late tractatum a Ruiz, *de voluntate Dei* disp. 38, per totam» (1).

Exceptiones Thomistarum rejectæ.

286. **Respondebis 1.°** Hæc omnia argumenta continere difficultatem, quæ ab omnibus solvenda est in ipso concursu Dei simultaneo ad physicam et materialem peccati entitatem. Constat enim non minus esse causam peccati cooperatorem, quam præoperatorem. Ergo si Deus auctor peccati non est ex eo, quod concurrat physice cooperando ad peccatum, neque etiam erit, præmovendo ad illud (2).

Sed negamus parem esse rationem inter concursum simultaneum et inter prævium per physicam præmotionem, si ponatur concursus indifferens, quia concursus hujusmodi relinquit voluntatem in plena sua libertate. Neque etiam idem est cooperari, et impellere ad peccatum: unde ex communi doctrina Theologorum, possunt adesse rationes, quæ licitam reddant *cooperationem* materialem ad peccatum alterius, nunquam vero licet alterum ad peccandum inducere, multoque minus ineluctabiliter impellere. Et ratio est, quia cooperari alteri potest aliquis *mere permissive se habendo* remque sincere detestando; inducere autem non potest, nisi auctorem se reddendo ejusdem sceleris: qui enim alterum inducit ad aliquid, eum qui erat *indifferens*, ac proinde nondum in actu primo proximo constitutus ad operandum, facit operari, supplendo id, quod prius deerat in illo, et necessarium erat, ut posset operari. Et Deus quidem, licet posset denegare concursum, et sic impediret peccata, nihilominus non tenetur ad hoc, sed potest illa permittere præbendo suum concursum et cooperationem, sine qua nihil sive boni sive pravi operis

(1) De Benedictis, op. cit., cap. 5, paragr. 11 fin.

(2) Ita ex Joanne a S. Thoma, loc. cit., art. 3, in respons. ad 3.um argumentum; et Goudin, loc. cit., art. 6, in respons. ad *Objicies ex secundo capite*.

fieri potest a causa creata. Ad eum enim tamquam provisorem universalem spectat, causis inferioribus præsidia omnia conferre, quibus pro sua quæque natura eget ad operandum, ac proinde non solum virtutem, sed etiam prærequisita, inter quæ potissimum locum habet concursus præparatus. At vero præmotio physica, ut ostendimus, nec necessaria est creaturæ ad operandum, nec intelligitur, quomodo cohæreat cum illius libertate cumque sanctitate Creatoris, quippe qui prædeterminando non solum permitteret peccatum, sed vere efficeret incitando ad illud ineluctabili quadam vi.

Respondebis 2.º Actio Dei subtilissima est ac penetrabilior omni gladio ancipiti maximeque proinde præcisiva. Ergo potest movere ad materiale peccati non movendo ad formale,

Sed quæro in primis, si res ita est, cur Deus non posset hortari, aut etiam præcipere actionem materialem peccati, quin eo ipso haberetur auctor illius? Addo præterea esse impossibile movere ad materiale peccati, et non ad formale, si materiale illud, prout hic et nunc a voluntate fit, unum idemque sit cum formali.

Atqui malitia peccati, inquies, licet sit unum idemque inseparabiliter cum materiali ejusdem ac physica entitate, non causatur a Deo, sed in solum defectum voluntatis refundenda est. Nam Deus, «licet sit causa actionis, attamen non est causa, cur actio sit cum defectu; sicut calamus male aptatus non solum est causa scriptionis, sed etiam defectus, qui est in scriptione. Deus autem, licet sit causa actionis, attamen non est causa, cur actio sit cum defectu; sicut peritus artifex est quidem causa, cur calamus pingat, non tamen, cur male pingat; et anima est causa motus tibiæ curvæ, non est tamen causa, cur defectus claudicationis reperiatur in tali motu. Unde sicut isti defectus scriptionis et claudicationis non attribuuntur scriptori et animæ, sed calamo et tibiæ; ita quoque defectus actionum non tribuuntur Deo, sed creaturis, quamvis ipse moveat creaturas ad agendum. Solutio et exemplum posterius habetur in Divo Thoma» (1), cujus hæc sunt verba: *Omnis actio causatur ab aliquo existente in actu, quia nihil agit, nisi secundum quod est actu. Omne autem ens actu reducitur in primum actum, scilicet Deum, sicut in suam causam, qui est per suam essentiam actus. Unde relinquitur, quod Deus sit causa omnis actionis, in quantum est actio. Sed peccatum nominat ens et actionem cum quodam defectu. Defectus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio in quantum deficit ab ordinatione primi agentis scilicet Dei. Unde defectus iste non reducitur in Deum, sicut in causam, sed in liberum arbitrium, sicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam, non autem in virtutem motivam, a qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione. Et secundum hoc Deus est causa actus peccati, non tamen causa peccati, quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu* (1).

(1) Ita P. Antonius Goudin, loc. cit., in respons. ad *Instabis* post *Objicies ex secundo capite*, et art. 5.

Respondeo. Sed doctrina hæc, quæ egregie illustrat modum concursus simultanei indifferentis, ut mox videbimus, nihil favet, sed potius obstat physicæ prædeterminationi. Quid enim dicerent adversarii de calamo, qui non foret ex conditione sua vitiosus et ineptus ad rite recipiendam motionem etiam periti artificis, sed posset recte vel oblique dirigi pro recto vel obliquo impulsu sibi impresso ab artifice ¿An etiam in hac suppositione totum vitium scriptionis refundendum esset in calamum? Certissime non. Itemque si quis habeat tibias ita conformatas, ut flecti possint quomodolibet; cuinam tribuenda est claudicatio, tibiæne soli, an voluntati, quæ imperat arbitrio suo motum obliquum potentiæ motivæ, quæ posset rectissimum incessum exercere, quemadmodum fit, cum pueri joco gaudent incedere claudicantes? Atqui hic est præcise casus noster. Nam potentia voluntatis nostræ non *est determinata in malum, non est capax tantummodo pravæ operationis*, sed flecti potest in bonum et in malum, quia est ex sua natura indifferens ad utrumlibet, ut passim docet Angelicus cum communi sententia, etiam adversariorum; nec posset aliter esse libera, nec admittere peccatum morale. Et ideo tam sollicite requirunt Prædeterminantes physicam præmotionem, quia existimant sine hac ingenitam illam indifferentiam voluntatis amoveri non posse,

(1) S. Thom. 1. 2.º quæst. 79, art. 2. Cfr. *de malo*, quæst. 3, art. 1, ad 4.um; et art. 2, in corp; et alibi.

nec proinde absolute illam sequi hujus operationem. Quid autem hinc necessario eruitur? voluntatem, ex se indifferentem et capacem motionis sive ad bonum sive ad malum, et alterutra egentem, ut operetur; operari bonum vel malum, prout in unum vel alterum præmoveatur a Deo: cum enim prædeterminatio sit, docentibus ejus patronis, participatio quædam divinæ omnipotentiæ; infallibiliter et invicte infert ex natura sua actum illum determinatum, ad quem datur: atque adeo si est in bonum, flecti in malum nequit a voluntate, et e converso. Cum ergo aliunde soli Deo libera sit prædeterminatio, et voluntas mere passive se habeat in illa recipienda; plane fit, Deum simili modo se habere in prædeterminanda voluntate, sicut artifex movens calamum capacem rectæ vel vitiosæ directionis, vel sicut homo tibiæ recte conformatæ hunc vel alium motum imprimens pro arbitrio suo. Nempe doctrina et exempla producta a R. P. Goudino nocent ipsi vehementer, nedum faveant, cum evidenter ostendant peccaminosam actionem, admissa physica prædeterminatione, non posse refundi in solum defectum voluntatis, sed præcipue in ipsum Deum.

Dices iterum. «Cum liberum arbitrium sit versalite inter bonum et malum, ordo providentiæ communis exigit, ut aliquando determinetur ad actionem conjunctam cum defectu, præcipue post peccatum originale, ex quo contracta est tanta pronitas in malum. Deus tamen potest corrigere hanc defectibilitatem per specialem gratiam, quæ paucis datur». Ita in terminis Magister Antonius Goudin (1).

Respondeo. Ergo, præcise quia voluntas est versatilis, immo prona in malum, debet Deus aliquando illam determinare in malam actionem. Quid hoc est, nisi jamjam labentem impellere in ruinam? Quis tolerare possit tam exsecrabilem providentiæ divinæ conceptum?

Respondebis 3.° Formale peccati est extra sphæram activitatis et voluntatis divinæ. Ergo ex eo quod Deus causet, ac velit actum physicum ac materialem peccati, non sequitur eum velle etiam formalem malitiam illius.

(1) Loc. cit., in prima responsione ad *Dices*, post *Objicies ex secundo capite*.

Et confirmatur 1.° exemplo boni, quod licet unum idemque est cum vero, ita tamen attingitur a voluntate, ut verum nullatenus attingatur. **Confirmatur 2.°** «Quia materiale, non formale, peccati est intra objectum omnipotentiæ, hæc causat materiale, non formale peccati. Quis enim Deum dicat esse causam formalis malitiæ peccati? Ergo idem dici potest de concursu prævio, et de amore Dei terminato ad materiale, non ad formale, ejusdem peccati» (1).

Sed hæc est præcise ratio, cur abominandam arbitremur prædeterminationem ad peccatum, quia Deus nec velle nec facere potest peccatum; non autem capimus, quomodo non dicendus sit velle ac facere peccatum, si ad illud prædeterminat. Adversarii ergo confugiendo ad divinam sanctitatem, omnis peccati nesciam, ut nostris difficultatibus respondeant, aliud re vera non faciunt, nisi petere principium. Quod peccati auctor nequeat esse Deus, omnes fatemur; nos vero id intendimus argumentis nostris ostendere, Deum, si ad peccatum præmoveret, auctorem futurum esse peccati. Ut ergo adversarii apte responderent, non deberent affirmare, quod Deus nequeat peccare, sed explicare nobis, quomodo, etiamsi prædeterminaret, non ideo futurus esset auctor peccati.

Ad 1.um confirmationem dico, ut quis vere peccet, necesse non esse, ut ipsam formalem malitiam peccati explicite amet, secus enim paucissimi forent, qui peccarent; verum sufficit amare, et facere actionem morali turpitudine infectam. Et ideo contendimus, Deum si amare posset actionem creaturæ peccaminosam, ad eamque determinaret, atque impelleret, auctorem fore peccati. Unde retorquemus argumentum adversariorum hoc modo: Non minus repugnat Deum auctorem esse peccati, quam voluntatem attingere ipsam veri rationem. Atqui Deus amando actionem turpem, licet ipsam formalem rationem turpitudinis non amaret, revera auctor esset peccati ac turpitudinis. Ergo nequit Deus amare ipsam physicam entitatem peccati, neque ad eamdem prædeterminare.

(1) Apud P. de Benedictis, loc. cit., cap. 5, paragr. III, *Dices* 4.°

Ad 2.am confirmationem, respondeo cum P. de Benedictis, quod «omnipotentia causat, quidquid est in peccato, seu materiale seu formale illud sit, si illud *formale* appellet rationem causabilem et causatam in actu, non tamen dicitur causa malitiæ formaliter sumptæ, quia hoc non appellat rem causatam, sed modum causandi, amando ac determinando» (1). Etenim causare peccati formale non pertinet, «ad rem, quæ fit, sed ad modum, quo res fit», et nihil aliud est, «quam producere actionem peccaminosam non solum physice, sed etiam moraliter eligendo et amando. Et idcirco Deus dicitur per omnipotentiam suam causare materiale, et non formale, quia causat, et non amat» (2).

Respondebis 4.° Non minus repugnare videtur, quod Deus hominem constituat in iis circumstantiis et occasionibus, in quibus eum prævidet peccaturum, quam quod ad materiale peccati præmoveat. Atqui primum certe potest Deus, quin reddatur auctor peccati. Ergo et alterum.

Sed neganda est Major; quia immane discrimen est inter duo illa membra, tum quia evidenter patet longe minus esse sistere aliquem in loco lubrico, quam trudere in terram; tum quia neminem Deus constituit in occasionibus peccati, nisi sufficientissimis gratiarum presidiis instructum, quibus ab actu peccaminoso deterreatur, nedum in illum amplius inclinetur, immo et ineluctabiliter impellatur, ut fieret per physicam præmotionem.

Respondebis 5.° «Materiale peccati est bonum bonitate physica et naturali, atque idcirco est a Deo factibile. Ergo est amabile ab eo, qui *nihil odit eorum, quæ facit* (1).

Sed, quantacumque sit physica bonitas entitatis materialis in peccato, ea absorbetur penitus a morali malitia, nec proinde potest amari ullatenus a Deo, quin eo ipso ametur ipsa moralis malitia. «Actus autem malus, quamvis a Deo etiam sit per generalem concursum, non tamen dicitur simpliciter a *Deo fieri*, aut *esse*, sed solum *permitti*: quare est Deo libera, non quidem actio mala, sed ejus duntaxat

(1) De Benedictis, loc. nup. cit.
(2) Id. ibid., paragr. IV, in respons. ad arg. 2.um
(3) Apud P. de Benedictis, loc. cit. paragr. III, *Dices* 6.°

permissio, quæ nihil aliud importat, quam decretum collativum totius principii proximi ad utrumlibet indifferentis»..... (1). Aliæ instantiæ Revmi. P. Petri Godoy, quas fuse persequitur P. Joannes Baptista de Benedictis (2), facile solvuntur ex hactenus prælactis principiis.

ARTICULUS IV

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

Non morabor in enodandis difficultatibus, quæ ex sactis Litteris ac Patribus congeri solent ab adversariis, quia sunt alienæ a nostro instituto, et plenissime declarantur a nostris auctoribus in scholastica Theologia (3). Cæteras vero, quæ præcipuæ sint, hic explicare conabor.

§ I. — DIFFICULTATES EX ARGUMENTIS INTRINSECIS.

287. **Objic. 1.°** Causæ secundæ non agunt nisi motæ a prima, quemadmodum fert commune Philosophorum proloquium. Ergo Deus physice præmovet causas omnes secundas ad agendum. Consequentia patet, quia motio hujusmodi ex altera parte activa est et physica, non vero pure moralis; ex altera vero motio moventis est natura et causalitate prior motione mobilis (4).

Respondeo. *dist.* antec.: non agunt nisi motæ per physicam præmotionem, *neg.*; in alio sensu, *conc.* Et *neg.* conseq.

Quando causæ secundæ dicuntur nihil agere posse, nisi motæ a prima, seclusa motione gratiæ necessariæ ad actus supernaturales, potest id haud incongrue intelligi: 2) ita ut sensus sit, causas secundas agere non posse nisi per virtutem agendi a Deo datam et conservatam. Qui enim dat

Quæ causæ secundæ non possint agere nisi motæ a prima.

(1) Id. ibid.
(2) Ibid. paragr. IV.
(3) Cfr. Suarez, *de concursu*, lib. 1, cap. 12, num. 1, 2.
(4) Viste Goudin, loc. cit. art. 4, paragr. VII. *Probatur primo*, ubi contendit prædictus auctor, id doceri a S. Thoma in 1. 2.æ quæst. 109, art. 1.

virtutem ad aliquid, solet a S. Thoma et aliis antiquis DD. dici *movere ad illud*, ut infra videbimus. Et quoniam Deus omnis virtutis activæ auctor est et conservator; et conservatio est quasi jugis collatio formæ conservatæ, efficitur, ut in aliquo vero sensu causa prima moveat omnes causas secundas ad operandum, et hæ non valeant operari nisi motæ ab illa.

β) Præterea ex modo loquendi Angelici Doctoris, *movere* dicitur etiam, qui *applicat* causam ad operandum; *applicare* autem causam ad operandum dicitur aliquis vel ex eo solum, quod apponat prærequisita ad operationem necessaria, ut cum coquus *applicat* ignem ad concoquendum cibos. Et quoniam applicationes hujusmodi fieri solent per aliquam actionem, et omnis actio est immediate a Deo, in verissimo sensu iterum dici potest causa prima cæteras omnes applicare, ac proinde movere ad operandum, ex eo quod, præterquam quod det, et conservet virtutem activam, etiam apponat prærequisita necessaria; et consequenter causæ secundæ non agunt nisi motæ a prima hoc altero modo.

γ) Quod causæ secundæ non agant nisi motæ a prima intelligitur a multis, ac nominatim a cardin. Cajetano de sola cooperatione seu concursu simultaneo Dei. «Ad primam rationem Scoti (1), inquit Cajetanus, multipliciter responderi potest: primo, distinguendo ly *mota*, seu ly *movetur*. Dupliciter enim contingit secundam causam moveri a prima; uno modo motione prævia propriæ actioni, sicut baculus movet lapidem motus a manu; alio modo motione cooperativa intrinsece propriæ actioni. Et quidquid sit de Majore argumenti Scoti in primo sensu, in secundo tamen est falsa, in quo tantum verificatur Minor. Non *enim oportet, cum aliquis vult aliquid, ceu cum sol illuminat, primam causam prævia motione cooperari, sed sufficit, et exigitur eam intrinsece cooperari talì electioni vel illuminationi*; et hoc

(1) Argumentum Scoti erat istud: «*Causa movens, in quantum mota, si necessario movetur, necessario movet*. Sed omnis causa secunda est movens, in quantum mota a prima. Ergo si necessario movetur, necessario movet».

quia cooperatio in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque, sic enim disponit omnia suaviter» (1).

Quare principium vel propositio illa: *Causa secunda non agit nisi mota a prima*, accepta in hoc tertio sensu «continet... metaphoram et analogiam quamdam sumptam ex artificialibus instrumentis, ut probe notavit Fonseca (2). Nam quia videmus hæc sensibilia instrumenta, quæ a nobis in agendo pendent, et nobis subordinantur, non agere nisi mota a nobis, ideo ad explicandam subordinationem et essentialem dependentiam in agendo causarum secundarum a prima, dicuntur causæ secundæ non agere, nisi motæ a prima. Proprius autem sensus est, illas non agere nisi adjutas a prima, vel, quod idem est, ut cooperantes primæ» (3).

δ) Denique, quod causæ secundæ non agant nisi motæ a prima, intelligi potest de ipso decreto divinæ voluntatis concursum et cooperationem suam exhibendi. Nam in virtute illius decreti jam causa secunda manet quodammodo ab æterno applicata ad hanc numero actionem et effectum, et ita *voluntas Dei, quæ est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ: unde et ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur* (4).

Cæterum «axioma illud: *Causa secunda non agit nisi mota a prima*, intellectum in ea proprietate, quod causa præter suum *esse* et omnem virtutem agendi connaturalem, quam habet, indigeat novo motu vero ac reali in ipsa recepto, ut agat, falsum esse... probatum est. Neque invenitur in eo sensu ab Aristotele alicubi traditum. Unde est falsum, in illo principio sic intellecto fundari vel reductionem omnium motuum ad primum motorem, vel omnium entium ad primum ens.

«Nam illa argumentatio fundatur vel in physica experientia et ordine sensibilium motuum, vel in proportionali dependentia

(1) In 4.um p. quæst. 30, art. 8, vers. fin pagr. *Ad primam autem rationem*. Cf. eumdem Cajet. in 1.am p. quæst. 14, art. 13, *Nec sustinendus est Scotus*. Videetiam ipsum Scotum et alios axioma, aliud de cooperatione intelligentes apud Suarez, *De auxiliis Gratiæ* lib. 3, cap. 40, num. 8.

(2) Lib. 7 *Metaph.* cap. 2, quæst. 9, sect. 2.

(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 48.

(4) S. Thomas, *de potent.* quæst. 3, art. 7, ad 9.um

omnium effectuum a suis causis, non vero in illa occultissima præmotione, nulla ratione fundata. Itaque discursus physicus Aristotelis fuit, omne quod movetur ab alio moveri, omnesque motus inferiorum corporum aliquo modo reduci ad motum cœli, cœlum autem ipsum moveri ab alio, atque ita cum non possit in infinitum procedi, sistendum esse in aliquo primo motore. Discursus autem metaphysicus proportionalis erit, omne ens, quod non est a se, manare ab alio; et illud aliud, si non sit a se, rursus esse ab alio; cumque non possit procedi in infinitum, sistendum esse in ente a se. Et proportionali modo poterit discursus fieri inter agentia ut sic, ex vi essentiali dependentiæ a nobis explicatæ. Nam quod non est agens a se, reducendum est in aliud, in quo nitatur in agendo, donec istatur in aliquo, quod a se sit agens, et in nullo alio nitatur. Denique fieri potest discursus naturalis ex sensibilibus motibus corporum universi, per quos res istæ corporeæ ita applicantur ad agendum vel patiendum sicut necesse est ad conservationem universi; nam hoc est signum hinc omnia ab uno supremo principe gubernari. Ita ergo propositio in dicto sensu nec vera est, nec ad prædictas reductiones necessaria» (1).

Objic. 2.º Causa secunda nequit agere nisi applicata a causa prima. Atqui quod conjungit, et applicat causam ad agendum, præmovet illam. Ergo... (2).

Respondeo, simili modo, *distinguendo* Major. Causa secunda nequit agere nisi applicata a prima per physicam præmotionem, *neg.*; aliter, *trans.*

Distinguo, pariter Minor. Quod conjungit, et applicat causam ad agendum eo modo, quo docent Thomistæ, *conc.*; aliter, *neg.* Nimirum Deus dici potest in recto sensu applicare causas secundas, tum quia tribuit, et conservat ingenitas inclinationes ad certos fines et operationes singulis causis, ut agant, ubicumque adsunt prærequisita (3); tum quia apponit hujusmodi prærequisita vel mediis aliis entibus vel ipse solus, sicut

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 47. Cfr. opusc. *de concursu Dei*, lib. 1, cap. 11, numero 10 seqq.; et lib. 3 *de auxiliis gratiæ*, cap. 11, num. 78.

(2) Vide Magistrum Goudin, loc. cit., *Prob. tertio.*

(3) Cfr. cardin Cajetan., In 1.am 2.æ, quæst. 9, art. 4, fin.

ipse solus nominatim apponit prærequisitum illud absolute necessarium creaturæ ad operandum, situm in decreto dandi concursum, et quidem ad hanc numero actionem et effectum, unde mox Deus confert de facto concursum ab æterno præparatum efficiendo eamdem cum creatura operationem. Quo pacto Deus rectissime dicit potest applicare causam secundam ad operandum (1). Ut omittam nunc illam controversiam, utrum Deus dici possit causas secundas applicare ad operationem ratione ipsius simultanei concursus, sicut qui operationem aliquam aggreditur, dici solet se applicare ad operandum.

Objic. 3.º Causa secunda non agit nisi in virtute causæ primæ. Ergo prius debet recipere virtutem, quam agat. Nam prius est habere virtutem agendi, quam agere. Nec dicatur ideo causas secundas agere non posse nisi in virtute Dei, quia virtutem agendi receperint ab eo, cum primum productæ sunt. Etenim alicet per creationem creatura recipiat ipsam virtutem agendi in actu primo, non tamen recipit ipsam virtutem agendi in actu secundo seu activitatem ultimam agendi, qua constituatur actu profundens actionem, reddaturque dependens a Deo in ratione agentis, sicut per creationem dependet in ratione potentis agere. Ergo debet præter virtutem, quam recipit a Deo in prima productione, recipere complementum seu applicationem illius virtutis» (2).

Respondeo, *dist. antec.*; causa secunda non nisi in agit virtute primæ, sive quam accepit permanentem in sui creatione, sive quæ continetur in influxu cooperativo simultanei concursus a Deo collati, cum operandum est, *conc.*; in aliqua alia virtute, quæ præterea fingatur, *neg.*

Quo sensu causa creata non agat nisi in virtute causæ primæ.

Virtus quidem divina est, *sicut medium contingens virtutem cujuslibet causæ secundæ cum sua effectu. Non enim virtus alicujus creaturæ posset in suum effectum, nisi per virtutem Creatoris, a quo est omnis virtus et virtutis conservatio et ordo ad effectum, quia ut in libro* **de Causis** *dicitur* (3) *causalitas causæ*

(1) Cfr. Suarez, opusc. *de concursu Dei*, lib. 1, cap. 11, num. 6 et 14.

(2) Ita iterum R. P. Goudin, loc. cit., *Probatur secundo.*

(3) Cap. 1. Vide S. Thom., in commentaria ejusdem libri, lect. 1.

secundæ firmatur per causalitatem causæ primæ (1). Et ratio est, quia, ut jam notávimus in primo capite, quantuncumque ponatur completa causa secunda in suo ordine, adhuc absoluteloquendo inadæquata est, donec accedat virtus divina, quæ causæ secundæ cooperetur; in quo creaturæ se habent instar instrumentorum, quantumvis sint causæ principales in ordine suo. Et sic verissimum est, quod nulla causa secunda operari possit nisi in virtute primæ, et quin firmetur per causalitatem ejusdem, licet non recurratur ad physicam præmotionem Thomistarum, quia nempe causa prima dat secundæ virtutem ipsam, per quam agit, et conservat eam, et etiam insuper novo influxu juvat cooperando.

Per illam vero virtutem causæ primæ, in qua dicuntur agere creatæ causæ, nequit intelligi præmotio physica, tum quia hæc non est virtus activa, sed applicatio virtutis, ut ipsimet ejus patroni docent (2); tum etiam quia etiamsi præmotio admitteretur adhuc necesse foret ponere aliam virtutem Dei, in qua causa secunda ageret, nempe virtutem influxus simultanei, quia præmotio non est ipse concursus simultaneus Dei, sed aliquid prævium, quod quantumvis inclinet, et actuet ad operandum, non poterit tamen obtinere operationem, quin virtuti creatæ superaddatur influxus cooperativus primæ causæ. Apposite cardinalis Cajetanus: «Illa, inquit, propositio..., scilicet: *Causa secunda nihil agit nisi in virtute primæ*, non juvat. Quoniam non est sensus, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi primæ, sed *quod ipsa secunda nullum effectum producit nisi virtute primæ concurrente et conjungente virtutem secundæ suo effectui* (3).

Quæ vero addebat doctissimus adversarius noster ad repellendam instantiam, jam in probationibus præoccupata sunt. Causa enim habens in promptu virtutem completam in ordine suo cum omnibus prærequisitis, non indiget ulteriori complemento et actuatione, qua constituatur *actu profundens* actionem, *reddaturque defendens a Deo in ratione*

(1) S. Thom. 2.ª dist. 1, quæst 1, art. 4, fin. corp.

(2) Revoca in mentem paulo superius scripta in descriptione prædeterminationis, num. 275, pag. 786.

(3) In 1.ºm p., quæst. 19, art. 8, sub fin.

agentis, siquidem totum id cumulatissime obtinetur per simultaneum concursum.

Dices. Nihil agit, nisi in quantum est actu. Ergo licet causa secunda completam habeat virtutem operandi; actionem ipsam profundere nequit, nisi prius actuetur, et constituatur in ratione principii in actu secundo operativi. Id autem solum per præmotionem obtinetur. Et ratio est, quia forma et virtus operativa creata, quantumvis completa et perfecta, est tantum actus primus et habitualiter duntaxat operativus, et consequenter actus admixtus potentiæ, cum sit in potentia ad actum, operatio vero est actus secundus non habens admixtam potentialitatem. Quia ergo principium agendi non debet habere minorem actualitatem, quam ipsa ejus operatio, necesse est, ut virtus activa causæ creatæ per prævium aliquam motionem accipiat ultimam illam perfectam qua carebat, actualitatem (1).

Respondeo, *conc.* anteced., *neg.* conseq. Ad probationem vero *negatur*, ex eo quod virtus completa agendi sit actus duntaxat primus, sequi, quod sit actus admixtus potentialitati.

Verum est nihil agere, nisi in *quantum est actu*, quemadmodum fert effatum frequentissimum apud Scholasticos; sed ex S. Thoma passim agens duplici modo intelligitur *esse* actu, et quatenus existat, et quatenus habeat formam et virtutem, per quam agat (2): nisi enim existat et in promptu habeat principium ipsum operandi, quod est forma et virtus, profecto nequit operari. Cum vero causa est actu in hoc duplici modo cum suis prærequisitis, non requiritur ullus alius actus, quo constituatur profundens actionem suam.

(1) Vide R. P. Gaudin, loc. cit., *Probatur tandem ultimo ratione omnino efficaci*.

(2) *Nihil agit, nisi in quantum est actu*, ait Aquinas; *unde cum unumquodque sit actu per formam, sequitur, quod forma sit principium motus* (3.º *Physicor.*, lect. 4, paragr. 1). Et alibi: *Potentia activa sequitur ens in actu; unumquodque enim ex hoc agit, quod est actu* (2.ª *Contra Gent. cap. 7, Amplius*. Cfr. ib. cap. 8. initio; et cap. 47, *Amplius*). Alibi: *Unumquodque est actu per formam* (3.ª *Contr. Gent.* cap. 47, *Ex diversitate autem formam*. Cfr. 2.ª dist. 34, quæst. 1, art. 3; *de potent.*, quæst. 2, art. 1 corp.; *de spirit. creat.*, art. 3; *de potent.* quæst. 7, art. 4).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

Et re quidem vera, cum objicitur, «virtutem causæ secundæ *esse* actum primum, ac proinde *esse* admixtum potentiæ, æquivoca est et ambigua propositio, et ideo distinguere et explicare illam oportet. Nam vel est sermo de virtute mere activa, ut est illa, quæ agit actione transeunte, vel est sermo de virtute, quæ ita est activa, ut sit etiam receptiva, quales sunt potentiæ animæ. Item cum aliqua ex his virtutibus dicitur *esse* actus admixtus potentiæ, illud potest intelligi vel de potentia passiva, vel de aliquo alio genere potentialitatis. Loquendo ergo de virtute mere activa, etiamsi sit *purus actus primus* et *separabilis ab actu secundo*, id est *ab actione*, non inde fit *talem virtutem esse admixtam potentiæ receptivæ*, nam licet careat actione, non manet in potentia receptiva alterius, quia etiam quando agit, illam in se non recipit (1). Quod si dicatur actus admixtus potentiæ, solum quia potest actu non agere, hoc non obstat, quominus habeat perfectiorem actualitatem, quam sua actio. Quia ipsa actio comparata ad formam, quæ est terminus ejus, est actus imperfectus, quia est via quædam, sicut de omni motu et mutatione Aristoteles dixit; forma autem, quæ est terminus talis actionis, non habet perfectiorem actualitatem, quam forma, quæ est principium actionis, sed vel minorem, ut in causis æquivocis, vel ad summum æqualem, ut in causis univocis (2). Ergo quod talis actus primus possit esse isto modo in potentia, non ideo indiget nova actualitate sibi inhærente, ut reducatur in actum secundum; nam per solam actionem ab eo exeuntem constituitur in actu secundo, cujus est capax. Cujus etiam signum est, quia licet fingatur amplius actuata per aliquid additum (nempe per ipsam præmotionem physicam), nondum est

(1) Ita docent communissime nostrates et plures etiam Thomistæ ipso Magistro Goudino (*Philosoph. juxta inconcussa tutissimaque... prin. part. Physic. disp.* 3, quæst. 1, art. 2) non excepto, quamadmodum vidimus in *Ontologia* (num. 451, pag. 1015 hujus). Mens S. Thomæ de hac quæstione adeo clara non est, illud vero notandum, quod Ferrariensi, Complutensibus Carmelitanis, R. P. Goudino aliisque non videatur S. Thomas sibi contrarius, prout in prædicto loco monuimus.

(2) Audi Angelicum. *Potentia activa perfectior est, quam actus, qui est ejus effectus.* S. Thom., *de verit.*, quæst. 3, art. 6, ad 7.um

constituta in actu secundo (quia præmotio non est ipse operationis actus secundus, sed via ad illum), neque in aliquo intrinseco initio ejus (1).

«De potentiis autem animæ fatemur habere potestatem activam admixtam potentiæ passivæ: sed hoc non obstat, quominus in sua entitate et in sua activitate habeant actualitatem simpliciter perfectiorem, quam earum operationes, quia licet talis potentia, in quantum passiva, secundum quid sit minus perfecta, quam sua operatio; in quantum activa, est simpliciter perfectior. Sicut anima etiam passive comparatur ad potentiam, quam in se recipit, et nihilominus perfectiorem habet actualitatem. Quæ omnia Philosophis notissima sunt, et sane ad præsens punctum parum referunt. Nam etiamsi fingatur intellectus, v. gr., cum illo prævio influxu, adhuc est in potentia receptiva sui actus secundi, et per suam entitatem, vel per habitum aut speciem aliquam, habet sufficientem virtutem in suo genere causæ ad producendum suum actum, ad quem est potentia receptiva. Ergo inde etiam habet perfectiorem actualitatem. Ergo illa alia actualitas quasi media necessaria non est» (2).

Objic. 4.º Causæ secundæ dicuntur, et sunt instrumenta causæ primæ, cujus attingunt effectum proprium. Sed instrumentum non attingit effectum causæ principalis, nisi prius ab illa moveatur (3).

Respondeo *dist.* Major. Sunt instrumenta proprie et univoce, *neg.*; improprie ac per analogiam, *conc. Distinguo* etiam Minor.: instrumentum non attingit effectum principalis causæ, nisi præmoveatur, si sermo ut de instrumentis artis, *trans.*; si sermo sit generatim de quolibet instrumento, *neg.*

Objectio ergo ex duplici capite vacillat, primo quia videtur supponere, quod causæ secundæ, etiam completæ in suo ordine, sint veri nominis instrumenta; quod falsum esse ostendimus (4). Deinde quia supponit, deratione omnis instrumenti esse, ut non agat nisi prævie motum a causa principali.

(1) Vide superius scripta num. 275, pag. 780.
(2) Suarez, *de Gratia*, lib. 3, cap. 40, num. 2 et 3.
(3) Vide Goudin. loc. cit., *Prob.* 4.º
(4) Vide paulo *superius scripta*.

At id verum non est universaliter, ut patet in calore, qui certe instrumentum dicitur ignis, nec tamen indiget ulla præmotione ignis ad comburendum; idem calor est instrumentum virtutis vegetativæ ad concoquendos cibos et carnem generandam, quin tamen ulla præmotione ad opus impellendus sit. Atque idem dicatur generatim de omnibus virtutibus ac potentiis activis, quæ sunt instrumenta propriarum substantiarum; itemque de phantasmate, quod tanquam instrumentum intellectus agentis concurrit ad productionem specierum intelligibilium; ac de semine, quod concurrit ex doctrina S. Thomæ (1) ad educendum de potentia materiæ animam sive vegetalium, sive animalium instar instrumentis animæ generantis (2).

Cæterum quod artis instrumenta requirant præmotionem artificis, causa est peculiaris ipsorum conditio; non enim agunt nisi per motum localem, quem cum ex seipsis non habeant, ab artifice recipiant oportet (3).

Objic. 5.ª Deus non solum cooperatur cum creatura causando ejus effectum, sed etiam facit, ut creatura agat, seu operetur. Actio enim ipso vel effectio formalis aliquid est, ac proinde a Deo fit. Atqui nequit Deus facere, ut creatura faciat per ipsum simultaneum concursum. Ergo per aliquid prævium. Et probatur Minor, quia virtus causans aliquid debet esse prius causato. Sed concursus simultaneus non est prior operatione creaturæ, immo nec secundum nostram sententiam ponit quippiam in ipsa causa secunda, quæ operatur. Ergo (4).

Quo sensu Deus dicitur facere, ut creatura agant.

Respondeo, *dist.* Major. Idque facit præbendo virtutem operativam, ac decernendo concursum, et per omnipotentiam suam operando, *conc.*; aliter, *nego*.

(1) Vide quæst. 3, *de potent.*, art. 11, 12.

(2) Vide quæ fusius in hanc rem dicta sunt in *Ontologia*, num. 392, pag. 1125 seqq. Et lege S. Thom., *de potent.* quæst. 3, art. 7. *Sciendum namque est, quod actionis alicujus.*

(3) Vide Suarez, lib. 1, *de concursu Dei*, cap. 6, num. 10; *de Gratia*, lib. 3, cap. 40, num. 5, seqq., ubi fuse et egregie etiam tractatur, num creaturæ respectu ipsius existentiæ communicandæ sint vera et propria instrumenta Dei, an vero causæ in ordine suo principales.

(4) Goudin, loc. cit., *Prob.* 5.ª

Dist. etiam Minor. Id nequit facere Deus per ipsum simultaneum concursum, sumptum formaliter pro ipsa formali actione creaturæ, prout a Deo fluente, *conc.*; sumptum virtualiter ac principiative pro virtute divinæ omnipotentiæ, unde fluit talis actio, *nego*. Quando dicitur Deus facere, ut creatura agat, duplici modo id intelligi potest, vel in sensu moral, sicut rex vel superior imponendo præcepta, dicitur facere, ut subditi operentur; vel in sensu physico. Jam quod attinet ad hunc sensum physicum, certum est Deum non solum efficere effectum, sed ipsam etiam actionem creaturæ, per quam effectus producitur, ut jam demonstravimus in primo capite. Ut vero Deus ipsam actionem creaturæ physice efficiat in tota proprietate, non requiritur ulla præmotio thomistica, sed sufficit in primis, quod causis omnibus secundis det, conservetque virtutes operativas (1). Si enim causæ secundæ per has virtutes efficiunt suas operationes; qui tales virtutes dat, et conservat, profecto est aliquo modo causa, cur sint illæ operationes: id que multo magis patet, si Deus det etiam virtutibus illis suas inclinationes ac tendentias ad operationes (2) et insuper apponat omnia prærequisita ad eas necessarias (3). Verum non hoc solo modo Deus facit physice, ut causa secunda faciat. Præterea per increatam virtutem suæ omnipotentiæ, quam applicare voluit ad concurrendum, influit in actionem et effectum creaturæ multo efficacius ac vehementius, quam virtus ipsa creaturæ. Ad rem Suarez: «Nec in his causis naturalibus Deus aliter facit causam secundam operari, nisi dando illi proximam virtutem agendi cum omnibus ex parte illius requisitis, et simul concurrendo. Quia sicut facere non includit nisi virtutem agendi et actionem, ita Deum facere, ut sol illuminet, v. gr., nec est, nec esse potest aliud, quam facere solem

(1) S. Thomas expresse docet eum, qui dat alicui, vel conservat virtutem agendi esse causam actionum illius, seu facit illum operari. Vide *de potent.*, quæst. 3, art. 7; *de verit.*, quæst. 5, art. 2; *Contr. Gent.*, cap. 67, cujus vide titulum et argumenta.

(2) Vide *Cosmolog.* num. 101, pag. 392.

(3) Iterum expresse docet Angelicus eum, qui *applicat* virtutem activam causæ esse causam actionis illius, sicut coquus applicans ignem dicitur esse causa decoctionis. 3.ª *Contr. Gent.* cap. 67, *Item...*

cum virtute illuminandi, et constituere illum in tali loco, etc., et cum illo ad illuminandum concurrere: et idem est in qualibet alia causa naturali, ut a quolibet facile considerari potest» (1).

Quod vero attinet ad sensum moralem, quatenus Deus vel intendat, vel præcipiat, aut prædefiniat actiones creaturæ, et hoc modo faciat, ut illa operetur; id quidem verum est de multis, non tamen de omnibus. Aliquas enim actiones Deus permittit duntaxat. «Et tunc non proprie in eo sensu facit Deus, ut creatura faciat, sed permittit, ut faciat, eique facienti cooperatur. Unde non pertinet ad perfectionem primæ causæ, ut in universum et ad omnia concurrat illo modo, sed potius est præter sapientiam et bonitatem ejus. Atque ita potest argumentum in contrarium retorqueri. Nam ex opposita sententia sequitur, Deum in universum facere, ut faciant etiam illi, qui male faciunt, quia per propriam actionem suam a sola sua voluntate prodeuntem eos determinat, ut ita faciant...

«Alio tandem ac morali modo dicitur Deus facere, ut homines faciant illustrationibus et inspirationibus...; non tamen pertinet ad concursum (generalem) primæ causæ, sed ad ordinem gratiæ vel specialis providentiæ divinæ, cujus consideratio non est hujus loci» (2).

Objic. 6.° Quod est indifferens ad utrumlibet, non agit nisi prius determinetur ab alio. Sed ut plurimum causæ secundæ, præcipue voluntas humana, sunt indifferentes ad utrumlibet. Ergo non agunt nisi prius determinentur ab aliquo, scilicet a causa prima, quæ sola potest determinare voluntatem... Hæc est ratio D. Thomæ» (3). Ita iterum R. P. Antonius Goudin (4). Et Major patet, quia quod est indifferens ad utrumlibet, re vera est in potentia; nihil autem agit, in quantum est in potentia, sed in quantum est actu.

Respondeo. Objectio hæc respicit causas duntaxat liberas, nam necessariæ natura sua determinatæ sunt ad unum

(1) Suarez, lib. 3 *de Gratia*, cap. 40, num. 17.
(2) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 58.
(3) 1. p., quæst. 19, art. 3, ad 3.um; 2.ª *Physicor.*, lect. 8.
(4) Loc. cit., *Probatur sexto.*

nec ullam retinent indifferentiam nisi in ordine ad hunc vel alium effectum individuum, quem producere possunt indiscriminatim, quando jam sunt in actu primo proximo constitutæ. Indifferentia vero hujusmodi quomodo tollatur a Deo absque ulla physica prædeterminatione, jam satis explicatum est in probationibus (1). Itaque relate ad causas liberas

Disting. Major. Quod est indifferens indifferentia passiva vel etiam activa, quæ tamen careat aliquo comprincipio vel prærequisito ad agendum, quod nequeat libere ab ipso agente comparari, *conc.* Quod est indifferens indifferentia activa et electiva, quæ supponit potentiam liberam in actu primo proximo constitutam, *nego.*

Ad probationem, *dist.* Major, similiter. Quod est indifferens indifferentia passiva *conc.*; activa, *subdist.* est in potentia passiva, *nego.*; in potentia activa, *conc.* Et *contradist.* Minore, *nego.* conseq. Quod enim est in actu primo proximo completum in suo ordine, nequit dici proprie in potentia, sed re vera est suficienter in actu, quemadmodum patet ex dictis. Et ideo solemne est apud Philosophos dicere, quod potentia activa, quantum est de se, importet perfectionem, ac proinde actum; omnis enim perfectio actus est.

Solutio continet omnimo doctrinam S. Thomæ sic scribentis:» *Ad utrumlibet..... esse alicui virtuti potest convenire dupliciter: uno modo ex parte sui, alio modo ex parte ejus, ad quod dicitur. Ex parte quidem sui, quando nondum consecuta est suam perfectionem, per quam ad unum determinetur... unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, et ostenditur esse potentialitas in ipsa, sicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum assentitas est principia, ex quibus ad alterum determinetur. Ex parte autem ejus, ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet, quando perfecta operatio virtutis a neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest: sicut aliquis, qui diversis instrumentis uti potest æqualiter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, et ob hoc determinatur ad neutrum, sed ad*

(1) Vide supra, num. 282, pag. 811, 812.

utrumlibet se habet (1). Quando vero S. Thomas dicit in objecto loco, quod est indifferens, exire in actum non posse nisi ab alio determinetur, loquitur de indifferentia passiva potentialitatem importante, ut patet ex contextu, et fusius probabitur inferius.

Ceterum quicumque arbitretur indifferentiam voluntatis libere in actu prodire non posse nisi ope physicæ prædeterminationis; hæc etiam consequenter admittat necesse est: 1.º nullum actum oriri posse a voluntate, prout libera est, non enim est libera, nisi prout indifferens, cum indifferentia sit ratio constitutiva libertatis. 2.º Voluntatem prædeterminari debere etiam ad ipsam formalem malitiam peccati, siquidem est ad eam per se indeterminata et indifferens. 3.º Sine prædeterminatione non fore in voluntate veram potentiam ad ullam actum determinatum, nam voluntas est indifferens, et ex indifferenti nihil determinatum oriri potest. 4.º Voluntatem non prædeterminatam ad actum præceptum, immerito puniri aut culpari posse, quod illum omittat. «Sic enim Deo respondere poterit: *Domine ad talem actum nihil habui præter libertatem in actu primo mere indifferentem. Quomodo autem violarem proloquium illud: Ab indifferenti, ut indifferenti, nihil determinatum oriri potest?* (2).

Objic. 7.º Ille, qui respicit finem ultimum universi, debet omnia præmovere, et applicare ad suas operationes, et non solum cum illis concurrere. Sed Deus respicit finem

(1) S. Thom. 1.ª *Contr. Gent.* cap. 82, *Horum autem nullum...* Eamdem doctrinam sic expressit Ferrariensis. «Determinari, inquit, non solum est ejus, quod est in potentia, sed cujuscumque secundum se indeterminate et ad utrumlibet se habentis. Sed tamen secundum diversum modum indeterminationis et se habendi ad utrumlibet, est etiam diversus modus determinationis. Nam si aliquid est indeterminatum per modum materiæ et potentiæ passivæ, et sit ad utrumlibet ex parte virtutis, oportet, ut tale sit in potentia, et ab aliquo extrinseco agente determinetur. *Si autem sit indeterminatum per modum agentis liberi, et ad utrumlibet se habentis ex parte ejus, ad quod dicitur, non oportet tale esse in potentia, nec ab aliquo extrinseco determinari: sed ipsum se ratione suæ libertatis determinare potest.* Ferrariensis, In lib. 1.um *Contr. Gent.* cap. 82, paragr. *Ad primum horum*, Cfr. initio, *Sed ad primum horum.*

(2) Lossada, loc. cit., cap. 6, num. 10.

ultimum totius universi. Ergo... Major declaratur. Nam ille, qui respicit finem ultimum totius universi, debet omnia dirigere ad illum finem: quod explicat D. Thomas exemplo ducis, qui applicat, et dirigit omnes milites ad victoriam consequendam, quæ est finis totius exercitus. Sed non potest dirigere nisi applicando et præmovendo». Nam concursus simultaneus non dirigit actionem creaturæ, sed solum ipsi cooperatur; motio vero moralis non dirigit nisi moraliter et inefficaciter. Ergo debet præterea dari motio prævia et effectiva (1).

Respondeo, *dist.* Major. Qui respicit finem ultimum universalem, debet omnia præmovere et applicare per physicam præmotionem, *nego:* aliter, *conc.*

Et similiter *disting.* conseq. et Minorem probationis. Jam diximus, quibus modis Deus præmoveat, et applicet causas secundas ad operandum. Quod autem physica præmotio nullatenus necessaria est ad hoc, ut Deus omnia dirigere possit ad finem ultimum universalem, patet in primis vel ex ipso exemplo, quod adversarius mutuatur ex Aquinate. Dic enim mihi, quæso, quanam physica præmotione utendum sit imperatori, ut milites ad victoriam consequendam dirigat? Numquid non sufficit, ut apta cuique loca assignet, arma suppeditet, propositoque bono victoriæ animos verbo et exemplo ad pugnam accendat? An vero præterea ipse suis manibus pedes manusque militum agitare debebit, et huc illuc propellere, quasi forent saxa vel machinæ inanimatæ? Sic etiam Deus creavit omnia entia mundana, et suas cuique virtutes indidit, fines sive proximos sive remotiores assignavit, ad eosque obtinendos tendentias et consentaneas propensiones impressit; addidit agentibus liberis inclinationem in bonum in genere cum facultate aligendi inter bona particularia, proposuit præcepta, leges, præmia, supplicia decrevit, insuper, ubi opus esset, adjungere oportune speciales motiones, quæ tamen expeditam relinquerent potestatem dissentiendi, sive pro actibus supernaturalibus sive pro casibus difficilioribus: denique singula entia sic instructa et conformata ita per diversa loca et tempora distribuit, et

(1) Goudin, ibid., *Prob.* octavo.

collocavit variisque in adjunctis constituit, prout aptissimum esse noverat, ut ordinem mundanum conservarent, eumque gradum gloriæ Deo tribuerent, quem ipse Deus, prælucente scientia media, libere elegerat tanquam finem supremum totius creationis. Et in hujusmodi applicatione causarum, ut consentanea ad suas naturas sine miraculo operentur, fere consistit ordinaria providentia Dei. Neque ulla alia præmotio vel applicatio jam opus est, ut, si Deus in singulis casibus simultaneum concursum exhibeat, tota rerum universitas, instar ingentis exercitus, ordinatissime certissimeque ad finem suum conspiret sub ductu et suavissima providentia Creatoris.

Dices. Divina motio et applicatio talis esse debet, per quam Deus omnia infallibiliter disponat, et mandet executioni. Sed sola physica præmotio potest id præstare. Ergo admittere hanc necesse est. Prob. Minor. Nam «concursus simultaneus, cum sit de se indifferenter paratus omnibus, non regit, nec movet creaturas infallibiliter, sed expectat indifferenter earum cooperationem. Motio vero moralis, præter quam quod non est omnibus creaturis communis, illas, quas movet, non applicat infallibiliter, sed plerumque inutiliter excitat. Ergo sola præmotio physica est exsecutiva divinæ providentiæ. Ideoque Providentia dicitur infallibilis, quod regat creaturas per motionem infallibilem. Hæc ratio efficacissima est et præclarissima, qua utitur Divus Thomas (1), ubi, sic argumentatur: *Omnis inclinatio, sive naturalis sive voluntaria, nihil aliud est, quam impressio a primo movente, sicut inclinatio sagittæ ad signum determinatum nihil aliud est, quam quædam impressio a sagittante.* Ex quo concludit, quod Dei gubernationi nihil resistit, *quod omnia, quæ aguntur vel naturaliter vel voluntarie quasi propria sponte perveniunt in id, ad quod divinitus ordinantur*». Ita R. P. Goudinus (2).

Respond. *dist.* Major. Divina motio talis esse debet, quæ infallibiliter disponat, et executioni mandet omnia, infallibilitate præcise antecedente et intrinseca, *nego:* sive

(1) 1 p., quæst. 105, art. 8.
(2) Loc. cit., *Prob. nono.*

antecedente et intrinseca sive consequente et extrinseca, *conc. Et contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Ad probationem, *dist.* primam partem antecedent. Concursus simultaneus, utpote indifferens, non movet infallibiliter, infallibilitate intrinseca et antecedente, *conc.*; infallibilitate consequente et extrinseca, quæ ex scientia media derivatur, *nego.* Et eodem modo *distinguo* alterum membrum relate ad motiones morales efficaces; nam relate ad inefficaces manifestum est, quod licet possent infallibiliter movere eadem infallibilitate extrinseca, de facto tamen non movent ob rebellionem voluntatis.

Tum *nego* consequentiam. Itaque providentia divina certissime atque infallibiliter infallibilitate metaphysica disponit, et regit omnia, mandatque exsecutioni, sed prælucente scientia media, ut infallibilitas cum suavitate amicissime conserta cohæreat. Primum enim per scientiam mediam cognoscit metaphysica certitudine Deus, quid quæque creatura in quibusvis rerum adjunctis factura esset, si ipse concursum generalem indifferentem præberet, adjectis etiam motionibus specialibus, ubi opus sit, talibus nihilominus, quæ non ex intrinseca natura et conditione sua trahant infallibiliter effectum, sed ex libera acceptatione voluntatis, quæ, quamvis posset, non vult tamen resistere. Tum supposita hujusmodi clarissima cognitione conditionate futurorum, Deus liberrime decernit creare hæc vel illa entia, sive necessaria sive libera, eaque constituere in his vel illis adjunctis, et concursum etiam ac certarum apparatum motionum specialium parare pro singulis casibus et adjunctis, eligendo consequenter hoc modo unam eventuum omnium seriem et combinationem ex infinitis possibilibus, quas scientia media commonstraverat, eam nempe, quam ex talibus entibus et adjunctorum omnium complexu secuturum esse prævidit. Mox vero, adveniente tempore, decretum hujusmodi exsecutioni mandatur a Deo, conferendo concursum et motiones illas, unde tota illa series eventuum sucessive evolvatur. Et sic quæ ante illud decretum et electionem Providentiæ divinæ in scientia media fuerant conditionate futura, jam sunt absolute futura, et quidem certissime et infallibiliter futura certitudine atque infallibilitate metaphysica et extrinseca dontaxat. Erunt futura certissime

atque infallibiliter, quia Deus prævidit futura esse, divina vero scientia certitudine atque infinitate metaphysica pollet. Erunt autem futura infallibilitate duntaxat extrinseca, quia licet concursus et motiones, per quas eventuum illorum series exsecutioni mandatur, non sint natura sua incompossibiles cum dissensu, et eædem illæ motiones in aliis adjunctis forte frustrarentur effectu ex rebellione ac resistentia voluntatis; tamen, supposita præscientia divina falli nescia, quæ est aliquid pure extrinsecum tum motionibus tum causis omnibus eventuum, jam repugnat metaphysice, ut illi eventus non contingant, atque adeo infallibilitet erunt infallibilitate extrinseca (1). Et hoc denique modo divina Providentia, prælucente scientia media, sine ulla physica præmotione dirigit omnia in fines suos, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter, salva entium liberorum libertate. Infallibilitas enim hujusmodi extrinseca eventuum reddit quidem effectus quodammodo necessarios, sed necessitate pure consequente. Nam necessitas, cur ita certissime omnes eventus contingant hoc vel alio modo, tota derivatur ex infallibilitate divinæ scientiæ. Jam vero licet divina scientia *durationi* antecedat absolutam existentiam eventuum ac liberarum determinationum voluntatis, nihilominus ordine et habitudine subsequitur. Ut enim alibi explicavimus, estque communissima doctrina Patrum, non ideo actus liberi fiunt in tempore, quia Deus prævidit, sed e converso ideo prævidentur, quia futuri sunt, eventus quippe actuum liberorum ordine aliquo præsupponendus est ante scientiam, non quidem tanquam causa illius, sed tanquam conditio, ac terminus. Sed hæc alibi tractata sunt (2).

Mirum est autem, quod R. P. Goudinus locum illum S. Thomæ in patrocinium suarum præmotionum advocaverit. Quid enim ibi ait S. Doctor? Patet ex ipsis verbis, docet nihil resistere ordini divinæ gubernationis, seu providentiam divinam certissime atque infallibiliter obtinere omnia, quæcumque decrevit, atque ordinavit. Non autem dicit, quo id modo Deus obtineat, utrum physice præmovendo, an aliter.

(1) Vide supra, num. 26, pag. 77, β) *Docent Patres*.
(2) Vide supra, num. 40, pag. 156; num. 65, pag. 212.

Cum ergo id egregie, salvis omnibus juribus et Dei et libertatis humanæ, obtineri possit per scientiam mediam, absque ulla physica præmotione, qua fide, quæso, talis doctrina silenti S. Thomæ gratis imponitur? Verum de mente Aquinatis tum in hoc, tum in aliis locis, mox disputabitur.

Objic. 8.° Si Deus non prævie agit, ac prædeterminat omnes actus liberos, non erit *primum agens, primum movens, primum liberum, primum determinans, nec causa prima totius entis, nec dominus suæ creaturæ, saltem liberæ*, tum quia offert ei suum concursum indifferentem, tum etiam quia dominium consistit in usu rei, usus autem importat applicationem rei ad operationem. Hinc vero nec causa secunda erit penitus subordinata, nec causa instrumentalis respectu Dei: quin etiam gloriari poterit creatura se aliquid habere, quod non acceperit a Deo; usus enim concursus simultanei non datur ab ipso concursu simultaneo, ac proinde nisi admittatur prævius concursus applicativus ac prædeterminativus, ex se habebit usum illius concursus. Ergo admittenda physica præmotio (1).

Respondeo. *neg.* assertum quoad omnes partes. Nam 1.° *Deus est primum agens* in verissimo sensu, quia causas omnes secundas creavit, et conservat cum suis virtutibus operativis, et complet apponendo prærequisita omnia, et concursum decernendo, atque insuper addendo, ubi opus fuerit, motiones aliquas speciales (2). Non autem est primum agens, quatenus vel ipse actionem creaturæ prius inchoet, vel ad eamdem per physicam præmotionem applicet. Ejusmodi enim applicationem jam pluribus nos impugnavimus, nec illius necessitatem probare adversarii possunt ex eo, quod Deus sit primum agens, nisi petendo principium.

An Deus, etiam non admissa præmotione vera dici possit *primum agens*.

Dices. Actio causæ primæ concurrentis debet esse prior actione causæ secundæ. Atqui si Deus solum simultanee

(1) Vide R. P. Goudin, loc. cit., *Prob. decimo et undecimo*, et paragr. V, *Prob. ultimo ab inconvenientibus*. Cfr. apud Lossada, loc. cit., cap. 6, num. 1.
(2) Cfr. S. Thom., 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 2, ubi ad rationem primi principii requiritur solum, quod agat sine auxilio prioris agentis et influentia ejus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

concurrat, actio ejus non est prior actione causæ secundæ. Ergo...

Respondeo, *distinguo*. Major. Actio Dei immanens, concursum in actu secundo decernentis, *conc.*; actio Dei, actu jam cooperantis causæ secundæ, *subdist.*; est prior re, natura vel causalitate, *neg.*; est prior dignitate, necessitate, independentia, et subsistendi consequentia, *conc.* Et *contradist.* Minore, *neg.* consequentiam.

Prior enim re non potest esse, quia actio Dei cooperantis et actio creaturæ operantis est una sola realitas, ut jam probavimus, ac tenet etiam inter plures alios cardin. Cajetanus (1).

Nihilominus quoniam hæc una actio ex duplici virtute et influxu procedit, potest *ratione* duplicari, et sic, prout procedit ex influxu causæ primæ, esse prior, quam prout procedit ex influxu causæ creatæ variis modis. Et primo quidem α) *dignitate* et *nobilitate*, ut per se patet. β) Secundo *necessitate*, quia magis necessarius est influxus Dei, quam creaturæ, item influxus causæ primæ necessitas fundatur in aliqua priori ratione; nam requiritur ex generali ratione entis, nempe requiritur, ut *sit* effectus, seu simpliciter ut sit ens, causa vero secunda influit solum ex particulari ratione entis, quæ in effectu reperitur. γ) Tertio *independentia*. Potest enim Deus sine creatura operari, non tamen creatura sine Deo. δ) Denique in *subsistendi consequentia*, eo modo, quo rationes superiores et universaliores dicuntur priores inferioribus, et causa universalis particulari. Nam bene sic concluditur: *Datur actio creaturæ: Ergo datur actio Dei*. Non vero e converso: *Datur actio Dei: ergo datur actio creaturæ* (2). Quæ doctrina diserte tradita fuerat ante nostros scriptores ab Emmo. cardinali Cajetano, qui lumen et ornamentum fuit Sacri Ordinis Dominicani (3).

(1) In 1.am p. quæst. 14, art. 13, *Nec sustinendus est Scotus*... Cfr. in 2.am p. quæst. 9, art. 8, vers. fin.

(2) Vide Suarez, lib. 1.º *de concursu*, cap. 4, num. 8; *de Gratia*, lib. 3, cap. 40, num. 10 seqq.; Ruiz de Montoya, *de volunt. Dei*, disp. 41, sect. 5, num. 9 seqq.

(3) Vide cardin. Cajetanum, ubi ait prioritatem, secundum quam causa prima dicitur prius respicere effectum, quam secunda, universaliter non esse secundum aliquam quasi durationem naturæ, ut

primus motor,

2.º *Et eodem modo patet Deum esse primum motorem, quin sit necesse ad prædeterminationem physicam confugere.*

primum liberum,

3.º *Similiter Deus est primum liberum*, non solum quia ab ipso procedit omnis creatura et facultas libera, sed quia exercitium omne creatæ libertatis præsupponit necessario atque essentialiter exercitium increatæ libertatis Dei. Enimvero quomodo potest creatura libere operari, nisi prius præcedat in Deo liberum decretum conferendi, quidquid virtutis et activitatis et complementi requiritur in creatura, ut sit in actu primo proximo constituta, et præterea applicandi etiam omnipotentiam suam ad concurrendum et cooperandum cum illa, ita ut una eademque actio procedat ab utraque virtute, et increata et creata? Quod si contendas, adhuc prædeterminationem requiri; jam Deus non erit *primum* liberum, sed *unicum*, cum nulla jam possit remanere libertas, ut probatum manet.

primum determinans,

4.º *Et eodem modo est primum determinans*, quia antecedenter ad liberam determinationem creaturæ, se libere determinare debet ad dandas illi vires consentaneas et ad cooperandum cum illa in eamdem actionem et effectum. Ad quod necessarium non est, ut *prædeterminet* Deus liberas actiones; immo si prædeterminaret, non posset voluntas' *se determinare;* non enim *se determinat*, nisi quod *nondum est determinatum*.

causa totius entis

5.º *Est Deus causa totius entis*, etiamsi non physice præmoveat, quia et causam ipsam facit et effectum ejus et actionem ac determinationem, non solum dando et conservando virtutes activas, sed insuper cooperando per suam omnipotentem virtutem. Determinatio enim voluntatis est ipsa ejus volitio, quæ, nisi concurrente Deo, effici non potest. Quod si Deus non dicitur determinare actionem, sed voluntati tribuitur determinatio, non est, quia Deus non efficit totam entitatem illius actionis simul cum voluntate creata,

in uno instanti naturæ effectus attingatur a prima causa, et in alio a secunda, ut arguens imaginatur; sed est secundum independentiam et immediationem virtutis, quia prior *independentius et immediatius immediatione virtutis* attingit effectum, quam secunda; in eodem tamen instanti naturæ effectus ab utraque attingitur. In 1.am p., quæst. 14, art. 13, *Nec sustinendus est Scotus*. Cfr. in 1.ma p., quæst. 19, art. 8, prop. fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed quia, ut sua illi servetur libertas, vult in manu ejus relinquere dominium actus, quo et illum inchoet, si velit, et omittat, si nolit, atque ab eo etiam cesset pro suo arbitrio.

et perfectus Dominus creaturæ

6.° *Deus etiam est perfectissimus Dominus* creaturæ, licet non præmoveat. Nam in primis omnia plenissime dependent a Deo et in essendo et in agendo, siquidem nihil est nisi a Deo, nec agit nisi virtute accepta a Deo, et cooperante præterea Deo per suam infinitam virtutem simultaneo concursu. Unde ita Deus omnium entium creatorum dominatur, ut possit illa in nihilum redigere, et actiones eorum impedire vel solo subtracto suo concursu, atque adeo reapse nihil agit nisi annuente Deo. Deinde vero est etiam dominus, quatenus potest, *si velit*, elicere a suis creaturis quaslibet operationes earum proprias. Id quod in causis necessariis nullam præ se fert difficultatem, quandoquidem ejusmodi sunt conditionis, quæ, omnibus positis prærequisitis ad agendum, nequeant actionem sustinere. Ubicumque ergo Deus illa constituat cum suis virtutibus ac prærequisitis, facient quidquid ipse decrevit secundum proprias naturas. In agentibus vero liberis major est difficultas, quia illa licet habeant in promptu omnia prærequisita et insuper divinum concursum præparatum, possunt nolle agere. Nihilominus Deus in infinitis thesauris suæ sapientiæ videt procul dubio modos et motiones, quibus perduci suaviter possent in diversis casibus atque adjunctis, ut agerent. Et sic etiamsi concursus divinus cum causis liberis indifferens sit, poterit tamen obtinere per illa media operationes earum certissime simul ac suavissime sine ulla physica prædeterminatione.

Itaque Deus perfectissime Dominus est 1.° negative, quia potest pro libito impedire omnem cujuslibet causæ operationem negando concursuum. 2.° positive, utendo causis secundis ad certos fines et effectus obtinendos; necessarias quidem applicando et constituendo in actu primo proximo completo, in quo non possint non operari, liberas vero, imperando, et promovendo ad actiones bonas per illam præparationem adjunctorum et collationem specialem motionum, unde per scientiam mediam prævidet actiones illas secuturas esse. *Ad actiones bonas*, inquam, *promovendo*, quia Deus nequit *uti* proprie loquendo creatura

ad malas actiones, siquidem usus importat applicationem rei ad operationem cum intentione ac voluntate illius obtinendæ, at Deus nequit intendere peccata, sed solum *permittit*. «Sed utitur voluntate, sic male agente, ad aliquod bonum, quod pertinet et ad perfectum dominium et ad infinitam Dei bonitatem et sapientiam» (1). «Ex quo tandem intelligitur, non semper actionem creaturæ pertinere ad usum positivum dominii Dei, sed partitione utendum esse. Nam quatenus illa actio est a Deo, pertinet proprie ad usum dominii ejus, quia ex ejus potestate et libertate pendet; quatenus vero est a voluntate creata, si sit bona et conformis voluntati Dei, erit etiam ex positivo usu dominii ejus, quatenus illam imperat, vel ad illam movet. Si vero sit mala, erit tantum ex usu negativo, quia nimirum illam non impedit cum possit» (2).

Dices. Sed nisi detur præmotio in illis adjunctis, in quibus Deus prævidet creaturam non esse consensuram, erit impossibile, ut Deus obtineat consensum, ac proinde non parum exinde de dominio illius detrahitur (3).

Respondeo, *neg.* assertum. Nam vel prævidet Deus in sua scientia media, quamlibet creaturam liberam, utcumque rebellem, certis adhibitis mediis posse adduci ad consensum absque præmotione ac detrimento libertatis, vel non. Si prius dicatur, poterit Deus, si vult, promovere ad actionem bonam et consensum per applicationem illorum mediorum, quæ prævidit efficacia fore. Si vero alterum dicatur, id unum sequetur, si *Deus velit absolute* obtinere consensum voluntatis, adhibendam esse pro eo casu præmotionem physicam, etiam cum libertatis præjudicio. Id quod *potest* quidem Deus facere, non vero *tenetur* ex titulo absoluti dominii sui; multoque minus tenebitur ad physice prædeterminandam voluntatem in cæteris casibus, in quibus potest aliis modis consensum obtinere. Quis enim dixerit ad salvandum jus dominii necessarium esse, ut dominus semper calce terat servum, vel suis ipse manibus illum trudat, et applicet ad operandum, etiamsi sufficiant alii modi suaviores et efficaces? Immo etiamsi

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 60.
(2) Id. ibid., num. 61. Cfr. *de concursu*, lib. 1, cap. 11, num. 13.
(3) Cfr. Goudin, loc. cit., paragr. *Quarto, sequitur*..

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

servus nollet nisi vi coactus operari, quis arbitretur dominum *teneri* vim facere, nec posse cedere juri suo sine detrimento dominii? Nonne posset Deus ratione domini supremi hominem peccantem illico interimere, atque in inferos detruderet. Ut nihilominus quoties in dies cedit huic juri, ut misericordiam exhibeat miseris nobis? Itaque prædeterminatio physica necessaria non est ad salvandum dominium Dei super omnes creaturas, quia etiam sine illa omnis actio causæ secundæ est sub dominio Dei.

An homo non prædeterminatus possit gloriari, quod habeat aliquid, quod a Deo non acceperit.

7.° *Nec vero ex negata prædeterminatione sequitur, posse hominem gloriari, quod habeat aliquid, quod non acceperit.* Licet enim usus simultanei concursus non detur ab ipso concursu simultaneo, sumpto in actu secundo, nempe ab ipsa cooperatione, quæ unum idemque est cum actione creaturæ, datur tamen a concursu simultaneo sumpto in actu primo, videlicet ab increata virtute omnipotentiæ divinæ cooperantis. Unde de nullo gloriandum est creaturæ ex eo, quod operetur absque prædeterminatione physica, quia quidquid facit, totum efficit per virtutem sibi concessam a Deo, et per omnipotentiam divinam influentem in actionem et effectum illius.

Quamvis non admittatur prædeterminatio physica, potest vere dici quod omnis causa subordinatur Deo, sitque illius instrumentum.

8.° *Unde sequitur manifeste causam omnem creatam, quamvis non prædeterminetur, penitus subordinari causæ primæ*, ejusque esse instrumentum in largiori sensu, quemadmodum fusius est jam supra expositum (1).

An licet et causæ creatæ simul agentes concurrentur inter se, sicut illæ causæ partiales.

Dices. Sed nisi Deus præmoveat creaturas, simili modo se habebunt causa secunda et prima eidem cooperans, sicut duæ causæ partiales ejusdem effectus, sicut duo trahentes navim, quod est exemplum ab ipso Molina adhibitum, contra disertam doctrinam Angelici. Atqui causæ hujusmodi partiales non sibi invicem subordinantur. Ergo nisi admittatur prædeterminatio, nequit satis intelligi subordinatio causarum secundarum a prima.

Respondeo, neg. Maior. Nam causæ illæ partiales sunt ejusdem ordinis, et ita se habent invicem, ut una alteri non det virtutem agendi; nec illam facit agere, nec movet, vel applicat ad actionem in ullo vero sensu: unde singula habent

(1) Vide supra, num. 268, pag. 764 seqq.

actionem et proprium influxum independenter ab alia. Insuper nulla earum sufficit sola ad operandum, sed si altera deficiat, suppleri aliunde debet ejus defectus: unde etiam fit, dependentiam unius ab alia esse contingentem, talem nempe quæ suppleri possit ab alia simili concausa, deficiente prima. At vero Deus et creatura opposito modo se habent, ut patet ex superius dictis, cum sint causæ diversorum ordinum. Nec vero exemplum aliorum trahentium navim adhibetur a Molina, nisi ad explicandum modum simultanei concursus sine ulla physica præmotione, et ad declarandum, quomodo Deus non sit causa totalis, licet totum effectum causæ secundæ operetur.

Objic. 9.° ex variis exemplis. «Quia corpus et omnia ejus membra subordinantur animæ, non agunt nisi ex motione et applicatione animæ: quia cæteræ potentiæ subordinantur voluntati tanquam suæ reginæ, non operantur, nisi quatenus moventur ab illa: quia membra subordinantur cordi, nullus in eis motus fit, nisi prius ab illo vitalem influxum recipiant, quo intercepto vel cessante, ut in deliquio et morte, cætera membra torpent: sic quia sublunaria subordinantur cœlis, non agunt, nisi prius vivifico siderum influxu excitentur, ut patet in plantis, quarum virtus, languescente per hiemem siderum calore, manet otiosa. Idem patet in artificialibus: sic enim prima horologii rota cæteris omnibus motum influit. Et in politicis propter subordinationem miles non agit, nisi politice applicetur a suo duce, et dux a tribuno, tribunus ab exercitus imperatore, et imperator a lege. Et judices inferiores nihil valide decernunt, nisi in quantum mittuntur, et applicantur a Rege, etc.» Atqui creaturæ magis dependent a Deo, quam corpus ab anima, potentiæ a voluntate, membra a corde, sublunaria a cœlestibus, etc. Ergo... (1).

Respondeo, nego simpliciter conseq.; quia exempla non sunt ad rem, immo vero nonnulla retorquentur in ipsum objicientem. Nam nec corpus movetur ab anima tanquam a physice præmovente, sed tanquam a causa formali, nec

(1) R. P. Antonius Goudin, loc. cit., paragr. X.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

voluntas movet reliquas potentias per physicam præmotionem (1); nec cor aliud facit nisi communicare arteriis sanguinem, eumque a venis excipere, peragendo sic circulationem. Sol vero non excitat inferiores causas per modum physice prædeterminantis, sed tantum per modum disponentis, aut complentis virtutem illarum per suum calorem. Motus etiam localis a prima rota cæteris impressus nihil habet commune cum thomistica præmotione, sicut nec impulsus v. gr. quo sagitta jacitur, quia motus vel impulsus hujusmodi continet præcise virtutem, nempe impetum omni corpori ratione inertiæ suæ necessarium, ut mutare locum possit. Exempla denique motorum politicorum et præmotionem habent duntaxat moralem, ejusque naturæ, quæ non necessario connectatur cum consensu voluntatis, quandoquidem potest semper inferior, si sermo sit de physica potestate, ac sæpe solet etiam, motionem superioris repellere, mandataque violare. Atque idem dicitur de voluntatis motione respectu potentiarum sibi subditarum, cum perspectum omnibus sit sensitivam partem in homine fræna recusare partis rationalis.

II DIFFICULTATES EX AUCTORITATE DEPROMPTÆ (2).

288. Objicies cum Magistro Goudin. «Præmotionem physicam, tenent 2) thomistæ omnes cum utroque gratiæ Doctore D. Augustino et D. Thoma. 3) Tenent primates Theologi et

(1) Vide *Psychol.*, vol. 3.um, num. 81, 82, pag. 205 seqq.

(2) Operæ pretium esse arbitror præcipua opera historica et critica, quæ in patrocinium utriusve sententiæ prodierunt usque ad nostra tempora recensere. Omissis autem capitibus, quæ in operibus Doctoris Eximii, Didaci Ruiz de Montoya et aliorum prostant ad investigandam veterum scriptorum de hisce controversiis doctrinam, placet solum justa opera referre.

1.° Antiquissimus omnium, quem ego norim, est P. Gabriel Henao, qui bina conscripsit præclara opera: *Scientia media historice profligata*, et *Scientia media theologice defensata*.

2°. Successere *Acta Francisci Penæ ac Thomæ de Lemos*, quibus, sicut etiam autographo et exemplari constitutionis Pauli V., quæ ab adversariis nostris edita esse dicebatur ad damnandam doctrinam Ludovici Molinæ, *nullam omnino esse fidem adhibendam* edixit Innocentius X decreto die 23 Aprilis 1654. Vide apud Denzinger, *Enchiridion* etc., num. 664, pag. 250.

Philosophi, quorum catalogum texere longius esset. 7) Tenent præcipuæ orbis academiæ, Salmanticensis, Lovaniensis, Dua-

3.° Tertius accedat Mag. Hyacinthus Serry, a quo sub ficto nomine *Augustini Le Blanc* edita est anno 1699 *Historia Congregationum de Auxiliis*.

4.° Contra hunc suam conscripsit *Historiam controversiarum de divinæ gratiæ auxilio Theodorus Eleutherius*, id est, Livinus de Meyer S. J. ineunte sæculo elapso uno volumine in folio, cui alterum addidit paulo post annis, ut novam editionem operis Hyacinthi Serry confutaret.

5.° A Dom. Henrico Cerf, sacræ Theologiæ Doctore ac Seminarii Torreani Præside Duaci edita est anno 1669 *Controversia inter Angelici Doctoris sectatores de mente ejus circa prædeterminationem physicam cordalis Theologis ad decidendum proposita*.

6.° P. Jacobi Platelii S. J. est *Auctoritas contra physicam prædeterminationem, novis ex ipso sacro Ordine FF. Prædicatorum petitis suffragiis stabilita, ac præsertim ex insigni opere R. P. Fr. Josephi de Vita, sicuti, De proprio et per se principio, unde provenit peccatum in actionibus voluntariis, Panormi edito anno 1665*, etc. Quod opus Platelii prodiit Duaci anno 1673.

7.° Nostris diebus P. Gerardus Schneemann, adversariorum jaculis, ut ipse in præfatione prænotat, lacessitus librum edidit Friburgi Brisgoviæ anno 1881, cui titulus: *Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii concordia initia et progressus*.

8.° Adversus hunc librum prodiit Parisiis anno 1886 alter manu et ingenio exaratus P. F. A. M. Dummermuth sub hoc titulo: *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ*.

9.° R. Patri Dummermuth respondit P. Victor Frins altero edito libro de *S. Thomæ Aquinatis O. P. doctrina de Cooperatione Dei cum omni natura creata, præsertim libera*, etc. Parisiis apud Lethielleux, anno 1892.

10.° Nec silentio premendi sunt R. P. Hippolythus Gayraud, O. P., *Thomisme et Molinisme*. Paris, 1889; R. P. Theodorus de Regnon, *Bannez et Molina, et Bannesianisme, Thomisme et Molinisme* Paris, 1890, Lesserteur, *S. Thomas et le Thomisme*; item *Revue catholique*, 15 janvier 1883; *Jahrbuch fur Philosophie und speculative Theologie*. Padeborn und Münster, 1886; *Litterarische Rundschau*, December 1886; *Was S. Thomas a Thomisti* articulus editus in *The Irish ecclesiastical Record*, May 1887; *Defensio doctrinæ S. Thomæ Aquinatis de physica præmotione* a P. Dummermuth Louvain, 1895; contra quem scripsit P. Victor Frins articulum nervosum atque eruditum apud *Etudes religieuses*, etc. Mai, 1896, pag. 142 seqq. Adde R. P. Eugenium Portalié, *Etudes religieuses*, etc., Mai, 1893, pag. 37 seqq., ubi egregius continetur articulus respondens alteri conscripto apud *Revue Thomiste*, prima Martii anni 1893 a R. P. Berthier O. P.

censis, etc. δ) Tenent præcipui Religiosorum ordines; et demum omnes, qui sincere profitentur se D. Thomam sequi, physicam præmotionem ut scholæ thomisticæ tesseram agnoscunt» (1). Ergo...

Respondeo, *nego* antecedens quoad omnes partes. Et primo quidem α) de S. Augustino ac cæteris PP. nihil dicimus speciatim, quia nec ipse adversarius ullam producit sententiam illorum pro sua doctrina, nec res speciat ad institutum nostrum. Videri possunt Theologi nostri passim de hac materia in tractatu *de Gratia*, ubi plenissime ostendunt, Patres, ac nominatim S. Augustinum, non favisse, sed infensos omnino fuisse physicis prædeterminationibus. De S. Thomæ vero mente mox specialem disputationem instituemus.

Utrum veteres Scholastici physicam prædeterminationem docuerint.

Itaque β) *negamus primates Theologos ac Philosophos propugnasse physicam præmotionem, si sermo sit de veteribus.* Enimvero Alexander Halensis (2), S. Bonaventura (3), Scotus (4), Gabriel Biel, Ægidius Romanus, Gregorius Ariminensis, Henricus Gandavensis, Thomas ab Argentina, Ockam, Aureolus aliique talia docuerunt in suis libris, quæ cohærere nequeant cum physica prædeterminatione (5). Qua de re sic sentiebat cardinalis Bellarminus, vir et doctrina et antiquitatis notitia eximius (6); «Quod attinet, inquit, ad radicem omnium controversiarum, *auctores plurimi, tum Scholastici tum Patres, disertis verbis docent non prædeterminari voluntatem in actibus liberis, immo ut verum fatear, nullum legi, qui contrarium sentiret præter hæreticos* (7). Non ergo verum est, præcipuos auctores inter Scholasticos medii ævi præmotionem physicam tradidisse. Successere postea, ut paucos tantum nominem, Capreolus (8)

(1) R. P. Goudin, loc. cit. art. 4, initio.

(2) Cum hoc sibi Halensis proposuisset argumentum. «Voluntas beneplaciti Dei est omnium bonorum. Ergo Deus voluntate beneplaciti vult nos facere bona. Sed nos non facimus semper bona, immo mala. Ergo factmus contra voluntatem beneplaciti, et voluntas beneplaciti casuatur; ita respondet: «Dicendum, quod voluntas beneplaciti est respectu bonorum dupliciter: *aut cum prædeterminatione, ut eorum, quæ non sunt in potestate arbitrii, et hæc sunt alligata necessitati; aut sine prædeterminatione, et hoc modo est bonorum, quæ sunt in potestate arbitrii. Sic enim vult illa bona, ut relinquat facultati nostræ et voluntati, et non compellat.*» Halex. Halensis, 1 part., quæst. 40 memb. 4, apud P. Livin. Meyer, *Histor. Controvers.*, lib. 6, cap. 20.

(3) Lib. 2.º Sentent. dist. 37, quæst. 1. Quæstioni huic: «An omnis actio, secundum quod actio, sit a Deo», respondet affirmative conclusione, quam dum probat, passim dicit divinam potentiam cooperari, adjuvare creaturam, sed ne semel quidem meminit præmotionis. Immo vero eam aperte sic rejicit in fine: *Ad illud, quod objicitur, quod Deus est principale movens in tali actione, dicendum, quod verum est. Attamen non sequitur ex hoc, quod excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem. Excitatio enim dicit aliquem effectum gratiæ, prævenientem ipsum voluntatem. Hæc autem requiritur in bonis meritoriis; in aliis vero operibus indifferentibus vel etiam malis non est nisi sola cooperatio divinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter et præsentialiter, sicut conservat eam in essendo, sic adjuvat in operando. Propter quod conceditur ibi esse cooperatio, non præventio vel subsecutio.* Quid vis clarius?

(1) Scotum prædeterminationes physicas non agnovisse demonstrat fuse atque erudite cl. P. Ludovicus de San in præclaro suo opere, *de Deo*, tom. 1, num. 195, in nota, pag. 440 seqq. Lovanii, 1894.

(2) Apud Suarez (lib. 3 *de grat.* cap. 35; *de concurs.* lib. 1, cap. 14; lib. 2, cap. 3.); Didacum Ruiz de Montoya (*de volunt. Dei*, disp. 30 sect. 3 seqq., et *de scient Dei*, disp. 49 et 50), Gabriel. Henao (*Scient. Media historice propugnata*, eventil. 43; et *Historia Media theologice defensata*, tom. 2), Livin. Meyer (*Histor. controvers. de divina grat.*, lib. 6, cap. 20), Gerardum Schneemann (*Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii concordia initia et progressus*, paragr. 4), et Victorem Frins (*S. Thomæ Aquinatis O. P. doctrina de cooperatione Dei. ecl.*, sectio sexta, pag. 141 seqq.).

(3) Cfr. Vita ejus scripta a P. Fuligatto, liber 5, cap. 8.

(4) *Scriptum R. P. Roberti Bellarmini in defensionem doctrinæ P. Lessii*, ad calcem *Historiæ Controversiarum* a P. Livino Meyer conscriptæ, vol. 1, pag. 780 seqq. Hujus scripti exemplar in tabulario Societatis asservari, dum ipse scribebat, testatur P. Gerardus Schneemann, op. cit., paragr. 6, pag. 138, in nota.

(5) Hunc quamvis Conimbricenses (*Physicor.* lib. 2, cap. 7, quæst. 11, art. 1) et Becanus (*De Deo*, cap. 18) patronum fuisse physicarum præmotionum putaverint, alii autem nostri scriptores, ut Suarez (*de concurs.*, lib. 2, cap. 3, num. 15; *de grat.*, lib. 3, cap. 49, num. 8), Ruiz de Montoya (*de scient. Dei*, disp. 49, sect. 6, num. 8 seqq.), Joannes Martinez de Ripalda (*de Ente supernat.*, disp. 104, sect. 6, num. 45 seqq.), Lessius (*de auxil. efficaci*, cap. 5, num. 18.), Ferdinandus Bastida (apud Livin. Meyer, *Histor. controvers.*, tom. 1, lib. 6, cap. 18; lib. 4, cap. 1.) tunquam nostris faventem doctrinis laudant.

et Paulus Soncinas (1), Franciscus de Sylvestris seu Ferrariensis (2), Thomas de Vio, cardinalis Cajetanus (3), Conradus Kœllin, Didacus Deza, Archiepiscopus hispalensis, Dominicus Soto, omnes insignes Doctores e Sacro Prædicatorum Ordine, quos post P. Gabrielem Henao (4) P. Gerardus Schneemann (5), productis multis testimoniis ostendit plura scripsisse contraria physicis prædeterminationibus: cumque id negasset R. P. Dummermuth O. P. (6), iterum nuperrime confirmavit P. Victor Frins S. J. (7). Quid ego referam nobilissimos illos atque invictos viros, qui catholicæ veritatis adversus Protestantium errores causam doctissime propugnarunt, Albertum Pighium, Thomam Stapleton, Joannem Driedonem, Ruardum Tapperum, Cunerum Petri, Bellarminum, Gregorium de Valentia, Joannem a Bononia, Antonium Delphinum, S. Franciscum Salesium (8), Cardinalem du Perron (9)

(1) Vide *Metaphys.* lib. 7, quæst. 14 et 15.

(2) Quem tamen præmotionem physicam tradidisse arbitrati sunt P. Suarez (*de Grat.*, lib. 3, cap. 20, num. 4), Molina (*Concord.*, quæst. 14, art. 13 disp. 26), Becanus et Conimbricenses, in locis supra citatis. De quo tamen vide Frins, op. cit. sect. 6, pag. 344 et 419.

(3) De quo vide loca paulo superius exscripta, num. 287, pag. 834.

(4) *Scientia Media theologice defensata, tom. 2.*

(5) *Controversiar. de divin grat. sect., paragr. 3.*

(6) *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ*, paragr. 4.

(7) *S. Thomæ O. P. doctrina de cooperatione Dei*, etc., sect. 6, art. 2 seqq.

(8) Vide plurima ex ejus scriptis collecta testimonia apud P. Thyrsum Gonzalez de Santalla, *Selectarum disputationum*, tom. 2, disp. 4, num 159 seqq.

(9) Quid hic nobilissimus Ecclesiæ Princeps de Thomistarum doctrina censuerit, nemo melius nos docebit, quam Paulus V.us Pontifex Maximus, qui sua manu scriptas reliquit sententias plurium cardinalium in postrema congregatione *de Auxiliis gratiæ divinæ*, habita die 28 Augusti anni 1607, ut finis imponeretur controversiis illis hac super re inter PP. Prædicatores et Nostrates ferventibus. Eo in scripto, quod in bibliotheca Burghesiana Romæ asservatur, et ante paucos annos primum a P. Gerardo Schneemann S. J. vulgatum est, Pontifex, postquam de aliis retulerat, sic cardinalis Perronii sententiam exponit:

«Perone: che l'opinione della predeterminazione sara accetta et sottoscritta dagli heretici per

«Perronius: Opinionem prædeterminationis physicæ acceptatum eique subscriptum iri ab

aliosque (1). Quare ipsemet Magister Petrus Soto, e Sacro Prædicatorum Ordine, in litteris anno 1551 datis ad Universitatis Lovaniensis cancellarium (2), quantumvis fervens prædeterminationum propugnator, non dubitavit asserere «universam Ecclesiam ad opiniones illas solutiores, ut ipsi videbantur, quas postea Societas Jesu contra Bañezianos tuita est, videri accedere, nominatim doctores Parisianos, atque *omnes*, quicumque tum adversus hæreticos scriberent, idem defendere;

bene etc., che Calvino l'enunrió in sensu supposito, et in sensu supposito la dannava il Concilio Tridentino, dicendo nude che l'homo potest abjicere gratiam; si sforzò di mostrare, che l'opinione dei Gesuiti era lontana da Pelagiani, con molti lochi di Sto. Agostino, dove Santo Agostino mostra, chei Pelagiani non amettevano l'illuminatione ne nell'intelletto et preparatione nella volonta, ma solo la legge et dottrina esterna; che non si doveva in alcuna maniera sospendere il libro del Molina et piu presto si doveva sospendere il Bagnez per le ragioni già dette; che si desse voce di non aver finito il negozio, ma di voler far maggiori diligenze, ma in effeto non si facessero; che si portasse inanzi il negozio, et si lasciasse sopirsi, che forse Dio farà che le parti s'accordino et varieghino meno.» Vide apud P. Schneemann, op. cit. paragr. 15, pag. 290. Friburgi Brisgoviæ 1881. Et ad calcem ejus editionis prostat autographum Pontificum photographice expressum.

hæreticis libenter, etc.; eam enuntiatam a Calvino *in sensu supposito* et *in sensu supposito* damnatam a Concilio Tridentino, illis verbis: *Homo potest abjicere gratiam*; demonstrare studuit sententiam Jesuitarum longe abesse a Pelagiania, multis locis allatis e S. Augustino, ubi ille probat, Pelagianos non admisisse illustrationem intellectus et præparationem voluntatis, sed solam legem doctrinamque externam; nullo pacto prohibendum librum Molinæ, sed potius Bannezii ob rationes jam expositas; significandum, non confectum esse negotium, sed adhibere se velle majorem diligentiam; quamquam id revera non faciendum, sed negotium procrastinandum et sopiendum; *fortasse* enim fauturum Deum, ut partes inter se reconcilientur, minusque varientur.»

(1) Quos omnes, eorumque testimonia diligenter expressa reperies in opere P. Gabrielis de Henao, *Scientia Media Theologice defensata, vol. 2.*

(2) Hæ litteræ libro thomistæ Reginaldi, *de Mente S. Concilii Trident.* Antuerpiæ anno 1706 edito, subjunctæ sunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui contra opinarentur, de errore Lutherano incusari» (1). Alter vero ejusdem Sacri Prædicatorum Ordinis, P. Georgius Albertini non dubitavit hæc scribere. «Abhorrebant (ante enatas cum Jesuitis controversias) Ordines celeberrimi (S. Dominici ac S. Francisci), a quibus universitates et cathedræ fere omnes regebantur, a decretis *antecedentibus et prædeterminantibus*. Quid igitur? Aut veteres Thomistæ Sancti Magistri sui doctrinam non intelexerunt, aut eam nuperi non intelligunt. Cæterum rivuli, quo propius ad fontem accedunt, eo puriorem aquam deferunt» (2).

Accedit, quod si doctrina de physicis prædeterminationibus fuisset communis Scholasticis in ætate media, quemadmodum objicit Revmus. P. Goudin, intelligi nequit, quo pacto liber Molinæ *de Concordia liberi arbitrii cum auxiliis gratiæ* potuerit excipi secundo favore. Nondum in lucem editus, pelagianismi accusatus fuerat a Bañezio vel ejus asseclis; quare de mandato Serenissimi Principis Alberti, Archiducis Austriæ, Cardinalis ac Lusitaniæ Generalis Inquisitoris, examinatus diligenter, magnifice laudatus atque approbatus est a Magistro Bartholomæo Ferreira, e Sacro Prædicatorum Ordine (3). Et iterum accusatus, in judicio contradictorio S. Inquisitionis Lusitaniæ, absolutus iterum evasit (4), audito prius voto ejusdem M. Bartholomæi Ferreira et Magistri Joannis de las Cuevas, ex eadem sacra doctissimaque Familia (5).

(1) Schneemann, op. cit., paragr. 6, pag. 134, ubi statim prædictas litteras Petri Soti exscribit.

(2) *In acroases Theologiæ dogmatico-moral. Scholia* II, 110, num. 37, pag. 49, 51. Venetiis, anno 1808, apud P. Schneemann, op. cit., pag. 125, paragr. 4. Porro quomodo doctrinam physicæ prædeterminationis, quam a professoribus sui Ordinis Prædicatorum audierat, lectione libri P. Ludovici Molina *de Concordia* reliquerit, ipsemet lepide narrat in epistola tertia ad Dominicum Pellegrinum (*In acroases Theolog. Dogmatico-morales Scholia*, pars 1, paragr. 2). Apud Schneemann, ibid., paragr. 10, pag. 218.

(3) Vide approbationem libri præmissam Olyssi ponensi editione 1588. Et lege P. Livin. Meyer, *Histor. controvers.* tom. 1, lib. 2, cap. 2, tom. 2, lib. 2, cap. 2 et 3.

(4) Vide Livin. Meyer, ibid. tom. 1, lib. 2, cap. 3.

(5) Vide Meyer, loc. nup. cit. cap. 4.

Nec vero solum secundo favore exceptus est liber Molinæ, sed plurimos doctrinam illius nactam esse sectatores, testis est ipsemet Magister Thomas de Lemos, qui causam fratrum suorum in solemnibus Congregationibus de *Auxiliis gratiæ* coram Clemente VIII et Paulo V propugnavit: «Liber ille, inquit, novam, ut videbatur, continens doctrinam, a quampluribus *acceptatus fuit, et ejus dogmata amplexata, ita ut in communibus disputationibus publicisque congressibus, immo et in scholis, nihil aliud audires, quam hanc Molinæ doctrinam*» (1). Quibus accinunt RR. PP. Prædicatores Vallisoletani in supplici libello a. d. VI Kal. Decembris anno 1607 ad Pontificem misso, ubi conqueruntur, quod «*plurimi* catholici sapientissimi, deficientes animo, ab incepto tramite defendendi veram salubremque doctrinam (nempe physicæ præmotionis) pedem avertunt» (2). Simili modo duo ex Consultoribus romanarum Congregationum *de auxiliis*, D. Le Bossu et de Creil, Molinianæ doctrinæ infensissimi, apud Clementem VIII conquesti fuisse dicuntur, Jesuitas in *Gallia in suas opiniones abluxisse quidquid illic erat hominum acutiorum et ingeniosiorum* (3).

Nec scio, an aliter judicandum sit de Hispania, si fidem adhibeamus Doctori Joanni Garcia Coronel, ex sacro S. Augustini Ordine, primario in Universitate Vallisoletana S. Theologiæ professore, qui sententiam rogatus a Revmo P. Joanne Bapt. Piumbino, Generali Procuratore RR. PP. Augustinianorum et in Congregationibus de auxiliis Consultore; in hæc verba respondit: «*Has prædeterminationes video displicere multum ferme omnibus hominibus doctis, qui aeriter versati sunt in rebus speculativis et scholasticis, et in controversiis fidei et contra hæreses*. In hac Pinciana (Valladolid) Universitate *neminem melioris nominis præter Dominicanos cognosco, qui arbitretur, prædeterminationes esse necessarias, et omnes*

(1) Lemos, in *Panoplia*, tom. 1, tract. 6, cap. 2, apud Livin. Meyer, op. cit., tom. 1, lib. 2, cap. 3.

(2) P. Hiacynth. Serry, O. P. (vel Augustinus Le Blanc), *Historia Congregationum de auxiliis*, lib. 4, cap. 20. Cfr. Schneemann, op. cit. paragr. 15, pag. 204.

(3) Apud L. Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pene eas aversantur. In collegio Augustinianorum vidi professores non bene de iis sentire; uti et in cœnobio S. Francisci, et inter hos nuper electum Episcopum Pampilonensem, virum doctissimum, et *Sanctissimæ Trinitatis religiosos*, et *Collegas majoris Collegii S. Crucis, quin cernere liceat in omnibus his communitatibus, qui contrarium vel legeret, vel defenderet.* Idem quoque sentire perspicio *doctiores Canonicos summæ ædis*» (1). Similia scripsit P. Augustinus Antolinez ex eadem sacra PP. Augustinianorum Familia (2). At post editum decretum a Paulo V, quo finis romanis Congregationibus *de auxiliis* imponebatur, non dubitavit asserere R. P. Aquaviva, Præpositus Generalis Societatis Jesu, in commentario, quod Pontifici obtulit, «opinionem Societatis latius pervagatam magisque confirmatam fuisse post illud decretum, ita ut multo communior tuc esset, ut accidebat in variis religiosis S. Francisci, S. Augustini, Carmelitanis et aliis» (3). Quare ea vulgo inhæsit animis opinio, Dominicum Bañez, gravissimum e sacra Prædicatorum Familia Doctorem, primum fuisse parentem (4), aut certe præcipuum propugnatorem propagatoremque physicarum prædeterminationum in Hispania, unde mox ad cæteras nationes promanarunt. Cæterum novitatem doctrinæ professi sunt ipsimet scriptores Dominicani; nam Bañezianos vel Prædeterminantes Magister Joannes Gonzalez Albelda vocat *juniores* Thomistas (5), *recentiores* Magister Josephus de Vita, siculus (6), Franciscus Aravius vero

(1) Vide apud Livin. Meyer, lib. 2, cap. 21.

(2) Vide apud Henao, loc. cit. eventil. 44; et apud Livin. Meyer, ibid. 6, cap. 20.

(3) Questa opinione (della Compagnia di Gesu) si è stesa e corroborata molto più dopo il decreto, si che adesso è molto più commune, come si vede in varii religiosi di San Francesco, di San Agostino, del Carmine ed altrio. Apud P. Schneemann., oper. cit., parag. 15, pag. 204, in nota.

(4) Dominicum Bañez præcessisse videtur Mag. Bartholomæus Medina et Mag. Franciscus Victoria, ut videre est apud cl. P. Frins (oper. cit., sect. 7.ª). Cfr. cl. et R. P. Dummermuth, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ*, pag. 520.

(5) Apud P. Schneemann, op. cit., paragr. 9, pag 215.

(6) Apud Livin. Meyer, op. cit. tom. 1, lib. 2, cap. 2.

novitios (1). Nec novitatis solum arguerunt isti doctissimi viri prædeterminationes physicas, sed easdem præterea rejecerunt (2). Quod etiam præstitisse Salmanticæ insignes Doctores Dominicanos Mantium et Joannem Vincentium, novimus ex modo laudata epistola Magistri Joannis Garcia Coronel et ex pluribus aliis fontibus (3). Quæ omnia luculenter ostendunt, ipsos PP. Dominicanos initio disputationum cum nostratibus divisos inter se fuisse (4). Quamquam prævaluit tandem

(1) Tom. 2, in 1.am, quæst. 3, art. 5, dub 6, num. 41, *Sed accedat.*

(2) Vide Aravium (loc. cit.); Gonzalez Albelda (Comment. in 1.am part., disp. 58, sect. 2, num. 7, 8; sect. 3, num. 11, pag. 650 et 704, Compluti, 1621). Josephus vero de Vita librum scripsit, a quatuor ejusdem Ordinis Patribus non sine laudibus approbatum ceu conformem doctrinæ S. Thomæ. Titulus libri est: *De proprio et per se principio, unde provenit peccatum in actionibus voluntariis.* Panormi, 1665. Videatur tota disputatio secunda, in qua et Bañezianorum argumenta dissolvuntur, et S. Thomæ doctrina declaratur.

Horum tamen nonnulli, ut Aravius et Joannes Vincentius, *morales* prædeterminationes sectati esse dicuntur, nec possunt inter amicos Molinæ reconseri, nisi in eo quod physicas prædeterminationes excludant. De valore autem citati operis Aravii (Araujo) vide clarissimum P. Portalié, *Etudes religieuses, philosophiques, historiques et litteraires*, etc., tom. 40, Avril, 1890, pag. 665.

(3) Apud Gabriel Henao (*Scient. Med. historice propugnata*, eventil. 7, num. 173) et P. Livin. Meyer (op. cit. lib. 2, cap. 12, et 22; lib. 3, cap. 1), et P. Schneemann (op. cit., paragr. 9, pag. 214, 215).

(4) «Cujus dissensionis vestigium exstitit in Familia Dominicana ann. 1606 in capitulo provinciali Avenione habito. Ubi Theophilus Raynaudus narrat (in *Hoplotheca contra ictum calumniæ* 1, 2, cap. 9, p. 27,), se præsente defensam esse hanc propositionem: *Efficacis gratiæ natura talis nobis videtur esse, ut neque physice neque moraliter voluntatem humanam prædeterminet ad volendum et eligendum bonum, quod sibi ope gratiæ inspiratur; hac enim ratione sublatus creditur omnis omnino liberi arbitrii usus tam quoad exercitium, quam quoad specificationem. Nam fieri non potest, quod Deus per gratiam voluntatem determinet, quin ipsa determinetur et sine indifferentia velit id, ad quod determinatur. Gratiæ enim efficacis effectus infallibilis est, non necessarius*». Schneemann, op. cit. pag. 215.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ingenium et auctoritas Magistri Bañez, ut omnes sui Ordinis alumnos ad se uno agmine congregaret (1).

Atque hæc, quæ apud laudatos scriptores enucleatius explicata videri queunt, summatim a nobis, quamvis nimis fuse pro hujus operis conditione, ideo scripta sint, ut pateat, quantum veritatis insit primæ parti objectionis, in qua physicam prædeterminationem tanquam communem Scholasticorum doctrinam proponebat Magister Antonius Goudin. Verum,

Quid dicendum de præcipuis orbis academiis.

7) 289. *Falsum quoque est prædeterminationem physicam a præcipuis orbis academiis teneri.* «In universitate Pinciana, inquit, quem supra laudavi, Joannes Garcia Coronel, ejusdem primarius Professor, *neminem melioris nominis præter Dominicanos cognosco, qui arbitretur prædeterminationes esse necessarias, et omnes pene eas aversantur* (2). Extra hanc Universitatem in aliis Hispaniæ academiis conjector similia accidere. *De Salmanticensi liquet mihi, exceptis Dominicanis, reliquos excellentiores professores negare hujuscemodi prædeterminationes* (3). *In Complutensi Academia generaliter recedunt a prædeterminatione physica, et cum certitudine novi censuram tulisse in favorem oppositæ sententiæ et libri Molinæ, quam contrariam prædeterminationis opinionem in Sigunlina et Scurialè Universitate (quod est insigne studium fundatum a nostro Monarcha) homines valde graves legerunt* (4).

Non solum autem Universitas Complutensis (5), sed etiam Hispalensis, amplissimas dedit litteras ad Clementem VIII, Pontificem Maximum, in commendationem libri ac doctrinæ Molinianæ; idemque fecit Siguntina in sua responsione ad Cardinalem Quiroga; Salmanticensis vero, sin minus

(1) Hujus rei causas varias enarrat P. Schneemann, ibid., pag. 216.

(2) Cfr. *Resolutio tredecim Professorum S. Theologiæ in Universitate Vallisoletana.* Apud Livin. Meyer, oper. cit., lib. 2, cap. 17.

(3) Idem asserit de Salmanticensi Universitate R. P. Augustinus Antolinez ex eadem sacra Augustinianorum, Familia, primarius ibidem Theologiæ Professor, apud Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 11.

(4) Vide integram hanc epistolam Doctoris Garciæ Coronelis apud Meyer, ibid., lib. 2, cap. 12.

(5) Vide apud Meyer, ibid. cap. 13.

aperte favit, certe Molinæ non adversata est in suo decreto, quod videri potest apud Livinum Meyer (1). Habemus ergo in sola Hispania saltem academias, Vallisoletanam, Complutensem, Siguntinam et Hispalensem e partibus Molinæ extitisse, et Salmanticensem, ut minimum dicam, non contradixisse, quidquid dicat Serry in sua Historia *Congregationum de auxiliis* (2).

Parisiensis etiam Sorbona prædeterminationes aversata est, ut constat ex certissimis testimoniis (3). Idemque vel suo exemplo satis demonstrant Doctores illi Sorbonici nobilissimi, Gamachæus, Hallier, Duval, Isambertus, Tournely aliique prædeterminationum inimicissimi.

Universitates autem Moguntina, Herbipolensis, Dilingana, Ingolstadiensis, Viennensis, Græcensis et Trevirensis in Germania, Mussipontana in Lotharingia, et Bononiensis in Italia (4), luculentissimis verbis in favorem doctrinæ Societatis contra physicas prædeterminationes calculum tulere.

Restant Universitates Lovaniensis et Duacencis, prima potissimum, nam illam Duacensis ceu matrem filia sectabatur. Lovaniensis profecto bellum indixit nostris doctrinis, ac nominatim PP. Lessium et Hamelium (Du Hamel) exagitavit, et ex prioris quidem libris exceptas propositiones triginta censura notavit. Verum undenam bellum illud exarsit Lovanii adversus nostrates? Ex Bajo ejusque asseclis ac discipulis, qui in Driedonis, Ruardi Tapperi, Cuneri aliorumque locum sucesserant, novitatesque non paucas invexerant. Causa vero belli fuerunt damnatæ a S. Pio V et Gregorio XIII plurimæ propositiones,

(1) Vide ibid.

(2) Lib. 1, cap. 19.

(3) Ita testatur Petrus a S. Joseph e congregatione Fuliensi tum in aliis operibus, tum in *Theologie du temps*, scripta anno 1647: *Je sais bien qu'entre tous les Professeurs qui ont enseigné la Théologie depuis cinquante ans, il n'y en a pas eu aucun, qui ait suivi les opinions de Banez». Theol. du Temps*, part. 1, cap. 7, pag. 58, apud Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 14. Idem testatur Isaacus Habert, Episcopus Vabrensis et Doctor Sorbonicus, *in Theol. Græcor. Patrum de Grat.*, lib. 2, cap. 17, par. 4; aliique apud Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 14; et tom. 2, lib. 2, cap. 7.

(4) Vide Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 15 et 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qua in re notum est non levem operam collatam esse a Societate Jesu, ac nominatim a P. Francisco Toleto. Doctrina vero Lessii a Bajanis erroris insimulata, a Sixto V, Pontifice Maximo, sana judicata est (1). Jam quantumvis Magister Hiacynthus Serry (2) contendat veram Lovaniensis Academiæ mentem non esse judicandam ex Driedone, Tappero cæterisque earumdem doctrinarum sectatoribus, quippe qui semipelagianismi ac novitatis a præstantissimis Theologis accusati fuerant; nihil reapse evincit. Nam crimen illud novitatis ac semipelagianismi vanissimum est, et adhuc nunquam ab accusatoribus probatum; neque aliunde prodiit, quam ab iis ipsis, vel eorum certe discipulis, quorum novitates Apostolica censura notatæ proscriptæque sunt. Quinam vero veteris academiæ Lovaniensis traditionem reapse tenuerint, Bajanine, an Patres Societatis, qui, quod Driedonem, Tapperum et reliquos ejusdem doctrinæ professores duces sequerentur, accusabantur, testatus est Tsantel, Decanus Cortracensis, Tapperi discipulus, cum «negavit doctrinas eorum, qui tum Lovanii docerent, 36 annis ante ibi auditas unquam esse, sed a Bajo et Hesselio introductas» (3). Idem testatus est «Joannes Strien, Episcopus Middelburgensis, regio collegio Lovaniensi præfectus. Is litteris missis ad archiepiscopum Mechliniensem et Lindacum, Episcopum Ruræmundensem, amicum suum, disertissime ostendit, quanta iniquitate usi doctores Lovanienses, qui omnes discipuli Baji essent, damnata Jesuitarum doctrina, ipsas veteris Academiæ doctorum sententias, Latomi, Tapperi, Tilletani, Rithovii, Cuneri pro pelagianis reprehendissent, et ne auditis quidem Patrum responsis, censuram promulgassent. Quorum explicationes sententiasque veterum doctorum Lovaniensium, quibus idem contineretur, perscriptas ad illos misit. Quo facto moti sunt, ut opiniones

(1) Quæ omnia refert Doctor Sorbonicus, Episcopus Habert (in sua *Defens. fidei Græcor. Patrum*, cap. 14, paragr. 3), cujus testimonium prostat apud P. Schneemann, loc. cit., pag. 180, 183.

(2) *Hist Controv.*, lib. 3, sect. 2, cap. 5. Cfr. R. P. Dummermuth, op. cit., pag. 368, *Universitas Lovaniensis*...

(3) P. Schneemann, loc. cit paragr. 8, pag. 186, ex Livino Meyer, oper. cit., lib. 1, cap. 10, pag. 41.

præjudicatas, quibus a Lovaniensibus imbuti erant, omitterent» (1).

Gaudeat ergo R. P. Goudin patrocinio Lovaniensis academiæ, verum non illius veteris, sed recentioris, quæ amicis ac discipulis Baji repleta, tot tamque iniquas molestias Societati Jesu creavit.

Quid de religiosis Ordinibus.

8) 290. *Sed veniamus jam ad Ordines religiosos.* Iterum loquatur Doctor Garcia Coronel in suis ad Reverendissimum Plumbinum, in Congregationibus *de Auxiliis* Consultorem: «In hac Pinciana (Vallisoletana) Universitate neminem melioris nominis præter Dominicanos cognosco, qui prædeterminationes esse necessarias teneat et omnes pene eas aversantur. *In collegio Augustinianorum* video Professores *non bene de iis sentire* (2), uti et *in Cœnobio S. Francisci, et Sanctissimæ*

(1) Schneemann, ibid. pag. 186.

(2) Juvat, quæ hic dicit Garcia Coronel de Ordine Augustiniano, confirmare litteris duorum luminum præclaræ hujus Familiæ. Sit primus R. P. Joannes Marquez in Universitate Salmaticensi Theologiæ Magister, qui hæc inter alia scribit Romam ad eumdem Rev. Joannem B. Plumbinum: «Quod scribit R. P. Magister Manrique, hoc ipsum a me sentitur, auctorem (Ludovicum de Molina) *sane esse virum pestisignem et impigre doctum, nec quidquam apparere in ejus operibus, quod non hominem in primis catholicum et consummate eruditum suboleat: quæ est nostræ Familiæ communis de illo existimatio. Et quod ad punctum de physica præmotione spectat, arbitror citra controversiam esse, nunquam a S. Patre nostro Augustino cognitam fuisse, nec ei in mentem venisse... Commentaria etiam Patris Vazquez in Primam partem (Summæ Theol. S. Thomæ) hic magni fiunt;* et ita non deerunt illi Zoili, ut nunquam hominibus excellentibus desint. Si forte alicujus propositionis, quæ deferatur ad suam Sanctitatem, Vestra Paternitas censor nominetur, *rogo quam vehementer possim, adfaveat, quoniam meo judicio liber ille doctrinam valde sanam et per omnia conformem Parenti nostro Augustino continet, et dicto Patri plurimum debet Ordo noster*». Apud Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 11.

Sit alter Augustinus Antolinez, Professor Theologiæ Primarius in Universitate Salmaticensi, ac dein ob doctrinæ virtutisque famam ad Compostellarum archiepiscopatum evectus. Is in litteris datis ad R. P. Gregorium Nuñez Coronel, ex eodem Ordine Consultorem Congregationis *de Auxiliis*, ita loquitur. «Hoc nusim Vestræ Paternitati libenter testari, ejus (Molinæ) opiniones in hac academia (Salmaticensi) et in hac nostri Ordinis Provincia tanto cum plausu admitteas, ut vix sit, qui alias vel legat, vel defendat. De me id

Trinitatis Religiosos... In sacris religionibus ferme omnibus, excepta Dominicana, inofenso pede decurrit (doctrina et liber Molinæ): et in Capitulis Generalibus et Provincialibus, quæ conspexi in hac urbe (Vallisoleti) propugnabatur, nempe in Generalibus Capitulis Benedictinorum (1) et Minoritarum (2), et idem fecissent in Capitulo Generali Fratrum Mercenariorum, nisi Magister Zumel (3) impedivisset. Quam etiam defendi in Capitulo Generali *Carmelitarum* apud Mutritum, dum ibi versarer, aspexi anno 1597. Et in nullo memini, quod

affirmare valeam, postquam liber Molinæ publicum aspexit, mihi et in lecturis et in oppositionibus et in quacumque litteraria exercitatione plurimo adjumento fuisse; aequumque est, ut viri omnes docti libro tam utili faveant». Apud Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 11.

Et in alia epistola eodem die 12 Augusti anno 1600 ad Plumbinum scripta hæc habet idem Antolinez: «Quod me Vestra Paternitas sollicitat, ut dicam de *Concordia* P. Molinæ, faciam libentissime ob magnam, quam de auctore habeo, existimationem, licet mihi nisi ex scriptis cognitus non sit. *Mihi persuasum est ex doctissimis libris esse, qui hoc sæculo prodierunt, ex quo ad theologos plurimum utilitatis manavit: cujus, etsi mole exigui, auctor esse nullum, quam aliorum magnorum voluminum, quæ non vulgari in pretio habentur. Ego eo maxime utor tum ad prælectiones, tum ad quæcumque alia scholarum argumenta, ac proinde tanquam Magistrum et Doctorem meum colo*: quod video a quovis, ut ingenio præstantior est, fieri. In hac nostra Provincia ejus doctrinæ plurimum detrectur, quam et in lecturis et thesibus propugnant, et juxta quam Philosophiæ Magistri concursum causæ primæ cum secundis declarant». Apud Meyer, ibid. Cfr. theses a RR. PP. Augustinianis defensæ in aliis locis Hispaniæ, apud Mayer, ibid.

(1) Vide hæc et alia apud Livin. Meyer, op. cit. tom. 1, lib. 2, cap. 11.

(2) Quid Seraphicus ordo sentiret de prædeterminationibus, discere poteris ex Scotistis Pontio, Frassen et Dupasquier. Pontius enim ait sententiam præmotionis physicæ contrariam esse Scoto, *quem præter suos, recentiores fere omnes sequuntur (Integer Curs. Philos.*, tom. 2, disp. 9, quæst. 5): Idem dicit Dupasquier (*Summa philos.* tom. 3 disp. 12, conclus. 1.ª). Frassen vero ait præmotionem rejici ab omnibus melioris notæ Philosophis contra nonnullos recentiores Thomistas (*Physic. Tertia philos. pars.* disp. 2, quæst. 4, conclus. 1.ª).

(3) Is erat unus e præcipuis physicæ prædeterminationis defensoribus, qui tamen a Thomistarum doctrina discessit circa prædefinitionem ad peccatum, ut testatur ipsemet D. Joannes García Coronel in hac eadem epistola.

physicas prædeterminationes tuerentur... De me ingenue fateor Vestræ Paternitati, licet sim discipulus Patrum Dominicanorum, et eorum Ordinem non mediocriter colam, nunquam potui cum illis has physicas prædeterminationes admittere, et ita oppositum publice sæpe defendi, et hoc lecturus sum annos (1). Quæ cum ita sint, judicet lector, an vere scripserit R. P. Goudin, præcipuos Philosophos ac Theologos, Universitates atque Ordines religiosos physicæ prædeterminationis doctrinam propugnandam suscepisse. Quod vero subjungit, omnes, qui sincere profitentur se D. Thomam sequi, physicam præmotionem ut scholæ thomisticæ tesseram agnoscere; verum quidem est, si nomine *Scholæ thomisticæ* intelligatur schola PP. Prædicatorum; utrum autem sit verum, si nomine Scholæ thomisticæ intelligatur ea, quæ Doctoris Angelici doctrinam reapse sectatur, videbitur inferius. Id modo dicere sufficiat, verum non videri non solum scriptoribus nostris, sed aliis etiam Sancto Thomæ addictissimis, qui persuasissimum habent, physicam prædeterminationem Aquinati contradicere (2).

§ III.—DIFFICULTATES EX SCRIPTORIBUS SOCIETATIS PETITÆ.

291. Objicit nobis denique P. Antonius Goudin plures e Societate Jesu scriptores, ac nominatim Salmeronem, Toletum, Bellarminum, Pererium, Azorium, Cosmam Alamannium et Henricum Henriquez, qui omnes prædeterminationem physicam amplexi sunt (3). Quibus Gonetus (4) et alii (5) adjungunt Joannem de Mariana, Claudium Tiphanium allosque. Imo vero Magister Vicentius Ferre præter

(1) Apud Livin. Meyer, tom. 1, lib. 2, cap. 12. Cfr. ibid., cap. 11, ubi aliorum quoque Religiosorum suffragia contra physicas prædeterminationes recitantur. Negari tamen nequit nonnullos postea religiosos Ordines ad Prædeterminantium castra migrasse.

(2) In horum numero est Eminentissimus card. Josephus Pecci, frater Smi. Domini Nostri Leonis XIII.

(3) Loc. cit., art. 4.

(4) *In Apologia Thomistarum*, art. 6, ad calcem *Clypei Thomistici*, tom. 1.

(5) V. g. Martinez de Prado ex S. O. Prædicat., *Controvers. Metaphysical.* 2 part., controv. 12, num. 45.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hos ipsum S. Ignatium, B. Canisium, Nicolaum Orlandinum, Costerum, Gabrielem Vazquez, Franciscum Suarez, Joannem Rho et Gabrielem de Henao ad partes Prædeterminantium trahere, non dubitavit (1).

Respondeo. Quamvis verum foret, hosce omnes scriptores physicæ prædeterminationi favisse, hoc unum sequeretur, oppositam doctrinam non esse prorsus communem inter nostros homines, quemadmodum ostendimus, non omnes Thomistas, nec optimos quosque ex omni ordine Philosophos ac Theologos, præmotionem physicam docuisse, prout fidenter scripserat Magister Antonius Goudin.

Verum ostendendum est etiam, pluribus saltem ex citatis auctoribus per summam calumniam imponi doctrinam thomisticam (2).

Et in primis de Salmerone videri potest Gabriel Henao in sua *Scientia Media historice propugnata*, ubi notat verba illius,

(1) Vide Ferre, *Tractatus Theologici in 1.am part.*, tom. 2.us, tract. 6, quæst. 1, paragr. VII, pag. 15-54. Salmanticæ ex officina Lucæ Perez, ann. 1676.

(2) De additis a Vincentio Ferre nihil necesse est dicere. S. Ignatium, Canisium, Orlandinum, Costerum et Rho ideo solum recensiti sunt in album Prædeterminantium, quia vel gratiam prævenientem et efficacem admittunt, vel quia divinam omnipotentiam agnoscunt, tangentem corda et convertentem. Quo sane nomine potuisset omnes nostrates, immo catholicos omnes, facere Prædeterminantes. Eximium Doctorem (1) non ob aliud favisse prædeterminationi scripsit Ferre, nisi quia admittit causam primam esse, quæ determinat, quisnam ex infinitis effectibus *individuis* possibilibus producendus sit hic et nunc ab hisce causis secundis in præsentibus adjunctis. (Vide supra num. 281, pag. 809). Gabrielem Vazquez ideo suum amicum esse contendit, quia in quibusdam capitibus doctrinæ dissidet ab aliis Societatis scriptoribus, quantumvis certum sit illum prædeterminationes nihilo segnius suis confratribus expugnasse. Denique P. Henao favisse dicitur prædeterminationibus, quia in sua *Scientia Media historice propugnata* (eventil. 5), admisit cum S. Thoma (*de potent.* quæst. 3, art. 7), Deum movere causas secundas ad agendum, non solum quia adjuvat illas per concursum simultaneum, sed etiam quia hæ non agunt nisi dependenter ab illo *in esse* et conservari et nonnisi applicatæ ab eodem ad operandum sive physice sive intentionaliter. Id quod nescio, an sit ullus nostratum, qui renuat admittere. Verum qui talibus scriptoribus physicas prædeterminationes

quæ causam errandi dederunt adversariis nostris circa mentem illius: quæ tamen aliud non evincunt nisi gratiam efficacem, quin declarent, undenam talis efficacitas proveniat (1).

2.° *Toletus hæc habet*, quæ avidissime arripuerunt Thomistæ, quasi suam opinionem continerent: «At ut modum, quo Deus cum particularibus causis operatur intelligas, adverte, quadrupliciter dici aliquid causam actionis alicujus rei: *primo*, quia tribuit virtutem operandi... *Secundo modo*..., quia conservat virtutem, qua aliud operatur... *Tertio* aliquid dicitur causa actionis, *quia applicat aliquid ad agendum, ut qui apponit ignem domui, et ipsam comburit; et sic etiam Deus est causa, quia nihil movetur sine Deo.* Præter hos modos est *unus alius quartus, quo aliquid movet per instrumentum, ut artifex penicillo pingit*: ex parte effectus una est operatio, at ex parte principiorum duplex est. Nam instrumentum agit, artifex etiam agit, sed non separatim; non enim instrumentum sine artifice, nec artifex sine ipso instrumento operatur. Vide igitur, quo modo actio instrumenti ab artifice dependet, et effectus ab utroque, sed magis ab artifice. Sic te oportet elevare mentem, et intelligere de Deo glorioso, qui cum his causis sic operatur, ut simul et ipsæ operentur, sed *a Deo motæ* et *directæ sicut instrumentum ab artifice. Est autem unum notandum, quod differt inter modum concurrendi Dei cum causis naturalibus et artificis cum instrumento dupliciter*: primo,

attribuit, jocaterne, an serio vult causam agere? An vero potius dandus est socius illi, quem jam non memini, ubinam legerim dixisse, primum auctorem physicarum prædeterminationum fuisse S. Michaelem Archangelum, quando in prælio cum Satana exclamavit: *Quis sicut Deus?*

(1) Verba Salmeronis sunt hæc: «Vocatio secundum propositum excellens est, firma et efficax, ut talis, ut illi liberum hominis arbitrium tanto dono Dei affectum non renuat. In quo liberum arbitrium non læditur, sed magis statuitur, quanto magis a peccato declinat, et summo Bono, Christo, unitur, atque in eo magis simile redditur Deo, angelis et Beatis. Etsi semper asserendum sit tale vocatorum secundum propositum liberum arbitrium, ex se et sua natura consideratum, flexibile esse tam ad bonum, quam ad malum, etiam postquam Beati æterna vita perfruuntur». Alphons. Salmeron, opp. tom. 13, disp. 13, in epist. ad *Romanos*, pag. 760. Vide alia testimonia ejusdem Salmeronis apud Henao, loc. cit., num. 464, in quibus doctrina communis Societatis hac in re continetur.

artifex non assimilat effectum instrumento, sed arti et idolo, quod habet mente; at Deus effectum assimilat in specie non sibi, sed causæ particulari.... *Secundo, artifex non tangit effectum nisi mediante instrumento; at Deus propter suam infinitatem immediate tangit sua virtute effectum quemcumque, cum sit ubique essentia sua præsentissimus*» (1).

Fateor, verba posse in thomisticum sensum detorqueri, sed certum videtur illa non talem sensum necessario præ se ferre. Vis autem eumdem Toletum interpretem suæ doctrinæ audire? En quid scripserit alibi. «Puto....., Deum operari cum causis secundis, non esse *erga causas operari, sed una cum ipsis eumdem effectum producere, sicut duo ignes conveniunt ad eumdem producendum, quamvis non sit omnino similis, quia Deus est universalis causa, et sic agenti dedit virtutem, et conservat, et ultra una cum ipso operatur* (2). Vidistine unquam clarius exclusam prædeterminationem? Paulo inferius sic habet ibidem. «Deus ergo ultra propriam virtutem datam causæ et conservationem ejus, non communicat alteram virtutem ipsi, ut instrumento, sed una cum ipsa operatur erga effectum immediate ab utroque procedentem». Alibi hanc statuit propositionem: «Secunda conclusio: *Deus concurrens cum causis secundis, non ita concurrit, ut ipsas moveat, et applicet ad opus, sed una cum ipsis immediate producens effectus*» (3): ubi applicationem ac motionem intelligit profecto in sensu thomistico pro aliqua physica entitate causis ipsis impressa. Nam in sano aliquo sensu omnes libenter illam amplectimur.

3.° *Bellarminus a Gonelo* (4) *creditur Molinæ contrarius in libro 1.° de Gratia et Libero arbitrio capite* 12, ubi reprobat opinionem eorum, «qui gratiam efficacem constituunt in assensu et cooperatione humana, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax, quia videlicet sortitur effectum, et ideo sortitur effectum, quia ei voluntas humana cooperatur». Ab

(1) Tolet in lib. 2. *Physicor.*, cap. 3, quæst. 8.

(2) Toletus, in 1.am part. quæst. 8, art. 2, quæst. unica, *Secunda Conclusio*.

(3) In 1.am p. quæst. 14, art. 3, quæst. 1.ª *Secunda Conclusio*.

(4) *Apologia Thomistar.*, ad calcem 1.° volum. *Clypei Thomistici*, art. 6.

aliis vero alter adducitur locus, in quo cardin. Bellarminus, postquam tanquam satis probabilem et aptam exposuerat sententiam Gregorii Ariminensis, Scoti, Gabrielis et aliorum (1), qui docent cooperationem divinam se tenere ex parte effectus, non ex parte causæ, hoc est concursum Dei non determinare voluntatem nostram, nec aliquid in illam imprimere, aut operari, sed immediate influere in effectum, eumque producere illo ipso momento, quo a voluntate nostra producitur» (2); alteram rationem proponit conciliandi libertatem humanam cum cooperatione divina, et *fortasse probabiliorem, juxta sententiam S. Thomæ*, qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum causis secundis etiam liberis, ut non solum eis dederit, et conservet virtutes operatrices, sed etiam *eas moveat, et applicet ad opus*, ut cognosci potest ex 1 p., quæst. 105, art. 5; et lib. 3. *Contra Gent.*, cap. 70; et ex quæst. 3, *de potent.* art. 7» (3).

His tamen respondere operosum non est. Ad primum dicendum est, ut multis videtur, non Molinæ, sed aliorum ibi a Bellarmino reprehendi opinionem, quorum etiam meminit Suarez in opusculo *de concursu Dei* (4), eorum nempe qui non admittunt gratiam esse efficacem in actu primo, ac prout excitans est, hominisque liberam cooperationem antecedit, voluntque in illo priori, ut a Deo datur, tantum esse sufficientem, fieri vero efficacem tum primum, cum liberum arbitrium jam consentit. Quæ sententia non minus est contra Molinam, quam contra Bellarminum; in utriusque enim sententia gratia, quam Deus per scientiam mediam prævidet esse habituram effectum, si daretur, efficax est in actu primo, effectumque est habitura infallibiliter, quandocumque decreverit Deus illam dare. Sententia ergo reprobata a Bellarmino ea est, quæ, quia non utebatur divina præscientia et prædefinitione ad constituendum discrimen gratiæ efficacis ab inefficaci vel in ipso actu primo, non minus

(1) In 2.° dist. 37.

(2) Bellarminus, *De Gratia et libero arbitrio*, lib. 1, cap. 15.

(3) Id., ibid. cap. 16.

(4) Lib. 1, cap. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Molinæ, quam Suarezio, et Bellarmino cæterisque theologis Societatis adversatur.

Cæterum, quoniam hæc theologica sunt, ideoque ultra nostrum institutum; lege P. Livinum Meyer in sua *Historia Controversiarum de Auxiliis* (1), ubi ostendit perfectam hac in parte concordiam doctrinæ inter Molinam et Bellarminum.

Verum contradixerit sane eo in loco Bellarminus Molinæ: an ideo prædeterminationem physicam amplexus est? Vana profecto spes! Eo ipso in capite Bellarminus hanc alteram refert opinionem: «Est igitur alia sententia in alio extremo aliorum, qui docent *gratiam efficacem esse actionem Dei physicam, quæ determinat voluntatem ad volendum et eligendum bonum, quod illi fuerat per gratiam excitantem inspiratum. Et quia non potest fieri, ut Deus physice prædeterminet voluntatem, quin ipsa voluntas determinetur, et velit id, ad quod determinatur, ideo fieri non potest, ut gratia ista non habeat effectum infallibilem*» (2).

Hæc, nisi fallor, est doctrina Prædeterminantium. Audi nunc de illa Bellarmini judicium: «Hæc opinio videtur... aut esse omnino eadem cum errore Calvini et Lutheranorum, aut parum ab illo distare...» (3): ideoque fuse ibi refutatur.

Præterea alibi ad concordiam cooperationis divinæ cum libertate explanandam enarrat sententiam eorum, «qui fatentur Deum suo concursu *determinare actionem voluntatis humanæ, et eo posito non posse humanam voluntatem non agere*; tamen esse liberam absolute, vel quia (ut scribit Jacobus Almaynus in Moralibus, cap. 1 et 2), Dei concursus non est de prærequisitis ad actionem liberi arbitrii, sed de concomitantibus; illa autem est potentia libera, quæ positis omnibus prærequisitis, potest agere et non agere; vel *quia, ut docent alii, concursus Dei determinans humanam voluntatem, non impedit, quo minus homo plenum atque perfectum habeat judicium actionis, et proinde judicet aliud medium esse contingens, aliud*

(1) Tom. 2, lib. 2, cap. 11; tom. 1, lib. 2, cap. 19. Cfr. Bellarm., lib. 1 *de Grat. et lib. arbitr.* cap. 12, paragr. ultimo, et cap. 13; et lib. 6, cap. 14, *Habet igitur*, et cap. 15, *Nona sententia*.

(2) Bellarm. op cit., lib. 1, cap. 12.

(3) Ibid.

cum fide ex necessitate connexum: hæc enim est radix libertatis, et ubicumque radix ista reperitur, ibi etiam libertas reperitur» (1). Hic iterum vides sententiam physicæ prædeterminationis describi. At: «*Hæc sententia*, inquit insignis vir, *mihi probari non potest, multis de causis*» (2), quæ fuse ibidem exponuntur, addita prope finem ejusdem capitis hac censura: «Denique hæc sententia, quæ ponit prædeterminationem istam in voluntate, *non videtur posse distingui a sententia, hæreticorum negantium liberum arbitrium, nisi quoad voces*». Accedit, quod Venerabilis Cardinalis *in Recognitione suorum operum*, quam ipsemet jam *senex et morti proximus*, ut loquitur in brevi præfatione ad Lectorem, facere voluit, S. Augustinum imitatus; iterum iterumque physicam prædeterminationem tanquam SS. Augustino ac Thomæ inimicam repellit (3).

Et ex his patet, quid sit respondendum ad alterum locum Cardenalis Bellarmini nobis objici solitum. Quomodo enim potuit docere physicam prædeterminationem, qui eamdem in eodem opere bis, immo et in eodem libro tanquam

(1) Op. cit. lib. 4, cap. 14.

(2) Ibid.

(3) Vide *Recognitionem*, in parage. *Recognitio librorum de Gratia et Libero arbitrio*. Opusculum hoc passim reperias inter Opera Bellarmini, qui typographos in sua Præfatione rogavit, ut eam in futuris, si quæ fierent, editionibus vel ad initium vel ad finem addere non gravarentur.

Specimenis ergo, unum aut alterum locum ex hac *Recognitione* juvat hic afferre. «Eodem libro (1.° *de Gratia et Libero arbitrio*, cap. 12, paragr. *Rursus idem Augustinus*) diximus vocationem Dei internam esse *moralem inclinationem et impulsionem, cui libere consentimus*». Et paulo infra (paragr. *Postremum argumentum*): «Iterum dicimus, gratiam Dei *determinare voluntatem non physice, sed moraliter per modum persuasionis*. Quo loco per vocem *determinare, non intelleximus determinationem proprie dictam*, quæ tollit indifferentiam, sed persuasionem, quæ moralis motio quædam est voluntatis», non quod gratia non sit physica entitas in intellectu et voluntate recepta, sed quia non movet indeclinabiliter ex natura sua obtinendo effectum, sicut movet physica prædeterminatio.

Item: «Ad idem caput 12, ubi ex Augustini sententia demonstrare nisi sumus, *gratiam efficacem non consistere in gratia adjuvante et prædeterminante physice, sed in gratia congruæ vocationis sive excitationis*», visum est addere alia testimonia.

hæreticam vel voce tantum ab hæretica doctrina diversam profligavit?

Solum suspicari aliquis posset, Cardinalem, cum scripsit Deum concurrere non solum dando et conservando virtutes operatrices, verum etiam *applicando* easdem, *et movendo* ad opus, aliquam agnovisse præmotionem, sin minus thomisticam, saltem aliam, quæ physice in voluntate recepta, suaviter illam alliceret, atque inclinaret ad actum suum. Verum ne hujusmodi quidem præviam motionem per illa verba docuisse Bellarminum, ipsemet in eodem capite diserte ac sine ambagibus confitetur dicens: «Deum non movere localiter causam secundam, neque *in illa qualitatem ullam imprimere, sed tantum uti illa tanquam instrumento ad opus efficiendum*: quocirca virtus a Deo impressa per modum transeuntis, dum causa secunda operatur, *non distinguitur ab ipsa virtute naturali*, sed est illa eadem, quatenus illa Deus utitur ad illam actionem perficiendam» (1).

Accedit, quod Venerabilis Cardinalis jussus a Clemente VIII, sententiam suam exponere super *Censura* quadam doctrinæ Molinisticæ a PP. Prædicatoribus lata, responsum scripto dedit, quod olim in archivio Domus Professorum Romæ asservabatur, et authenticum esse manuque Cardinalis exaratum declaravit Secretarius Societatis anno 1670 die 27 Julii. Eo in scripto approbatur doctrina Societatis circa gratiam efficacem. Patrum vero Prædicatorum rejicitur (2).

Paulo inferius. Ex lib. 4 «Cap. 14, paragr. *S. Thomas*, attulimus aliqua S. Thomæ, in quibus videtur nobis satis aperte indicare sententiam suam de concursu Dei cum libero arbitrio. Sed possumus addere sequentia loca adhuc clariora. Ex citat *Quodlib.* 1, art. 7, ad 2.um, et 2.ª dist. 25, quæst. 1, art. 1, ad 7.um. Tum addit: «Accedunt ad hæc quædam principia, *cum quibus doctrina de prædeterminatione non videtur posse consistere*».

(1) Bellarm. op. cit., lib. 4, cap. 16. *Ad hanc objectionem respondeo.*

(2) Post impugnatam sententiam Prædeterminantium, sic pergit Venerabilis Cardinalis: «Ego quidem non audeo damnare Patres Prædicatores auctores *Censuræ*, quos arbitror viros valde pios et doctos esse. Tamen hoc affirmo, sententiam contrariam videri omnino tutiorem et magis piam. Quod etiam senserunt PP. Concilii Tridentini Nam in Actis Concilii, quæ habentur in Arce S. Angeli refertur, quod cum in disputatione Theologorum, quæ habebatur

Hæc adeo sunt perspicua, ut nonnulli prædeterminationum assertores de adulteratis a Gregorio de Valentia, vel ab alio nescio quo, Bellarmini operibus fabellam commenti sint, quam vide penitus dissipatam apud Livinum Meyer (1). Unum tamen addere juvat, quod «Bellarminus, teste Didaco Ramirez (2), Philippo Alegambe (3), ac Sylvestro a Pietra Sancta (4), paulo ante mortem declaravit coram notario publico et 10 testibus se in ea de divinis gratiæ auxiliis materia, quæ controvertebatur inter Societatem Jesu et nonnullos alios catholicos, ratum verumque habere ac putare, quod in *Controversiarum* suarum libris scripserat (utique recognitis a se), nec primam opinionem nunquam mutasse» (5).

Denique in illo scripto Pauli V, Pontificis Maximi, in quo ut supra narravimus, sententias plurium Cardinalium de Controversia inter PP. Prædicatores ac Societatem a se consultorum refert, hoc reperitur Bellarmini judicium: «Bellarminus: *Opinionem prædeterminationis physicæ esse Calvini et Lutheri: excusandos esse PP. Prædicatores, qui non viderint hæreticorum libros, Baïzium pejus locutum, quam Molinam, cum S. Augustini de reprobatione doctrinam reprehenderet; librum Molinæ approbatum a duabus universitatibus...* (6).

ante sessionem sextam, duo religiosi protulissent sententiam istam de prædeterminatione liberi arbitrii, fuit male acceptam a cæteris, eo quod non videretur valde catholicum, et propterea decretum formatum est justa communem aliorum sententiam». Apud P. Jacobum Platel, ad calcem citati Operis, paragr. *Extractum ex scripto quodam manu Card. Bellarmini exarato.*

(1) *Historia Controversiæ*, tom. 1, lib. 2, cap. 20; tom. 2, lib. 2, cap. 11.

(2) In ejus vita, lib. 6, cap. 3.

(3) In *Bibliotheca Scriptorum Soc. Jesu*.

(4) Ita P. Jacobus Platel, *Auctoritas contra Physicam prædeterminationem*, pag. 276. Duaci, 1673.

(5) Vide testimonium P. Secretarii Societ. apud Platel, op. cit., pag. 214.

(6) «Bellarmino: Che l'opinione della predeterminatione fisica è di Calvino et Luthero, et che li Padri Dominicani sono degni di scusa perche non hanno visto li libri degli hæretici; Che Baghez ha parlato peggio che Molina, biasimando S.to. Augustino in materia della reprobatione; Che il libro di Molina è stato approvato da due università...». Apud P. Schneemann, op. cit. paragr. 15, pag. 200.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4.° *Benedictus Pereira*, respondens quæstioni: *An causa universalis, præsertim prima, qui est Deus, necessario concurrat actu cum causa particulari ad quemlibet ejus effectum et ejus operationem* (1), primo proponit sententiam Durandi, cui opponit alteram S. Thomæ his verbis: «Altera est opinio D. Thomæ, qui (libro 3.° adversus Gentes, cap. 67; et in prima parte, quæst. 105, art. 5), ait Deum actu concurrere ad quamlibet actionem causarum secundarum quinque modis: ipse enim vires et facultates agendi dedit causis secundis: ipse illas facultates sustentat, et tuetur in *esse* et vigore; ipse applicat causas secundas ad agendum; ipse dirigit eas in agendo, ut ad fines suos ipsis ignotos ordinate perveniant; ipse denique determinat eas ad agendum, et movet, ceu principale movens instrumenta movet, et regit in operando...»

Dein pergit: «Hæc doctrina in eo, quod ait D. Thomas, Deum actu concurrere ad quamlibet secundarum causarum operationem, non est opinabilis aut probabilis tantum, sed etiam vera, certa et indubitata, de qua fas non est christiano Philosopho dubitare. In eo autem, quod adjungit D. Thomas, causas secundas, et in his voluntatem nostram, a Deo *moveri, applicari, et determinari ad volendum*, licet nonnulli dissentiant Theologi, ego tamen manibus pedibusque in eam sententiam perquam libenter eo: hoc enim est ingenium, hæc conditio, hic nexus atque contextus moventium et causarum per se ac essentialiter subordinatarum, ut posterior non moveat, nisi mota a priori»... (2).

Respondeo. Fateor hæc verba explicari posse in sensu præmotionis alicujus causis ipsis prævie impressæ. Verum etiamsi id concederetur, nondum possent jure adversarii nostri Pererium in suo agmine recensere. Ubinam enim continentur in allegato loco proprietates illæ prædeterminationis thomisticæ, ac nominatim infallibilis illa connexio promotionis cum actu voluntatis? Verum neque etiam cogimur, ut in laudatis verbis ullam videamus præmotionem, vel indifferentem, voluntati impressam: similes enim modos loquendi

(1) *Benedicti Pererii Societatis Jesu De Communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus*, lib. 8, cap. 7.

(2) Op. cit. cap. 8.

legimus nuper in Toleto ac Bellarmino, similes mox videbimus in S. Thoma, qui nequaquam fundunt ejusmodi sensum. Cur ergo illum attribuere debemus Pererio, cum contextus eum necessario non omnino postulet.

Cæterum P. Benedictus Pererius in scriptis posterioribus diserte reprobavit prædeterminationem ad malum (1); nec magis illum physicarum prædeterminationum ad bonas actiones amicum fuisse facile perspiciet, qui disputationem ejus vigesimam quintam et vigesimam octavam super *Apocalypsim* legerit (2).

(1) «Explicandum igitur est, inquit, quemadmodum Augustinus intellexerit, *Deum inclinare voluntates hominum ad malum. Intellexit nempe inclinare eas Deum ad malum, non proprie et efficienter movendo eas, et, ut non ita pridem a Theologis dici coptum est, physice movendo, et determinando ad malum*; sed quia multa circa peccatores, qui indurantur, et excæcantur in peccatis, operatur, per se quidem non mala, sed e quibus tamen occasionem illi capiunt gravius peccandio... Benedicti Pererii Valentini... *Selectarum disputationum in S. Script.* t. 2. disp. 21 in cap. 1. ad *Rom*, in fine, num. 119, pag. 124., Lugduni, 1670.

(2) In disp. 25, super cap. 3, vers. 18 *Apocalypsis* «*Suadeo tibi emeren*, etc., hæc habeti «Ac primo quidem super illis verbis: *Suadeo tibi*, animadvertat Lector, quemadmodum Deus interiori motione hominem, qui iacet in peccatis, *movere* soleat, ut a peccatis surgere, et ad quærendum et comparandam gratiam tendere velit. Hoc enim facit Deus duobus modis: uno modo *per motionem atque illuminationem intellectus*, excitando eum ad considerandum peccati miseriam *statum, et suggerendo eirationes suasorias, quibus persuadeat ab eo statu discedere... Has porro suasorias rationes in potestate hominis est vel repellere a se, vel admittere, et amplecti, divinæ gratiæ et vocationi assentiendo et obtemperando*. Sed illud a se solo facere; hoc autem per suum quidem liberum arbitrium, sed non nisi gratia Dei præventum et adjutum, facere potest... Alter modus interioris motionis divinæ pertinet ad voluntatem hominis, quam Deus non *solum movet*, ut loquimur in scholis, objective per intellectum repræsentans ei, quæ inditare eum possint ad odium peccati..., verum etiam efficienter, *inclinando ad bonum amandum per inditam a se ipsi voluntati piam quamdam affectionem et propensionem ad bonum, quæ tamen talis est, ut eam homo per liberum suum arbitrium possit vel sequi vel non sequi...*» Benedicti Pererii... *Selectar. disp.* tom. 3, pag. 215, 216. Lugduni, 1606. Similia habet in eodem opere et volum., disp. 28 in cap. 3 *Apocal.* pag. 228, 229. Cfr. Livin. Meyer, op. cit., tom. 1, lib. 1, cap. 21.

5.° Jam ex P. Joanne Azorio hæc solent in favorem physicæ prædeterminationis verba proferri «Octavo quæritur, an Deus, quando cum natura vel voluntate operatur, *ipsam moveat, et applicet ad agendum*. S. Thomas aperte sic ait: Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas et applicat ad agendum (1). *Quibusdam difficilis admodum videtur hæc S. Thomæ sententia, videlicet quod Deus moveat, et applicet ad faciendum causas a se creatas*». Et post allatas tres rationes negantium hujusmodi motionem et applicationem (2), affert sententias ac testimonia Gabrielis, Gregorii Ariminensis, Scoti et Dionysii Cisterciensis. Ac tum pergit: «*Cæterum, mihi videtur verissima S. Thomæ sententia, eam enim plane videtur Augustinus tradere* (3). Deinde inter *primam causam agentem et secundam est ordo, quo una necessario pendet ab altera. Ergo secunda non agit, nisi a prima ad agendum mota, et applicata*. Advertendum, inquit Almainus (4), quod causa *prima non solum est causa effectus producti a causa secunda, sed etiam est causa, quare voluntas illam producit volitionem. Hæc ille. Ideo enim dici videtur causa secunda, quia movetur a prima, alioqui enim solum esset causa cum prima, sicut cum simul duo trahem portant, ubi quia unus ad portandum non movetur, et applicatur ab altera, dici non potest causa secunda alteri comparata sed est simul cum altera causa...*» (5).

Paulo post cum hæc sibi objecisset: Ignis cum urit, nihil in se excipit, immotus enim urit. *Ergo Deus eum ad urendum minime movet, et applicat; eo enim ipso vim aliquam et virtutem*

(1) 1.ª p. quæst. 105, art. 5, ad 1.um

(2) Nempe 1.um, quod causæ naturales, v. g., ignis supposita materia in aptis conditionibus, *immotus* comburit, seu non in se mutatus. 2.um, quod aecus Deus non immediate per se ageret, sed media motione illa causis impressa, ideoque non foret causa proxima effectuum omnium. 3.um, quod causæ, v. g. ignis, habent in se sufficientem virtutem suorum effectuum operatricem, si autem egerent præterea motione Dei sibi impressa, non habuissent a Deo in sui productione satis virium ad agendum.

(3) Lib. 3 *de Trinit.*, cap. 3, 4, 5, 6.

(4) Tract. 1 *Moral.*, cap. 1.

(5) *Institutionum Moralium, auctore Joanne Azorio Lorcitano...* (ex urbe Lorca in Hispania). Pars prim. lib. 1, cap. 21, *Octavo quæritur*, pag. 98 Romæ 1600.

imprimeret». Respondeo; inquit, *in hoc causas secundas ab instrumentis artificum distingui, quod instrumenta artifex movet, et in eis nullam vim et virtutem aliam nisi motionem imprimit, et idcirco instrumenta non mota nihil efficiunt; at causæ secundæ cum sunt institutæ, vires et facultates naturæ suæ accommodatas acceperunt, quibus* possent, *non quibus* facerent *sine Deo; et ita cum faciunt, non faciunt, nisi Deo volente et decernente, ut faciant. Cum creatus est ignis, datum est illi, quod* posset *urere; deinde cum urit, vult, et facit Deus, ut* urat; nullam virtutem denuo recipit, *qua* possit, *nihilominus non urit nisi Deo ante volente, ut urat, et motum excipit, quo urat, et præcedit Dei voluntas, ut urat; quare cum urit, hoc habet, quoniam Deus vult, et volendo facit, ut ignis urat.* Ignis igitur immotus urit, quia nullam denuo vim aut virtutem excipit, qua possit; *sed nihilominus urit; et hoc ipsum quod urit,* et *urendo efficit, habet quia Deus vult, ut urat, et faciat.*

«*Sed numquid quando ignis urit,* movet eum Deus ad urendum? Movet *quidem, non quia* vim, virtutem formamve ullam denuo imprimat, sed motionem, *qua Deus movet, et ignis movetur: neque enim fieri potest, ut Deus ignem moveat ad agendum, et ignis non moveatur.* Quid est, *dices*, ignem ad urendum moveri. *Respondeo, nihil aliud esse, nisi Deum uti igne ad urendum; nam Deus sine igne urere potest, at ignem adhibet ad urendum. Sed quid est, Deum igne uti, vel ignem adhibere ad urendum? Respondeo: Deum igne uti ad urendum est ignem* movere *ad urendum, quia vult, ut urat, et volendo,* motionem in igne imprimit, *quia unus cum Deo urit ignis motus ab ipso Deo ad urendum. Causæ igitur secundæ a Deo ipso moventur, et applicantur ad suas functiones et opera, quoniam Deus in ipsis* motionem imprimit, *et ideo movendo facit, ut causa secunda faciat...*

Legi potest interger locus Patris Azor, sed hæc sunt præcipua, in quibus præclarus scriptor non valde felix et perspicuus apparet in rei expositione, immo etiam videtur inter utramque sententiam fluctuare. Nam ex altera parte negat Deum igni alterive causæ, cum qua concurrit, *ullam vim, virtutem formamve imprimere*, unde dicit ignem *immotum* (seu non mutatum in se) urere. Præterea negat sententiæ S. Thomæ, quam ipse profitetur sequi, repugnare in hac

parte Scotum, Gregorium, Gabrielem, Dionysium; et nihilominus ii Scholastici in testimoniis ab eodem Azor scriptis, diserte declarant Deum, cum movet causam secundam *nihil in ea de novo causare*, nec quidpiam in voluntatem *influere, quo voluntas velit*. Quæ videntur satis aperte excludere præmotionem. Ex altera vero parte diserte monet Azorius, Deum ignem movere ad urendum, *quia vult, ut urat, et volendo* motionem *in igne* imprimit, itemque ideo Deum movere, et applicare causas secundas ad suas functiones et opera, *quoniam* motionem in ipsis imprimit, et *hoc pacto movendo facit, ut causa secunda faciat*. Atqui hæc aperte continent præmotionem aliquam. Quid ergo tandem putandum est de mente Azorii? Ego puto eum certe præmotionem aliquam admisisse; certum autem videtur in prædictis verbis non exprimi physicam prædeterminationem, jam enim initio hujus controversiæ notatum reliquimus non esse per se idem præmotionem physicam et prædeterminationem, quamvis ab hujus patronis sæpe indifferenter utraque vox adhibeatur. Et ita etiam, ut mox videbimus, non defuerunt inter nostrates nonnulli scriptores, qui præmotionem aliquam defenderunt, quamvis physicas prædeterminationes tanquam libertatis inimicissimas repellerent. In horum scriptorum numerum videtur esse adscribendus P. Joannes Azor; neque enim verba ejus ullatenus exprimunt *modum præmotionis*, talem nempe motionem, quæ metaphysica infallibilitate cum effectu connecteretur ex sua ipsius intrinseca natura. Et hactenus de Azor.

6.° *De Cosma Alamannio* hoc tantum dicam, in quæstione, in qua investigat, *utrum Deus in omni operatione secundi agentis operetur, seu in natura et voluntate operantibus, operetur* (1); aliud more suo non facere, nisi doctrinam S. Thomæ iisdem vocibus Aquinatis hinc inde collectis expressam tradere. Itaque non magis physicis præmotionibus favisse dici potest, quam ipse Angelicus Magister.

(1) *Prima secundæ Partis totius Philosophiæ S. Thomæ*, quæst. 11, art. 4, pag. 65 seqq. Parisiis, 1639.

7.° *Henricum Henriquez videre non potui*; sed en de illo judicium P. Livini Meyer: «Henricum Henriquez..., ait P. Augustinus Serry, in tractatu *De fine hominis* locis propemodum infinitis Molinæ doctrinam impugnare. Legi tractatum illum non oscitanter; comperi, Theologum illum nunc hac nunc illac inclinare, nec pedem certo figere, quod est ingenii vacillantis, ut mirum non sit ingenio respondisse voluntatem, dum e Societate in Prædicatorum Ordinem, rursusque ex illo in Societatem remigravit: in *uno constans, quod rejecerit semper prædeterminationes ad actus malos*» (1). Mox idem historicus plura exscribit ex Henriquezio loca Molinæ faventia et prædeterminationibus contraria, quæ legi apud ipsum possunt (2).

8.° *De Joanne Mariana* hæc profert verba Gonetus excerpta ex opere *De Regimine Societatis*, capite quarto: «Ab hoc præclaro fonte (inordinato nempe novitatis amore) *emanarunt illi turbines et procellæ, quibus nostra Societas tentavit exagitare sapientissimos Dominicanæ Familiæ Theologos, quos potius venerari debebat ut purioris doctrinæ Antistites, quam sequi hesterna Ludovici Molinæ commenta. Cujus viri libellus ab examine Theologorum sacræ Inquisitionis delatus fuit Romam, ubi modo liberum arbitrium acerrime contra gratiam pro palma luctatur*. Eademque verba postea in suam *Historiam Congregationum* intulit P. Augustinus Le Blanc seu Hyacinthus Serry.

Respondeo α) opus illud non a Mariana, sed, eo mortuo, ab æmulis Societatis primum editum fuisse anno 1625. Nondum autem omnino liquet, utrum Marianæ, cujus præfert nomen, an alterius sit. Illud vero valde credibile est, scriptum illud a primis editoribus corruptum et interpolatum fuisse.

β) Perperam a Goneto ac Serry citari verba opusculi illius, in quo hæc tantum habentur, quæ in hanc rem faciunt, non parum a citatis diversa: «*Ex libertate propias sequendi*

(1) *Historiæ Controversiarum de auxiliis*, lib. 2, cap. 21.

(2) Ibid. Ctr. Livin. Meyer, oper. cit., tom. 2, lib. 2, cap. 13. Vide etiam P. Gabriel. Henao, *Scientia Media Historicæ propugnata*, evente. 5.°

opiniones, natæ sunt plurimæ cum PP. Dominicanis dissensiones ac rixæ»; «optabilius Jesuitis fuisse, si ipsos (PP. Dominicanos)*, ut Magistros agnovissent»; «occasione libri a Molina scripti de gratia et libero arbitrio Patres illos* (Dominicanos) *vehementer turbatos, ad Sacram Inquisitionem, indeque Romam recurrisse»;* ubi ait eo, quo scribebat tempore, «*illem magnis adhuc animis ac pertinacia protractam. Et quamvis Jesuitæ ex hac victores arena excederent, quod valde etiamnum incertum erat, saltem multis expensis ac longorum vexa annorum consliturum ipsis victoriam*». Additur ibidem. «*Dominicanos, ultra quam res postulabat, processos, æquo acerbiores in Jesuitas fuisse*» (1).

Itaque absunt in originali primum edito hæc verba. «*Societatem tentasse exagitare sapientissimos Dominicanæ Familiæ Theologos, quos potius venerari debebat, ut purioris doctrinæ Antistites, quam sequi lesterna Ludovici Molinæ commenta.*» Absunt pariter hæc alia: «*Cujus viri libellus ab examine Theologorum sacræ Inquisitionis delatus fuit Romam*». Absunt denique hæc: «*Ubi* (Romæ) *modo liberum arbitrium acerrime contra gratiam propalma luctatur*» (2). Hasce mutationes atque adulterationes textus primum typis edti agnovit tandem et humiliter fassus est ipse Serry, dicens verba ea in hispanico originali non reperiri; sed excusat se, quod bona fide illa ex Goneto exscripserit, Gonetus vero illa desumpserit ex versione latina. «Hoc est, inquit Meyer, Serryus Gonetum, Gonetus impostorem Latinum est secutus: venia dignus uterque, quod cæcum ducem secuti in foveam erroris inciderint (3).

7) Mariana «in libro *de Morte et Immortalitate*, quem in ipso controversiarum Romanarum *(de auxiliis)* æstu elaboravit viam adeo Bannezianis contrariam iniit, ut ne Molinæ quidem concedere videatur: idque tam constanter, ut oporteat librum ex integro transcribere, qui illud probare velit» (4).

(1) Apud Livin. Meyer, op. cit., tom. 1, lib. 2, cap. 21, pag. 158. Venetiis, 1742. Cfr. tom. 2, lib. 2, cap. 15.

(2) Ibid.

(3) Opusc. cit. tom. 2, lib. 2, cap. 13, paragr. 163.

(4) Meyer, op. cit. tom. 1, lib. 2, cap. 21, pag. 159.

8) «Nec vero in illo ipso *de Regimine Societatis Jesu* tractatu, etiam prout nunc corruptus exstat, vel apicem invenias, quo prædeterminationibus favere videatur, excepta jam memorata lascinia, quæ impostoris cujusdam esse potest, Marianæ esse non potest, nisi quis eum dementem fingat, qui eo tempore, quo in libro *De Morte et Immortalitate* contra Prædeterminantium doctrinam non minus acriter, quam Molina, decertavit, judicaverit nihilominus consultius futurum fuisse Jesuitis, si Dominicanos ut Magistros honorassent potius, quam cum illis disputando concertassent» (1).

9.º *Mirum est P. Claudium Tiphanium* in præsenti controversia potuisse adduci in favorem sententiæ prædeterminantium. Certum est, prædictum scriptorem in opere suo *de Ordine, deque Prioris et Posterioris*, physicas prædeterminationes in quovis sensu et cum omnibus ejus fundamentis impugnasse. Ac nominatim in capite 62 libri *de Ordine* pluribus rationibus probat, *nullam dari qualitatem physicam, qua Deus moveat*, et *prædeterminet causas secundas ad agendum*. In capite autem 64 demonstrandum sibi assumpsit. S. Thomæ ignotas prorsus fuisse hujusmodi prædeterminationes. Denique modum, quo Deus concurrit cum causis secundis, explicat, sicut cæteri scriptores Societatis.

Id unum causam præbere potuit adversariis nostris, ut Tiphanium nobis objicerent, quod in capite 40 *de Ordine* concedit libertatem posse etiam salvam remanere cum prædeterminatione ad actum. Verum addit: «*Longe probabilius est*, Deum concurrere cum voluntate sine nova qualitate superveniente, sed per se ac immediate», nihil in voluntatem prius naturâ influendo, quo ejus virtus excitetur, compleatur, etc.

Eo etiam nomine potuerunt Prædeterminantes nobis objicere Claudium Tiphain, quod in capite 21 neget *scientiam mediam*. Verum æque reprobat decreta subjective absoluta et objective conditionata, quæ in locum mediæ scientiæ susbstituunt prædeterminationum assertores. Denique, ne longiores simus in re manifesta, vide quo pacto Tiphanius

(1) Platel, *Auctoritas contra Physicam prædeterminationem*; et P. Livin. Meyer, loc. sup. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prædicti capitis 21 claudat numerum octavum: «Scientiam Mediam rejicimus non ut *erroneam* (nempe semipelagianismo imbutam), sed ut *falsam*. Neque propterea defendimus aliorum opinionem de prædeterminatione seu qualitate physica et reali nostræ voluntati injectæ a Deo, qua cum ea concurrat ad ejus actus eliciendos. Neque cum Ludovico Dola negamus immediatum Dei concursum cum causis secundis, tam liberis, quam necessariis; sed existimamus, et sine scientia media et sine prædeterminatione cum immediato Dei ad omnes actiones nostras concursu salvam et integram esse nostram libertatem (1). Itaque Tiphanius communem Societatis sententiam de Media Scientia deserens nullatenus favit Prædeterminantibus (2).

292. **Scholion.** Hic temperare non possum, quin unum verbum addam propter Franciscum Sylvium, ne quis ejus auctoritate decipiatur. Hic ille vir est, qui postquam magna vi physicam præmotionem conatur adstruere in suo opusculo *De Primo Motore* (in prima et altera ejusdem parte), mox (in tertia) cum naturam illius definire aggreditur, duplicem distinguit prædeterminationem, alteram, quæ est actio immanens Dei, nec aliud est nisi *ipse Deus movens*, alteram, quæ est «usus illius actionis, quo Deus utitur causa secunda ad operandum, ipsaque ratio, qua causa prima dicitur agere *in* et *per* causam secundam:» primam dicit esse ab actione creaturæ distinctam, quia est ipse Deus, alteram vero penitus identificari quoad rem ipsam cum actione causæ secundæ. «Sicut enim equitare est usus equi, nec differt ab equitatione; percutere est usus baculi, nec differt a percussione, scindere est usus cultri, nec differt a scissione, scilicet *realiter*; *ita causam secundam operari est usus causæ secundæ, nec realiter differt ab ejus actione; ignem urere est usus ignis,*

(1) Cfr. P. Jacobus Platel in suo opere, *Auctoritas contra physicam prædeterminationem*.

(2) Objici nobis solet etiam ab adversariis Ferdinandus Bastida, qui, postquam causam Societatis in controversiis de *Auxiliis* Romæ eloquentissime doctissimeque propugnaverat, Societatem deseruit. Dicitur enim sententiam, quam prius defenderat, postea ejurasse. Verum de hac falsissima fabella legi potest P. Livinus Meyer, lib. 6, cap. 29 primi voluminis.

nec realiter differt ab usione.» (*Tertia pars art. 1*). Quæ nescio, utrum in re ipsa talia sint, quæ nequeant ultro admitti ab omnibus physicarum præmotionum impugnatoribus. Cur ergo hos tam acriter adoritur Sylvius? Sed est aliud longe gravius. Hic auctor inter scriptores Societatis, qui physicas præmotiones sectantur, recenset (Secund. part. art. 26), Beatum Canisium et Costerum: illum, quia in *sua Summa doctrinæ christianæ* (tit. *de justitia christiana*) hæc habet. «Ea (scilicet gratia Dei) *præeunte et adjuvante perficitur, quod Joannes affirmat* (*S. Joannis* cap. 3, vers. 7): *Qui facit justitiam, justus est.*» Costerum vero, quia docet (*lib. Controvers. cap. 5 de liber. arbitrio*) peccatorem non posse a peccato resurgere, *neque pie erga Deum affici, aut pio affectu de Christo, ut Redemptore suo loqui sine divina motione et gratia præeunte, sicut post D. Augustinum adversus Pelagium definierunt ex Scripturis Concilia Milevitanum et Arausicanum*». Hinc subdit Costerus, tantam esse voluntatis et cordis duritiam, «*ut nisi misericors gratia Dei præveniat, et mentem illustret, affectumque moveat, nunquam serio pœniteat, vel ad Deum revertatur; debet enim Deus præventre nos in benedictionibus dulcedinis,*» etc. etc. Sed quid est hoc, nisi vel misere illudi, vel lectores illudere? Quis enim non videat in his duorum illorum auctorum verbis sermonem esse de auxilio gratiæ excitantis ad actus supernaturales necessarios? Quis autem est inter nostros scriptores, immo inter catholicos cujuslibet ordinis, qui non agnoscat necessitatem gratiæ prævenientis ad actus salutares? Perperam ergo B. Canisius et Costerus inter assertores physicæ prædeterminationis numerantur, propterea quod talia scripserunt, quæ nemo, salva fide, negare valeat nec possunt illi tanquam contrarii Suarezio et reliquis Doctoribus nostris proponi nisi confundendo, ac pervertendo statum quæstionis. Hujusmodi confusiones non levia crearunt pericula nostræ doctrinæ bonoque nomini auctorum nostrorum, ut jam superius innui, et passim docebunt historiographi nostri controversiarum de auxiliis gratiæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS V

Quid dicendum de extrinseca prædeterminatione, ac de præmotione causarum liberarum indifferenti.

Duo hic, quamvis inter se valde diversa, in unum ideo colligimus, quia facile possunt resolvi ex hactenus dictis. Primum est extrinseca prædeterminatio, quam paulo superius descripsimus (1): alterum præmotio, quam quidam scriptores necessariam esse contendunt pro causis liberis, quæ tamen indifferens sit, nec infallibiliter connexa cum effectu.

§ EXCLUDITUR PÆDETERMINATIO EXTRINSECA.

293. Prædeterminatio hæc in eo sita est, quod Deus ab æterno per decretum suæ voluntatis, antecedenter ad omnem scientiam mediam, absolute decernit creaturas hoc aut illud agere, ita ut illæ propter naturalem quasi sympathiam et subordinationem suo Creatori debitam, nequeant jam aliter agere, quamvis nullam in se præviam motionem *intrinsecam* recipiant. Quæ prædeterminatio, ut vides, omnino recidit in eam opinionem, quam supra sub nomine *concatenationis* retulimus, et impugnavimus (2), cum sermo esset de medio, in quo Deus futura libera cognoscere valeat.

294. PROPOSITIO 1.ª Prædeterminatio extrinseca respectu causarum necessariarum, si statuitur tanquam aliquid a decreto concurrendi distinctum, inutilis prorsus videtur; respectu autem causarum liberarum, in omni casu tanquam inimica libertatis rejicienda est.

Prædeterminatio extrinseca respectu

Probatur per partes. Et in primis relate ad causas necessarias, prædeterminatio hæc dupliciter concipi potest vel pro decreto prædendi concursum generalem, vel pro aliquo

(1) Cap. 2, art. 1 hujus disput. in fin, num. 76 et 84 pag. 266 et 282.
(2) Vide in hoc volumine, num. 76, pag. 266, et num. 84, pag. 282.

alio distincto decreto. Si nihil aliud sit præter ipsum decretum divinum prædendi concursum generalem, sine quo nulla creatura potest habere totum actum primum completum ad agendum, nullam habet difficultatem nec incommodum. Si vero aliquid aliud sit illa prædeterminatio, tanquam inutilis videtur esse relinquenda propter easdem rationes, propter quas supra intrinsecam prædeterminationem exclusimus.

causarum necessariarum inutilis est;

Relate etiam ad causas liberas existimo prædeterminationem extrinsecam iisdem difficultatibus obnoxiam esse, quibus physicam præmotionem premi demonstravimus. Et primo quidem, admissa extrinseca prædeterminatione, «non esset in nostra potestate nisi id tantum velle, quod Deus vult nos velle; quod si hoc ita est, sequitur ulterius, nos non libere, sed ex necessitate simpliciter omittere seu non velle, quidquid omittimus velle. Et hinc consequenter fit, nullam carentiam actus seu voluntatis, quæ nobis accidat, posse nobis ad culpam imputari; quod est hæreticum...» (1).

respectu autem causarum liberarum inutilis et inimica libertatis.

Et probatur, «quia nos nihil velle possumus sine hac prædeterminatione divina. Sed hæc non est in nostra potestate, quia nullo modo a nobis incipit, sed a Deo. Ergo si Deus adhibuit suæ voluntatis determinationem ad unum tantum actum, et non ad alios, omnes alii non sunt in nostra potestate; quia neque ante determinationem illam Dei fuit in nostra potestate facere, ut non ad hunc actum, sed ad alium nos prædeterminaret, neque post determinationem facere quidquam possumus, ut Deus ad alios actus nos determinet...» (2)

Præterea, stante hujusmodi prædeterminatione, videtur simili modo impedita manere ac penitus ligata libertas nostræ voluntatis in quacumque actione. Non enim est in nostra potestate habere decretum illud ac prædefinitionem divinam, quæ necessaria dicitur ad agendum, et omnem actum nostrum antecedit; nec pariter possibile est decreto illi antecedenti resistere. Igitur, posita etiam extrinseca

(1) Suarez, *de concurs.* lib. 1, cap. 12, num. 2, apud quem vide plura.
(2) Id. ibid. num. 4, seqq. ubi fuse alia persequitur, et respondet ad instantias in contrarium factas.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

præmotione, ita agimus, ut non possimus non agere, seu actionem impedire, ac proinde perit nostra libertas (1).

Quæ vero contra opponi possent, partim soluta sunt in antecessum, partim opponentur, quum nostra sententia declaranda erit.

§ II.—UTRUM IN AGENTIBUS LIBERIS NECESSARIA SIT ALIQUA PRÆMOTIO NATURA SUA INDIFFERENS ET COMPOSIBILIS CUM VOLUNTATIS DISSENSU.

Sententia præmotionis indifferentis describitur.

295. Quoniam propositum mihi est nihil dissimulare eorum, quæ ad præsentem controversiam spectant, pauca dicere debeo de sententia quorundam auctorum, quibus placuit mediam tenere viam inter physicam prædeterminationem et simultaneum concursum. Ex altera enim parte aliquam motionem requirunt in voluntate receptam, quæ necessaria sit, ut illa se ad actum determinet; ex altera vero parte negant voluntatem ex tali motione amittere suam indifferentiam. Ita opinatur inter alios P. Joannes Martinez de Ripalda, non ille clarissimus auctor præstantissimi operis de *Ente supernaturali*; sed alter, hispanus et ipse et conterraneus prioris, Professor ac Rector Collegii Sanctæ Fidei in novo Regno Granatensi in America: qui suam hisce verbis describit doctrinam: «Duo igitur sunt nobis probanda: primum est concursum Dei, ut liberum arbitrium operetur, esse prævium in voluntate et antecedentem, non prioritate temporis, sed solum naturæ et causalitatis ad operationem liberi arbitrii. Secundum, est talem motionem sive concursum esse ex natura sua indifferentem, subditumque voluntati quoad proprium ipsius usum, ac proinde ab ipsa determinabilem vel ad volitionem vel ad nolitionem, prout ipsa pro suo dominio causæ particularis se determinaverit. Quamvis enim voluntas sine prævio concursu et sine motione non possit proxime se determinare nec ad velle nec ad nolle; eo tamen in voluntate posito per solum dominium Dei, ipsa manet proxime

(1) Vide Suarez, *de concurs.* lib. 1, cap. 17, ubi plura, si placet, require.

expedita ad utrumlibet, ut suum proprium dominium exerceat» (1).

Hanc dicit Ripalda esse expressam mentem SS. Augustini ac Thomæ; et pro eadem laudat Cardinales, Toletum, Bellarminum Pallavicinumque præter PP. Joannem Azor, Gregorium de Valentia, Sylvestrum Maurum et alios.

Probat autem P. Ripalda necessitatem præviæ motionis, ut voluntas agat, tum testimoniis SS. Augustini, Thomæ ac S. Parentis nostri Ignatii, tum argumentis rationis. *Primo*, quia «nequit aliter salvari dependentia creaturæ a Deo in operando» (2). *Secundo*, «quia Deus se solo impedire potest causarum secundarum operationes, quamvis omnia adsint in illis ad operandum requisita»: id quod intelligi nequit, nisi supponatur necessitas præviæ motionis, qua sola negata, nulla sequi poterit actio creaturæ (3). *Tertio*, quia «sicut intellectus dicitur movere voluntatem sive ex parte objecti per medium finis, sive per modum proponentis, vel, ut alii dicunt, moraliter, sic Deus dicitur movere voluntatem et quamlibet aliam causam per modum efficientis et primi agentis. Atqui motio, sive moralis sive intentionalis, sive quocumque modo explicetur, qua voluntas movetur ab intellectu, semper est prævia ad actus voluntatis...» Ergo a pari motio, qua Deus per modum causæ primæ primique efficientis movet voluntatem, semper est, et debet esse prævia» (4). *Quarto*, a paritate voluntatis prævie applicantis et moventis potentias inferiores ad suos actus: neque enim minus subordinatur Deo voluntas, quam inferiores potentiæ voluntati (5). *Quinto*, quia Deus est primum movens, et liberum arbitrium movetur a Deo, mobile autem aliquid patitur, ac recipit a suo movente (6).

(1) «*De usu et abusu doctrinæ D. Thomæ pro Xaveriana Academia Collegii Sanctæ Fidei in novo regno Granatensi*, etc., auctore P. Joanne Martinez de Ripalda, Navarro ex Urbe Olitensi, in eadem Academia Theologiæ Professore, postea ejusdem Academiæ et Collegii Rectore. Leodii, 1704.—Secunda Pars Theologiæ, quæst. 2, tract. 1, pag. 22, num. 93.

(2) Loc. cit., sect. 3, num 130.

(3) Ibid. num. 131.

(4) Ibid. num. 132.

(5) Ibid. num. 133.

(6) Ibid. num. 134, seqq.

296. PROPOSITIO 2.ª **Sententia præmotionem indifferentem propugnans nec satis idoneis nititur fundamentis, nec potest gravissima effugere incommoda.**

ac reprobatur.

Prima pars: *Sententia hæc non satis idoneis nititur fundamentis*, probatione non eget. 1.º In primis quinque ista argumenta intrinseca peculiarem refutationem non merentur post hactenus disputata contra thomisticam prædetermina tionem.

2.º Loca S. Agustini, adducta in confirmationem suæ opinionis a Ripalda (1), respiciunt opera bona supernaturalia, ad quæ, fatentibus omnibus catholicis, necessarium est prævium auxilium gratiæ excitantis. Perperam ergo extenduntur ad naturalem operationem voluntatis nostræ.

Auctoritates etiam S. Thomæ non urgent; neque enim tales sunt, quæ de prævia aliqua motione impressa voluntati necessario interpretanda sint, quemadmodum fusiori calamo paulo inferius ostendemus.

Doctrina vero S. Parentis nostri Ignatii in sua præstantissima epistola *de Obedientiæ virtute* et comparatio influxus, quem alia ab aliis accipiunt corpora cœlestia (2), parum apte applicatur ad probandam præmotionem ex eo, quod magis voluntas subordinetur Deo, quam corpora cœlestia, alia aliis.

3.º Ex auctoribus vero nostris a Ripalda laudatis, in primis de Joanne Azor nihil est necesse dicere, quem jam superius concessi aliquam videri præmotionem admisisse. Bellarminum vero, Toletum ac Valentiam invitos penitus trahit ad suam sententiam Ripalda. Et quod primum attinet, res adeo est manifesta, ut ipsemet Ripalda fateatur (3), prævium motionem, quam imponit doctissimo Cardinali Bellarmino, ex mente hujus non distingui ab ipsa virtute naturali causæ secundæ. De Toleto jam superius satis diximus.

Ex Valentia hæc depromuntur verba in favorem præviæ motionis (4): «Ad primum Durandi respondeo, Deum non per

(1) Ibid. num. 125.
(2) Ibid. num. 128, 129.
(3) Ibid. num 56.
(4) Ibid. num. 107.

eamdem actionem, qua creatura, sed per aliam producere eumdem effectum». Itemque hæc alia: «Ad id autem, quod Durandus quærit, si per duas actiones immediate attingitur idem effectus, an simul vel non simul per illas attingatur; respondemus attingi per illas simul tempore, quamvis natura prius per divinam, ut est ratio primæ et universalissimæ causæ» (1).

Verum quam parum ad rem hæc producantur, demostrant verba, quæ statim post primum locum subjungit Valentia. «Dei enim, ut est causa efficiens, *duplicem actionem considerare possumus: una est immanens in ipso Deo, per quam in primis agit, puta intellectio et volitio divina. Et hæc est realiter diversa ab actione creaturæ*. Altera est transiens, quæ re ipsa nihil est aliud, quam effectus ipse ut a Deo procedens hoc est, ut existit ex vi divinæ potentiæ, quæ est Dei intellectus et voluntas. Atque hæc actio formali saltem ratione distinguitur ab operatione transeunte creaturæ, quæ est ipsa etiam effectus, ut a creatura procedens. Neque est ullum absurdum, quod his modis unus et idem effectus producatur per diversas actiones, ut falso Durandus in confirmatione illius argumenti sumite (1). Ex quibus patet, Gregorium de Valentia ne cogitasse quidem de ulla præmotione in prædicto loco. Actio enim prior Dei concurrentis aliud non est præter ipsam actionem, non transeuntem et in voluntate receptam, sed in Deo immanentem, per quam in primis agit, puta intellectionem et volitionem Dei; actio vero posterior, transiens, similiter non est, aliquid impressum voluntati, sed, ex Valentia, est ipse effectus, prout a Deo procedens.

Ex P. Silvestro Mauro tria loca *Quæstionum philosophicarum* refert Ripalda, alterum ex libro quinto, quæstione 14, ubi agitur de concursu divino; alterum ex eodem libro quæstione 8, in quo sermo est de *Primo motore*; tertium denique ex libro secundo, quæstione vigessima prima, ubi inquiritur subjectum, in quo recipitur actio.

Jam in primo loco, nullum reperire potui præmotionis cujuslibet vestigium. In tertio hæc prostant verba, quibus

(1) *Comm. Theol.* tom. 1, disp. 3, quæst 1, punct 1.º circa med.
(2) Valentia, loc. cit.

P. Ripalda suam fulcire nititur opinionem: «Omnes creaturæ sunt moventia et agentia imperfecta, ideoque dum movent, moventur a Deo superiore movente, et perducuntur ad novam perfectionem et actualitatem movendi, qua ante carebant; et dum agunt, patiuntur, ac recipiunt a Deo, superiori agente, perfectionem et actualitatem actionis, ad quam inclinant vehementissime» (1). Et similiter in secundo loco videtur hoc supponi, illud, quod de non operante fit operans, debere prius in se ipso mutari ab alio.

Verba hæc, fateor, speciem aliquam præmotionis præ se ferunt; nihilominus puto auctorem non intendisse re vera præmotionem docere. Hæ namque et aliæ similes loquendi formæ in prædicta quæstione adhibitæ, eo tendunt, ut probent actionem omnem recipi debere in ipso agente tanquam perfectionem et actualitatem, ad quam maxime inclinant potentiæ ac virtutes causarum. Unde motus ille, quo causæ secundæ, *dum* movent, moventur a Deo; et actualitas, qua, *dum* agunt, patiuntur, non necessario debet esse ex verborum contextu, nisi ipsa formalis actio in agente recepta. Atqui præmotio est aliquid prævium ad actionem, et datur causæ *ad agendum, et movendum*, non vero *dum* agit, vel movet.

Accedit, quod nec quæstio proposita nec difficultas, cui per objecta verba respondet Maurus, ullam habet necessariam connexionem cum præcedenti doctrina præmotionis.

Si quis tamen in illis verbis præmotionem aliquam omnino videre velit, Silvestrum Maurum adjungat Ripaldæ patronum: unum sciat, parum hujusmodi patrocinium valere, utpote quod nullas addat argumentorum suppetias, sed meram contineat assertionem obiter factam ac præter controversiæ, quæ tum tractabatur, institutum.

De Cardinali Sforza Pallavicino hæc habet Ripalda: «Hic Doctor disp. 6 *de Actibus voluntatis*, art. 12, dubium his verbis proponit: *An voluntas præmoveatur a Deo per aliquam motionem intrinsecam non solum ab objecto, sed etiam a Deo.* Ubi hoc etiam quærit de aliis causis creatis. Cui dubio satisfacit primo dicens: «*Docet Divus Thomas, quæst. 9 in articulo citato, voluntatem non solum moveri quoad specificationem ab objecto, sed etiam quoad exercitium ab aliquo principio extrinseco.* Et quæst. 10, art. 4 quærit: *An moveatur de necessitate a Deo?*» Et respondet: *Moveri quidem semper a Deo, sed tali motione, quæ non ex necessitate ad unum determinet, sed ita ut motus voluntatis maneat contingens*» (1).

«Secundo idem Auctor ait: «*Major difficultas, an ista motio Dei possit fieri permerum decretum mere extrinsecum, an necessario fiat per aliquid intrinsecum receptum in voluntate, sive in ipsa causa creata?* Sic ille. Et relatis sententiis sequitur secutum D. Thomæ judicium, debere fieri *per aliquid, intrinsecum receptum in voluntate et in aliis causis secundis:* illudque probat, et ad argumenta respondet:

«Tertio, num. 6 sic ait: *Ex his colligi potest decisio illius celebris quæstionis, an actio causæ primæ et secundæ distinguantur? Dicendum enim, dari aliquam actionem causæ primæ, quæ distinguitur ab omni actione causæ secundæ, hoc est præmotionem supra dictam.* Quod vero Pallavicinus hisce verbis non doceat præmotionem physicam ad mentem Thomistarum, patet, quia in fine illius articuli dicit præmotionem, quam ipse admittit, esse indifferentem ex parte Dei» (2).

Hæc certe, fatendum est, præmotionem aliquam continere.

4.° Cæterum ista paucitas auctorum, quos pro se allegavit Ripalda, non leve præjudicium contra illius sententiam ingerit. Si quid enim solidi haberet, in quo firma consisteret hæc media sententia, qui fieri potuit, ut in tanta multitudine Doctorum paucissimi reperirentur, qui non alteram ex duabus extremæ oppositis ingrederentur viam? Sic ergo præmotio ista P. Ripaldæ omnium fere auctorum telis patet.

Secunda pars propositionis: *Sententia hæc præmotionis indifferentis, gravissimis urgentur incommodis*, probatur. Et primo quidem præmotio isthæc, licet libertatem non lædat, necessaria tamen non est, sed penitus inutilis, ut jam etiam

(1) *Quæstion. philosoph.*, lib. 2, quæst. 21, ad 1.um

(1) Ripalda, loco citato, num. 105.
(2) Id. ibid num. 100.

dictum est contra thomisticam prædeterminationem. Quid enim aliud, quæso, facit præmotio ista indifferens, nisi potentiam ad actum inclinare, modo tamen non necessario aut ineluctabili, sed indifferenti? Atqui ex sua propria natura et impressione Dei ingenita voluntas inclinata est sufficienter in bonum. Ergo generatim loquendo et ex titulo causæ secundæ non indiget voluntas ulla præmotione.

Generatim et ex titulo causæ secundæ, inquam, nam sub hoc respectu hæc controversia agitatur. Alia enim est quæstio, utrum supposita peculiari aliqua difficultate in actu eliciendo, opus habeat voluntas prævia motione, qua conferatur ipsi facilitas: quo pacto Theologi docent ad observanda præcepta Decalogi necessariam esse gratiam Dei.

Præterea non leviter etiam, mea quidem sententia, urgetur indifferens ista præmotio ex actibus malis. Nam videtur indignum Deo, ut ad factum peccati præmoveat etiam motione indifferenti. Prævia enim illa motio, quæ ante actum peccaminosum voluntatis nostræ datur a Deo, vel inclinat determinate, licet non ineluctabiliter, in ipsum peccatum, vel tantum in bonum, vel est aliqua inclinatio tantum ad agendum, præscindendo ab hoc, quod actus consequens sit bonus vel malus, et relicta voluntati ipsi determinatione speciei bonæ vel pravæ actionis. Primum dedecet divinam sanctitatem, nec intelligitur, quomodo Deus, si posset eo modo physice inclinare voluntatem, non posset etiam eamdem moraliter inclinare suadendo aut consiliando peccatum: id quod absurdum est. Secundum autem destruit necessitatem præmotionis; nam si voluntas, rejecta præmotione in bonum, eligit malum, ad quod tamen non præmovebatur: ergo sequitur præmotionem hujusmodi non esse universaliter necessariam. Tertium denique non satis percipitur, siquidem omnis motio debet esse ad aliquem terminum determinatum. At motio, quæ præscindit a bono vel malo, sed est tantum ad agendum, non habet ullum finem determinatum. In quo est notandum discrimen inter simultaneum concursum et præmotionem. Concursus enim simultaneus licet ex parte Dei foret indifferens et applicabilis

sive ad bonum sive ad malum, potest determinationem accipere ex parte creaturæ simul operantis: at præmotio, quoniam est motio a solo Deo procedens, nisi sit determinate ad bonum vel malum ex directione ipsius Dei, remanet in sua vaga indeterminatione rei, ad nullam certam speciem pertinentis.

CAPUT III

STATUITUR VERA SENTENTIA

CIRCA DIVINUM CONCURSUM.

Probavimus hactenus necessitatem divini concursus, non solum mediati, sed etiam immediati, quo effectus quivis creatæ causæ immediate a Deo dependeat, et quidem totaliter seu quod totam entitatem physicam, ita ut et effectus productus et ipsa etiam actio, qua ille producitur, indivisibiliter a Deo procedat non minus immediate, quam a propria causa secunda. Et productio ista, prout a causa prima procedens, vocatur concursus vel cooperatio ejus; prout autem procedens a causa secunda, dicitur ejusdem operatio hæc vel illa, puta intellectio, combustio, scriptio, etc., pro diversitate specifica causarum vel potentiarum operantium. Ostendimus etiam Deum et causam creatam ita in eumdem effectum et actionem cooperari, ut operatio Dei non debeat inchoari prius, sive tempore, sive etiam natura, proprie loquendo (1), prioritate videlicet, quæ importet causalitatem aliquam aut prævium motionem, in ipsa causa secunda receptam, qua illa applicetur ad agendum, vel constituatur actu profundens operationem. Unde sequitur divinum concursum esse debere simultaneum, quæ nobis videtur verissima sententia in hoc capite declaranda et demonstranda.

(1) Recole, quid sit proprie dicta prioritas naturæ, *Ontolog.* num. 176.

dictum est contra thomisticam prædeterminationem. Quid enim aliud, quæso, facit præmotio ista indifferens, nisi potentiam ad actum inclinare, modo tamen non necessario aut ineluctabili, sed indifferenti? Atqui ex sua propria natura et impressione Dei ingenita voluntas inclinata est sufficienter in bonum. Ergo generatim loquendo et ex titulo causæ secundæ non indiget voluntas ulla præmotione.

Generatim et ex titulo causæ secundæ, inquam, nam sub hoc respectu hæc controversia agitatur. Alia enim est quæstio, utrum supposita peculiari aliqua difficultate in actu eliciendo, opus habeat voluntas prævia motione, qua conferatur ipsi facilitas: quo pacto Theologi docent ad observanda præcepta Decalogi necessariam esse gratiam Dei.

Præterea non leviter etiam, mea quidem sententia, urgetur indifferens ista præmotio ex actibus malis. Nam videtur indignum Deo, ut ad factum peccati præmoveat etiam motione indifferenti. Prævia enim illa motio, quæ ante actum peccaminosum voluntatis nostræ datur a Deo, vel inclinat determinate, licet non ineluctabiliter, in ipsum peccatum, vel tantum in bonum, vel est aliqua inclinatio tantum ad agendum, præscindendo ab hoc, quod actus consequens sit bonus vel malus, et relicta voluntati ipsi determinatione speciei bonæ vel pravæ actionis. Primum dedecet divinam sanctitatem, nec intelligitur, quomodo Deus, si posset eo modo physice inclinare voluntatem, non posset etiam eamdem moraliter inclinare suadendo aut consiliando peccatum: id quod absurdum est. Secundum autem destruit necessitatem præmotionis; nam si voluntas, rejecta præmotione in bonum, eligit malum, ad quod tamen non præmovebatur: ergo sequitur præmotionem hujusmodi non esse universaliter necessariam. Tertium denique non satis percipitur, siquidem omnis motio debet esse ad aliquem terminum determinatum. At motio, quæ præscindit a bono vel malo, sed est tantum ad agendum, non habet ullum finem determinatum. In quo est notandum discrimen inter simultaneum concursum et præmotionem. Concursus enim simultaneus licet ex parte Dei foret indifferens et applicabilis

sive ad bonum sive ad malum, potest determinationem accipere ex parte creaturæ simul operantis: at præmotio, quoniam est motio a solo Deo procedens, nisi sit determinate ad bonum vel malum ex directione ipsius Dei, remanet in sua vaga indeterminatione rei, ad nullam certam speciem pertinentis.

CAPUT III

STATUITUR VERA SENTENTIA

CIRCA DIVINUM CONCURSUM.

Probavimus hactenus necessitatem divini concursus, non solum mediati, sed etiam immediati, quo effectus quivis creatæ causæ immediate a Deo dependeat, et quidem totaliter seu quod totam entitatem physicam, ita ut et effectus productus et ipsa etiam actio, qua ille producitur, indivisibiliter a Deo procedat non minus immediate, quam a propria causa secunda. Et productio ista, prout a causa prima procedens, vocatur concursus vel cooperatio ejus; prout autem procedens a causa secunda, dicitur ejusdem operatio hæc vel illa, puta intellectio, combustio, scriptio, etc., pro diversitate specifica causarum vel potentiarum operantium. Ostendimus etiam Deum et causam creatam ita in eumdem effectum et actionem cooperari, ut operatio Dei non debeat inchoari prius, sive tempore, sive etiam natura, proprie loquendo (1), prioritate videlicet, quæ importet causalitatem aliquam aut prævium motionem, in ipsa causa secunda receptam, qua illa applicetur ad agendum, vel constituatur actu profundens operationem. Unde sequitur divinum concursum esse debere simultaneum, quæ nobis videtur verissima sententia in hoc capite declaranda et demonstranda.

(1) Recole, quid sit proprie dicta prioritas naturæ, *Ontolog.* num. 176.

ARTICULUS I

Brevis declaratio simultanei concursus

Concursus Dei in actu secundo, qui dicitur simultaneus

297. Ille dicitur concursus simultaneus, qui *simul* exercetur cum activitate causæ creatæ, seu in quo divinus influxus et virtus non prius nec posterius exseritur ad extra ad ponendum effectum, quam influxus creatæ causæ, sed simul cum eadem, ita ut in actione, qua producitur effectus, sicut nihil est, quod sit a sola creatura, ita etiam nihil sit, quod a solo Deo procedat, sed tota actio simul ab utraque causa inchoetur, et dependeat. Et hic quidem est concursus, qui dicitur in actu secundo, et intelligi solet simpliciter nomine concursus. Distinguitur præterea concursus in actu primo, qui nihil est aliud, quam divina virtus, non quidem absolute et in se spectata, sed jam determinata et æterno voluntatis divinæ decreto applicata ad operandum cum causa secunda. Unde concursus hic æternus est, ac proinde non est simultaneus, sed prior actione creaturæ non solum tempore, sed etiam natura; nam virtus Dei ab æterno præparata et ad concurrendum applicata, est vere causa actionis creaturæ in tempore secuturæ. Vera itaque sententia circa modum divini concursus cum actionibus causarum creatarum, distinguit duplicem concursum, alterum in actu primo, qui æternus est, alterum in actu secundo, qui simpliciter concursus dicitur, et est temporaneus ac simultaneus cum actione creaturæ, immo ipsa actio creaturæ, prout a Deo procedens, quandoquidem nulla esse potest actio causæ creatæ, nisi indivisibiliter procedens ex influxu simultaneo utriusque causæ, primæ ac secundæ.

quid concursus in actu primo.

Influxus Dei actu concurrentis, licet non sit prior tempore nec natura, quam influxus creaturæ,

Dixi influxum hunc Dei concurrentis esse simultaneum, ita ut non sit prior tempore nec natura respectu influxus causæ creatæ. Nam negari nequit influxum Dei priorem esse nobilitate, universalitate, necessitate, atque in subsistendi consequentia (1). Est prior *nobilitate*, quia longe

(1) Cfr. *Ontolog.* num. 176, pag. 511.

est tamen prior nobilitate, universalitate, necessitate

dignior est atque altior: *universalitate*, quia est profundior et vehementior, et ad omnem cujuslibet causæ actionem sese porrigens: *necessitate*, quia influxus divinus ita absolute atque essentialiter est necessarius, ut sine illo nihil esse queat, influxus autem causæ creatæ non ita est necessarius, ut sine illo non posset esse actio: demum est prior *in subsistendi consequentia*, quia influxus creaturæ ac Dei in actionem ita inter se comparantur, ut teneat hæc consequentia: *Datur influxus et actio rei creatæ; ergo datur actio Dei*; non autem vicissim teneat hæc alia consequentia: *Datur influxus et actio Dei; ergo datur actio creaturæ*. Nam quamvis creatura egeat concursu Dei ad operandum, at Deus potest operari sine creaturæ concursu.

et in subsistendi consequentia.

Distinctione duplicis concursus in actu primo et in actu secundo solvitur gravissima illa difficultas, quam in fine primi capitis, proposuimus, ex eo petita, quod, admisso simultaneo concursu, difficile videatur intelligere, quo pacto causa prima et secunda coire valeant in unam eamdemque indivisibilem actionem et effectum. Prædeterminationem defendentes, ut vidimus, rem explicant per prævium motionem causæ creatæ impressam, qua illa excitatur, applicatur, ac determinatur ad agendum. Verum nos istam prævium motionem ut supervacaneam et etiam libertatis inimicam exclusimus, arbitrantes causas quidem necessarias per suam naturam et per impressionem divinitus acceptam in ipsa productione (1) omnino ineluctabiliter inclinatas ac deterterminatas ad agendum esse, ita ut nihil jam amplius requirere debeant, saltem ex titulo generalis concursus divini, ad profundendam actionem, ubicumque adsint omnia prærequisita. Causæ vero liberæ similiter per illam inclinationem in bonum a Deo sibi naturaliter impressam et perpetuo inhærentem, de qua suo loco locuti sumus (2), habent quantum satis est, ut, accedente sufficienti propositione boni concreti et particularis ex parte intellectus, per activam

(1) Vide *Cosmolog.* num. 101, pag. 362, seqq. Et recole superius scripta, num. 278, pag. 797.

(2) *Psycholog.* vol. 2.º, num. 702, pag. 196, 198.

suam indifferentiam se ad agendum determinent, quando adsunt reliqua prærequisita. Quomodo ergo, inquies, influxus divinus et influxus virtutis creatæ simul in eamdem confluunt actionem et effectum? Per æternum decretum, quo Deus prælucente scientia media, applicat omnipotentiam suam ad agendum eo præcise temporis instanti, in quo videt causam creatam operaturam esse, si sibi esset in promptu concursus divinus, quo absolute atque essentialiter indiget ad quidpiam agendum. Hoc est systema concursus divini, communi consensu receptum inter auctores Societatis Jesu. In quo plura sunt, quæ jam necesse non est demonstrare, nam patent ex dictis contra physicam prædeterminationem: quædam autem alia sunt, quæ declarari et probari debent diligenter, qualia sunt ea, quæ respiciunt divinum decretum concurrendi cum causis creatis.

ARTICULUS II

Utrum causa prima conjungatur cum secunda ad operandum per decretum applicandi omnipotentiam suam in certa temporis differentia.

308. PROPOSITIO 1.ª **Deus ab æterno decrevit applicare omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis ad omnes et singulas earum operationes: et virtus divina, prout proxime applicata et conjuncta pro tali tempore cum causa secunda ex hujusmodi æterno decreto ad concurrendum cum illa, vel ipsum ejusmodi decretum haud incongrue vocatur concursus Dei in actu primo.**

Deus ab æterno suam omnipotentiam ad concurrendum cum causis secundis applicare decrevit.

Propositio hæc nullo negotio probatur tanquam corollarium eorum, quæ in capite primo demonstrata sunt. Deus enim omnes et singulas actiones et effectus causarum secundarum operatur. Atqui Deus nihil operatur ad extra nisi libere volens. Nam est causa intelligens et independens, neque agit ex necessitate naturæ. Ergo, ut agat quippiam, necesse est in ipso præsupponere notitiam distinctissimam effectus futuri ac determinationem voluntatis, res ipsas fiendas et

circumstantias omnes, sive quoad locum, sive quoad tempus decernentis.

virtusque divina vis parata ad concurrendum haud incongrue dicitur concursus in actu primo.

Jam quod virtus divina parata ad concurrendum, haud incongrue dici possit concursus in actu primo, non eget probatione. Si enim concursus in actu secundo est ipsa causæ secundæ operatio, prout fluens a divina virtute, concursus in actu primo erit hæc ipsa virtus, prout jam immutabiliter determinata ad operandum. Et quoniam virtus divinæ omnipotentiæ non determinatur ad operandum nisi per prædictum decretum: ideo ipsum quoque decretum applicans divinam virtutem dici solet etiam *præparatio* vel *oblatio concursus*.

Divinum decretum concurrendi liberum est absolute.

Cæterum hujusmodi decretum liberum est, quia neque creatio neque conservatio causarum secundarum fundat absolutam et ineluctabilem obligationem concursus divini, cum sit causa prima prorsus independens in operibus ad extra. Nihilominus, quoniam Deus ex largissima liberalitate voluit creatis rebus communicare suam similitudinem tum in essendo tum in operando, nec possunt hæ, utcumque habeant virtutes in ordine suo completas, sine divino adjutorio agere; consequentur, si velit mundum, prout postulant rerum naturæ, gubernare, debet iisdem suum concursum secundum earum exigentiam decernere. Et sic videmus Deum communiter et ordinarie facere, licet quandoque ad ostensionem gloriæ suæ, decernat non concurrere, ac tum virtutes naturales per miraculum impediuntur, ne consentaneas eliciant operationes, ut cum ignis Babylonis, deficiente divino influxu, ne levissime quidem sanctis illis juvenibus nocuit.

309. PROPOSITIO 2.ª **Nulla causa secunda potest esse simpliciter et absolute in actu primo proximo constituta, nisi præsupponatur in Deo hujusmodi voluntas seu decretum applicandi omnipotentiam suam ad concurrendum cum illa (1).**

Nulla creatura potest esse simpliciter in actu primo constituta, nisi adsit in Deo

Et ratio in promptu est, quia si creatura nequit agere de facto sine cooperatione Dei, nec Deus cooperari nisi præsupposita voluntate cooperandi; plane sequitur, nisi adsit hujusmodi voluntas, creaturam non posse intelligi cum omnibus

(1) Vide Suarez, *Metaphys.*, disput. 22, sect. 4, num. 17.

voluntas vel decretum concursendi.

absolute et ex omni parte requisitis conditionibus ad operandum. Ergo decretum illud seu concursus in actu primo est ultimum complementum necessario requisitum ad hoc, ut quævis potentia vel virtus creata, sive necessaria sive libera, proxime expedita sit ad agendum. Et si sola hæc conditio desit, licet cætera omnia adsint, nulla de facto actio sequi poterit. Unde a nostris auctoribus decretum applicativum divinæ omnipotentiæ dicitur esse pro causis liberis unum ex constitutivis libertatis creatæ in actu primo. Et consequenter libertas hominis in actu primo constituta per sola comprincipia creata, quamvis dicatur causa totalis in ordine suo, videlicet causæ secundæ, absolute tamen non est nisi causa partialis incapax agendi de se absque juvamine omnipotentiæ concurrentis ac sine decreto applicativo ejusdem.

300. PROPOSITIO 3.ª **Causa prima conjungitur cum secunda ad operandum in virtute hujusmodi decreti, quo Deo ab æterno statuit applicare suam omnipotentiam ad agendum cum causis creatis, ubicumque illæ completæ in suo ordine erunt cum omnibus conditionibus, ex parte aliarum causarum naturalium ad opus requisitis.**

Causa prima conjungitur cum secunda ad agendum in virtute decreti, quo Deus ab æterno statuit suam omnipotentiam applicare ad concurrendum.

Probatur. Quia non potest alius modus aptus assignari ad conjunctionem prædictam declarandam: hic autem sufficientissimus est. Ergo revera per illud decretum causa prima conjungitur cum secunda.

Probatur antecedens per partes: α) *Nequit alius modus aptus ad rem declaradam assignari.* Sane duæ vel plures causæ coire in communem actionem possunt, aut casu ac præter intentionem, id quod dici nequit de causa prima, aut ex intentione. Rursus ex instituto atque intentione possunt duæ causæ convenire in agendo, vel quia ambæ alicui causæ superiori subordinantur, a qua apte applicentur ad opus, ut cum plures rotæ unius machinæ moventur simul ex directione alicujus regulatoris, vel quia una ab altera dependet, eique subordinatur. Primum horum iterum dici nequit de causa prima cooperante cum secunda, sicut neque etiam dici potest, quod Deus causæ creatæ subordinetur, ab eaque dirigatur, et applicetur ad simul agendum. Restat ergo, ut dicamus conjunctionem causæ primæ cum secunda

provenire ex determinatione ac directione illius. Jam vero determinatio ac directio hujusmodi bifariam intelligi potest, vel per motionem aliquam physicam causæ secundæ impressam, quemadmodum rem explicant Prædeterminantes, vel per decretum aliquod, quo divina omnipotentia, ex se quidem libertima atque indifferentissima, quasi alligetur ac determinetur ad operandum in hoc vel illo momento cum hac vel illa causa, illius auxilium ac juvamen requirente ob nativam suam et essentialem impotentiam. Primum horum exclusum jam est fusissime in præcedentibus. Ergo remanet alterum.

β) *Per hujusmodi decretum applicativum omnipotentiæ divinæ sufficientissime explicatur, quomodo causa prima et secunda conveniant in operando.* Nam, ut supra dicebamus, «Deus ex æternitate sua, sicut decrevit has res producere, et non alias, et hoc tempore et cum hocet cum ordine his motibus, etc., et non alio modo; ita etiam decrevit cum eisdem rebus concurrere ad earum actiones juxta capacitatem earum. Et quia sicut scientia Dei est distinctissima et in particulari de omnibus, ita et voluntas distincta et in particulari omnia decernit, et ad singula descendit juxta uniuscujusque capacitatem et indigentiam. Ideo in præbendo hoc concursu; ex æternitate etiam decrevit in particulari concurrere cum hac causa tali tempore, tali loco, et circa tale subjectum, ad talem actionem et effectum in individuo, et in tali tempore ad aliam, et sic de omnibus. Dico autem semper ad *talem actionem*, quia non satis esset determinatio ad unum numero effectum, eo quod possit idem effectus fieri per diversas numero actiones, vel fortasse etiam specie; determinando autem actionem, consequens est, ut necessario determinetur effectus, quia non potest una actio numero tendere ad alium terminum, nisi ad illum, cum quo identificatur» (1).

Hoc posito manifestum est, quod quævis causa creata pro eo momento, in quo supponatur in ordine suo completa, in virtute divini decreti omnipotentiam suam applicandi ad

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 4. Cfr. Molina, In 1.ª part. quæst. 14, art. 13, disp. 6, *Ut melius intellegatur;* vel in *Concordia*, quæst. 14, art. 13, disp. 26.

opus, habebit in promptu etiam totum illud, quod sibi necessarium erat ex parte causæ primæ, quodque, si ex sua propria natura sibi suppeteret, agere posset sine alius juvamine. Et sic pro eo momento, pro quo decernitur concursus, causa secunda undequaque completa manet ad agendum, et causa prima determinata ad cooperandum, et actio procedet ex simultanea influentia et concursu utriusque. Per solum ergo decretum istud divinum egregie intelligitur, causam primam et secundam convenire in unam communem actionem et effectum.

Et nunc jam clarius patet, quam non sit necessaria physica Thomistarum præmotio, ut causæ secundæ complete constitutæ in ordine suo actu primo transeant ad secundum, sed sufficiat «sola est hæc voluntas Dei, quasi præparantis et offerentis concursum juxta leges suæ divinæ sapientiæ et providentiæ». Si enim ignis habet ex natura sua vim necessario determinatam ad comburendum, ubicumque adsit materia rite disposita, dummodo Deus concurrat; quid amplius, quæso, opus est, nisi ut Deus concurrere decernat, et in virtute hujus decreti adsit in tempore definito divinus influxus? Itemque si voluntas natura sua divinitus inclinata est in bonum, habetque in se totam activitatem, ut appetat, sine ulla tamen necessitate, quidquid sibi repræsentetur tanquam hic et nunc conveniens; non video, quid aliud requiratur, nisi quod Deus, prævidens fore, ut hæc voluntas in tali momento, in quo ab intellectu proponetur certum aliquod objectum, determinabit se ad illud apetendum, si modo in promptu habeat concursum; æterno suo decreto hujusmodi concursum præparet, ac disponat, ac porro det in eodem illo momento. Unde re vera decretum hoc divinum præstat idem ipsum, ad quod habendum suam illam invehunt adversarii nostri præmotionem, et sine hujus incommodis.

301. PROPOSITIO. 4.ª **Decretum istud divinum non determinat causam secundam quoad *speciem et exercitium actus*, sed potius quodammodo objective determinatur; quoad individuum autem hunc effectum et actionem præ alio solus Deus per suum decretum determinat.**

Decretum divinum non determinat causam secundam quoad speciem actus.

Probatur prima pars: *decretum divinum non determinat causam secundam quoad speciem actus* (1). Tunc enim causa una determinat actionem alterius quoad speciem, cum generalem illus rationem atque indifferentiam ad hanc potius, quam ad illam speciem contrahit, vel cum efficit, ut actio alterius, quæ poterat esse indiscriminatim in hac vel illa specie, hanc et non aliam sortiatur speciem. Atqui decretum prædefiniens concursum non efficit, ut actiones causarum secundarum hanc præ alia quavis speciem actionis sortiantur. Ergo...

Sane causæ vel sunt necessariæ vel liberæ; et necessariæ jam ex sua, propria natura determinatæ sunt ad certas ac definitas actionum species, neque alias elicere naturaliter possunt. Ergo relate ad speciem actus nihil restat determinandum per decretum applicativum omnipotentiæ divinæ circa concursum ad actiones causarum necessariarum.

De liberis etiam idem dici debet cum proportione. Nam licet causæ liberæ ex sua natura indifferentes sint ad varias species actuum, tamen hoc habent ex conditione sua, ut ipsæ determinent sese ad actum hujus vel alterius speciei. Enim vero quid aliud sibi vult libertas contrarietatis vel specificationis? Idque verum est non solum in actibus naturalibus, sed etiam in supernaturalibus, ad quos necessariæ sunt in anima præviæ motiones excitantis gratiæ, quæ ad hunc vel alium actum inclinat, et allicit potentiam. Nam notio illa non est concursus, sed aliquid concursum præcedens. Ergo etiam determinatio actus hujus speciei, quam voluntas ipsa facit per illam motionem allecta, jam præsupponitur ante concursum, atque adeo non est refundenda in decretum applicans omnipotentiam divinam ad concurrendum.

Neque quoad exercitium.

Probatur secunda pars: *Neque etiam prædictum decretum determinat causam secundam ad exercitium actus.* Etenim in tantum divinum decretum determinaret causam secundam ad exercitium actus, in quantum ab illo dependeret, ac definiretur, quod hæc in tali potius momento, quam in alio, operaretur. Atqui non ita dependet.

(1) Contra sentiunt Bañez (In 1.ºº p., quæst. 19, art. 8), Ledesma et Alvarez (apud P. Franciscum Soarez Lusitanum, *Curs. Philosoph. Physic.* trac. 2, disp. 5, paragr. 9).

Vide omnino Lossada, p. 108, num. 18, fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nam in primis causæ necessariæ, ubicumque adsint prærequisita ex sua propria natura, ita determinatæ sunt ad agendum, ut nequeant non agere. Ergo non pendet præcise ex decreto concursum præbendi definire momentum actionis exercendæ.

Dices. Sed nonne decretum hujusmodi est unum ex prærequisitis ad agendum, immo ultimum complementum actus primi, ut modo docebamus? Ergo nisi pugnantia admittere velimus, ex decreto isto dependet determinate exercitium actus.

Respondeo. Licet verum sit, decretum hujusmodi constituere unum ex prærequisitis ad agendum, non tamen exinde sequitur, illud determinare exercitium actus. Quia Deus non decernit concursum præbere, et sic facere, ut causa secunda operetur omnino pro arbitrio suo, ut ita dicam; sed decernit illum præbere tunc solum, quando causa indiget, et *naturaliter exigit* operari, et quando si non operaretur, violentia aliqua fieret: id vero tunc locum habet, quando causa secunda in *ordine suo* completa est, seu quando habet in promptu ea omnia subsidia, quæ ex instituto et ordinatione naturæ habere potest, ac debet ex parte causarum aliarum creatarum ad actum suum.

De causis vero liberis res adhuc est manifestior; quia in hoc stat libertas contradictionis seu exercitii, quod positis omnibus ad operandum, prærequisitis, possit operari vel non operari. Id autem necessario postulat, ut voluntas non determinetur ab alio, sed se ipsam determinet ad agendum, quemadmodum jam supra probatum est. Atque hinc facile probatur

Sed potius quomodo objective determinatur a causis secundis et quoad speciem 2.º quoad exercitium.

Tertia pars: *Causa prima quodammodo objective determinatur a secundis quoad speciem et exercitium* (1): Etenim determinatio duplex esse potest, altera propria et effectiva, altera minus propria et pure objectiva. Prima importat dependentiam et subjectionem in illo, qui determinatur, quippe quæ peragitur per aliquam motionem in eo causatam; et hic modus determinationis cadere in primam causam non

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 33; sect. 4, num. 34; opusc. *de Concurs.* lib. 1, cap. 15, n. 5, 6; Molina, In 1.am p. quæst. 14, art. 13, disp. 6; *Concord.* quæst. 14, art. 13, disput. 26.

potest. Determinatio pure objectiva non importat ullam motionem causatam in eo, qui dicitur determinari, sed solum exhibet rationem vel conditionem extrinsecam, cur aliquis se libere ad aliquid faciendum applicet, vel determinet. Sic si ego decreverim largiri elemosynam cuilibet indigenti, dici possum determinari ad succurrendum Petro, ex eo quo videam Petrum indigentem. Hujusmodi determinatio, ut patet, non arguit ullam imperfectionem ex suo conceptu in eo, qui dicitur determinari. Quod ergo hoc modo Deus determinetur a causis secundis, manifestum est. Deus enim tanquam provisor universalis ideo operatur omnia in omnibus causis secundis, quia complere debet earum virtutes activas, supplens nativam atque essentialem illarum deficientiam et impotentiam operandi sola sua virtute. Quare non quamlibet actionem vel effectum cum qualibet causa producit, nisi miracula patrare velit; sed cum aliis actus liberos, cum aliis necessarios, cum aliis hos, cum aliis illos gignit effectus, prout singularum fert natura et ingenitæ virtutes. Ergo est certum, ut hunc vel illum concursum per suam omnipotentiam exhibere decernat, qui sit hujus vel alterius speciei, oportere, ut prius respiciat, et consideret naturam specificam causæ, cui vult cooperari. Atqui hoc, et nihil aliud intendimus dicere, quando statuimus Deum quodammodo a causis secundis determinari ad speciem actus, nempe pure objective.

Quid alii velint concursum Dei esse indifferentem ut ad rationes generales entis.

«Et hoc unum, inquit P. Georgius Rhodes, voluere omnes illi Doctores, qui dicunt concursum, quem Deus præbet esse indifferentem ex eo, quod non tendat nisi ad rationes generales entis; sic enim docent Molina (1) et Ruiz (2) nuper citati. Non enim intelligunt, quod a Deo producantur solæ rationes genericæ, creatura vero producat rationes specificas, quo nihil dici posset absurdius; quia cum rationes specificæ sint entia per participationem, debent produci a Deo, et cum identificentur cum rationibus genericis, certe

(1) In 1.am p. quæst. 14, art. 13, disp. 6; *Concordia*, quæst. 14, art. 13, disp. 26.

(2) *De Voluntate Dei*, disp. 45, sect. 4; disp. 53, sect. 4, num. 15, etc.

produci non potest una sine altera. Volunt igitur tantum illi Doctores, concursum Dei esse indifferentem, quia quamvis totus effectus secundum omnes gradus sit a Deo, Deus tamen a causa secunda determinatur ad speciem actus. Ratio enim, cur effectus sit in tali specie, est determinatio creaturæ, non autem Dei determinatio; ideoque formaliter ejus concursus est indifferens, et tendit ad solas rationes entis superiores, quamvis realiter ad omnes tendat, cum ejus concursus sit ipse concursus creaturæ; ideoque non unus idemque semper est, sed variat secundum varietatem causarum secundarum et actionum specificarum earumdem (1).

Et idem etiam patet de determinatione quoad exercitium actus. Nam Deus per scientiam suam perfectissimam distinctissimamque cognoscit, quandonam causæ secundæ completæ erunt in suo ordine, et in quo præcise momento illæ operaturæ forent, si ipsa suum offerret concursum, seu in quo tempore reliqua omnia, quæ ad actionem cujuslibet causæ concurrere debent, parata omnino erunt, ita ut si tunc actio non sequeretur, solum tribuendum esset defectui influxus causæ primæ; et quia vult se naturis et indigentiis creaturarum accommodare, tunc, et non prius nec posterius, decernit omnipotentiam suam applicare ad concurrendum. Atqui hoc est Deum a causis secundis quodammodo objective determinari ad exercitium actus. Ergo...

In quo nulla timenda est imperfectio Dei, tum quia objectiva hæc determinatio nihil, sive physice sive moraliter, causat in Deo; tum quia non datur ex ulla indigentia Dei, sed solum quia vult se accommodare naturis rerum; tum denique quiafota derivatur ex antecedenti libera voluntate et actione ipsius. Nam si Deus libere creavit res, virtutibusque variis ad agendum instruxit, et consentaneis inclinationibus et exigentiis naturalibus; si libere illas per suam providentiam certo in ordine distribuit, si denique libere voluit illas agere unamquamque secundum suam naturam, exceptis quibusdam casibus miraculosis; debuit consequenter, ut speciem concursus

(1) *Philosoph. peripat.* lib. 2, disp. 2, quæst. 4, sect. 3, paragr. II. Cfr. Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. VIII, IX; Conimbricens., *Physic.* lib. 2, cap. 7, quæst. 15, articul. 3, *ad secundum.*

et exercitium actus decreto suo definiret, præ oculis habere naturas et exigentias causarum secundarum. Nempe Deus libera rerum creatione variaque providentiæ suæ dispositione, talem objectivum ordinem constituit, qui postulet, ut ille sic potius, quam aliter, pro hoc potius, quam pro alio tempore decernat parare concursum suum (1).

Et puto doctrinam hanc contineri in omnibus illis locis, in quibus S. Thomas scripsit, Deum in agendo cum causis creatis se accommodare naturis earum itemque influentiam causæ primæ *specificari* et *determinari per causam proximam* (2).

Cæterum habet proportionem objectiva hæc determinatio cum extrinseca et pure terminativa illa determinatione, quæ ex objecto cognito provenit in divinum intellectum (3).

Quod attinet individuum actionem, solus Deus est, qui determinat suo decreto.

Quarta pars: *Quod individuam autem actionem solus Deus est, qui determinat suo decreto*, probatur. Nam causa secunda in actu primo proximo constituta, licet quamdiu ad exercitium actus determinatur, eo ipso ad aliquod etiam individuum tuge determinetur, siquidem nequit exercere actus nisi in individuo; nihilominus non est determinata præcise ad hanc singularem actionem et ad hunc numero effectum ex infinitis individuis possibilibus intra eamdem speciem et gradum perfectionis, cum tamen agere non valeat, nisi per aliquid ad unum ex illis præ alio determinetur. Atqui nihil aliud assignari potest præter causam primam. Ergo...

Et re quidem vera, ponamus hunc ignem habentem virtutem calefactivam ut octo, applicatum huic stuppæ hic et nunc. Ex hujusmodi causa cum omnibus suis circumstantiis considerata potest procedere calor individuus ut octo vel hic vel ille vel alius quivis ex infinitis possibilibus caloribus ut octo. Jam quæro, num exigatur hic individuus calor præ alio ab igne hoc vel hac stuppa, vel ab hoc loco et ab hoc tempore, in quo fit calefactio, vel a quavis alia circumstantia, vel

(1) Cfr. Suarez, lib. 1 *de concurs.* cap. 14, num. 5.

(2) Vide supra in cap. 2, art. 2, num. 281, p. 805.

(3) Vide de hac re P. Georg. Rhodes, *Philos. perip.* lib. 2, disp. 4, sect. 3, paragr. 2; P. Francisc. Soarez Lusitan., *Curs. Philos., Physic.* tract. 2, disp. 5, paragr. 9. Cfr. Rubius, *Physic.*, lib. 2, tract. 4, quæst. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ab omnium simul complexu. Et negandum omnino videtur, quia ab *hoc* igne *huic* stuppæ applicato, in *hoc* loco et in *hoc* tempore et in quibusvis aliis adjunctis constituto, non magis sequitur calor *A*, vel calor *B*, etc., qui omnes æque commensurati esse possunt huic causæ et his omnibus adjunctis. Recurrendum est ergo ad voluntatem causæ primæ. Nam «Deus videns causam secundam esse veluti in procinctu, ut exeat in actum certæ alicujus speciei, simulque esse prorsus indifferentem ad plures singulares actus sub tali specie, nec habere, unde sese ad unum potius, quam ad alium, determinet; huic perplexitati occurrit efficacitate suæ voluntatis præfiniendo, quinam actus singularis hoc loco et tempore momentove exercendum sit sub illa specie, ad quam causa secunda se determinat. Rationem autem modumque ejus præfinitionis sic licet mente concipere. Videns Deus, positis illis circumstantiis, concurrendum sibi esse ad eam speciem actus ex lege ordinaria, qua decrevit non destituere suo auxilio agens creatum, præfinit concursum individuum, quo sibi placet influere. Quia vero non diverso, sed eodem numero concursu actioneve Deus et creaturæ influunt, ut supra explicavimus, fit, ut concursus etiam agentis creati determinetur in gradu individuo, ut videlicet potius *hic*, quam *ille alius* ejusdem speciei, qui in *illis* circumstantiis indiscriminatim exhiberi posset. Atque ita simul fit, quod actus et effectus *hic* potius sit, quam alius numero solo diversus, in ipsum Deum resolvatur» (1).

Hinc sequitur «causas naturaliter agentes in eo instante vel tempore, quo agunt, simpliciter et pensatis omnibus, nihil facere posse nisi illam rem in specie et individuo, quam faciunt. Et de specie quidem est res clara, quia habent

(1) Conimbricens. (*Physicor.* lib. 2, cap. 7, q. 15, art. 2. *Tertio sciendum*). Vide Suarez (*Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 31, 12; sect. 4, num. 5; opusc. *de Concurs.*, lib. 1, cap. 7, num. 3), Rhodes (loc. sup. cit. parag. III), Franciso. Soarez Lusitanum (*Curs. philosoph. Physic.* tract. 2, disp. 5, paragr. II), Fonseca (*Metaphys.* lib. 5, cap. 2, q. 9, sect. 2, *Sexta ratio*, et sect. 5). Petr. Hurtad. (*Physic.* disp. 10, sect. 4), Lossada (*Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 6, num. 26).

Et vide *Ontolog.* num. 360, pag. 1142.

virtutem determinatam ad talem effectum in specie; *determinatam*, inquam, vel simpliciter, ut in causis particularibus et univocis, vel saltem hic et nunc circa hanc materiam sic dispositam, vel cum aliis causis simul concurrentibus. *De individuo* vero id probatur ratione superius facta, quia licet naturale agens habeat potentiam activam plurium effectuum in individuo, tamen illa potentia per se sola est insufficiens sine concursu Dei. Et ideo, si illum non habet, non constituit rem in potentia proxima, sed remota, ad agendum. Sic enim ignis privatus concursu Dei, non dicetur simpliciter potens, immo absolute dicetur impotens ad sic calefaciendum. Sic igitur quia hujusmodi causæ tantum habent paratum concursum Dei ad unum numero effectum, solum illum possunt absolute facere, potentia nimirum proxima, quæ includit, non tantum nudam facultatem agendi, sed etiam omnia prærequisita ad operandum» (1).

Id autem dici nequit de causis liberis, quia cum non sint restrictæ ad unam speciem actus, sed indifferentiam servent ad plures, quæ dicitur libertas contrarietatis; ita individuus hic actus alicujus speciei determinatur illis a causa prima, ut alius quoque individuus actus alterius speciei determinaretur a Deo, si mallent in alia se exercere specie. Unde determinatio individui hujus actus a Deo facta, est natura sua absoluta pro causis necessariis, pro liberis vero est talis, quæ includat conditionem, quia nempe hic individuus actus illis decernitur ac designatur, supposito quod in hac specie, v. gr. amoris, velint se exercere, ita ut alius pariter individuus actus decerneretur, si in alia specie, v. gr. odii, sese vellent exercere. Sed hæc clariora fient in sequenti articulo (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

302. Objic. 1.º Si causa secunda determinaret Deum sive quoad speciem, sive quoad exercitium actus, Deus penderet a creatura. Atqui id nefas est vel cogitare. Et prob.

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 6.

(2) Cfr. Suarez *Metaphys.* disp. 22, sectio. 4, num. 35; Lossada, loc. sup. cit. num. 26, 27.

Major. Deus pendet a creatura, si verum est dicere ideo Deum operari sic et non aliter, nunc et non in alio tempore, quia causa secunda sic et nunc operatur. Atqui si causa secunda Deum determinat quoad speciem et exercitium actus, verum est, ideo certo modo ac tempore operari Deum, quia ita causa secunda operatur. Ergo...

Respondeo, *dist.* Major. Si determinaretur proprie et effective, *conc.*; si improprie et objective et consequenter ad aliquem liberum actum ipsius Dei, *nego*.

Et *contradist.* Minori, *neg.* consequens. Et ad probationem *nego* Majorem, quia Deus solum objective determinatur et supposito suo libero arbitrio et decreto agendi secundum naturas et exigentias causarum secundarum.

Itaque Deus posset solus sine causis secundis operari, calefaciendo v. g. sine igne, et posset etiam negare concursum creaturæ, ad agendum paratissimæ. Non tamen ita facit, quia sicut decrevit ex immensa liberalitate alia entia creare virtutibus operatricibus prædita, sic etiam libere decrevit cum illis secundum indigentiam et exigentiam operari, et ideo solum consequenter ad hujusmodi decretum Deus dicitur improprie ac solum objective determinari a causis creatis; unde nullatenus pendet ab illis, sed si ab aliquo pendere dicendus est, pendet solummodo a decreto suæ immutabilis voluntatis.

Objic. 2.° Si causa secunda et se ipsam et causam primam determinaret ad speciem et exercitium actus, α) foret primum principium sui actus; β) item causa prima subesset, secunda vero præesset; γ) nempe causa prima verteretur in secundam, et vicissim. Quis autem talia absurda ferre possit?

Respondeo ad α) *neg.* assertum, quia non potest nec se nec primam causam determinare, etiam objective, nisi præsupposita actione Dei, a quo et *esse* et virtutem ac potentiam se determinandi habet.

Ad β) pariter *nego* assertum, ex dictis in responsione ad præcedentem objectionem.

Ad γ) etiam *neg.* Major. (1).

(1) Vide Rhodes, loc. cit. paragr. II.

Objic. 3.° «Id determinat secundum speciem, a quo gradus specificus principaliter tribuitur. Sed hic tribuitur principaliter a causa prima, cujus influxus est præcellentior, quæque fons est totius *esse*, tam specifici, quam singularis. Non igitur causa secunda actionem primæ eo pacto determinat» (1).

Respondeo, *neg.* Major. «Non enim ejus est determinare secundum speciem, ad quod pertinet gradum specificum principaliter tribuere; sed ejus, quod definit, trahitque causam universalem, ut hujus potius, quam alterius speciei, operationem effectumque producat: quo pacto se habet causa secunda ad primam, cum tamen causa prima ipsum *esse* specificum ut præstantior et principalior causa rei genitæ conferat» (2).

Objic. 4.° Voluntas nequit se ipsam determinare sine concursu causæ primæ. Sed si voluntas Deum ad concursum determinare dicatur, non habet actualem concursum Dei quando se ipsam determinat. Ergo si voluntas dicatur Deum determinare, nequit se ipsam determinare. Et probatur Minor. Quia creatura in tantum dici potest determinare Deum, in quantum se ipsam determinat, ac proinde prius se ipsam determinare debet, quam Deum determinet. Atqui Deus non exhibet suum concursum, antequam sit determinatus ad illum exhibendum. Ergo in nostra sententia voluntas se ipsam determinaret, antequam concursum Dei haberet.

Respondeo, *conc. Major., disting.* Minor. Si voluntas Deum determinare dicatur, non habet concursum actualem tunc, quando actu se determinat, *neg.*; tunc, quando cognoscitur se determinaturam esse, si daretur actualis concursus, *conc.* Et *neg.* conseq.

Ad probation. *dist.* Majoris primam partem: in tantum voluntas determinat Deum, in quantum se ipsam *actu* determinat, *neg.*; in quantum cognoscitur se determinaturam esse, si detur concursus, *conc.*

Similiter *dist.* alteram partem; et *concessa* Minore, *neg.* conseq. Determinatio creatæ voluntatis potest «concipi vel

(1) Apud Conimbric., lib. 2 *Physic.* cap. 7, quæst. 15, art. 2.
(2) Conimbricens., ibid., art. 3.° ad 1.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

prout actu ponitur, vel prout concipitur futura sub conditione, si nimirum divinus ei detur concursus. Non potest quidem actu poni determinato voluntatis, antequam actu ponatur divinus concursus; sed antequam Deus ponat suum concursum, potest cognoscere illam determinationem prout futuram hic et nunc, si præbeat voluntati suum concursum. Id quod Deum determinat, non est actualis ipsa determinatio creaturæ, sed est illa determinatio prævisa sub conditione si detur concursus» (1).

Objic. 5.º Causa prima libere se determinat quoad individuum, nec determinatur quoad illud etiam objective. Ergo idem dici potest quoad speciem, tum quia eadem est ratio pro utroque; tum quia species includitur in individuo; tum denique quia, qui producit gradum perfectionis in individuum, producit etiam physicum.

Respond., *conced.* antec.; *neg.* conseq. Primam probationem consequentis *nego;* quia major est ratio, cur Deus quodammodo determinetur quoad speciem et exercitium actus, quam quoad individuum, causa enim secunda exigit hunc potius, quam alium, concursum in specie, non autem in individuo. Et Deus voluit se rerum naturis et exigentiis accommodare.

Ad secundam probation. consequentis, *negatur* consequentia. Nec valent quidpiam probationes: non prima, quia ostenditur disparem rationem pro determinatione quoad speciem et quoad individuum. Non secunda, quia licet specifica ratio includatur in individuo, tamen exprimit gradum perfectionis ab individuatione formaliter distinctum, et eadem illa ratio incudi potest in infinitus individuis, ideoque bene fieri potest, ut Deus quodammodo determinatus et alligatus sit quoad speciem, licet liberrimus sit quoad individuum. Sicut etiam ipsæ causæ naturales determinatæ sunt ad speciem actus, minime autem ad individuum. Neque obstat, quod, qui producit gradum rationis ac perfetionis specificæ, producat etiam individualem, quia productio terminatur ad rem, prout est in se, fitque per unam actionem communem causæ primæ et secundæ; determinatio vero

(1) Rhodes, loc. cit., paragr. II, in respons. ad *objectionem* 3.ªm

desumitur ex re, prout subest præcisionibus intellectus. Exemplum habes etiam hujus rei in intellectionum diversis generibus; licet enim intellectus et species intelligibilis simul eliciant intellectionem hanc vel illam, nihilominus quod intellectio sit hujus vel illius objecti repræsentatio, non provenit ex intellectu, qui per se indifferens est ad cujuscumque objecti repræsentationem, sed ex specie (1).

Objic 6.º Si causa prima determinat secundam quoad individuum, ac determinatur ab ea quoad speciem, erunt inter se mutuo priores et posteriores. Atqui repugnat mutua prioritas vel posterioritas inter causas. Ergo.

Respond., *dist.* Major.: sub eodem respectu, *neg.*, sub diverso, *subdist.*: prioritate et posterioritate, quæ importet mutuam utriusque causalitatem ac dependentiam, *nego*: quæ veri nominis dependentiam solum importet ex altera parte, *transeat*. Nam re vera illa prioritas et posterioritas sub diverso respectu huc tandem revocatur, quod causa secunda hunc potius, quam alium exigat concursum in specie, non verum in individuo, et Deus velit agere cum causis secundis secundum naturales exigentias et virtutes ab ipso inditas (2).

Objic. 7.º Si causa secunda ex sua natura vel ex his aut illis circumstantiis non est adhuc determinata ad certam aliquam actionem, erit indeterminata ad infinitas possibiles actiones et effectus. Atqui absurdum videtur finitam virtutem esse indifferentem ad actiones infinitas. Id enim importaret virtutem ac potentiam quamdam infinitam. Ergo non est Deus, qui determinat quoad individuum.

Respond. *neg.* Minor. ejusque probationem. Valde nempe inter se distant duo hæc, esse indifferentem ad aliquod ex infinitis possibilibus individuis, et habere virtutem seu potentiam producendi infinita individua possibilia: primum exprimit potentiam limitatam ad aliquod ex possibilibus aliunde sibi determinandum; alterum vero exprimit potentiam et virtutem infinitam, utpote quæ haberet pro termino collectionem totam possibilem individuorum.

(1) Cfr. Rhodes, loc. cit. paragr. III, *Objic.* 1.; Francisc. Soarez Lusitan., loc. cit. paragr. 10, num. 300.

(2) Cfr. P. Franc. Soarez Lusitan., loc. cit. paragr. 10, num. 300.

Objic. 8.° Si voluntas esset indifferens quoad individuum actus, ita ut quodlibet posset producere; posset etiam sine miraculo producere actum, præteritum et effectum jam corruptum; itemque possent duæ causæ diversæ eumdem numero effectum gignere. Atqui hoc absurdum videtur Ergo...

Respondeo, causas esse indifferentes tantum ad eos actus et effectus individuos, qui naturaliter sint possibiles. Unde quia ex communissima sententia, repugnat reproductio ejusdem effectus (1), non datur ad iteratam entitatis alicujus jam corruptæ productionem indifferentia in causa secunda. Itemque non potest eodem tempore a duabus causis unus numero effectus produci, quia «effectus singularis pendet ab hac numero actione, qua gignitur; et hæc actio ab hac numero duratione, in qua elicitur, etsi duratio non conferat illi tanquam vera causa singularitatem» (2).

Objic. 9.° Si voluntas a Deo determinaretur quoad speciem et exercitium actus, nullam jam retineret libertatem. Ergo pariter si determinaretur quoad individuum actus, libertatem amitteret, siquidem non amplius facere posset nisi hunc præcise actum individuum, ad quem præparatur concursus, et non alium.

Respond., *neg.* conseq. Et ratio est, quia determinatio quoad individuum non perimit libertatem contrarietatis et contradictionis; libertas autem sufficienter salvatur, dum adsit indifferentia ad agendum vel non agendum, et hanc vel alium speciem actus ponendam, ut per se patet. Dic mihi, si quis tibi offerat varia poma diversarum specierum, singula singularum, ut liceret eligere inter illa, annon retineres liberam facultatem manducandi vel non manducandi, et eligendi inter diversas pomorum species? itemque si quis tibi offerat ad iter faciendum unicum equum, vel currum, vel navim, dicerisne orbatus libertate in faciendo itinere, propterea quod, quamvis habeas in promptu diversa vehicula, possisque iis uti, aut etiam non uti, domi remanendo; si tamen iter

(1) Vide Lussada, *de generatione et corruptione*, disp. 2, cap. 3, num. 39 seqq.; Suarez, *Metaphys.* disp. 5, sect. 9.

(2) *Conimbricenses*, lib. 2 *Physicor.* c. 7, quæst. 15, art. 3, finem versus. Cfr. Rhodes, et Franc. Sonr. Lusitan. locis citatis.

facere velis, non liceat uti nisi uno vehiculo individuo in diversis illis speciebus? Nemo certe adeo insanus fuerit.

Accedit, quod si determinatio Dei quoad individuum eriperet libertatem, non minus eamdem eriperent circumstantiæ temporis, loci, etc., quibus adversarii tribuere malunt determinationem hujus individuæ actionis effectusve. Dicendumque foret ad libertatem sartam tectam servandam, oportere, ut ipsa voluntas eligeret hoc præcise numero individuum inter omnia possibilia intra eamdem speciem. Id vero impossibile est, siquidem non cognoscit illa noster intellectus (1).

Objic. 10.° Si Deus determinat quoad individuum, ipse in actionibus pravis creaturæ erit auctor peccati, cum ex decreto ejus contingat, quod hoc potius, quam aliud peccatum patretur, et sic verum erit dicere: *Hæc numero malitia nunc existit, quia Deus illam vult.*

Respond., *neg.* assertum; quia Deus ut provisor universalis decernit concursum ad hoc numero peccatum ex supposito, quod creatura se ad peccandum determinabit. Quia enim concursus ab æterno præparatus est unum de prærequisitis ad actum primum proximum causæ liberæ constituendum, si Deus vult se accommodare naturis causarum secundarum, debet causæ liberæ, quam prævidet peccaturam, decernere concursum. Et quoniam hæc in individuo malitia nequit aliunde determinari, spectat ad Deum illam determinare, quin ideo auctor efficiatur peccati, quia tanquam universalis provisor jus habet conferendi totum illud, quod natura causarum secundarum exigit (2). Sed de his mox plura.

Objic. 11.° Aristotelis doctrina est, particulares effectus ad particulares causas esse revocandos (3). Ergo non est, cur singularitas ad primam causam, quæ maxime universalis est, referatur.

Respondeo. Aristoteles loquitur de causis particularibus vel universalibus in prædicando, non vero in essendo, ut mirum «si dicatur statuæ causa est statuam faciens, et

(1) Cfr. Rhodes et Soarez, loc. cit.

(2) Cfr. Soarez, loc. cit. paragr. 12, num. 360.

(3) Aristot., 2.°, *Physicor.* tract. 39. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 6, fin.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hujus statuæ *hic* statuam faciens», Deus autem non est universalis causa in prædicando, sed in essendo (1).

ARTICULUS III

Qualenam sit decretum applicans omnipotentiam divinam ad concurrendum.

303. Doctrina in præcedenti articulo explanata gravissimam patitur difficultatem, potissimum in agentibus liberis. Si enim causa prima conjungitur cum voluntate ad operandum in virtute illius decreti, omnipotentiam divinam applicantis, aderit ab æterno decretum antecedens ipsam determinationem voluntatis, efficax atque infrustrabile, operandi cum eadem voluntate hanc vel illam actionem in hac vel illa temporis differentia. Est quidem illud decretum antecedens seu præveniens determinationem voluntatis, quia præcise, ut nos ipsi docuimus, est unum de prærequisitis constituentibus actum primum proxime completum causæ liberæ: nulla quippe determinatio libera potest esse sine concursu Dei cooperantis, nullus vero concursus datur in tempore, quin ab æterno præparetur per decretum voluntatis divinæ. Est etiam idem decretum efficax, quia Deus ad extra, sive solus sive cum causis secundis, non operatur nisi voluntate efficaci, quæ nempe effectum habet eo modo, quo decretum est, quin ullo impedimento cohibeatur, aut retardetur. Supposito ergo illo Dei decreto, voluntas creata non potest non operari eo modo ac tempore, quo definitum ab æterno est. Atqui quidquid voluntatem antecedenter ad actum suum indeclinabiliter adstringit ad agendum, vel ad sic et non aliter agendum, nullam re vera relinquit ei libertatem. Ergo etiam nostra sententia tandem incidit in eamdem difficultatem, quam urgebamus contra physicas præmotiones. Quid enim interest, sive sit intrinsecum sive sit extrinsecum

(1) Conimbricens., loc. cit. art. 3 fin.

illud, quod voluntatem ad unam partem trahit, si eodem modo spoliat illam sua indifferentia ad plura? (1).

Et confirmatur difficultas ex parte actuum malorum. Nam, admisso decreto æterno præbendi concursum, voluntas efficaciter applicatur ad male operandum, ita ut in sensu composito illius decreti repugnet ipsam bene operari, fere sicut arguebamus contra prædeterminationem ad malum. Eo vel magis, quod determinatio in hanc numero malitiam Deo sit adscribenda secundum superius dicta.

Dici potest cum quibusdam (2) ad nodum hunc solvendum, «Deum licet agentibus naturalibus et liberis definitum concursum tribuat per suam voluntatem, tamen diverso modo tribuere; nam agentibus necessariis vult dare concursum, quo necessario agant, liberis quo libere agant: et ita non solum vult Deus actionem, sed etiam modum actionis, et quia ad utrumque est efficax divina voluntas, ideo utrumque simul præstat. Et propterea de divina providentia dicitur, quod *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (3). Quæ responsio habet fundamentum in S. Thoma (4)..., ubi docet ad efficaciam divinæ voluntatis pertinere, ut quod vult, fiat, et eo modo, quo vult. Quæ doctrina ita generatim sumpta certissima est; tamen etiam est certum, cum vult Deus aliquid fieri certo quodam modo, pertinere ad sapientiam et efficaciam ejus applicare causas accommodatas ad illum modum operandi... Hoc ergo est, quod in præsenti inquirimus, quomodo cum Deus velit causam secundam libere et cum indifferentia agere, possit illi concursum suum definire, quin in hoc involvatur repugnantia. Unde non satis est dicere ad efficacitatem et suavitatem divinæ providentiæ spectare illa duo conjungere; sed vel explicare oportet, quomodo in illis non sit repugnantia, quod per eam responsionem non fit, vel quærendus est alius modus, quo efficaciter et suaviter possit Deus movere creaturam, ut faciat, et libere faciat» (5).

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 10.
(2) Apud Suarez, loc. cit. num. 13.
(3) *Sapient.* cap. 8, vers. 1.
(4) 1 p. quæst. 19, artic. 8, ad 2.um et aliis locis.
(5) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 93.

Propositam controversiam prius enodare conabimur respectu actionum liberarum generatim, et postea de actionibus peccaminosis. Sit itaque

304. PROPOSITIO 1.ª **Etsi decretum, quo Deus applicat omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis necessariis absolutum sit et metaphysice connexum cum certa ac determinata actione et effectu; decretum applicans omnipotentiam ad concurrendum cum causis liberis nequit tale esse, quod ex natura et vi sua infallibiliter conjungatur cum uno solo extremo, nec possit conjungi cum alio (1).**

Licet decretum applicans omnipotentiam ad concursum cum causis necessariis sit absolutum et metaphysice connexum cum effectu; decretum tamen ad concurrendum cum causis liberis tale esse nequit, quod infallibiliter cum uno extremo conjungi valeat

Prob. 1.° Ratio utriusque partis est, quia Deus in concurrendo se accommodat naturis causarum secundarum. Atqui hæc est natura causarum necessariarum, ut sint ad unum determinatæ sive quoad speciem sive quoad exercitium, cum nequeant agere nisi certam speciem operationis nec operationem cohibere, ubicumque adsint omnia prærequisita; e converso causæ liberæ, nec quoad speciem nec quoad exercitium actionis determinatæ sint. Ergo decretum, quo Deus applicat virtutem suam ad concurrendum cum causis necessariis absolutum est talisque indolis, ut ex natura sua necessario atque infallibiliter inferat certam ac determinatam actionem; secus vero decretum concurrendi cum causis liberis.

Prob. 2.° Speciatim pro causis liberis, nam de necessariis nulla est difficultas. Decretum concurrendi, ut supra notabamus, est unum de prærequisitis constituentibus potentiam liberam in actu primo completo. Ergo talis est indolis, ut, eo stante, adhuc integrum sit voluntati agere vel non agere, et hoc vel illud agere; habet enim libertatem quoad exercitium et quoad specificationem. Atqui decretum concurrendi absolutum ex et natura sua infallibiliter connexum cum determinata actione, nec compossibile cum omissione illius actionis vel cum positione alterius, evertit penitus illam indifferentiam et potestatem agendi vel non agendi, et agendi hoc vel illud, ut patet ex terminis. Ergo...

(1) Vide Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 14 seq.; opusc. *de concurs.* lib. 1. c. 14, seqq.; Rhodes, op. cit. lib. 2, disput. 2, quæst. 4, sect. 2, paragr. 4, 5; Lossada, *Physic.* tractat. 2, disp. 8, cap. 3.

305. PROPOSITIO 2.ª **Decretum divinum applicans omnipotentiam ad concurrendum cum causis liberis efficax quidem est, sed indifferens, nec simpliciter antecedens nec omnino absolutum, sed virtualiter et æquivalenter conditionatum: quare nullatenus libertatem lædit.**

Prima pars: *Decretum divinum.... est efficax*, non quidem quatenus ex sua natura infallibiliter connexum est cum determinato effectu, sed quatenus illum revera obtinebit. Nam vi hujus decreti omnipotentia divina determinata manet et applicata ad agendum cum creatura, ac porro aget. Ergo decretum istud non est inefficax, quale est, v. g. volitio, quam Deus habet salvandi etiam eos, qui culpa sua in æternum damnabuntur; nec est mera velleitas aut simplex complacentia, sed seria voluntas et vere efficax, quæ finem suum assequetur. Decretum divinum efficax quidem est,

Secunda pars: *Est indifferens;* et quidem tum quoad exercitium, tum quoad specificationem actus a potentia libera ponendi. Non quidem in eo sensu, ut Deus alterutrum sub disjunctione decernat, concurrere aut etiam non concurrere, vel ad hanc speciem aut aliam indiscriminatim concurrere; nam decernit determinate concurrere ad hanc speciem actus, quem ab æterno prævidit voluntatem facturam esse, si concursus illi præpararetur. Sed quia, non obstante illo decreto, adhuc voluntas intrinsece indifferens remanet ad operandum vel non operandum, et hoc vel illud operandum. Sicut cum actu elicit voluntas determinate actum amoris, in ipso actu secundo retinet suam libertatem et indifferentiam in operando, nam ita de facto operatur, ut non adstringatur ad operandum, sed possit etiam cessare, cum libuerit, ab actu amoris, et possit etiam elicere actum odii, etc. ad indifferens,

Ratio autem est ea, quam indicavimus in præcedenti propositione. Nam oportet sub divino illo decreto intactam remanere libertatem voluntatis, sive quoad exercitium, sive quoad specificationem. Atqui non remanere potest voluntatis libertas, nisi indoles ac tendentia illius decreti talis sit, ut licet de facto conjungatur cum certo aliquo extremo, ex vi tamen et natura sua debeat esse compossibile cum utrolibet extremo libertatis, nec repugnet intrinsece, eo stante, nullam sequi

operationem voluntatis, aut sequi loco illius alteram speciem actus. Ergo...

quod dicitur etiam *attemperativum, relictivum* et *commissivum*

Et confirmatur, quia secus decretum illud destrueret illud ipsum, quod constituere debet. Nam debet constituere actum primum proxime completum potentiæ liberæ, ac proinde expeditæ ad agendum vel non agendum, et ad agendum hoc vel illud. Si ergo decretum illud natura sua solum est compossibile cum actu, eoque certæ speciei, relinquit potentiam proxime impeditam ad non agendum, aut ad aliud agendum. Et ideo a quibusdam vocatur hujusmodi decretum etiam *attemperativum*, *relictivum* aut *commissivum*, «quia se attemperat naturæ et indoli voluntatis creatæ, redditque omnipotentiam indifferenter applicatam ad quodvis extremum libertatis, et voluntatis creatæ arbitrio *relinquit*, seu *committit* determinationem externi concursus omnipotentiæ ad alterum pro altero» (1).

nec ut simpliciter antecedens

Itaque, si salvam velimus libertatem, dicendum est, sic Deum decernere influxum suum ad actionem certæ speciei, ut, quantum est de se, offerat etiam illum ad quamcumque aliam speciem; et sic decernere cooperari nunc, ut paratus sit ad cooperandum in quocumque alio tempore, nec nunc etiam necessario actio sequatur (2).

Tertia pars: *Non est simpliciter antecedens*, probatur. Non est simpliciter antecedens illud decretum, quod supponit certissimam ac distinctissimam prævisionem eorum, quæ voluntas operatura erit, si decernatur concursus. Atqui tale est divinum decretum applicans omnipotentiam ad concurrendum cum causis liberis.

Etenim secundum nostram sententiam prius nostro modo concipiendi videt Deus distinctissime, quid singulæ causæ liberæ operarentur in singulis instantibus, si ipsis offerrentur, ac decernerentur consentanea juvamina sua ad varias species actionum, quarum ex natura sua sunt capaces. Videt nempe Deus, Antonium in instanti A, si ipse decernat illum

(1) Lossada, *Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 3, num. 15.

(2) Vide hæc fuse ac copiose apud Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num 14. seqq., et num. 21, seqq.; item Ruiz de Montoya, *de Scientia Dei*, disp. 25, sect. 10, 11.

juvare, facturum esse actum amoris, non vero alium, et in instanti *B* electurum esse scriptionem, loquelam, ambulationem, dormitionem; ideoque nisi ipse pro instanti *A* decernat concursum ad amandum, Antonium actu amoris carituram esse solum, quia deest sibi ex parte Dei consonum auxilium, licet parata sint cætera omnia, et idem dicendum esse de instanti *B* pro electione scriptionis, loquelæ, deambulationis, dormitionis. Quia ergo vult Deus se accommodare ad exigentiam et indigentiam causæ secundæ, videns pro instanti *A* esse rationem objectivam decernendi pro Antonio concursum ad actum amoris, et pro instanti B concursum ad electionem scriptionis, etc.; decernit ab æterno applicare omnipotentiam suam ad concursum præstandum Antonio in instanti A ad amorem, in instanti B ad electionem scriptionis, etc. Ergo decretum hujusmodi nequit dici simpliciter antecedens, licet ab æterno existat pro actu futuro in tempore; quandoquidem sequitur conditionatam prævisionem eorum ipsorum actuum, qui ponentur a causa libera cum divino concursu.

nec omino absolutum, sed virtualiter, illative et æquivalenter conditionatum,

Quarta pars: *Non est omnino absolutum, sed virtualiter, et æquivalenter conditionatum;* non quod categoricum non sit, vel sit pure ac formaliter conditionatum, quasi nondum efficaciter determinaret, et applicaret omnipotentiam ad agendum, sicut propositiones pure conditionatas dicimus nihil *ponere in esse;* jam enim diximus decretum istud esse efficax, ideoque categorice aliquid decernat, necesse est. Dicitur ergo virtualiter conditionatum, quia subaudit implicite conditionem aliquam, quæ implenda est, ac certissime implebitur a causa libera; et sic in ordine ad efficiendam operationem creaturæ se habet, ac si conditionate tenderet. Supponit nempe, scientia media prælucente, creaturam operaturam esse in eo momento, pro quo decernitur influxus divinæ omnipotentiæ, nec cessaturam esse ab operatione, quamdiu influxus ille durabit. Unde nostro modo intelligendi hæc videtur esse tendentia illius decreti: *Volo concurrere in instanti A, ita tamen ut non vellem concurrere, si creatura nollet tunc operari.* Item: *Decerno talem concursum, ita tamen, ut nollem illum, si creatura non vellet talem speciem operationis elicere.* Et in hoc solo sensu quidam dicere solent Deum

Quo sensu dici soleat, Deum quodammodo expectare

influxum creatæ voluntatis

velle influere in actum, *quasi expectando influxum creatæ voluntatis* (1).

quæ non ladit libertatem.

Quinta pars: *Libertatem non ladit*, patet ex precedentibus. Non enim ex alio capite noceret libertati decretum æternum concurrendi, nisi quia simpliciter antecedens foret, atque absolutum et independens ab omni conditione, et sic ad unum extremum determinatum, ut natura sua incompossibile sit cum alio extremo. Atqui ostendimus illud non esse tale... Ergo quantum capere tam arduam veritatem imbecillitati nostræ datum est, sententia hæc ita concursum divinum explanat, ut nullatenus libertatem pessumdet.

In hoc ergo differt decretum divinum concurrendi cum causis necessariis a decreto concurrendi cum liberis, quod illud sit absolutum et ad unum immutabiliter determinatur.

Cæterum doctrina hæc videtur plane contineri in illo celeberrimo loco *Ecclesiastici* (2): *Deus ab initio constituit hominem in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Apposui tibi ignem et aquam: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit, dabitur ei.* Homo certe non est ita constitutus in manu consilii sui, ut possit *porrigere manum* ad quod voluerit, sive ad ignem sive ad aquam; et amplecti *vitam et mortem bonum est malum*, prout placuerit, nisi præsupponatur præparatus concursus per decretum applicans omnipotentiam ad cooperandum ei. Quomodo autem, stante hoc decreto, adhuc vere ac sine irrisione dici ei possit, quod sit in manu consilii sui constitutus, ut eligat quod voluerit; intelligi nequit, si decretum illud *absolute et ex natura sua infallibiliter* connexum sit cum uno tantum eorum extremorum, quæ eligenda proponuntur (3).

Idemque omnino videtur S. Hieronymus expressisse, cum scripsit: *Deus omnipotentiam suam nostro arbitrio dereliquit, ut juste voluntas præmium consequatur* (4).

(1) Suarez, opusc. de concursu, lib. 1, cap. 14, num. 5, et Iustus *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 29.
(2) Cap. 15, vers. 14, 18.
(3) Cfr. S. Thom., *de potent.*, quæst. 3, art. 7, ad 12.um
(4) In cap. 40 Isaiæ.

Idem quoque sequitur ex doctrina S. Thomæ non solum in illis locis, in quibus asserit Deum causas liberas solummodo determinare ad beatitudinem et bonum in genere, determinationes autem actionum et bonorum particularium, ad quæ tenderent, iisdem dereliquisse; sed quia perpetuo docet actus liberos cognosci non posse certo in causis suis: ideoque ut infallibilem eorum cognitionem Deo asserat, semper recurrit ad præsentiam eorum in æternitate divina, unde fit, ut a Deo cognosci ab æterno possint in se ipsis, prout jam erunt in tempore. Atqui si S. Thomas existimasset decretum divinum concurrendi cum creaturis esse absolutum et natura sua infallibiliter connexum cum uno extremo determinato, non ita locutus fuisset; nam decretum absolutum et natura sua infallibiliter connexum cum aliquo actu, profecto est medium metaphysice infallibile cognoscendi illum, et ob hanc causam Prædeterminantes docent Deum futura libera videre in suis decretis. Ergo.

306. PROPOSITIO 3ª Hinc intelligitur, quomodo causa secunda libera se ipsam determinare dicatur, non vero a causa prima determinari; non quod creata voluntas quidpiam sola efficiat, vel efficere possit sine divina cooperatione, sed quia eadem actio ita procedit a Deo et voluntate, ut in hujus dominio atque arbitrio relicta sit.

Cum causa secunda dicitur se ipsam determinare, id non ita debet intelligi, ut faciat aliquid sine concursu causæ primæ.

Prima pars: *Cum causa secunda dicitur se ipsam determinare, id non ita debet intelligi, ut faciat aliquid sine concursu causæ primæ.* Repugnat enim metaphysice causam secundam agere sine influxu Dei. Atqui determinatio est ipsa volitio seu actus voluntatis liberæ. Ergo cum soli voluntati creatæ tribuitur determinatio sui actus, sive quoad speciem sive quoad exercitium, sensus propositionis non est, quod adsit ulla actio vel particula illius, quæ non sit a Deo concurrente, sed alius, qui exponitur in altera parte propositionis. Itaque

sed ut actio a causa creata simul et a Deo procedens, in illius solius potestate ac dominio

Probatur secunda pars: *Ideo voluntas se ipsam determinare dicitur, quia actio, ab ipsa procedens simul atque a Deo, in illius solius potestate ac dominio hic et nunc constituta manet.* Nam cum duo agentia in unam communem operationem et effectum cooperantur, illud solum dicitur determinare, quod ita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

constituta sit.

influit, ut prius natura, quam influat, habeat potestatem expeditam omittendi actionem, vel aliam alterius speciei eliciendi. Atqui sola voluntas hoc modo influit, Deus vero, supposito prævio decreto se attemperandi conditioni et arbitrio illius, alligatus quodammodo est ad agendum, quando et quomodo illi placuerit. Hæc enim est infinita bonitas et dignatio causæ primæ, quod quamvis potuisset ipsa imponere quaslibet operationes creaturæ suæ; nihilominus, ut jura voluntatis humanæ conservaret, voluit e converso ad eas duntaxat actiones cooperari, ad quas humana voluntas influeret, et non ad alias, et quando illa vellet, et non antea nec postea.

Ad rem Eximius Doctor: Determinatio *quoad efficientiam* utrique causæ, primæ et secundæ, potest attribui, «et neutri sine alia...; quia neque causa secunda potest quidquam agere sine influxu primæ, neque causa prima in tali modo agendi, qui sit liber causæ secundæ, potest efficere determinationem ejus sine illa. At vero quodam speciali modo attribuitur hæc determinatio causæ secundæ ejusque libertati tanquam proximæ radici illius, quia ex illius libertate dependet determinatio. Deus enim in illo instante, in quo influit ut causa prima, prius natura intelligitur habere quamdam determinationem a sua voluntate ortam, qua expositus est ad concurrendum in hunc vel illum actum...: et solum est indifferens universali quadam et absoluta indifferentia; determinatur tamen quasi sub conditione ad cooperandum creaturæ, ita ut si hæc adjungatur, necessario ipse influat: quæ, licet in illo non *sit nisi necessitas immutabilitatis et ex suppositione suæ liberæ voluntatis, tamen, illa supposita et adjuncta cooperatione causæ secundæ, procedit actio a Deo tanquam a causa determinata non minus, quam si ex necessitate naturæ esset determinatus ad sic concurrendum.* Et si causa secunda non influit, eadem necessitate nec Deus influit; et ideo determinatio actionis non potest illi specialiter attribui. At vero proxima seu creata voluntas in signo *priori naturæ est omnino indeterminata*, et nullam habet necessitatem influendi, neque simpliciter, neque ex suppositione alterius actus sui ipsius, sed ex sola sua indifferentia libertatis actum inchoat, quando et qualem vult. Et ideo in eam tanquam in radicem proximam hæc determinatio revocatur, quamvis eam non efficiat sine

concursu primæ causæ, nec simpliciter neque in aliquo signo naturæ, vel etiam rationis, ut sæpe dictum est» (1). Paucis, Deus *efficit quidem determinationem, sed non determinat*, voluntas vero et efficit determinationem, et determinat.

Dices: efficere in voluntate determinationem est determinare. Ergo si Deus efficit determinationem, determinat, sicut qui efficit dealbationem parietis, dealbat parietem.

Respondeo, *dist.* antecedens. Qui efficit determinationem utcumque, determinat, *neg.*: qui eam efficit ita, ut in signo priori ad usum libertatis in manu sua habeat operari, nec a se ipso nec ab ullo alio impediatur, *conc.* Exemplum vero dealbantis non urget, quia denominatio dealbantis absoluta est, nec importat respectum ad modum aliquem peculiarem efficiendi actionem dealbationis. Neque vero id aut paradoxum aut chimæricum tibi videatur. Nam etiam Deus efficit tuam sensationem, vel intellectionem, ve amorem, nec tamen dici potest per illum actum *sentire*, aut *intelligere*, aut *amare*. Deus efficit operationem tuam meritoriam, et tamen nequit *mereri;* efficit deambulationem tuam, et non *deambulat*. Cur ita? Quia videlicet denominationes *sentiendi, intelligendi, merendi, deambulandi*, non solum important causalitatem et efficientiam sensationis, intellectionis, etc., sed præterea certum aliquem modum efficientiæ adsignificant; neque enim sentit, vel intelligit, nisi qui sensationem vel intellectionem, quam efficit, in se recipit, ita ut eo actu notitiam alicujus objecti assequatur. Ita ergo *determinare* dicitur non ille, qui quomodolibet efficit actionem determinandi, sed qui efficit illam cum potestate hic et nunc omittendi illam. Et quia Deus ex sua benignitate vult, ut in manu nostra sit actio, et supposito decreto attemperandi se nostræ naturæ, determinatus est ad agendum, quando et quod nos eligimus, *omnipotentiam suam nostro arbitrio derelinquens*, ut verbis utar relatis ex S. Hieronymo, non ipse determinat, sed determinationem actus nobis committit.

Dices forte, indecens videri, quod Deus concurrat per modum *agentis naturalis* ac necessarii expositi ad operandum

(1) Suarez, opusc. *de concurs.* lib. 1, cap. 15, numero 6. Cfr. ibid. num. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

juxta causæ secundæ exigentiam.—**Sed si bene res consideretur**, nulla est in hoc repugnantia, nam tota illa ratio operandi quasi ex necessitate et secundum exigentias creaturarum oritur ex decreto divino. Sicut enim Deus, semel decreta creatione mundi in tali tempore, postea sine novo actu voluntatis ex quadam necessitate illum tum produxit; ita etiam, supposito decreto suum concursum offerendi secundum naturas et exigentias causarum secundarum, exhibet influxum in actiones humanæ voluntatis (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

307. **Objic. 1.°** Si decretum divinum est tale, quale nos descripsimus, indifferens nempe et non absolutum, Deus applicat omnipotentiam suam ad concurrendum modo duntaxat generali et confuso, nempe ad efficiendum id, quod creata voluntas elegerit; itemque cæce et quasi tendens in incertum, et ignorans, saltem in illo signo, in quo concursus decernitur, quid exinde secuturum sit; licet enim Deus propter æternitatem suam, cui omnia præsentia sunt, videat, quid eventurum sit ex suo concursu cum voluntate creata, tamen prius est concurrere, ac decernere concursum, quam videre id, quod posito concursu fiet. Atqui hæc magnam important imperfectionem, enti summe perfecto indignam. Ergo... (2).

Respondeo, *neg.* Major, quoad utramque partem. «Negamus enim Deum confuso aliquo modo aut imperfecto concursum suum offerre voluntati creatæ, eo quod non ad unum tantum actum, sed indifferenter ad plures illum offerat. Deus enim distinctissime prævidens omnes hos actus in specie et in individuo, quos hæc voluntas humana in hoc momento cum hoc objecto aliisque circumstantiis efficere potest, distincte ac definite vult ad hunc et illum, et sic de cæteris, præbere concursum seu offerre quantum in ipso est; atque ita facile tollitur omnis confusio. Tamen

(1) Cfr. Suarez, *de concurs.* lib. 1, c. 15, num. 8.

(2) Vide apud Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 23, *Secundo* et *Tertio*; opusc. *de concurs.* lib. 1, cap. 14, num. 1, *Primo, Secundo.*

quia Deus etiam prævidet, quem actum illa voluntas effectura sit, si his omnibus conditionibus seu circumstantiis concurrentibus Deus ipse suum concursum offerat, ideo Deus determinate ac definite etiam vult cum illa concurrere ad talem actum in particulari et in individuo; ita tamen ut ex vi hujus actus voluntatis suæ non prædeterminet voluntatem ad talem actum, nec illum absolute velit, sed cum dependentia ejusdem actus a proxima causa seu voluntate creata, et includendo in se implicitam conditionem, *si ipsa consentire voluerit.* Rursus quamvis Deus præsciat eadem scientia conditionali, hanc voluntatem creatam sic expeditam ad agendum, non effecturam alios actus, præter illum unum, quem Deus, ut diximus, præcognoscit, etiamsi alios efficere posset; nihilominus Deus simili actu voluntatis suæ offert illi sufficientem concursum ad alios actus. Quia, non obstante illa præscientia, ita providet Deus causis secundis et liberis, ut revera possint suos effectus producere, nec per Deum stet, quominus illos efficiant. Sic enim etiam in ordine gratiæ confert sufficientia auxilia his, quos scit non esse illis bene usuros. Alioquin si Deus propter illam præscientiam suam suum auxilium ad concursum denegaret, aut, quod idem est, illum non offerret; hoc ipso tolleret potentiam proximam, atque adeo libertatem ad alia, et consequenter non posset imputari homini, si id faceret...» (1).

Atque ita expedita est non solum prima, sed etiam secunda difficultas, contenta in propositione majori. «Non enim ignoranti aut cæco modo Deus influit cum voluntate, sed clarissimis oculis prævidens, quid ipsa factura sit, et volens, ad illud efficiendum potentiam suam et voluntatem applicat. Unde etiam in æternitate non prius concurrit Deus, seu potius non prius applicat suam potentiam ad concurrendum, quam prævideat, quid ex illo concursu et applicatione in tempore eventurum sit, quia totum hoc præsupponitur innotescere ipsi per dictam scientiam conditionatam. Quod si sermo sit de præscientia absoluta futurorum eventuum, quæ appellari solet scientia visionis, sic nullum est inconveniens hanc præscientiam, secundum rationis ordinem,

(1) Suarez, opusc. *de concursus*, lib. 1, cap. 15, num. 3.

sequi voluntatem, non antecedere: immo id docent omnes Theologi, et illi etiam, cum quibus nunc disputamus» (1).

Atque hinc etiam solutum manet id, quod objicere contra nostram doctrinam solent dicentes, Deum, secundum illam, non habere perfectam providentiam in particulari de actibus liberis, «quandoquidem non disposuit de his in particulari, ut sint, sed solum in confuso, relinquens determinationem in particulari causæ secundæ» (2).—**Nam** «de **omnibus**... in particulari providet Deus, sed non de omnibus eodem modo. Unde de actibus bonis, qui futuri sunt, simpliciter et absolute disponit, ut sint; de malis autem, quamvis etiam in particulari disponat, non tamen simpliciter, ut sint, sed ut esse permittantur», quemadmodum in proximo articulo declarabitur. «et de illis, quatenus jam futuri prævidentur, disponit Deus, quomodo vel curentur, vel puniantur. Sic ergo habet Deus de omnibus et singulis perfectam providentiam, unicuique tamen accommodatam...» (3).

Objic. 2.ª Si decretum divinum sit indifferens, posita voluntate Dei concurrendi cum voluntate creata ad actum ejus, adhuc accidere poterit, ut actus non sequatur, etiamsi ex parte voluntatis sit virtus sufficiens et omnia alia requisita; itemque Deus ac divina voluntas eodem modo se habebunt respectu hominis, cumquo non concurrit, ac respectu illius, cum quo concurrit. Atqui duo hæc absurda videntur esse: primum quidem, quia sic frustaretur voluntas Dei; alterum vero, quia in homine, cum quo de facto concurrit, aliquid facit, quod in alio non facit. Ergo... (4).

Respondeo, *dist.* Major quoad 1.ºm partem: si spectetur natura talis decreti in se, *conc.*; si spectetur, quatenus subest scientiæ mediæ, per quam cognoscitur certissime actum voluntatis eventurum esse, *nego* (5).

Quoad 2.ºm partem, *nego* assertum. «Nam in eum hominem, qui actu operatur, Deus etiam actu influit; non vero in eum, qui non operatur. Et ita non æque se habet Deus ad utrumque quoad actionem externam respectu ipsius Dei. Si autem esset sermo de sola voluntate Dei ad intra, qua offert concursum; fieri potest, ut illa ex parte sua sit æqualis, et quod in uno habeat effectum et non in alio, ex libertate eorum; quod nullum est inconveniens, quia in ipsa voluntate Dei inclusa fuit illa conditio, ut explicatum est. An vero in alia voluntate electiva aut præfinitiva vel in aliquo auxilio ab ea manante sit semper inæqualitas, non est nostrum disputare» (1), sed id ad Theologiam dogmaticam spectat.

(1) Suarez, ibid. num. 4.
(2) Apud Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 27, *Quarto.*
(3) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 33.
(4) Apud Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 27, *Septimo.*
(5) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 36.

Objic. 3.º Necesse non est decretum illud ponere, prout a nobis explicatum est, indifferens et implicite conditionatum. Num, supposita præscientia actus, quem voluntas in quacumque occasione ac circumstantiis et circa quodlibet objectum eliciet, «potest Deus absoluta voluntate velle dare concursum ad illum solum actum, quem prævidet operaturam; neque oportet, ut ad alios actus, quos certo scit nunquam futuros, concursum offerat. Et eadem ratione necesse non est, ut aliquam conditionem tacite vel expresse apponat illi voluntati, quandoquidem jam prævidet conditionem illam, quæ ibi intervenire posset, futuram esse, nimirum quod voluntas creata cooperetur. Et ob eamdem causam per hunc modum concursus non tollitur indifferentia libertatis, quia et illa voluntas Dei ponitur cum aliquo respectu ad futuram cooperationem voluntatis, et Deus paratus esset ad dandum alium concursum, si voluntas aliud esset operatura» (2).

Respondeo, *nego* assertum quoad omnes suas partes. «Nam cum Deus præscit, quid voluntas creata factura sit, si cum talibus circumstantiis applicetur, inter alias conditiones ponenda hæc est, scilicet, si Deus offerat sufficientem concursum, quia sine eo nihil potest operari. Hic autem sufficiens concursus, ut in hac conditionali inclusus, talis esse debet, ut sit indifferens tum ad exercitium, tum ad speciem actus. Et ideo non debet esse absolute definitus ad unum tantum actum et exercitium ejus. Quamvis ergo Deus prævideat,

(1) Suarez, ibid., num. 37.
(2) Apud Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, num. 28 *Octavo.*

quid voluntas operatura sit hic et nunc, si ipse præbeat concursum, necesse est, ut eo modo præbeat, quem natura ipsius voluntatis postulat, quique in prædicta hypothesi intelligebatur inclusus. Quia si Deus mutaret concursum, jam non eodem modo sequeretur effectus. Igitur voluntas illa, qua Deus offert concursum, ex se manet semper conditionata in virtute, quamvis ex præscientia æquivaleat absolutæ, quia prævidet Deus habituram effectum, concurrente simul altera voluntate.

«Et eadem ratione, non obstante illa præscientia, Deus, quantum est ex se, offert concursum ad alios actus, quamvis illos non sit effectura voluntas creata, ut simpliciter possit illos efficere, nec per Deum stet, quominus illos efficiat. Sicut etiam Deus vult dare auxilia sufficientia iis, quos præscit non bene usuros talibus auxiliis, ut simpliciter possint ita operari, quia alias non posset eis de facto imputari, quod non operarentur, si ob solam dictam præscientiam talibus auxiliis privarentur. Immo hoc ipso supponitur in illo argumento, cum in eo dicitur Deum esse paratum ad concurrendum ad alios actus, si voluntas creata eos esset factura; nam Deus non est sic paratus nisi per suam voluntatem et liberam determinationem, non quam in eo eventu esset habiturus (quis enim de illa judicare potest?), sed quam nunc jam habet. Offert ergo Deus causis liberis suum concursum sufficienter, non solum ad eos actus, quos faciunt seu facturæ sunt, sed etiam ad eos, quos facere possent, si vellent» (1).

Objic. 4.° Ex decreto indifferenter applicativo, quod nos statuimus, sequitur: 1.° quod «*Deus subjicit, ac donat nobis suam omnipotentiam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri librum aut vellam*», quæ est propositio damnata ab Innocentio XI. Et ratio est, quia per decretum indifferens relinquit nobis determinationem sui concursus, dat nobis potestatem utendi pro libitu virtute divina, sive ad bonum sive ad malum, ac proinde illam nobis subjicit, sicut ille subjicit alteri manum, qui ei tradit illam, ut per eamdem litteras, quas voluerit, efformet. 2.° Quod Deus concurrat

(1) Suarez, *Metaphys.* disp. 22, sect. 4, n. 28, 29.

in actiones voluntatis creatæ tanquam causa subordinata minusque principalis; talis enim est, quæ nonnisi ad nutum alterius et ex determinatione illius operatur. 3.° Quod nequeat Deo laudi verti, quod bene operetur, sicut nec vituperio vertitur, si ad peccatum concurrat, siquidem et ad bonum et ad malum concurrit ex determinatione creaturæ. 4.° Quod Deus abdicet se dominio sui concursus et actuum nostrorum, illudque transferat ad nos, se constituens in quadam necessitate operandi, quidquid nobis libuerit. 5.° Quod expectet determinationem voluntatis nostræ, ut concurrat, nec concurrit nisi sub conditione, quod illa se determinet. 6.° Quod omnipotentia divina aliquid exsequatur citra imperium divinæ voluntatis, decretum enim indifferens rationem imperii non habet. Atqui *divina potentia*, docente Angelico, *importat rationem principii exsequentis id, quod voluntas imperat* (1). 7.° Denique quod divina omnipotentia sit virtus exsequens voluntatem creatam.

Respondeo per partes, negando sequelas omnes.

Ad 1.um sequelam. Propositio illa damnata nihil habet commune cum nostra doctrina. Nam *usus rei alicujus importat applicationem rei illius ad aliquam operationem: unde et operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus ejus, sicut equitatio est usus equi et perculere est usus baculi* (2), ut scribit S. Thomas. Jam vero in nostra sententia non sumus nos, sed Deus ipse, qui æterno suo decreto applicat omnipotentiam suam ad operandum nobiscum. Ergo certissime non donat nobis Deus omnipotentem suam virtutem, ut ea utamur. Sed neque eamdem nobis subjicit, quia subjectio importat dependentiam ab alio. Virtus autem aliqua in tantum dependet ab alio, in quantum vel ab illo datur, vel nonnisi ejus imperio aut impulsu applicatur ad operandum, vel natura sua destinata est, ut sit alterius instrumentum, vel alio indiget tanquam complemento ad operandum. Atqui nihil hujusmodi contingit in divina omnipotentia, etiamsi ad concurrendum applicetur decreto indifferenti, ut patet per se, satisque intelligitur ex dictis.

An Deus, in nostra sententia, subjiciat, ac det nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur.

(1) 1 p. quæst. 25, art. 1, ad 4.um

(2) S. Thomas, 2.a quæst. 16, art. 1.—Vide *Psycholog.* vol. 3.um num. 71, pag. 175 seq.

Neque vero satis probatur subjectio divinæ omnipotentiæ ex eo solum, quod nobis relinquat sui concursus determinationem ac facultatem utendi virtute divina sive in bonum sive in malum. Nam imprimis totum id procedit ex pura liberalita divinæ bonitatis. Deinde si res bene consideretur, facultas illa nobis relicta determinandi concursum divinum huc tandem revocatur, ut liceat nobis eligere hanc potius, quam illam actionem ex omnibus illis, ad quas sufficientiam ex parte sua nobis offert Deus, et ut nunc potius, quam alio in tempore operari velimus cum divino juvamine. Atqui evidens est ex terminis divinam omnipotentiam non subjici nobis ex eo, quod liceat nobis pro arbitrio amplecti vel non amplecti auxilium liberrime oblatum, vel nunc potius, quam antea aut postea, vel ad hanc potius, quam aliam operationem. Quis unquam dixerit divitem, qui ex pura liberalitate paratus est, ut faciat pauperi vestem, vel ut vel cibos procuret, aut pecunias largiatur, prout ipsi libuerit, et quando libuerit, eo ipso subjici pauperi, quia non prædeterminat certum aliquod donum, sed eidem illud eligendum relinquit? Præterea non semper operari ex determinatione alterius arguit subjectionem aut subordinationem. Sic intellectus determinatur a specie ad hanc vel illam intellectionem, et causa agens ex dispositionibus passi determinatur ad varie agendum, et generatim causa particularis determinat actionem causæ generalis; et nihilominus nulla in his intervenit propria subordinatio.

Accedit, quod Deus dum relinquit creaturæ determinationem sui concursus, retinet supremum dominium supra voluntatem, quæ proinde habet quidem dominium sui actus, sed dominium limitatum ac dependens tum ab omnipotentia Dei in essendo et agendo; tum a dominio jurisdictionis, quo Deus possit actionem aliquam præcipere vel prohibere, præmio afficere, vel punire; tum a dominio flectendi corda suavissimis modis, quocumque voluerit; tum denique a dominio proprietatis, quo Deus uti potest quavis operatione creaturæ dirigendo illam ad altiores fines et ad gloriam suam.

Denique exemplum in objectione propositum illius, qui alteri manum suam indifferenter traderet, ut per illam hic litteras, quas vellet, exararet, non est ad rem; tum quia manus ita tradita nonnisi merum instrumentum foret, quod ut

ageret prius impulsu ac directione alterius moveri deberet, at non sic divina omnipotentia movetur, aut determinatur a voluntate libera. Tum etiam quia nec manus illa sic tradita efficeret liberam determinationem illius, cui traderetur, nec eum sibi subjectum ac dependentem retineret; at omnipotentia divina et sub suo dominio retinet voluntatem, cui determinationem sui concursus relinquit, et determinationem ipsam, sicut quamcumque aliam actionem, tanquam causa principalis operatur (1).

An Deus, in nostra sententia dicendus sit agere ut causa subordinata minusque principalis.

Ad 2.ºm sequelam, *distinguo* rationem allatam; subordinata minusque principalis est causa, quæ non agit nisi ad nutum et ex determinatione alterius, si ita semper et in omnibus se gerat, *trans.*; si solum aliquando, *subdist.*: si hoc habeat ex propria natura atque indigentia, *trans.*: si solum ex libera sua dignatione, simulque efficiendo ipsam determinationem ac nutum alterius, ac retinendo supra illa suum dominium ac potestatem, *nego*. Et ratio patet ex nuper dictis ad præcedentem difficultatem.

vel dignus vituperio censendus, quod ad peccatum concurrat.

Ad 3.ºm sequelam, disparitas est. Deo enim non vertitur vituperio actio mala creaturæ, ad quam tamen concurrit, quia libertatem non dat nobis ex intentione mali operis, quod tantum permittit, simul prohibens illud, detestans, et pœnis etiam propositis ab eo deterrens. Ad bonas autem actiones in primis hortatur, præceptis, consiliis, illustrationibus, piis affectionibus excitat, dirigit, et inclinat, intendens, ac desiderans, ut creatura illas efficiat, dans ei libertatem ex hac intentione, apta media suppeditans ac demum per se immediate concurrens. Jam si ille, qui solum alium ad bene operandum allicit, hortationibus dirigit, et inclinat, laude dignus habetur ab omnibus, quas Deo laudes referamus, qui tot modis mitis, suavissimis simul et efficacissimis, nos ad bene operandum invitat, et adjuvat?

tanquc an se dominio exuat.

Ad 4.ºm sequelam. Jam vidimus nuper nullum a se abdicare Deum dominium ex eo, quod decernat concurrere cum voluntate, suam indifferentiam illi ac dominum actus relinquens. Ad dominium enim Dei spectat posse disponere plenissime de re, conservando illam vel destruendo pro lubitu,

(1) Cfr. Lossada, *Physic.* tract. 2, disput. 8, cap. 4, num. 3-10.

utendo illa ad suos fines, operando cum illa vel non operando, largiendo, ut ea operetur modo consentaneo vel præter naturam, atque adeo relinquendo causis liberis dominium suorum actuum, vel etiam imponendo eis determinatum aliquod opus, et necessitando ad illud; ac Deus semper retinet integram hujusmodi potestatem, nec ea se valet exuere, nec porro se exuit, licet non decernat absoluto decreto tanquam causa prima certas aliquas operationes unice eliciendas a nostra voluntate in determinato tempore.

Dices. Saltem Deus, supposito decreto indifferenti nostro, jam non potest amplius necessitare, nec prædeterminare voluntatem ad unum, cum tamen posset etiam, tentibus nobis. Ergo dominium Dei manet imminutum.

Respondeo in primis, *negando* conseq. Nam aliud est dominium, et aliud usus domini; et potest esse integrum dominium rei alicujus in eo, qui nolit uti eo dominio quoad omnia extrema, quæ complectitur. Quis enim dicat dominum canis, qui posset canem aut servare domi, aut vendere, aut occidere, aut ligare, aut ejicere domo, dominium suum amittere, si canem non liget, aut vendat, etc.? Et quis dicat patremfamilias amittere dominium suum, eo quod, licet velit filium suum litteris operam dare, non *vult* tamen in cubiculo illum includere, vel verberibus adigere ad studendum, sed potius allicere suaviter bonis consiliis, præmiis aut etiam minis suppliciorum? *Posset* quidem paterfamilias ratione dominii sui plura adhibere media, sed non *vult*, et libere non vult, quin aliunde sibi vis inferatur. Ergo integrum servat suum dominium, licet non eo uti velit in tota sua extensione. Ita etiam Deus non ex alterius determinatione ac vi sibi imposita, sed ex libera sua voluntate se ligavit, nam immutabilis est in omnibus suis decretis, ad se accomodandum conditioni causarum secundarum in concurrendo, et sic decrevit voluntatem non prædeterminare ad unum; et propter hujusmodi decretum liberum, jam non vult uti dominio suo quoad omnia, quæ posset absolute efficere, etiam necessitando causas liberas.

Cæterum si hujuscemodi decreta libera Dei dominium imminuerent, vel destruerent; sequitur etiam physicam prædeterminationem Deum dominio suo spoliare, nam ea posita,

Deus jam non posset non simultanee concurrere. Item si Deus decernat, angelos et animas rationales in æternum conservare, dominio se exuet, siquidem, stante illo decreto, non potest illas substantias in nihilum redigere. Præterea, si decernat gloriam suam dare in visione beatifica omnibus illis, qui in gratia decesserint, dominium suam amittet, quia non potent non admittere in gloriam suum Petrum et Paulum, cæterosque sanctos homines, qui in osculo Domini supremum diem obibunt. Verbo, nihil poterit decernere libere Deus, quin amittat partem dominii sui, quandoquidem omne decretum liberum alligat divinam voluntatem, ratione suæ immutabilitatis, ad unum eorum extremorum, ad quæ antecedenter ad illud decretum plenissime indifferens erat. Quæ omnia plane absurda sunt.

Ad 5.um sequelam. In sensu proprio nequit Deus dici expectare determinationem creaturæ, ut actu concurrat, quia concursus actualis identificatur cum ipsa actione, ac proinde cum determinatione illius, sed in sensu improprio ab aliquibus dicitur *quasi expectare* ad innuendam attemperationem Dei in signo priori libertatis, secundum quam non vult prius, quam voluntas, inchoare actionem, nec aliam actionis speciem elicere, nisi quam prævidit fore, ut ipsa velit elicere concursu a se oblato. Unde etiam illæ propositiones: *Deus non concurrit, nisi creatura se determinet*, vel: *Deus concurrit, quia creatura se determinat*, falsæ sunt, si in sensu conditionali vel causali intelligantur, quia conditio et conditionatum, ratio et rationatum idem exprimunt in illis propositionibus; quare nec veram prioritatem indicant, sed solum attemperationem Dei modo explicato. Id quod patet etiam ex aliis exemplis. Sic etiam habitus charitatis dicitur *idco* concurrere ad actum amoris, *quia* voluntas vult amare: dicitur similiter voluntas creata posse peccare, *si* velit, vel *quia* vult: itemque ex Tridentino concilio voluntas potest dissentire, si velit, vel consentire, *si* velit: in quibus omnibus manifestum est conditionem *si velit*, et causalem *quia vult*, non exprimere aliquid prius nec distinctum a conditionato, sed solum significat actum relinqui in manu ac dominio nostro.

non expectat determinationem voluntatis creatæ,

Ad 6.um sequelam, respondeo, decretum divinum, licet indifferens, habere reapse rationem impera in sensu latiori,

vel dicit ex omnipotentia aliquid

exequitur circa voluntatis imperium,

quantum quadrare imperium potest in Dei omnipotentiam, nempe quatenus nomine imperii intelligitur actus liber divinæ voluntatis applicans omnipotentiam ad concurrendum secundum causarum secundarum indolem ac naturam. Nam imperium stricte sumptum nulli divino attributo imponi potest. Attributa quippe Dei sunt ipse Deus, et nemo sibi imperare proprie potest.

vel denique cadem omnipotentia exequatur voluntatis creatæ arbitrium

Ad 7.um **sequelam.** Divina omnipotentia nullo modo esse potest virtus creatæ voluntatis arbitrium exsecutioni mandans; virtus enim exsecutiva voluntatis alterius natura sua dependet ab illa in operando, eique subjicitur: id quod dici non posse de divina omnipotentia respectu creatæ voluntatis, ostensum jam est (1).

ARTICULUS IV

Quale sit divinum decretum concurrendi ad actus malos.

Voluntas beneplaciti et pure permissiva.

308. Duplex hac in re distingui solet Dei voluntas a Theologis, altera *approbativa* seu *beneplaciti*, altera *pure permissiva*. Prima objectum suum approbat, in eoque sibi complacet; altera non vult impedire terminum, qui ab alio eligitur, ita tamen ut nec approbet illum, nec intendat, sed solum permittat. Manifestum est autem, quod permissio in Deo non ita intelligenda est, quemadmodum sæpe inter homines evenit, ut ipse non agat operationem, quam permittit, siquidem nulla esse potest operatio causæ creatæ, quam non efficiat causa prima. Itaque voluntas *pura* permissive dicitur talis, non ad excludendum physicam effectionem illius termini, qui pure permitti dicitur, sed tantum ad excludendam approbationem, intentionem ac beneplacitum illius.

Varia præmittenda: primum,

secundum.

Patet etiam permissionem pravi operis stare in Deo posse cum sincera illius aversione ac detestatione, qua vere nolit illud fieri, non quidem nolitione vel odio simpliciter efficaci, secus enim impediret illud; sed tantum inefficaci,

(1) Vide Lossada, loc. citato.

aut, si vis, etiam efficaci, *quantum est ex parte* Dei, salva libertate, quatenus nempe non utcumque displicet ei peccatum, sed etiam offert homini media sufficientia ad id libere vitandum, additis etiam præceptis, adhortationibus et minis, quibus ab opere deterreatur. «Nulla enim contradictio est in eo, quod velit quis alteri permittere opus, non ponendo ex se impedimentum efficax, quo libertas ejus præpediatur, et simul alias modis serio procuret alterum a tali opere retrahere. Sic sacerdos, licet paratus Eucharistiam dare peccatori occulto publice petenti, proindeque paratus permittere communionem sacrilegam, non sine concursu physico ipsius sacerdotis exsequendam; potest nihilominus illam serio nolle, et peccatorem occulte hortari, ut illam omittat, proposito Dei præcepto, metu damnationis, etc.» (1).

tertium.

Illud præterea notandum est, in opere pravo duo posse considerari, actum ipsum physicum et realem, qui fit a peccante, et deformitatem vel malitiam ejus, sive consistat in positivo sive in mera privatione, de quo disputant Theologi (2); primum vocatur materiale, alterum formale peccati. Et certum est, Deum efficere actum ipsum physicum ac materialem peccati, atque adeo illum aliquo modo velle; at non potest causare ipsam malitiam ac deformitatem seu formale peccati, nisi velimus dicere illum auctorem peccati, quod exsecranda blasphemia est. Difficultas autem est in intelligendo, quomodo duo hæc cohærere possint.

309. PROPOSITIO. **Deus ita concurrit physice ad factum peccati, ut illum velit voluntate pure permissiva sine ullo approbationis affectu vel intentione de talis actus existentia: unde non est causa per se illius, nec proinde auctor peccati.**

Plures habet partes propositio, quæ singillatim probandæ sunt.

Deus physice concurrit ad actum peccati

Prima pars: *Deus physice concurrit ad actum peccati*, efficiendo nempe totam illius realem entitatem, probatione non eget. Quia nulla physica entitas, qualiscumque illa sit, fieri

(1) Lossada, loc. cit. c. 3, num. 15.
(2) Cfr. *Ontolog.* num. 162, pag. 368 seqq.

potest sine immediato Dei concursu, quemadmodum in primo hujus disputationis capite ostensum est. Actus vero peccati realis aliqua entitas est. Ergo... (1).

voluntate deficiat permissiva.

Secunda pars: *Deus physice concurrit voluntate pure permissiva sine intentione vel approbatione* etiam physici ac materialis illius actus, qui afficitur malitia (2).

Prob. 1.º Deus ita physice concurrit ad actum peccati, ut non possit velle hominem peccare, Atqui si Deus concurreret ad actum physicum peccati volendo illum voluntate plus quam permissiva, cum approbatione atque intentione illius, revera dicendus esset velle hominem peccare. Ergo.

Major *constat* ex Fide.

Minor probatur. Nam vel malitia identificatur penitus cum physica entitate actus, vel ex ea sequitur inevitabiliter. Si primum, impossibile est, ut is qui actum talem perfectissime cognoscit, et comprehendit, velit illum fieri ab homine, quin simul velit hominem peccare. Si vero malitia non identificatur quidem cum actu, sed solum resultat ex eo inevitabiliter, idem etiam dicendum est; siquidem qui vult antecedens, vult etiam consequens necessario cum illo connexum, ut fert effatum.

Prob. 2.º «Nequit Deus voluntate beneplaciti velle, ut actio creaturæ vitalis et libera, qualis est v. gr. volitio mentiendi, existat quoad entitatem, quin simul velit eam a creatura produci ac libere determinari, ut est evidens. Sed illa actio, dum adest cognitio legis in actu primo, nequit a creatura produci ac libere determinari quoad entitatem, nisi peccando. Si ergo Deus vult existentiam illius actionis quoad entitatem, dum præit cognitio legis, vult a creatura produci peccando; non enim vult eam produci modo chimærico. Vult ergo creaturam peccare» (3).

(1) Vide S. Thom., 1.ª 2.æ quæst. 79, art. 2; *de malo*, quæst. 3, art. 2; 2.ª dist. 37, quæst. 2, artic. 2.

(2) Vide P. Didacum Ruiz de Montoya (*de Divino volunt.*, disp. 26, sect. 1. seqq., et sect. 7). Valentia (in 1.æm p. disp. 1, q. 19, punct. 3), Sylvest. Mauri (*Quæstionum theologicarum, De Deo Uno et Trino*, lib. 2, quæst. 99).

(3) Lossada, loc. cit. num. 39.

Prob. 3.º Nemo potest honeste velle amando et approbando, quod nequit ullo modo reddi honestum. Atqui actio peccaminosa nullo modo reddi potest honesta. Ergo....

Minor patet, nam actus voluntatis hic et nunc legi divinæ contrarius, supposita cognitione legis, honestari nunquam potest.

Confirmari hæc doctrina potest ex concilio Tridentio sic definiente: *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive tantum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, analhema sit* (1). Ubi vides definiri, mala Deum opera solum permissive operari, non vero proprie ac per se, sicut operatur bona opera. Jam hic videtur concilium non loqui de operibus malis solum quoad deformitatem, sed secundum ipsum actum physicum, cui deformitas inest, nam loquitur concilium de opere malo, puta de proditione Judæ, secundum id quod a Deo aliquo modo causatur. Atqui peccatum nullo modo causatur a Deo secundum deformitatem, ut docet communis sententia cum S. Thoma (2).

quod Deus non est causa per se.

Tertia pars: *Deus non est causa per se actus peccati*, probatur 1.º Nam licet multiplex sit acceptio causæ per se in oppositione ad causam per accidens (3), illa tamen frequentissime dicitur causa per se, quæ operatur ex intentione, nempe

(1) Sess. 6, can. 6. Vide apud Denzinger in *Enchiridio*, num. 697, pag. 192. Wirceburgi, 1894.

(2) 1. 2.æ quæst. 79, art. 2, ad 2.um Cfr Lossada, loc. cit. num. 30, apud quem videri etiam possunt quædam SS. Patrum testimonia in eamdem rem.

(3) Nam 1.º accipitur causa per accidens pro causa, quæ nullo modo influit, sed tantum conjungitur cum causa influente, v. g. si ædificator sit musicus, musica solum per accidens dici potest causa ædificationis. 2.º Quandoque causa per accidens est id, quod meram occasionem posuit, ex qua aliquid aliud contingit. Sic ædificator domi est causa litis super ea domo intentatæ. 3.º Causa per accidens idem valet, ac causa remota seu non influens immediate. 4.º Sumitur pro causa immediate quidem influente, quæ tamen necessaria non erat ad actionem vel effectum, quia sine illa eodem modo existerat. Sic si duo parati sint ex æquo ad incendendam domum, ignemque applicent, per accidens dicitur esse, quod ab uno potius incendatur, quam ab alio. 5.º Dicitur causa per accidens illa, quæ fortuito ac præter oponionem aut prævisionem operatur.

intendendo effectum; et causa per accidens illa, quæ operatur præter intentionem, vel si sermo sit de agentibus irrationalibus, præter exigentiam aut inclinationem naturalem (1). Et in hoc solo sensu intelligimus nunc terminos, quando negamus Deum esse causam per se peccati. Atqui, ut modo ostendimus, Deus ita concurrit ad actum physicum peccati, ut solum velit illum permittere, non vero approbet, aut intendat, sed vehementer detestetur, atque aptissimis mediis conetur impedire. Ergo Deus non est causa per se, sed tantum per accidens, actus peccaminosi.

Prob. 2.º Illa proprie dici debet causa per se, quæ est causa, cur res sit, tamquam determinans existentiam illius. Atqui Deus certe non est hoc modo causa actus etiam materialis peccati. Quis enim dicat illum, qui invite operatur cum alio, quem sufficientibus mediis conatur ab opere revocare, esse causam determinantem illius operationis? (2).

nec proinde auctor peccati.

Quarta pars: *Deus nullo modo est auctor peccati*, probatur. Auctor peccati dicitur ille, a quo ita procedit peccatum, ut moraliter attribuatur ei, seu imputetur. Atqui Deo ex dictis imputari nullo modo potest peccatum creaturæ. Ergo...

Minor patet, quia peccatum ex triplici capite fingi posset imputabile Deo: α), quia Deus dedit homini facultatem liberam capacem peccati; β) quia non impedit peccatum; γ) quia physice actum pravum simul cum voluntate efficit. Atqui ex nullo capite Deo imputatur peccatum.

Non ex primo capite α), quia libertas data est homini a Deo ex intentione ac desiderio boni, ut bene moraliter operaretur. Facultas autem hujusmodi, licet capax sit etiam defectus, si tamem confortetur sufficientibus præsidiis, ne deficiat, ac detur solum ex intentione boni, præclarissimum

(1) Audi S. Thomam: *Sicut effectus causæ naturalis per se est quod consequitur secundum exigentiam formæ, ita effectus causæ agentis a proposito est illud, quod accidit ex intentione agentis. Unde quidquid provenit in effectu præter intentionem, est per accidens.* Lib. 2.º *Physic.* lect. 8, paragr. 4. Et alibi: *Quod per se causam habet, est intentum a causa; quod enim provenit præter intentionem agentis, non est effectus per se, sed per accidens. De malo*, quæst 1, art. 3.

(2) Cfr. Ruiz, *de divina volunt.* disp. 27, sect. 3.

omnium donum est, ob quod nunquam poterimus satis dignas Deo reddere gratias. Apposite S. Bernardus: *Soli inter animantia datum est homini posse peccare ob prærogativam liberi arbitrii. Datum est autem, non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior appareret, si non peccaret, cum peccare posset... Unde quod homo peccet, non est culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi* (1).

Non ex altero capite β). Quia Deus quidem abunde præparat media, quibus peccata modo morali et consentaneo naturæ liberæ vitentur. Non tenetur autem impedire mala omnibus modis possibilibus. Ergo nequit Deo imputari peccatum ex eo solum, quod illud non impediat.

Non ex tertio capite γ). Non enim peccat operando, qui jus habet operandi. Deus autem jus habet efficiendi actum peccaminosum cum creatura, accommodando se conditioni et exigentiæ ipsius; quandoquidem proprium est provisoris universalis, ut adsit omnibus præbendo sufficientiam ad consentaneas cujusque operationes secundum generalem ordinem universi. Ergo si jus habet concurrendi cum creatura ad actum peccati, eatenus duntaxat hoc ei posset imputari moraliter, quatenus illud vellet, vel approbaret, vel ad illud incitaret. Atqui Deus concurrit ad peccatum solum permissiva voluntate, sine ullo affectu, approbatione vel intentione, sed contra detestando, gravissimeque illud prohibendo (2). E converso Deus est semper, ac dicitur auctor boni operis, quia eo fine dedit nobis libertatem arbitrii, illamque generali concursu adjuvat, ut operetur bene, pluribus etiam incitans illam modis, ut tam præstanti dono ex rationis præscripto utatur (3).

310. PROPOSITIO 2.ª **Decretum permissivum peccati importat positivum actum volitionis divinæ applicantis omnipotentiam ad operationem, quam Deus reprobat, nec tamen vult efficaciter impedire.**

(1) *De Gral. et libr. arbitr.*, prope medium.

(2) Cfr. Ruiz de Montoya, op. cit, disp. 26, sect. 7.

(3) Vide S. August., *de libero arbitr.* lib. 2, cap. ultimo; et lib. 3, cap. 1 et 6.

Decretum permissivum peccati importat positivum actum voluntatis divinæ, applicantis omnipotentiam ad operationem, quem Deus merobol quidem, sed non vult impedire.

Ita videtur docuisse S. Augustinus illis verbis: *Neque utique* nolens *sinit, sed* volens; *neque sineret bonus male fieri, nisi omnipotens etiam de malo posset facere bonum bene* (1).

Et S. Thomas: *Deus neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, sed* vult *permittere mala fieri: et hoc est bonum* (2).

Et ratio est, quia Deus certe concurrit ad actum peccati eliciendum. Concurrit autem per suam omnipotentiam, nec omnipotentia applicatur ad opus nisi decreto positivo divinæ voluntatis, sine quo nulla datur determinatio ad agendum, sed plena indifferentia.

Quid importet permissio peccati.

Quamobrem decretum illud permissivum peccati plura comprehendit: primo negationem voluntatis efficacis impediendi peccatum; secundo collationem mediorum sufficientium; tertio negationem mediorum, per quæ peccatum vitaretur; quarto præparationem concursus generalis ad actum peccaminosum, quem vult facere creatura, cum displicentia tamen atque odio filius.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

311. Objic. 1.° *Diligis omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti*, dicitur ad Deum in libro *Sapientiæ* (3). Atqui actum peccati efficit Deus concursu suo. Ergo diligit illum, non vero detestatur. Quibus consonat S. Thomas dicens: *Deus non potest facere, quod non potest velle* (4). Et alibi: *Operatio semper est eadem cum voluntate beneplaciti* (5).

Respond., *dist.* sensum verborum S. Scripturæ: et sermo est ibi de operibus, quæ Deus facit ut auctor, quæque proprie opera Dei dici possunt, qualia sunt opera solius Dei; et etiam opera bona creaturarum, ad quæ concurrit tamquam causa prima et perse, *conc.*; sermo est de operibus, ad quæ utcumque Deus concurrit, qualia sunt peccata, quæque non proprie dicuntur

(1) *Enchirid.* cap. 100.
(2) 1 p. q. 19, art. 9 ad 3.um
(3) Cap. 11, vers. 25.
(4) *De potent.*, quæst. 1, art. 6.
(5) 1 p., quæst. 19, art. 12, ad 2.um

opera Dei ex concilio Tridentino (1), *nego. Et contradist.* Minore, *neg. conseq.*

Juxta hanc doctrinam negat S. Augustinus, voluntates malas esse a Deo: *Sicut enim naturarum creator est* (Deus), *ita omnium* potestatum dator, non voluntatum: *malæ quippe* voluntates ab illo non sunt, *quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est* (2). Et alibi: *Omnes naturas atque substantias tu fecisti; et hoc solum a te non est, quod non est,* motusque voluntatis a te, *qui es, ad id quod minus est, quia talis motus delictum atque peccatum est* (3).

Et eodem modo intelligi et explicari possunt loca S. Thomæ, cum potissimum alibi sic scripserit S. Doctor: *Multa fiunt, quæ Deus* non operatur (4).

Primus itaque Aquinatis locus sic distinguitur: Deus non potest facere, tamquam auctor et causa per se, quod non potest velle, *conc.*; Deus non potest facere utcumque, quod non potest velle, *nego*, vel *subdist.*: quod non potest velle voluntate aut permissiva aut approbativa, *conc.*, voluntate approbativa præcise, *nego*.

In altero S. Thomæ testimonio operatio sumitur pro ea, qua Deus per se aliquid operatur, ut patet ex corpore articuli, quam proinde vult Deus voluntate beneplaciti, ad differentiam eorum, quæ tantum indirecte ac per accidens facit, nempe in quantum non impedit operationem, respectu quorum datur *permissio*.

Cæterum illud quoque notari potest, verba *Sapientiæ* nobis objecta explicari a S. Thoma de rebus subsistentibus, quæ proprie sunt objectum odii et amoris, non vero de accidentibus rerum subsistentium, qualia sunt peccata (5).

Objic. 2.° Actus peccati est ens quoddam, ac proinde bonum et amabile, habensque similitudinem ac participationem bonitatis divinæ. Atqui Deus est auctor omnis boni,

(1) Sess. 6, can. 6. supra cit.
(2) Lib. 5 *de civitate Dei*, cap. 9. Cfr. *de Spirit. et littera* cap. 31.
(3) Lib. 12. *Confession.* cap. 11.
(4) 1.ª dist. 47, quæst. 1.ª artic. 2.
(5) Vid. S. Thom., lib. 1. *Contr. Gent.*, cap. 96. prop. fin.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nec potest odisse bonum ac similitudinem bonitatis suæ. Ergo...

Hinc S. Thomas generatim docet Deum nihil odisse (1), sed omnia existentia amare (2).

Respondeo, *dist.* Major.: est ens actus peccati, ac proinde bonum bonitate pure trascendentali, contraria bono rationis, ac inseparabiliter infecta malo simpliciter tali, *conc.*; bonitate simpliciter tali, *nego*.

Simili modo similitudo divinæ bonitatis in tali actu est valde obscurata et penitus obumbrata (3). Unde actus bonus hujusmodi bonitate non est amabilis Deo, immo nec etiam voluntati creatæ rationabiliter appetenti, sed tantum appetitui sensuali aut voluntati contra rationem agenti.

Disting. etiam primam partem Minoris. Deus est auctor omnis boni simpliciter talis, *conc.*; secus, *nego*.

Et similiter *distinguo* alteram partem: non potest odisse bonum ac similitudinem bonitatis suæ, prout talem, *trans.*; prout est penitus obtenebrata peccato, *nego*. Si enim Deus posset intendere et amare hujusmodi similitudinem, quæ est in peccato, posset velle, ut creatura efficeret, et amaret illam, cum non possit aliter hujusmodi similitudo existere. Quis autem dicat, Deum velle, ut creatura velit, et amet delectationem, v. g. ebrietatis, etc., quatenus talis est, et quatenus est in ea obscurissima quædam resonantia divinæ bonitatis, ut loquitur S. Dionysius? (4).

S. Thomas vero, cum docet Deum nihil odisse, sed omnia amare, loquitur de rebus subsistentibus, ut ipsemet diserte notat (5); nam hæ sunt proprie objectum amoris vel odii. Res vero existentes Deus amat, quia, prout tales, bonæ sunt, et ita eis bonum facit, quod est signum amoris.

(1) 1.ª *Contr. Gent.* cap. 96.
(2) 1 p. quæst. 20, art. 2.
(3) Cfr. S. Thom. 2.ª dist. 37, quæst. 1, art. 2, ad 4.um
(4) *De divin. Nomin.* cap. 2, apud. S. Thom. 2.ª dist. 37, quæst. 1 art. 2, ad 4.um
(5) *Contr. Gent* cap. 96. fin

Cæterum Deum odisse peccata et peccatores, prout tales, pluribus in locis testantur SS. Litteræ (1). Qui de re recole, quæ superius scripsimus (2).

Objic. 3.us Deus actum peccati producit propter se ipsum tamquam finem ultimum, nam *universa propter semetipsum operatus est Dominus* (3). Sed quod Deus producit propter finem, producit ex intentione, ac proinde ut auctor et causa per se. Ergo.

Respond. *disting.* Major. Deus actum peccati producit propter se ipsum tamquam propter finem, ob quem vult permittere illum, *conc.*; tamquam finem, ad quem talis actus dirigitur, *subdist.*: tamquam finem, ad quem intrinsece tendit actus, *neg.*; tamquam finem, ad quem ordinatur a sapientia divina, *concedo*.

Contradist. Minor. Quod producit propter finem, ad quem intrinsece ordinatur productio, producit ex intentione, *conc.*, quod producit propter finem, ad quem non ordinatur intrinsece, *nego*.

Id quod solent omnes dicere de peccato etiam formaliter spectato, illud nempe Deum, licet non velit, ut sit, supposito tamen quod sit per vitium creaturæ, ordinare ad gloriam suam, quia nempe dirigit sive ad bonum pœnitentiæ sive ad bonum pœnæ, unde resultat gloria Dei per ostensionem sive misericordiæ sive justitiæ vindicativæ; ipsum hoc nos dicimus de peccato quoad ipsam materialem ejus entitatem. Et sic Deus ea ipsa, quæ permittit solummodo, et non intendit, nec approbat; ordinat ad se. *Nam quamvis malum sit præter intentionem Dei, tamen ordinatio mali est intenta a Deo; et huic intentioni operans malum præter intentionem obsequitur, faciens id, quod est præter intentionem Dei, scilicet peccatum* (4).

(1) Vide *Zachar.* c. 8, vers. 17. Exod. cap. 23, v. 7; Psalm. 5, v. 5; Psalm. 44, v. 8; *Proverb.* c. 5, v. 9, 26; Sapient. cap. 14, vers. 9.
(2) Vide supra, num. 175, pag. 549 seqq.
(3) *Proverbior.* cap. 16, vers. 4.
(4) S. Thom. 1.ª dist. 47, quæst. 1, art. 1, ad 4.um Lege totum articulum.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et in hoc sensu etiam verissime dicitur cum Angelico Doctore unum esse finem ultimum communem omnibus actionibus, videlicet quia omnes ad Deum ordinantur, sive intrinsece sive saltem extrinsece, quia etiam peccata licet sint inordinata per se et contra finem, diriguntur a Deo per aliam viam ad gloriam suam, etiam præter intentionem, immo et contra intentionem peccantis.

Verba *Proverbiorum*, quibus confirmatur propositio major, vel intelligi possunt de operibus, quorum Deus dicitur proprie ac per se auctor, seu quæ proprie dicuntur opera Dei, nimirum de operibus bonis, sive a solo Deo sive per creaturas factis; vel possunt explicari secundum prædictam distinctionem, quatenus etiam mala opera Deus, licet fiant præter intentionem ejus, velit, supposito quod facta sunt, ordinare ad ostensionem gloriæ perfectionumque suarum.

Dices. Omnis operatio intrinsece pendet a Deo ut a primo principio. Ergo et intrinsece refertur ad Deum, ut ad ultimum finem; nam Deus æque essentialiter est finis ultimus ac primum principium.

Respondeo, *neg.* conseq. Et probationem *distinguo*: æque essentialiter est finis ultimus, etc., quatenus omnia tandem ad Deum referri debent vi ordinationis sive intrinsece sive extrinsece, *conc.*; aliter, *nego*.

Cæterum ex eo quod æque essentialiter sit Deus finis ultimus ac primum principium omnis actus, non sequi, quod omnis actus intrinsece pendens a Deo, ut primo principio, intrinsece quoque referatur ad eumdem ut finem ultimum, patet etiam ex hac instantia: *Deus æque essentialiter est potens præcipere ac potens agere. Sed omnem actum potest agere. Ergo et præcipere*: quod falsum est, et negatur ab Aquinate (1).

Objic. 4.º Si Deus mere permissive se haberet erga ipsum actum physicum peccati, eodem modo se haberet circa formalem malitiam, ac circa materialem actum, ut est entitas quædam realis. Atqui longe aliter se habet. Nam Deus nullatenus dici potest causa malitiæ, ut talis, etiamsi illa reponeretur in positivo, et non in pura negatione; et nihilominus

(1) Vide 1.ºm dist. 47, quæst. 1, art. 4.

actus peccati, prout est ens quoddam, a Deo est, ut docent SS. PP., ac sæpe probat S. Thomas (1). Ergo...

Respondeo, *dist.* Major. Si ratio formalis malitiæ reponatur in positivo, *transeat*; si reponatur in pura privatione, *nego*.

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Et ad probationem *conc.* anteced., *neg.* conseq. Supposita sententia reponente rationem formalem malitiæ in mera privatione (2), plane cernitur, quomodo Deus diversimode se gerat erga peccati actum, ut est physica entitas, et erga malitiam: nam primum efficit physice, non vero alterum, quia non est res, quæ produci queat secundum se. Ideo SS. PP., et etiam S. Thomas, saltem plerumque, supponunt, ut constat ex eorum modo loquendi, peccatum formaliter consistere in privatione: hinc bene potuerunt scribere peccatum secundum entitatem physicam esse a Deo, quia nempe efficitur per influxum ejus, quamvis nequeat ei imputari, peccatum vero nullo modo esse a Deo secundum malitiam formalem, quia nec efficitur, nec imputatur.

Si vero ratio malitiæ formalis etiam in positivo consistere dicatur, ut non paucis Theologis placet, simili modo videtur juxta nostram sententiam sese habiturus esse Deus erga entitatem et erga malitiam specificative sumptam, seu secundum totum suum *esse* realiter productum; siquidem totum illud positivum malitiæ foret etiam a Deo productum, utique præter intentionem ac pure permissive, sicut nos dicimus produci actum ipsum peccati, ut est entitas quædam. Nec tamen ideo posset Deo attribui etiam in hac sententia peccati malitia formaliter seu reduplicative, ut deformis nempe; quia sub hac reduplicatione connotat causam determinantem et agentem contra jus, qualis non est Deus; non enim refunditur malitia in causam influentem utcumque, sed in influentem imputabiliter. Et non influit imputabiliter, nisi qui determinat, quod hic et nunc existat actus malus. Et ideo S. Thomas culpam attribuit voluntati, quia

(1) 1. 2.æ, quæst. 70, art. 2; quæst. 3. *de malo*, art. 2; 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 2.

(2) Vide *Ontolog.* num. 126, pag. 468 seqq.

actus pravus ab illa est tam quoad substantiam actus, quam quoad determinationem agentis ad actum, ratione videlicet suæ liberæ electionis (1).

E converso actus pravus, *in quantum actus* vel *in quantum ens*, attribuitur Deo, quia istæ reduplicationes non connotant causam determinantem, nec imputabiliter agentem, sed simpliciter influentem, atque adeo explicant necessitatem influxus divini ad quamcumque operationem creaturæ.

«In summa, locutiones illæ, *actus peccati, in quantum actus, non solum est a creatura, sed etiam a Deo, et in quantum deformis, aut malus, non est a Deo, sed a creatura*, non indicant duo positiva prædicata operis, quorum alterum producatur a Deo, alterum non; sed tantum alludunt ad modum agendi ex parte causarum simul concurrentium: altera enim alludit ad causam physice influentem præscindendo a determinatione et intentione, altera vero ad causam determinantem, vel intendentem, quæ est causa, cur sit. Et, quia nomen *peccati, malitiæ, deformitatis, adulterii, homicidii*, etc., etiam cum simpliciter ac sine reduplicatione profertur, juxta communem sensum importat respectum aut allusionem illam ad causam, cur sit; idcirco semper absolute negandum est, quod *peccatum, malitia*, etc., sit a Deo, vel causetur a Deo etiam in sensu reali; Deus enim, licet realiter producat totum id, quod est malitia (si hæc stat in positivo), non tamen est in sensu reali causa, cur sit, cum in sensu reali non determinet, nec intendat illud opus. Unde D. Thomas (2): *Non potest*, inquit, *dici absolute, quod peccatum sit a Deo, ut homicidium aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione*, **in quantum est actus, et in quantum est ens**, id est, in quantum explicat indigentiam influxus physici, et in quantum alludit ad causam physice influentem, non vero sub nomine alludente ad causam, cui imputatur (3).

«Hinc demum intelliges, cur peccatum dicatur esse a voluntate creata, eique imputari, quia voluntas est causa deficiens, aut potens deficere, et quia est ex nihilo; et e

(1) S. Thom. 2.ª dist. 30, quæst. 1, art. 1.
(2) 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 2.
(3) Lossada loc. cit. num. 34, ubi plura requires.

contra, non esse a Deo, quia Deus est ens a se, et impotens deficere. Nimirum, cum sermo est de peccato, causa *potens deficere* nihil est aliud, quam causa *potens eligere*, seu *determinare contra legem Dei*: unde peccatum esse a creatura ut a causa deficiente, significat esse ab illa, ut a causa eligente, seu determinante id, quod lex divina prohibet; quæ causa eo ipso sapit nihilum, ex quo facta est, quia potestas sic determinandi, licet a Deo conferatur (ex intentione scilicet, ut creatura gloriam habeat non peccandi, cum peccare possit), soli convenit voluntati finitæ, ut ex nihilo factæ, respicitque exercitium, quod in Deum ut auctorem refundi non potest. De cætero potestas peccandi, seu *conditio naturæ potentis deficere*, quam Deus in tali conditione instituit, est quid *bonum et a Deo volitum*, ut docet D. Thomas (1); nec dubium, quin Deus liberi arbitrii sit auctor; *liberum* autem *arbitrium nominat potentiam eligentem bonum et malum*» (2), ut ait S. Doctor (3).

Objic. 5.° Deus nequit influere in actum peccati tamquam causa per accidens. Nam Deus semper influit ut causa prima et principalis, respectu cujus omnis causa creata habet rationem instrumenti, ideoque semper magis influit, quam causæ secundæ. Atqui quod est per se, prius est, quam quod est per accidens. Ergo si causa prima influit per accidens, et voluntas per se in peccatum; causa prima convertitur in secundam, et secunda in primam. Ideo scite scripsit S. Thomas: *Impossibile est, quod aliquid sit per accidens respectu causæ primæ, et per se respectu secundæ* (4). Et alibi: *Si voluntas humana actionem aliquam produceret, cujus auctor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii haberet* (5).

Nec dicas, quod voluntas humana habeat *esse* a Deo, ideoque non possit esse causa prima. Nam *quamvis per hanc responsionem*, inquit Angelicus, *evitaretur, quod non esset*

(1) 1.ª dist. 40, quæst. 1, art. 4.
(2) Lossada, ibid., num. 37.
(3) 2.ª dist. 30, quæst. 2, art. 2, ad 3.um
(4) Quæst. 3 *de verit.*, art. 2.
(5) 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 2.

primum simpliciter; non tamen posset vitari, quin esset primum agens, si ejus actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in causam (1).

Respondeo, *dist.* assertum. Nequit Deus influere tamquam causa per accidens, quatenus illud *per accidens* excludit solummodo perfectatem, quæ importat intentionem et approbationem actus et determinationem, cur hic et nunc actus malus fiat, *nego;* quatenus causa per accidens intelligatur causa non absolute necessaria ad actum, vel non immediate influens, etc., *conc.*

Ad probationem, *conc.* Major., et *disting.* Minorem: quod est per se, est prius, quam quod est per accidens, si est per se, quasi operans ex virtute non aliunde habita et potens operari sine alterius concursu, *conc.;* si solum est per se, quasi approbans actum, et intendens, ac determinans, quod hic et nunc fiat, *nego.* Et *neg.* conseq. Deus, etiamsi non intendat, nec approbet, nec determinet actum peccati, ad quem concurrit, non desinit esse causa prima et principalis. Nam ad hoc satis est, quod per virtutem a nullo alio habitam et libere a se applicatam influat, ita ut influxus ejus sit absolute necessarius ad hoc, ut quidpiam fieri possit. Creatura vero semper agit respectu Dei tamquam instrumentum, quia non operatur nisi per virtutem naturalem ab illo acceptam et per influxum novum simultanei concursus divini, quo ingenita indigentia cujuslibet virtutis creatæ adjuvatur, et completur in ratione principii adæquati, sicut insufficientia instrumenti adjuvatur, et completur per virtutem causæ principalis. Unde causa secunda nunquam potest agere tamquam primum principium, utpote semper indigens virtute aliunde accepta ex influentia causæ primæ. Item Deus magis influit, quam creatura, quatenus concurrit tamquam primum principium intimius penetrans in effectum; ex quo tamen non sequitur, quod magis intendat, ac determinet existentiam peccati, quam causa secunda.

Perperam autem in objectione proponitur auctoritas S. Thomæ contra nostram sententiam, quia in primo loco cum negat respectu Dei posse esse aliquid per accidens, in alio

(1) Cfr. apud Lossada, loc. cit. num. 38.

sensu intelligit hanc vocem, ut patet legenti contextum; intelligit nempe, nihil posse esse *causale* Deo, et non præcognitum distincte et ordinatum per voluntatem ipsius. Non vero dicit ibi S. Doctor Deum debere ita ordinare singula, ut debeat illa etiam intendere approbando.

In altero autem loco S. Thomas refutat eos, qui dicebant *actus peccatorum* nullo modo, *nec etiam in quantum actus sunt, a Deo esse.* Quæ ergo contra hujusmodi opinionem, vel potius errorem, disputat Angelicus, nequeunt apte produci contra nos, qui probavimus nullam actionem ab humana voluntate efficici, cujus non sit Deus aliquo modo causa, et solum negamus Deum esse approbatorem omnium, quæ facit cooperans creatæ voluntati.

Objic. 6.º Deus amat concursum suum ad actum peccati. Ergo producit illum, ut auctor et causa per se.

Et prob. antec. α) Nam concursus ille, saltem respectu Dei, bonus et sanctus est; non enim potest concurrere nisi bene et sancte. Quod autem bonum et sanctum est, profecto potest Deus velle atque amare. β) Non minus sancta est omnipotentia, quam voluntas divina. Si ergo potest physice attingere omnipotentia peccati actum, poterit etiam voluntas attingere affective amando illum et intendendo. γ) Deus amat adimpletionem muneris causæ primæ; itemque offert suum concursum etiam ad peccatum. δ) Alioquin Deus ex determinatione nostra faceret, quod non vult, ac proinde voluntas nostra vinceret divinam omnipotentiam.

Respondeo, *disting.* antec. Deus amat concursum suum internum, in actu primo, *concedo;* concursum in actu secundo seu externum, *nego.*

Ad probationem α), *disting.* antec. Concursus ille (loquimur de externo), bonus est formaliter ac ratione sui, *nego;* præsuppositive, ratione videlicet voluntatis permissivæ, quam præsupponit, *conc.*

Rationem additam pariter *distinguo.* Non potest concurrere nisi bene ac sancte, bonitate ac sanctitate se tenente ex modo operandi, *conc.;* sanctitate ac bonitate se tenente ex parte operis in se, *nego.*

Minorem etiam *distinguo.* Quod bonum est et sanctum ratione operis, *conc.;* ratione solum modi operandi, *nego.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Concursus enim externus Dei unum idemque est in se ipso cum actione creaturæ, quæ mala est, non quidem quia fit a Deo, nam a Deo bene et sancte procedit, sed quia fit a creatura contra legem divinam. Unde nequit Deus illum velle approbative, sed solum permissive.

Ad probationem 3), neg. *conseq.* Ex eo quod omnipotentia divina physice attingat entitatem actus peccati, non sequitur a voluntate quoque attingi hanc posse quocumque actu. Secus enim pari modo posset aliquis colligere etiam posse divinam voluntatem præcipere actum peccati; neque enim sanctior est voluntas præceptiva Dei, quam omnipotentia.

Ad probationem 4). Deus simul quidem adimpletionem muneris causæ primæ, secundum quod applicat decreto suo omnipotentiam ad concurrendum, non vero secundum quod concursum externum præbet creaturæ contra legem suam agenti. Itemque offert concursum non invitando, suadendo, approbando, sed pure permittendo, et libertime volendo permittere, sed simul serio nolendo concursum externum.

Ad probationem 5) Deus facit utique ex determinatione nostra, quod non vult voluntate, quæ quidem seria est, sed non efficax, quia simul cum seria displicentia et detestatione talis operis habet voluntatem non impediendi illud. Cæterum in hoc nulla est humanæ voluntatis victoria de divina omnipotentia, quia voluntas creaturæ non resistit nisi voluntati inefficaci Dei, et quidem resistentia supponente in Deo liberrimam voluntatem permissivam (1).

Objic. 7.° Qui prævidet effectum infallibiliter secuturum ex aliqua causa, censetur moraliter illum velle, si, cum possit, non impediat causam, sed sinat illam agere. Sed Deus prævidet infallibiliter futura peccata, si crearetur liberum arbitrium, nec impediretur in suis actibus; et nihilominus voluit creare liberum arbitrium, ac relinquere ipsum in manu consilii sui. Ergo Deus censendus est velle peccata.

Respondeo, *dist.* Major. Si teneatur tollere causam vel impedire, ne agat, *trans.* Si non teneatur, *nego*. Sic enim et

(1) Vide omnia hæc apud P. Lossada fusius exposita, *Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 4, a num. 19.

armorum artifices norunt plurima commissum iri crimina ex illorum abusu propter malitiam hominum: et nihilominus non peccant arma fabricando, nec dici possunt velle aut approbare talia crimina. Idem ergo dicendum de Deo, cum potissimum præbeat omnibus sufficientissima præsidia, quibus homines recte utantur pretioso dono libertatis, ac proinde facit quantum necessarium est, ne fiat peccatum.

Instabis. Qui vult potentiam peccandi, vult peccatum; nam potentia illa, prout talis, non fert alium fructum. Atqui Deus vult potentiam peccandi, nam vult liberum arbitrium creaturæ. Ergo...

Respondeo. Deus non vult potentiam peccandi formaliter prout talem, quia importat defectum et imperfectionem, nec habet proinde, prout talis, rationem boni amabilis. Sed vult potentiam liberam volitivam cujusque boni, sive honesti sive delectabilis, veri aut apparentis, sed cum intentione ac voluntate approbativa solummodo boni usus (1).

CAPUT IV

DE MENTE S. THOMÆ

CIRCA PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

Non est quæstio de voce prædeterminationis, sed de re.

312. Non est nobis quæstio agitanda de voce, sed de re, per nomen physicæ *prædeterminationis* significata. Vocem quidem S. Thomas prædeterminationis usurpavit, licet in sensu diverso ab eo, quem Bañeziani eidem affixere (2), quemadmodum patet contextum consideranti; sed inquirimus an doctrinam physicæ præmotionis seu prædeterminationis,

(1) Vid. P. Didacum Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, disp. 26, sect. 7.

(2) S. Thomas vocem *prædeterminare* usurpat vel ad significandam *præordinationem* seu *præfinitionem* (ut *Quodlib.* 12, art. 4; ad *Hannibaldum*, 1.° dist. 47, quæst. unic. artic. 4 in corp.; In epist. 1.am ad *Timoth.* cap. 2; In *Isaiam*, cap. 37: 1 p. quæst. 19, art. 4); vel etiam ad significandam *impositionem necessitatis* (ut in 1 p. quæst. 23, art. 1, ad 1.um; et 3.° *Contr. Gent.* c. 90 fin).

Concursus enim externus Dei unum idemque est in se ipso cum actione creaturæ, quæ mala est, non quidem quia fit a Deo, nam a Deo bene et sancte procedit, sed quia fit a creatura contra legem divinam. Unde nequit Deus illum velle approbative, sed solum permissive.

Ad probationem 3), neg. *conseq.* Ex eo quod omnipotentia divina physice attingat entitatem actus peccati, non sequitur a voluntate quoque attingi hanc posse quocumque actu. Secus enim pari modo posset aliquis colligere etiam posse divinam voluntatem præcipere actum peccati; neque enim sanctior est voluntas præceptiva Dei, quam omnipotentia.

Ad probationem 4). Deus simul quidem adimpletionem muneris causæ primæ, secundum quod applicat decreto suo omnipotentiam ad concurrendum, non vero secundum quod concursum externum præbet creaturæ contra legem suam agenti. Itemque offert concursum non invitando, suadendo, approbando, sed pure permittendo, et libertime volendo permittere, sed simul serio nolendo concursum externum.

Ad probationem 5) Deus facit utique ex determinatione nostra, quod non vult voluntate, quæ quidem seria est, sed non efficax, quia simul cum seria displicentia et detestatione talis operis habet voluntatem non impediendi illud. Cæterum in hoc nulla est humanæ voluntatis victoria de divina omnipotentia, quia voluntas creaturæ non resistit nisi voluntati inefficaci Dei, et quidem resistentia supponente in Deo liberrimam voluntatem permissivam (1).

Objic. 7.° Qui prævidet effectum infallibiliter secuturum ex aliqua causa, censetur moraliter illum velle, si, cum possit, non impediat causam, sed sinat illam agere. Sed Deus prævidet infallibiliter futura peccata, si crearetur liberum arbitrium, nec impediretur in suis actibus; et nihilominus voluit creare liberum arbitrium, ac relinquere ipsum in manu consilii sui. Ergo Deus censendus est velle peccata.

Respondeo, *dist.* Major. Si teneatur tollere causam vel impedire, ne agat, *trans.* Si non teneatur, *nego*. Sic enim et

(1) Vide omnia hæc apud P. Lossada fusius exposita, *Physic.* tract. 2, disp. 8, cap. 4, a num. 19.

armorum artifices norunt plurima commissum iri crimina ex illorum abusu propter malitiam hominum: et nihilominus non peccant arma fabricando, nec dici possunt velle aut approbare talia crimina. Idem ergo dicendum de Deo, cum potissimum præbeat omnibus sufficientissima præsidia, quibus homines recte utantur pretioso dono libertatis, ac proinde facit quantum necessarium est, ne fiat peccatum.

Instabis. Qui vult potentiam peccandi, vult peccatum; nam potentia illa, prout talis, non fert alium fructum. Atqui Deus vult potentiam peccandi, nam vult liberum arbitrium creaturæ. Ergo...

Respondeo. Deus non vult potentiam peccandi formaliter prout talem, quia importat defectum et imperfectionem, nec habet proinde, prout talis, rationem boni amabilis. Sed vult potentiam liberam volitivam cujusque boni, sive honesti sive delectabilis, veri aut apparentis, sed cum intentione ac voluntate approbativa solummodo boni usus (1).

CAPUT IV

DE MENTE S. THOMÆ

CIRCA PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM.

Non est quæstio de voce prædeterminationis, sed de re.

312. Non est nobis quæstio agitanda de voce, sed de re, per nomen physicæ *prædeterminationis* significata. Vocem quidem S. Thomas prædeterminationis usurpavit, licet in sensu diverso ab eo, quem Bañeziani eidem affixere (2), quemadmodum patet contextum consideranti; sed inquirimus an doctrinam physicæ præmotionis seu prædeterminationis,

(1) Vid. P. Didacum Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, disp. 26, sect. 7.

(2) S. Thomas vocem *prædeterminare* usurpat vel ad significandam *præordinationem* seu *præfinitionem* (ut *Quodlib.* 12, art. 4; ad *Hannibaldum*, 1.° dist. 47, quæst. unic. artic. 4 in corp.; In epist. 1.am ad *Timoth.* cap. 2; In *Isaiam*, cap. 37: 1 p. quæst. 19, art. 4); vel etiam ad significandam *impositionem necessitatis* (ut in 1 p. quæst. 23, art. 1, ad 1.um; et 3.° *Contr. Gent.* c. 90 fin).

Necessitas hujus tractationis.

hactenus rationibus confutatam, docuerit Aquinas. Et quamquam nefas videatur quibusdam Thomistis id in dubium aut controversiam vocari, diversæ tamen hac de re sapientissimorum sententiæ disputationem hanc necessariam reddunt, quæ eo accuratius a nobis tractanda est, quo magis interest, utrum amicum, an adversarium habeas tantum Doctorem. Cum potissimum hæc sit princeps ratio, cur scriptores Societatis Jesu a multis male affecti erga S. Thomam habeantur, quia prædeterminationem, quam ille, inquiunt, apertissime docuit, omnibus adhibitis machinis explodere nituntur.

Cæterum illud in antecessum notatum velim, ut RR. PP. Prædicatores suum esse in hac re S. Thomam probent, non sufficere utcumque ostendere, quod S. Doctor necessariam esse docuerit motionem aliquam, ut causæ secundæ operentur, sed quod docuerit talem motionem, qualem ipsi intelligunt nomine physicæ prædeterminationis, et nos ex ipsorum doctrina descriptam reliquimus in primo articulo secundi capitis.

ARTICULUS I

Quot modis ex doctrina Aquinatis operetur Deus in creaturis.

Ratio tractationis.

Quoniam præmotio physica, si detur, erit operatio quædam divina in causis creatis, oportet ad rite judicandum de mente Angelici Doctoris hac super re, ante omnia cognoscere, ac præ oculis habere diversos modos, quos ille tradidit, hujusmodi operationis in suis creaturis operantibus. Illos vero non uno in loco exponit, quando quærit, utrum Deus *operetur in omni operante* (1), vel *in omni operatione naturæ* (2), vel utrum *moveat alias causas* (3), vel utrum sit *causa operandi omnibus operantibus* (4). Quibus omnibus in locis doctrina continetur, quam exprimit sequens

(1) 1 p. quæst. 105, art. 5.
(2) *De potent.* quæst. 3, art. 7.
(3) 1 p. quæst. 105, art. 1, 2, 3, 4; 1.ª 2.æ quæst. 9, art. 6, quæst. 79, quæst. 109, etc.
(4) 3 *Contr. Gent.* cap. 67.

S. S. Thom. Deus quinque modis operatur in causis creatis.

313. PROPOSITIO. **Quinque modis omnino ex mente Angelici Doctoris, operatur Deus in causis secundis: 1.° tribuendo naturalem virtutem operandi 2.° conservando eam: 3.° applicando causas ad agendum: 4.° addendo novam aliquam virtutem, sicut instrumentis accedit nova virtus ex causa principali: 5.° movendo per modum finis.**

primo, dando virtutem;

Probatur exscribendo ipsa sanctissimi Doctoris verba: *Sciendum namque est*, inquit S. Thomas, *quod actionis alicujus rei res alia potest dici causa multipliciter:*

α) *Uno modo, quia* **tribuit ei virtutem operandi**, *sicut dicitur in 8.° Physicorum (text. 23), quod generans movet grave et leve, in quantum dat virtutem, per quam consequitur talis motus. Et hoc modo Deus agit omnes actiones creaturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt, non solum sicut generans virtutem tribuit gravi et levi, et eam ulterius non conservat, sed*

secundo, conservando eam;

β) **Sicut continue tenens virtutem in esse**, *quia est causa virtutis collatæ, non solum quantum ad fieri, sicut generans, sed etiam, quantum ad esse, ut sic possit dici Deus causa actionis, in quantum causat, et conservat virtutem naturalem in esse. Nam etiam alio modo conservans virtutem dicitur facere actionem, sicut dicitur, quod medicinæ conservantes visum faciunt videre (1). Sed quia nulla res per se ipsam movet, et agit, nisi movens non motum;*

tertio, movendo vel applicando.

γ) *Tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius,* **in quantum movet eam ad agendum**: *in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed* **applicatio virtutis ad actionem.** *Sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota, ex quod hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata, cœlum, autem est alterans non alteratum, et tamen non est movens nisi motum, et hoc non cessat, quousque perveniatur ad Deum; sequitur de necessitate, quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens et applicans virtutem ad*

(1) Hunc duplicem modum exponit S. Doctor similiter in 1 p., quæst. 105, art. 5, et art. 3 et 4; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 67. *Adhuc, omnis operatio....*

agendum (1). *Sed ulterius invenimus, secundum ordinem causarum esse ordinem effectuum: quod necesse est propter similitudinem effectus et causæ. Nec causa secunda potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam, quamvis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis causæ, non per formam et virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causæ per motum ejus. Sicut dolabra non est causa rei artificialis per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis, a quo movetur, et eam quodammodo participat. Unde*

quarto, concludit actiones causarum.

3) *Quarto modo unum est causa actionis alterius sicut principale* **agens est causa actionis instrumenti.** *Et hoc modo oportet etiam dicere,* **quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis.** *Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus, quod est ens, et quod est res naturalis, et quod talis est vel talis naturæ. Quorum primum est commune omnibus entibus, secundum omnibus rebus naturalibus, tertium in una specie, et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem, et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cælestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et inferior omnibus aliis effectibus. Et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus: unde etiam dicitur in libro* **de Causis: Intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus divina.** *Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinæ virtutis operantis... Sic ergo oportet virtutem divinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cælestis oportet adesse cuilibet*

(1) Hunc tertium modum operationis tradit etiam S. Doctor in lib. 3.º *Contr. Gent.* cap. 67, *Item*; et 1 p., quæst. 105, art. 5; 1.ª 2.æ quæst. 9, art. 4.

corpori agenti elementari. Sed in hoc differt, quia ubicumque est virtus divina, est essentia divina; non autem essentia corporis cælestis est, ubicumque est sua virtus: et iterum, Deus est sua virtus, non autem corpus cæleste. Et ideo potest dici, quod Deus in qualibet re operatur, in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum; non autem potest proprie dici, quod cælum semper agat in corpore elementari, licet ejus virtute corpus elementare agat (1).

Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, **in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit.** *Et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur, quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ* (2).

4) *Denique Deus in quolibet operante* **operatur... secundum rationem finis:** *cum enim omnis operatio sit propter aliquod bonum, verum vel apparens; nihil autem est, vel apparet bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus: sequitur, quod ipse Deus sit cujuslibet operationis causa et finis* (3).

Quintus modus revocatus ad tertium.

Quintus hic modus videtur alibi ab Angelico revocari ad tertium ex suppradictis, nempe ad applicationem. *Applicantur enim,* inquit, *virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum* **vel corporis vel animæ** (nempe per boni appetitionem)...: *et omnis motus voluntatis, quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile et primum volentem* (4).

Certum itaque est, nec negari ullo modo potest, hos quatuor aut quinque modos operationis vel motionis divinæ agnovisse, ac distinxisse S. Thomam; neque alius in

(1) Hunc quartum modum docet S. Thomas præterea in 1 p., quæst. 105, art. 5, *Secundo considerandum est*; et 3.º *Contr. Gent.* c. 67. *Adhuc, in omnibus causis.*

(2) S. Thomas, *de potent.*, quæst. 3, art. 7.

(3) S. Thomas 1 p., quæst. 105, art. 5.

(4) Lib. 3.º *Contr. Gent.* cap. 67, *Item, quidquid applicat virtutem...*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ejus libris reperitur, saltem qui nequeat ad aliquem ex hisce revocari. Videndum nunc restat, num in his contineatur doctrina physicæ prædeterminationis.

ARTICULUS II

Utrum in hisce diversis modis operationis S. Thomas docuerit physicam præmotionem.

314. Accedimus jam ad interpretationem doctrinæ sensusque in verbis Angelici Doctoris contenti; qua in re fervent dissidia inter RR. PP. Prædicatores et Auctores nostros (1), non minus quam circa veritatem oppositarum ipsarum sententiarum. Itaque pacato animo et a studiis partium libero procedendum est, ut puriori oculo vera verborum sententia, quæ ambigua quandoque videri possit, attente considerato contextu variisque hinc inde collatis locis parallelis, eliciatur. Verum quia nemo, opinor, litem movebit de primo, secundo et quinto modo divinæ operationis, tota controversia versatur super aliis duobus modis, de quibus proinde singillatim disputandum est.

PROPOSITIO 1.ª **Modus operationis divinæ in eo consistens, quod Deus causarum secundarum virtutes applicet ad actionem, ex mente Aquinatis non importat physicam prædeterminationem Thomistarum.**

S. Thomas, cum docet Deum applicare causas secundas ad actionem, non intendit physicam prædeterminationem.

Probatur 1.° Eatenus dicendum esset *applicationem* causarum secundarum ad agendum importare physicam præmotionem, quatenus vox illa non aliud apud S. Thomam, in eo saltem loco, significare posset. Atqui potest, et quidem commodissime, aliud significare apud S. Thomam vox illa tum alibi, tum hoc ipso in loco. Ergo...

(1) Si vera sint, quæ supra retulimus de priscis Aquinatis discipulis ac PP. Prædicatoribus, qui physicarum prædeterminationum inimici exstiterunt, dissidium circa mentem D. Thomæ versatur etiam inter ipsos RR. PP. Prædicatores priscos et juniores. Qua de re lege, quæ superius exscripsimus ex P. Georgio Albertino, *In acroases Theolog. scholia*, pag. 40, 51. Vide supra num. 288, pag. 864.

Major certa est, et **probatur Minor 1.°** Nam *applicare* causam aliquam ad actionem, ex modo communi loquendi tum S. Thomæ tum aliorum hominum, idem sonat, atque *adhibere* illam, et constituere in eo situ, statu, et conditione, in qua virtutem suam exserat, exerceatque vel removendo impedimenta, vel approximando agens passo, vel proponendo objectum, etc.: verbo, applicare idem valet, ac apponere conditiones et prærequisita, ut causa aliqua operetur; quæ appositio fit per alias causas secundas, ut passim videmus. Sic medicus *applicat* medicinas ad obtinendam sanitatem: sic *applicatur* ignis ad comburendum; sic angeli virtutes activas et passivas *applicare* possunt ad obtinendum effectum (1); sic denique chimici *applicant* invicem elementa, quæ agendo et reagendo se alterent, mixtumque efficiant. Atqui nulla in hisce omnibus *applicationibus* physica prædeterminatio intervenit. Ergo...

2.° Deinde *applicatio* videtur in quibusdam locis Angelici Doctoris ipsum etiam simultaneum concursum significare, quemadmodum pridem observaverat Eximius Doctor (2). Nam ut explicet, quomodo Deus operetur in rebus, et quomodo actio eadem procedat a Deo et a causa propria creata, interdum non meminit Aquinas nisi *collationem* et *conservationem* virtutis, et *applicationem* ejus ad agendum (3). Atqui nisi sub nomine applicationis comprehendisset etiam ipsam cooperationem Dei per concursum simultaneum, diminute locutus fuisset, nec satis rem declarasset. Ergo credendum est, S. Doctorem ipsum etiam simultaneum concursum nomine *applicationis* quandoque designasse. Ergo iterum habemus applicationem in modo loquendi S. Thomæ posse significare aliud, quam physicam prædeterminationem Thomistarum.

(1) Vide S. Thom., *de potest.*, quæst. 6, art. 1. Cfr. 3.ª *Contr. Gent.* cap. 102.

(2) Vide *de Concursu* lib. 1, cap. 11, num. 4; *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 49, 50. Cfr. Card. Pecci, *Sentenza di S. Tommaso circa l'influsso di Dio*, n. 12, pag. 11. Rom. 1885.

(3) Ita nominatim in 1 p. quæst. 105, art. 5, corp. et ad 3.UM; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 70.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ratio vero, cur *applicatio* extendi haud incongrue possit ad significandum ipsum concursum, desumitur ex similitudine causarum principalium, instrumentis utentium ad aliquod opus: eo enim ipso quod operari talibus instrumentis volunt, non solum eadem *applicant*, sed insuper adjungunt suum influxum ad *operandum* illis, ac proinde eo ipso quod causæ principales applicant instrumenta ad opus, intelliguntur etiam coagere et concurrere cum illis. Cum potissimum applicatio plena et completa, prout a Deo procedere debet, includat etiam simultaneum concursum creaturæ decretum et oblatum; siquidem nunquam causa secunda est prompta et in actu primo proximo constituta ad operandum, nisi adsit præparatus concursus ipse simultaneus, ut mox probabitur.

3.º In prædicto autem loco *de Potentia* (quæst. tertia, art. 7), in quo applicatio expresse distinguitur a concursu simultaneo, videtur S. Doctor *applicationem* virtutis intelligere appositionem conditionum illarum, quibus causa secunda constituitur in actu primo proximo expedita et prompta, ut accedente divino concursu, virtutem suam exerceat actu operando, secundum primum sensum vocis illius modo expositum. Ergo nulla inde probatur prædeterminatio, qualem docent adversarii.

Antecedens probatur 2) exemplo cultelli, quo Angelicus rem declarat. Siquidem applicatio acuminis cultelli revera non est nisi conditio et prærequisitum ad incidendum, sicut approximatio vel applicatio ignis ad combustibile non est nisi conditio ad comburendum.

3) At multo clarius patescit mens Aquinatis ex alio exemplo, quo utitur in alio loco prorsus parallelo ad explicandam hanc eamdem applicationem. Ibi enim, ut probet Deum esse causam operandi omnibus operantibus, hoc inter alia utitur argumento: *Quidquid applicat virtutem activam dicitur esse causa illius actionis.* Artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur esse causa illius actionis, sicut coquus decoctionis, quæ est per ignem. *Sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter et primo a Deo. Applicantur enim virtutes operativæ ad proprias operationes per aliquem motum, vel corporis vel animæ. Primum autem principium utriusque motus est Deus. Est enim primum movens*

omnino immobile, ut supra (lib. 1. cap. 13) *ostensum est. Similiter et omnis actus voluntatis, quo applicantur aliquæ virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile et primum volentem. Omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo et principali agenti* (1). Vides hic aparte 1.º in applicationis exemplum afferri id, quod coquus efficit in igne ad cibos decoquendos. At coquus profecto nihil aliud efficit in igne ad cibos decoquendos nisi illum eis apponere, nempe constituere ignem in eo conditione, in qua virtutem suam naturalem combustivam exerceat, neque ullam aliam efficacitatem igni communicat. 2.º Vides ideo Deum dici auctorem omnis applicationis, quia omnis applicatio virtutis peragitur aliquo motu vel animæ vel corporis, primum autem principium omnis motus est Deus. Et re quidem vera, ubi adest virtus sufficiens, si non sequitur effectus, ideo est, quia deest aliqua conditio vel prærequisitum, ut in igne, v. g., vel cultello. Conditio vero hujusmodi nequit apponi nisi per aliquem motum vel corporis, sive pure localem, ut in igne et cultello, qui motu pure locali approximantur passo, et in statu apto constituuntur ad suam virtutem exserendam, sive etiam per motum alterationis alicujus physicæ, ut in quibusdam agentibus, in quibus virtus activa est quasi sopita, egetque proinde aliqua excitatione et alteratione in se ipsa, ut ad agendum habilitetur; vel denique per aliquem motum animi, ut in agentibus cognoscitivis et appetitivis, in quibus virtus appetitiva nequit actum exercere, nisi præcedat instar conditionis actio intellectus proponens ipsi objectum appetendum, et hoc modo applicans eam ad appetitionem. Et quoniam omnis motus sive corporis, sive animi est a Deo, non solum quia ab ipso virtus est omnis ad hujusmodi motus efficiendos, sed etiam, quia nulla actio fieri potest nisi immediate cooperante ipso, rectissime concludit S. Thomas omnem actionem esse a Deo ut applicante virtutem causarum ad agendum, etiamsi applicatio nihil aliud importet nisi appositionem illarum conditionum et prærequisitorum, sine quibus causæ, utcumque in suo ordine sufficientes ad agendum, virtutem tamen suam exercere non valent.

(1) S. Thom. 3.ª *Contr. Gent.* cap. 67, *Item.*

Probatur propositio 2.ª Physica prædeterminatio, docentibus Thomistis, est motio a solo Deo impressa causis creatis. Atqui applicatio virtutis, de qua loquitur S. Thomas, non est motio solius Dei, quemadmodum evidenter innotescit ex ipso contextu. Ergo applicatio ista non potest exprimere physicam prædeterminationem, prout assertam a Thomistis.

Sane in citato loco tertii libri *Contra Gentes* (1) S. Thomas intendit probare Deum esse causam operandi omnibus operantibus, quia applicat virtutes omnium causarum ad agendum. Probat autem Deum applicare virtutes omnium causarum, quia licet artifices, et proinde causæ secundæ, soleant aliæ aliarum causarum virtutes applicare, tamen omnis *applicatio virtutis ad operandum est* principaliter et primo a Deo, quia nempe omnis applicatio tandem importat motum et actionem aliquam, motus vero et actio omnis, qua causæ secundæ, aliæ aliarum, virtutes applicant, postulant necessario tum virtutem acceptam a Deo tamquam a primo movente et prima causa omnis entitatis creatæ, tum cooperationem ejusdem. Et ideo applicatio omnis tandem *primo et principaliter* in Deum refundenda est. En argumentationem contentam in verbis Angelici. Atqui applicatio, quæ a *solo* Deo est, cujusmodi est physica præmotio, perperam dicitur *primo et principaliter* esse a Deo. Ergo S. Thomas in eo loco non intendit docere physicam Thomistarum præmotionem.

Dices. S. Thomas talem *applicationem* docuit, qualis reperitur in cultello, qui per motum adhibetur ad secandum. Atqui applicatio hæc importat motionem cultello impressam, qua mediante acumen ejus incidat panem vel aliam materiam. Ergo re vera per illum loquendi modum physica prædeterminatio indicatur.

Respondeo 1.º Retorqueo argumentum. Nam S. Thomas talem etiam *applicationem* docuit, qualis reperitur in igne, a coquo ad cibos decoquendos applicato. Atqui hujusmodi igni nulla a coquo imprimitur motio, qua virtus combustiva excitetur ad agendum. Ergo etiamsi in exemplo cultelli

(1) Cap. 67, *Item*.

adesset aliqua umbra physicæ præmotionis, id esset *per accidens* et non ex ratione applicationis virtutis reperta in omnibus generatim causis, sed ex peculiari conditione illius instrumenti. Et eadem retorsio peti potest ex applicationibus, quæ fiunt per motum animi seu intentionaliter, ut per se patet.

Respondeo 2.º Distinguendus est in cultelli applicatione motus localis, quo cultellus, prius dissitus ac separatus, in contactu materiæ secundæ constituitur, et alter motus, quo per impulsum manus moventis incisio ipsa peragitur. Hic secundus motus efficacitatem imprimit cultello, virtutemque incisivam auget, non autem primus, qui aliud non facit nisi constituere causam in statu, in quo exercere virtutem suam possit, complendo prærequisitum, quo prius carebat propter distantiam a materia secunda. Atqui applicatio cultelli peragitur primo illo actu, non vero secundo. Et sane, hic secundus motus non adhibetur nisi per modum concursus causæ principalis cum instrumentali ad complendam virtutem ejusdem. Id quod ex eo evidenter patet, quod applicato ac semel constituto cultello in contactu materiæ dividendæ, non sit necessarius ulterior nisus vel impulsio ipsi a movente impressa, si materia mollis sit, cui secandæ in partes sufficiat acumen cultelli cum nativo suo pondere gravitatis, vel etiam nisi sectio ac divisio materiæ artificiose facienda sit. Hoc ergo signum manifestum est, motum, quo cultellus constituitur in contactu passi, requiri ex titulo propriæ applicationis, alium vero quemcumque ulteriorem motum atque impulsionem superaddi per modum cooperationis ex defectu virtutis sufficientis.

Denique illud etiam addo, ut causa maneat applicata passo, necesse non esse, quod ipsa præcise loco moveatur, sed satis esse, si passum moveatur, causa immota remanente. Perinde enim est, quod ignis admoveatur combustibili, vel quod e converso combustibile admoveatur igni: et idem effectus a sole derivarentur in terram, si hæc staret, et sol circa ipsam volveretur successive calefaciens et illuminans terrena corpora, quam nunc, cum, stante sole, terra in gyrum agitur, objiciens illi superficiem calefaciendam atque illuminandam.

315. PROPOSITIO 2.ª **Modus ille operationis divinæ consistens in influxu et virtute transeunter communicata causæ, ut agat, instar virtutis quæ a causa principali derivatur in instrumentum, non importat physicam Thomistarum prædeterminationem.**

S. Thomas, cum doceat, causam primam secundæ communicare transeunter virtutem aliquam ad agendum, non intendit physicam prædeterminationem.

Explicatur Aquinatis doctrina.

Modus hic quartus, in quæstione tertia *de Potentia* contentus, quia difficilis prima specie videtur, et prorsus efficax existimatur a Thomistis ad evincendam suam doctrinam, declarandus ante omnia est quam accuratissime ex ipsa Doctoris Angelici mente.

Dicit ergo S. Thomas in prædicto articulo, *esse* non posse virtute propria communicari ab ulla causa creata, propterea quod sit effectus communissimus, ideoque in causam universalissimam et primam refundendus (1). Quoniam ergo causa omnis, dum operatur, *esse* comunicat effectui suo, dicendum est, omnem causam, ad hoc ut agat, præter virtutem ingenitam sibi egere alia virtute divina, qua adjuta et confortata possit *esse* communicare suo effectui. Quare omnis causa creata se habet in omni actione instar instrumenti Dei in communicando *esse*, qui est effectus proprius causæ primæ et universalissimæ. Sicut enim instrumentum facit quidem effectum causæ principalis, non tamen sola sua virtute, sed virtute sibi communicata a causa principali, quæ utitur instrumento; ita etiam causæ secundæ tribuunt *esse* suis effectibus, quatenus agunt in virtute Dei, nempe quatenus ultra connaturalem suam virtutem aliquam aliam accipiunt a causa prima dum operantur.

Et ex hac comparatione instrumenti potest adhuc amplius exponi ex mente Aquinatis quartus hic modus operationis divinæ in causis creatis. Hæc est enim differentia causæ principalis et instrumentalis, quod *principalis versatur in operatione per virtutem suæ formæ, sicut ignis suo calore calefacit* (2); *causa vero instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo movetur a principali agente* (1), et hoc modo participat virtutem causæ principalis, qua concurrere potest ad effectum ejus, quem secus attingere non valeret ob improportionem suæ propriæ virtutis. Et ita nec causa principalis utitur instrumento, quin eidem adjungat, quamdiu durat operatio, virtutem et efficacitatem aliquam, nec instrumentalis vere instrumentaliter causat, quin per hujusmodi virtutem confortetur, et elevetur ad productionem ultioris effectus (2). Unde sequitur 2) causam quidem principalem sibi, instrumentalem vero non sibi, sed causæ principali, assimilare effectum, quia illa per propriam virtutem ac formam, hæc autem solum per virtutem illius operatur (3). Sequitur β) virtutem, qua causa principalis agit, perenniter in ipsa remanere, etiam transacta operatione, quia illam habet ex propria natura; at virtutem, qua causa instrumentalis, prout talis, operatur, esse fluentem ac transeuntem, utpote sibi communicatam pro tempore operationis, ideoque non amplius durat, quam ipsa operatio (4). Quare dici solet a S. Thoma hujusmodi virtus instrumento communicata *ens quoddam incompletum non habens esse fixum in natura, sicut est virtus immutandi visum* (id est virtus speciei sensibilis) *in aere* (quia nimirum species solum sunt in eo, quamdiu durat actio objecti illas immittentis), *et hujusmodi entia consueverunt* **intentiones** *nominari, et habent aliquid simile cum ente quod est in anima* (nempe *intentiones intellectæ*), *quod est ens diminutum* (5).

Hinc clare perspicitur difficultas, quam præ se fert contra negantes præmotionem physicam prædictus modus operationis divinæ, prorsus necessarius, ut creatura efficere quidpiam

et aperitur difficultas, quam præ se fert prædictus

(1) Vide S. Thomam tum hic, tum in quæstione 8 1.ª p., art. 1.°; et quæst. 45, art. 5 ad 1.um

(2) S. Thomas, 3 p., quæst. 62, art. 1 corp.

(1) S. Thom. loc. sup. cit.

(2) S. Thom., *de potent.* quæst. 6, artic. 3 fin. corp.; et art. 4 fin.; *Contr. Gent.* lib. 3, c. 103, fin.; 4.° dist. 1, quæst. 1, artic. 4, solut. 2; *de verit.* quæst. 26, art. 1, ad 8.um; *de unione Verbi*, art. 5, ad 1.um (inter *Quæst. disputatas*).

(3) 4.ª dist. 1, quæst. 1, art. 4, solut. 4; 3 p. quæst. 62, art. 1.

(4) 3 p. quæst 62, art. 4; 4.° dist. 1, quæst. 1, art. 4, solut. 2.° et 4.°; *de potent.* quæst. 6, art. 4 fin.; *de verit.* quæst. 27, art. 4, ad 4.um

(5) 4.ª dist. 1, quæst. 1, art. 4, sol. 1. Cfr. de *Potent.* quæst. 6, art. 4 fin.; *de Verit.* quæst. 27, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modus operandi.

possit. Nam, docente Aquinate, *duplex agnoscenda est in causis creatis virtus agendi, altera naturalis, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata; et inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura, altera vero, quæ fit a Deo, ut creatura actualiter agat, quæque est ut intentio sola habens esse quodam incompletum, per modum quo colores sunt in aere et virtus artis in instrumento artificis.* Quia *sicut... securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis* (id est vis agendi) *esset in ea quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis, qua agit ad esse tamquam instrumentum primæ causæ, quin eo ipso fieret universale essendi principium... Unde sicut patet, quod instrumento artificis conferri non potuit, quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione divina* (1). Quamobrem videtur hic aperte agnovisse S. Thomas necessitatem alicujus novæ virtutis, quæ a Deo imprimatur causæ creatæ ad actu agendum, physicæ nempe alicujus præmotionis. Et sic revera censuit aliquando Suarez (2), itemque Card. Toletus (3), Conimbricenses (4) et Molina, aliquam in hisce verbis præviam motionem necessariam exprimi; illud etiam addidit Eximus Doctor in predictis locis, eam doctrinam tacite retractasse videri S. Thomam in aliis operibus, in quibus nulla talis mentio motionis occurrit; quam assertionem acriter reprehendit Magister Goudinus (5) aliique.

se solvitur.

Nihilominus existimo, in eo loco physicam prædeterminationem nullatenus doceri a S. Thoma.

Prob. 1. Influxus ille transeunter communicatus a Deo causis secundis, ex mente Angelici, evidenter est virtus nova

(1) S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 7, ad 7.um Cfr. ibid. in corpore.

(2) *Metaphys.* disp. 21, sect. 2, n. 52; lib. 1 *de Concursu*, cap. 11, n. 6; et *de vera intellig. auxilii efficacis*, cap. 40.

(3) In 1.am p. quæst 8, art. post 2.am conclus., et quæst. 14, art. 13, *quæstio 2.ª*

(4) *Physicor.* lib. 2, cap. 7, q. 13, art. 1.

(5) Loc. cit. art. 4, paragr. VII.

activa, qua illæ indigent præcise ob insufficientiam virtutis suæ ad hoc, ut *possint* operari effectum, qui alias superaret vires suas. Atqui præmotio physica, ipsismet Thomistis communissime docentibus, ut jam monuimus in præmissa superius physicæ prædeterminationis descriptione, non est motio «dans activitatem, sed activitatis applicationem ad effectum» (1), vel «complementum et applicatio ad agendum *non per modum virtutis in actu primo*, sicut dantur habitus, sed *per modum ultimæ determinationis et applicationis actus primi ad secundum*» (2); et ideo dicitur dari, non ut creatura constituatur *potens agere*, sed ut constituatur *actu profundens actionem* (3). Ergo S. Thomas in eo loco certe non docet physicam prædeterminationem, qualem Thomistæ nobis describunt.

Minor continet ipsam adversariorum doctrinam; **Major** vero eruitur ex omnibus fere sententiis Aquinatis in illo articulo. Nam α) quia *nec causa secunda potest in effectum causæ primæ* per propriam virtutem, inquit Angelicus, *quamvis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus; instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis causæ, non per formam vel virtutem propriam*, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causæ, per motum ejus, *sicut dolabra non est causa rei artificialis per formam vel* virtutem propriam, sed per virtutem artificis, a quo movetur, et eam quodammodo participat; ideo *Deus est causa omnis actionis rei naturalis, sicut principale agens est causa actionis instrumenti* (4). Hic verba ipsa et exemplum instrumenti manifeste demonstrant sermonem esse de aliqua virtute operativa, quæ accedere debeat ad nativam virtutem et formam causarum instrumentalium, ut effectus causæ principalis possit attingere.

β) Pergit S. Doctor: *Ipsum... esse est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo* soli Deo

(1) Verba sunt Joann. a S. Thoma, *Physicor.* quæst. 25, art. 2, *Dico 3.ª*

(2) Joann. a S. Thoma, ibid., *Tertia sententia*; et art. 3, in solut. primi argumenti.

(3) Goudin, loc. cit., art. 4, paragr. VIII, *Prob. 2.ª*, et *Probatur tandem ultimo...*

(4) De *potent.* quæst. 3, art. 7, corp.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

competit secundum virtutem propriam talis effectus, *et consequenter nec aliquid agit ad esse nisi* per virtutem Dei. Et quoniam omne operans agit ad aliquod *esse*, sequitur, quod non possit operari nisi per aliquam virtutem, quam a Deo participet, tamquam instrumentum quoddam Dei (1).

γ) Et quasi hæc non forent satis per se perspicua, concludit: *Sic ergo oportet* virtutem divinam adesse cuilibet rei agenti, *sicut* virtutem corporis cœlestis oportet adesse cuilibet corpori elementali agenti.... *Et ideo potest dici, quod Deus in qualibet re operatur*, in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum (2). Quod vero hic agat non de virtute nativa et perenni, quam non nisi a Deo datam et conservatam habere quidpiam potest, sed de virtute alia nova et transeunter a Deo communicata; patet, quia hujusmodi virtus communicatur in illo quarto operationis divinæ modo, qui differt a collatione et conservatione virtutis naturalis in causis secundis.

δ) Simili modo in eodem articulo in responsione ad 1.um, 5.um, 6.um et 7.um duplex hujusmodi virtus agendi in causis secundis aperte distinguitur. Quæ cum ita sint, ne umbram quidem dubitationis superesse censeo de veritate majoris propositionis, quæ probanda erat.

Probatur 2.° Quartus ille operandi modus per virtutem transeunter communicatam causæ secundæ omnino videtur exprimere ipsum simultaneum concursum divinum. Atqui physica Thomistarum præmotio, non est ipse simultaneus Dei concursus, sed aliquid prævium. Ergo....

Minor, constat ex ipsa Thomistarum doctrina. «Non solum admitti debet, inquit R. P. Goudinus, divinus quidem influxus in causas secundas, quæ ad *agendum moveantur, ac applicentur*, quique, ut infra dicetur amplius, *est ipsissima præmotio: sed adhuc præter ipsum necessarius est alius, quo Deus tamquam prima causa immediate influit in effectum, ipsum attingendo sub altiori quadam formalitate soli primæ causæ correspondenti*, dum agens creatum illum attingit sub inferiori formalitate sibi propria, *et hic influxus est concursus simultaneus*. Quamquam autem hi duo influxus communiter comprehendi

(1) Ibid.
(2) Ibid.

soleant ab auctoribus præcipue antiquis (?) sub communi vocabulo concursus et influxus; *attamen re ipsa distincti sunt ac diversi*, tum quia prævius recipitur in causa secunda, quam applicat ad agendum, *simultaneus vero in effectu, quem producit, seu potius in subjecto, in quo talis effectus producitur.*» (1).

Major ergo probatur 2) argumento ad hominem ex ipso P. Goudino. Dicit enim Reverendissimus scriptor verbis modo relatis, concursum simultaneum, diversum a physica præmotione, esse illum, «quo Deus tamquam prima causa immediate influit in effectum, *ipsum attingendo sub altiori quadam formalitate soli causæ primæ correspondenti.*» Et mox explicans formalitates, quæ ab inferioribus agentibus nequeant respici, duas enumerat, materiam compositorum corporeorum, quæ a solo Deo immediate creatur, et «præterea *esse* absolute ac simpliciter sumptum», quod «in omnibus rebus est immediate a divino concursu. Ut enim, inquit, profunde advertit D. Thomas (1 p., quæst. 45, art. 5 ad 1.um), causæ creatæ non producunt *esse* absolute, sed solum ipsum applicant ad hoc subjectum. Unde *esse* omnium rerum, ut productum absolute, soli concursui divino correspondet; ut vero applicatum tali subjecto, correspondet virtuti agentium creatorum, a Deo tamen motorum. Et ideo solus Deus est immediate causa, cur res ab ipsis productæ *talitèr esse* participent» (2). Atqui præcise hanc reddit S. Thomas in prædicto loco rationem, cur Deus illo quarto modo debeat operari, quia nempe *esse* est effectus proprius Dei, quem causa creata per suam nativam virtutem nequit attingere, ideoque indiget ulteriori virtute transeunter communicata sibi a causa prima, ut possit esse tribuere effectui. Ergo ex ipsa doctrina R. P. Antonii Goudini S. Thomas in ullo modo operandi, de quo in hac propositione disputamus, nullatenus docuit physicam prædeterminationem.

Dicea, S. Thomas postquam dixisset virtutem causæ superioris esse *immediatiorem effectui, quam virtus causæ inferioris, nam virtus inferior non conjungitur effectui, nisi per*

(1) Goudin. op. et loc. cit. artic. 2, paragr. *Respondeo concursum...* Cfr. Joann. a S. Thoma, loc. cit. art. 2, *Dico secundo*.
(2) Goudin. loc. cit. art. 2.

virtutem superioris, sic concludit: *Unde dicitur in libro* de Causis, *quod virtus causæ primæ prius agit in causatum*. Atqui concursus divinus simultaneus non *prius* agit, sed *simul* cum influxu causæ secundæ. Ergo in eo loco S. Doctor non loquitur de simultaneo concursu.

Respondeo. Quod causa prima prius agat in causatum, quam secunda, verificatur in sensu proprio et stricto ratione creationis, quæ necessario præcedere debet quamcumque actionem causæ secundæ, siquidem hæc agere non valet nisi ex præsupposita materia, quæ prius creata fuit a Deo: quare in quolibet effectu causæ secundæ semper est aliquid prius causatum a Deo solo, nempe subjectum seu materia. Deinde, si sermo sit de ipsa virtute, in qua causa secunda operatur, seu quæ communicanda illi est, ut possit operari, ea licet non attingat causatum seu effectum causæ secundæ prius, quatenus ipsa sola aliquid efficiat, et mox sequatur actio creaturæ, potest tamen recte dici prior, nempe prioritate nobilitatis, necessitatis, universalitatis (1).

3) Modus operationis, de quo loquitur S. Thomas, comparatur modo operandi causæ principalis cum instrumento, præsupposita hujus applicatione ad passum. Atqui operatio causæ principalis succedens applicationi instrumenti alia non est nisi cooperatio cum eodem ad unam eamdemque actionem et effectum, nempe simultaneus concursus. Ergo iterum in prædicto loco aliud non intendit Aquinas præter simultaneum concursum.

Prob. 3.° Virtus illa divina, per quam Deus eo modo quarto operatur, quæ *cuilibet agenti adesse debet, qua quælibet res indiget ad agendum, in qua omnis alia virtus agit, sicut instrumentum non agit, nisi quatenus participat virtutem causæ principalis*, ut modis loquendi utamur Angelici Doctoris, non est ex ejusdem doctrina, nisi ipsissima virtus increata Dei immediate operans cum creatura, minime vero forma vel virtus vel qualitas ulla creata causæ secundæ impressa. Atqui præmotio physica est forma vel entitas aliqua creata, et in causa secunda tamquam accidens ejusdem recepta. Ergo in eo loco S. Doctor

(1) Vide supra, pag. 902.

ne cogitavit quidem de physica Thomistarum prædeterminatione.

Minor constat ex adversariorum sententia. **Major vero** probatur. Nam S. Thomas virtutem illam, per quam hoc quarto modo causat operationes causarum secundarum non solum comparat virtuti causæ principalis, in qua instrumentum agit motum ab illa, sed etiam virtuti corporum cœlestium, qua corpora elementaria complentur, et fœcundantur ad certos edendos effectus, secundum communem antiquorum doctrinam de cœlorum influxibus in corpora terrena. Duplex tamen inter utramque virtutem statuit discrimen: alterum, quod ubicumque est virtus divina, adest divina essentia; alterum, quod virtus divina est ipsemet Deus. En Aquinatis verba: *Sic ergo oportet virtutem divinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cœlestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt, quia* ubicumque est virtus divina, **est essentia divina**, *non autem essentia corporis cœlestis est, ubicumque est sua virtus. Et iterum* **Deus est sua virtus**, *non autem corpus cœleste. Et ideo potest dici, quod Deus in quolibet re operatur, in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum, non autem potest proprie dici, quod cœlum semper agat in corpore elementari, licet ejus virtute corpus elementare agat. Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat eam actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse; sequetur, quod ipse in quolibet operante immediate operetur* (immediatione nimirum perfectissima supposita et virtutis), *non exclusa operatione voluntatis et naturæ* (1). Quæ verba, quia per se nimis perspicua fulgent evidentia, commentariis non egent.

Hinc S. Doctor non semel concludit ex operatione divina in omnibus existentiam Dei per essentiam, præsentiam et potentiam.

(1) S. Thom. *de Potent.* quæst. 3, art. 7. Cfr. ibid., ad 2.um collat. cum argumento 2.°

Similiter loquitur alibi: *Operatio reducitur sicut in principium in duo, in ipsum agentem et in virtutem agentis, qua mediante exit operatio ab agente. Quanto autem agens est magis proximum et immediatum, tanto virtus ejus est mediata* (forte immediata), *et prima agentis virtus est immediatissima. Quod sic patet in terminis. Sint A, B, C tres causæ ordinatæ ita, quod C sit ultima, quæ exercet operationem. Constat tum, quod C exercet operationem per virtutem suam; et quod per virtutem suam hoc possit, hoc est per virtutem B, et ulterius per virtutem A. Unde si quæratur, quare C operatur, respondetur, per virtutem suam; et quare per virtutem suam, propter virtutem B; et sic quoadusque reducatur in virtutem causæ primæ, in quam docet Philosophus quæstiones resolvere in Posterioribus* (1) *et in secundo Physicorum* (2). *Et ita patet, quod, cum Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus. Sed quia* ipsemet est sua virtus, *ideo non tantum est immediatum principium operationis in omnibus, sed* immediate in omnibus operans, *quod in aliis causis non contingit, quamvis singulæ res operationes habeant, quibus producunt suos effectus* (3).

Et alibi: *Ex parte... Dei non invenitur diversitas in re* (nempe in essendo per essentiam, præsentiam et potentiam), *sed ratione tantum, secundum quod distinguitur in ipso essentia, virtus et operatio. Essentia autem ejus, cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura, nisi in quantum applicatur sibi per operationem, et secundum hoc quod operatur in re, dicitur esse in re per præsentiam, secundum quod aportet operans operato aliquo modo præsens esse. Et quia operatio non deserit virtutem divinam, a qua exit, ideo dicitur esse in re per potentiam. Et quia* virtus ipsa est essentia, *ideo consequitur, ut in re etiam* per essentiam sit (4).

316. **Dices 1.°** S. Thomas in eodem articulo septimo quæstionis tertiæ *de Potentia*, in responsione ad septimum sic habet: *Virtus naturalis, quæ est robur naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum...*

(1) Lib. 2, text. 22.
(2) Text. 38.
(3) S. Thom. 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 1, ad 4.um
(4) S. Thom. 1.ª dist. 37, q. 1, a. 2 corp.

Hic manifeste sermo est de illa virtute, quam causa secunda accipit a Deo, ut agat. Atqui ea exprimitur per hæc verba: *id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat.* Ergo non potest id esse ipsa virtus increata Dei. Confirmatur, quia, ut refert Joannes a S. Thoma, Angelicus dicit (1) *a Deo movente in anima aliquid fieri per modum motus, licet non per modum qualitatis, ad volendum vel agendum.*

Respondeo, verba hæc non posse sumi in toto suo rigore de virtute aliqua impressa causæ, ut ad agendum permoveatur, nisi dicamus S. Doctorem hic evertere id ipsum, quod in corpore articuli statuerat. Ac proinde vel intelligenda sunt in sensu formali, pro ipsa operatione creaturæ procedente ab utraque virtute, increata Dei et creata causæ secundæ; vel dicendum, illa verba in sensu quodam morali exprimere duntaxat conjunctionem virtutis increatæ et creatæ transeuntes factam, ut actio sequatur; licet illa conjunctio nihil physicum ponat in creatura.

Ad confirmationem dico, verba illa, quæ Magister Joannes a S. Thoma refert, ut refutet interpretationem Suarezianam de retractata ab Aquinate doctrina, in citato loco non reperiri, sed hæc alia: *Dupliciter ex gratuita Dei voluntate bono adjuvatur: uno modo, in quantum anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ, actus enim moventis in moto est motus, ut dicitur in 3.° Physicarum* (tex. 18). Ubi vides, sermonem esse de auxilio supernaturali gratiæ excitantis, quod, consentientibus omnibus catholicis, est donum physicum et physice inhærens intellectui vel voluntati. Qua ergo fide citantur hæc verba, quasi de virtute, per quam Deus cum creaturis ex generali titulo causæ primæ cooperatur, loquerentur?

Dices 2.° Per hunc operandi modum Deus dicitur operari in natura. Atqui, si *operatur in natura*, aliquid efficit in ea.

(1) In 1, 2.æ, quæst. 110. art. 2.

Respondeo, *dist. Maj.* Per hunc modum loquendi Deus dicitur *operari in natura*, id est intime præsens existens in illa immediatione tum suppositi tum etiam virtutis, *conc.*; dicitur operari in natura, quatenus ipsi causæ formam aliquam vel virtutem imprimat, *nego*.

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Sensus illorum verborum eruitur ex ipso S. Thoma in corpore articuli. Nam *ubicumque est virtus divina*, inquit, *est essentia divina, non autem essentia corporis cœlestis est, ubicumque est sua virtus. Et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste. Et ideo potest dici, quod* in qualibet re operatur, *in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum; non autem potest proprie dici, quod cœlum semper agat in corpora elementari, licet ejus virtute corpus elementare agat* (1). Jam vero si per *operari in natura* vel *in qualibet re operante*, significaret prævium aliquam virtutem vel formam eidem imprimere, non recte negaretur cœleste corpus operari in elementari, siquidem re vera ex antiquorum doctrina efficacitas aliqua existit in sublunaribus corporibus ex cœlorum influentia. Ergo si ad hoc, quod Deus *operari in qualibet re* dicatur, requirit Angelicus, quod ubi est virtus divina, in qua *res omnes* operantur, adsit etiam essentia divina, et quod Deus sit sua virtus, signum est, quod Deum operari *in natura vel qualibet re*, ex mente Aquinatis, idem valeat, ac Deum intime presentem immediatione suppositi atque virtutis increatæ operationes cujuslibet rei efficere, vel in omni operatione causæ creatæ operari (2).

Adde, quod, ut nuper notabamus, S. Thomas, ex eo quod Deus est sua virtus, concludit ipsum esse *non tantum... principium operationis in omnibus, sed immediate in omnibus operans, quod in aliis causis non contingit* (3). Atqui si Deus virtutem aliquam creatam imprimeret in causis, quibus cooperatur, et eo sensu diceretur operari in natura, esset principium operationis et immediate operans in omnibus modo simili, quo aliæ causæ cum instrumentis operantur. Ergo...

(1) *De potent.* quæst. 3, art. 7, corp. prop. fin.
(2) Cfr. S. Thom., ibid., ad 2.um, præ oculis habito argumento 2.°
(3) 1.ª dist. 37, quæst. 1, art. 1, ad 4.um

Dices 3.° S. Thomas in toto articulo et alibi comparat Deum cum causis principalibus, creaturas vero cum instrumentis. Atqui aliunde docet instrumenta in se ipsis recipere debere por motum causæ principalis virtutem aliquam, in qua agat. Ergo etiam Deus virtutem aliquam imprimere debet omnibus causis secundis. Ad rem Angelicus: *Instrumentum adhibetur propter convenientiam ejus cum causato, ut sit medium inter causam primam et causatum, et attingat utrumque, et sic influentia primi perveniat ad causatum per instrumentum. Unde oportet, quod sit aliquid recipiens primo influentiam in eo, quod per instrumentum causatur* (1).

Respondeo, *dist.* Maj. Et comparatio est exacta in omnibus, *neg.*; in quibusdam, *conc.*

Et *transmissa* Minore, neg. conseq. Solutio est ipsius S. Thomæ: *Dicendum, quod operatio virtutis naturalis ad Deum et corporis elementaris ad corpus cœleste* (idem dicatur generatim de instrumento relate ad causam principalem) *sunt quantum ad aliquid similes, non autem quantum ad omnia*. (2). Ut autem ipse S. Doctor declaraverat, sunt similes, quia sicut corpus elementare nequit agere sine virtute corporis cœlestis, ita nec causa creata nisi in virtute Dei; sunt vero dissimiles, quia ubicumque est virtus divina, ibi est esentia etiam divina, et virtus divina est ipse Deus, quorum neutrum contingit in aliis causis.

Illud quoque notandum est, non omne instrumentum debere prius in se recipere motionem, qua agat in operationem causæ principalis, ut manifestum est in naturalibus instrumentis. Nemo enim dixerit, calorem naturalem, qui est instrumentum ad concoquendos cibos, debere motionem in se prius recipere ab anima, ut officium illud exsequatur. Denique virtus divina, in qua causæ secundæ dicuntur agere ceu instrumenta causæ primæ, est ipsa Dei essentia. Atqui absurdum est essentiam Dei recipi in causa secunda tamquam in subjecto.

Dices 4.° S. Thomas docet, *quod in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura, sed ipsa*

(1) 2.° *Contr. Gent.* cap. 21, *Item*.
(2) *De potent.* quæst. 3, art. 7, ad 2.um

naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ: sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis (1). Ubi aperte distinguitur operatio aliqua solius Dei ad movendam naturam. Ergo hæc operatio aliquid virtutis creatæ imprimat naturæ, necesse est.

Respondeo, illam operationem Dei solius, in qua natura non operatur, commode intelligi posse *volitionem Dei*, decernentis applicare omnipotentiam suam ad efficiendam causæ secundæ operationem: quæ volitio cum sit immanens Deo, immo ipsa divina substantia, rectissime dicitur esse solius Dei. Ita videtur locus sine ulla violentia explicari, si potissimum ratio habeatur doctrinæ S. Thomæ tum in corpore articuli, ut vidimus, tum etiam in responsione ad 9.um (2). Et hæc interpretatio est etiam omnino ad mentem Capreoli, sic respondentis ad argumentum Durandi prorsus simile illi argumento, ad quod Aquinas in verbis objectis respondebat: «Effectus, inquit, qui immediate procedit a Deo et immediate a creatura, *procedit unica actione exteriori Dei et creaturæ*, sed procedit duplici actione sic, quod *præter exteriorem actionem communem primæ causæ et secundæ, Deus agit immanente actione, quæ est divina substantia cum respectu ad creaturam*». Et paulo inferius: «Non ponimus, quod actio exterior *primæ causæ sit alia* ab actione causæ secundæ, sed quia *actio immanens causæ primæ, quæ est suum velle, alia est ab actione exteriori causæ secundæ... Et ideo non ponimus ibi duas actiones transeuntes proprie, sed unam immanentem in Deo, et aliam transeuntem a causa secunda in effectum*» (3).

Doctrina ultimi argumenti, quo propositionem hanc secundam probavi, est etiam Suarezii, cujus me non parum auctoritas recreat, et confirmat: eoque magis quia priusquam eam interpretationem in Eximio Doctore legerem,

(1) S. Thom., *de Potent.*, 3, art. 7, ad 3.um

(2) *Sicut actio naturæ præcedit actionem voluntatis vocatæ, ratione cujus in operibus artis, quæ a voluntate sunt, naturæ operatione indiget, ita voluntas Dei, quæ origo est omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ; unde et ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur.*

(3) Capreol. in lib. 2.° dist. 1, quæst. 2, art. 3, *Ad argumenta Durandi, Ad 1.um*

attenta lectio articuli S. Thomæ in eamdem me cum illo pertraxit conclusionem. Licet enim Suarez prius in aliis locis, ut supra notabamus, dixisset, Aquinatem sententiam, quam in quarto illo modo divinæ operationis exposuerat, in aliis scriptis retractasse; at postea, re maturius perpensa, mentem Angelici Doctoris egregie declaravit, ostendens virtutem illam divinam, in qua causæ secundæ dicuntur agere, sicut instrumenta in virtute causæ principalis, esse ipsam increatam virtutem Dei (1). Et postquam hæc inde ab aliquot annis scripta haberem, video eamdem interpretationem Aquinatis a quibusdam aliis clarissimis scriptoribus innui.

Dices 5.° S. Thomas, cum in prædicto articulo docet Deum operari *in* natura, intelligendus est non ita, ut particula hæc significet præsentiam intimam in causa operante, sed subjectum, in quo Deus operatur prævis, ut ipsum deinde ponat suam actionem. Nam α) S. Doctor scribit hanc operationem esse motionem et applicationem ipsius causæ secundæ ad agendum. Atqui ejusmodi motio recipitur in ipsa causa secunda tamquam in subjecto. β) Confirmatur, quia ibidem in respons. ad 7.um participatio ista divinæ virtutis sic describitur: *Id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis*. Quæ profecto manifeste indigitant aliquid in ipsa causa secunda effectum ut in subjecto, ipsam elevans, ut operetur. γ) Tandem in fine articuli S. Doctor diserte meminit intimam præsentiam Dei in causa secunda

(1) Vide Suar., lib. 3 *de Gratia*, cap. 38, n. 11, et num. 18 seqq.

Cum hæc fuerit sententia Doctoris Eximii in ultimis suis scriptis circa mentem Aquinatis in celebri illo loco articuli septimi quæstionis tertiæ, optandum sane fuisset, ut qui primam illam Suarezii junioris opinionem de retractata a S. Thoma tacite doctrina non sine stomacho commemoraverant, scriterque confutarant, ejusdem Suarezii senioris sententiam non dissimularent. Sic nempe innotuisset omnibus animus tanti Doctoris modestus, sincerus ac veritatis studiosus. Et sic etiam ipsa æquitas postulabat; quando enim quis opinionem aliquam abjicit, ut aliam amplectatur, nequit cum veritate dici absolute primam tenuisse doctrinam, nisi notetur illius retractatio. Secus possemus S. Augustinum recensere inter Manichæos, quia hæresim illam quandoque professus fuerat.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

operante, tamquam aliquid distinctum ab hoc, quod est operari *in* natura, quemadmodum ostendunt verba, quibus clauditur articulus. Ergo particula *in* interpretanda est de subjecto, in quo prævium aliquid Deus efficiat (1).

Respondeo, *neg.* assert. **Ad probat.** 2) *nego* Major. Nam S. Doctor postremum hunc modum operandi in creatura distinguit a tribus prioribus, quarum tertia est motio et applicatio. Ergo nisi velimus permiscere omnia, non sunt adducenda in quartum hunc modum, quo Deus operatur in natura, quæ S. Doctor solum dicit de prioribus. Deinde *nego* Minor., quia jam monuimus non semel, et rursus statim fusius declarabimus, motionem et applicationem causæ ad operandum fieri posse absque ulla entitate impressa illi a movente vel applicante. Voluntas movet cæteras potentias ad operandum, docente S. Thoma et omnibus Scholasticis, et nihilominus quid physicæ realitatis imprimit illis voluntas? Intellectus applicat voluntatem ad volendum propositione objecti boni, a quo alliciatur, et tamen nihil agit in ea tamquam in subjecto per hujusmodi applicationem. Donec ergo clarissimus adversarius ostendat, S. Thomam *in hoc loco*, de quo disputamus, aliud significasse, nihil evincit.

Ad probation. 3) similiter *neg.* Minor. Nam verba illa possunt egregie intelligi de influxu simultaneo Dei non recepto prævie in causa secunda, sed immediate terminato ad effectum et actionem ejus. Nam cum eadem actio et effectus creaturæ sit indivisibiliter a Deo, et influxus Dei sit magis essentialis, quam influxus ipsius creaturæ, verissime dici potest per ipsum influxum et cooperationem Dei fieri, ut actualiter creatura agat, nam sine illa impossibile est, ut hæc agat. Sicut etiam accidit in omni causa inadæquata, quæ non potest agere nisi accedente concursu alterius causæ.

Ad probationem γ) dico sufficere lectionem ipsorum verborum, quæ paulo superius exscripsimus, ut appareat nihil in eis contineri, quod requirat operationem Dei in causa secunda tamquam in subjecto receptam.

(1) Cfr. R. P. Dummermuth, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ*, II. cap. 1.um, pag. 42, 43, Parisiis, 1886.

Instabis. Causæ secundæ secundum Aquinatem instrumentis comparantur. Atqui instrumentum non agit in effectum causæ principalis, nisi *in quantum participat aliquid de virtute causæ principalis* per motum ejus, *sicut dolabra*, etc.: quæ sunt verba S. Thomæ.

Respondeo. Jam fuse ostendimus in primo hujus disputationis articulo, in quibus teneat, et in quibus non teneat comparatio secundarum causarum cum instrumentis. Sed quidquid de hoc sit, iterum dico non esse essentiale instrumento, accipere in se tamquam in subjecto prævium motionem causæ principalis; sed id tantum accidit in illis instrumentis, quæ nequeunt aliter concurrere ad actionem et effectum causæ principalis. Phantasma instrumentum esse dicitur communissime intellectus agentis ad producendam speciem intelligibilem; et nihilominus nihil potest recipere in se ab intellectu agente, quo ad talem actionem elevetur, quemadmodum suo loco probavimus (1). Potentiæ animæ et activitates corporeæ dicuntur instrumenta propriarum substantiarum ad actiones earumdem peragendas; nihil tamen recipiunt a sua causa principali: vel ostendant illud adversarii. Ratio porro, cur multa instrumenta generatim artificialia, debeant in se recipere causæ principalis efficacitatem, est tum quia non agunt nisi per motum localem, ut v. gr. calamus, dolabra, etc., tum quia virtus et activitas causæ principalis non potest exseri *immediate* in ipsum effectum faciendum (secus enim nec instrumentum foret ad tale opus absolute necessarium), sed per medium instrumentum, cui proinde *per motum* communicanda est virtus principalis agentis, At nihil ejusmodi accidit in Deo. Deus est intime præsens in omnibus causis quaquaversus illas pervadens, ideoque per increatam virtutem suam agere potest *immediate* conjungendo influxum suum cum influxu causæ secundæ in eamdem indivisibilem actionem et effectum, quin efficacitas virtutis divinæ debeat transire per mediam causam secundam.

317. **Scholion.** Ex his, quæ in hoc articulo disputavimus, jam facile patet, quam acute et accurate distinxerit Angelicus Doctor quatuor illos modos, quibus Deus operatur in

Quam acute S. Thomas docuerit modos, quibus Deus

(1) *Psychelog.* vol. 2.° num. 177, pag. 487 seqq.

operatur in causis creatis.

creaturis: α) dando virtutem naturalem unicuique pro sua specie, β) conservando eam, γ) applicando ad actionem, δ) et per increatam suam virtutem cooperando et supplendo essentialem cujuslibet causæ creatæ imbecillitatem atque impotentiam. Licet enim applicatio virtutis creatæ a Deo facta consummetur, et compleatur per ipsum concursum simultaneum, ideoque in aliis locis S. Doctor solam illam meminerit, utpote quæ continere sub se possit cooperationem ipsam, nihilominus conceptu diversificantur, et re etiam sæpe separantur, saltem in creatis. Coquus enim *applicat* ignem, nec tamen efficit cum ipso combustionem. Et idem dicatur de collatione et conservatione virtutis, siquidem ipsæ causæ creatæ suis effectibus virtutes simul consentaneas cum natura conferunt, quas tamen deinde non ipsæ, sed solus Deus conservat in illis. Ita ergo S. Thomas omnia quæcumque causis creatis ad agendum necessaria sunt attente perpendens, quatuor illa distinxit, quæ si dentur, causæ creatæ agere possunt, et quorum si aliquid desit, agere saltem naturaliter nequeunt.

ARTICULUS III

Utrum ex eo quod S. Thomas doceat omnia moveri a Deo, physica Thomistarum prædeterminatio consequatur.

Antecephalosis hactenus dictorum.

318. Examinavimus in præcedenti aticulo duo illa præcipua capita, in quibus Thomistæ suam doctrinam aperte contineri sibi persuadent, quia nempe Deus, Angelico docente, omnem creatam virtutem applicat ad agendum, omniaque agunt in virtute Dei, non solum quia nativas virtutes ab eodem habuere causæ omnes, sed quia preterea indigent novo influxu causæ primæ, sine quo nulla virtus creata sufficit ad operandum, sicut instrumentum sine causæ principalis influxu ac virtute nequit ad ejus effectum pertingere. Et probavimus, neque ex eo quod omnis virtus creata *applicanda* sit a Deo ad agendum, neque ex eo quod causæ secundæ comparentur ad primam sicut instrumenta ad causam principalem, atque adeo agere nequeant nisi in virtute Dei,

concludi posse physicam præmotionem ex Aquinatis sententia. Restat, ut videamus, num ex eo quod omnia dicantur *moveri* a causa prima ad agendum, inferri debeat adversariorum nostrorum doctrinam.

PROPOSITIO. **Licet sæpissime doceat S. Thomas Deum omnia *movere* ad agendum, non ideo tamen intendit physicam prædeterminationem.**

Licet S. Thomas sæpe doceat Deum movere omnia ad agendum, non intendit physicam prædeterminationem.

Et ratio est, quia quod unum moveat aliud ad agendum, multimodis contingere potest ex doctrina Aquinatis, nec afferri ex eo ullus locus potest, qui peculiarem illum modum motionis exprimat, quem nomine physicæ prædeterminationis designant adversarii. Ergo stat propositio.

Antecedens probatur per partes.

1.° *Movere ad agendum multimodis dicitur*. Sane ex mente S. Thomæ, *movere* sumitur: α) ad significandam motionem pure *objectivam* propriam finis: et sic dicitur voluntas vel appetitus moveri ab objecto suo (1). β) ad significandam motionem moralem per modum imperii, suasionis vel propositionis objecti etiam sine ulla physica impressione in re, quæ moveri dicitur. Ita intellectus movet voluntatem, quatenus ostendit, vel proponit ei bonum, vel consiliatur: et in hoc sensu etiam unus homo alterum vel angelus etiam movere potest, persuadendo, præcipiendo, minitando, etc.: qui modus movendi ab Angelico revocatur ad motionem propriam finis (2). Voluntas vero dicitur cæteras potentias movere imperando illis suos actus (3). γ) *Movere* dicitur ille, qui tribuit formam vel virtutem et inclinationem ad operandum, *sicut dicitur in 8.° Physicorum* (text. 23), *quod generans* movet *grave vel leve, in quantum dat virtutem, per quam*

(1) Vide S. Thomam in 1 p. quæst. 82, art. 2, ad 2.um et 3.um; et art. 4; quæst. 105, art. 1, 4; 1. 2.æ quæst. 9, art. 1; 4, 5, 6; quæst. 10, art. 2; quæst. 80, art. 1; quæst. 100, a. 2; *de Verit.* quæst. 14, art. 1 2; quæst. 22, art. 9; *de Malo*, quæs. 6, art. unic., etc., etc.

(2) 1 p. quæst. 82, art. 4; *de Verit.* quæst. 22, art. 12; 3.° *Contr. Gent.* cap. 47 fin

(3) 1 p. quæst. 82, art. 4; 1. 2.æ quæst. 9, art. 4; quæst. 17, art. 1; *de Verit.* quæst. 14, art. 1; quæst. 22, art. 9, 12; quæst. 24, art. 1 et art. 4, corp. et ad 1.um; lib. 3 *de Anima*, lect. 15.

consequitur talis motus (1); et rationem assignat, quia causa, quæ non est a se, formam ac virtutem operandi accipit ab alia causa, ab eaque proinde principium et inclinationem ad actum. Ac hujusmodi inclinatio, qua res tendunt ad suos fines per inditas sibi formas ac virtutes, dicitur *impressio quædam a primo movente* (2). Et quamdiu durat hujusmodi impressio in natura quavis, tamdiu dici potest moveri; sicut sagitta tamdiu dicitur moveri a sagittante, quamdiu retinet impulsum ab illo receptum. Nam *instrumentum intelligitur* **moveri** *a principali agente, quamdiu retinet virtutem a principali agente impressam. Unde sagitta tamdiu* **movetur a proji-ciente**, *quamdiu manet vis projicientis. Sicut etiam generatum tamdiu* **movetur** *a generante in gravibus et levibus, quamdiu retinet formam sibi traditam a generante. Unde et semen tamdiu intelligitur* **moveri** *ab anima generantis, quamdiu remanet ibi virtus impressa ab anima, licet corporaliter sit divisum* (3). Et in hoc sensu non veretur Angelicus asserere, *quod* **omnia**, *quæ sunt in toto mundo,* **aguntur** *ad aliquid, præter primum agens, quod ita agit, quod nullo modo ab alio agitur... Et ideo non est inconveniens, si angelus agatur, in quantum inclinatio naturalis est sibi indita ab auctore suæ naturæ* (4). Et ita etiam passim docet voluntatem humanam inclinatam et motam esse in bonum generatim et in felicitatem (5).

δ) Præterea *movere* valet apud S. Thomam quandoque idem atque *applicare* (6).

ε) Item *movere* videtur ipsam formalem cooperationem seu simultaneum concursum importare (7), quia non cooperatur nisi addendo causæ creatæ transeunter influxum suæ

(1) *De Potent.* quæst. 3, art 7, corp. Adde ibid. art. 11, ad 3.um; et 1 p. quæst. 105, art. 5; 1. 2, quæst. 6, art. 6; *Contra Gent* lib. 1, cap. 67, *Adhuc; de Verit.* quæst. 22, art. 1; quæst. 24, art 1.

(2) 1 p. quæst. 103, art. 8, corp.; et art. 1 ad 1.um

(3) *De Potent.* quæst. 3, art. 11, ad 5.um

(4) 1 p. q. 60, art. 1, ad 2.um

(5) Ita v. g. 1. 2æ quæst. 9, art. 6, ad 3.um

(6) *De Potent.* quæst. 3, art. 7; 1 p. quæst. 105, art. 5; 3.ª *Contr. Gent.* c. 67, *Item*; et cap. 70.

(7) Vide 1. 2, q. 109, a. 9, ut mox dicetur; et 1 p. q. 105, art. 5, ubi dicitur *Deus* movere applicando formas et virtutes ad operationem: per quod videtur intelligere etiam concursum, ut supra dicebamus.

virtutis increatæ, sicut causæ principales operantur cum instrumentis. Et ratio plana est, quia Deus applicando et conjungendo increatam suam virtutem ad cooperandum virtuti naturali, idem revera præstat, quod causæ principales movendo instrumenta efficiunt in illis, nempe complere nativum atque essentialem defectum virtutis ad effectum producendum. Unde sicut causæ principales cooperantur cum instrumentis movendo illa, et sic movere instrumentum idem sonat, ac agere cum illo, ita Deus cum cooperatur creaturæ, dici potest illam ad operandum movere.

ζ) Denique sæpe *movere* Deus dicitur, quia confert auxilium gratiæ excitantis, quod est vera motio, realis ac physica motio recepta in intellectu vel voluntate, quemadmodum docent Theologi (1). *Deus*, inquit Angelicus, **movet** *voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum* (nempe, ut nuper notabamus, movet ad hujusmodi bonum per *inclinationem naturalem impressam voluntati*); *et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen* **interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam**, ut *infra quæst.* 109 et 112 (2).

Quæ cum ita sint, patet id, quod in prima parte antecedentis dixeramus, vocem *movere* in multiplici sensu apud Angelicum legi. Nunc restat, ut probemus alteram partem ejusdem antecedentis, vocem illam nusquam significare in scriptis Aquinatis physicam Thomistarum præmotionem. Et sic demonstrata manebit propositio.

Probatur ergo secunda pars antecedentis 1.ª in primis nulla ex prædictis sex acceptionibus vocabuli *movere* sonat prædeterminationem illam, ut manifestum est ex hactenus dictis, saltem de quinque prioribus. De sexta vero idem probatur vel ex eo solum, quod prædeterminatio infallibiliter cum effectu connectitur, et quidem ex ipsa interna conditione

(1) Ita passim S. Thomas in 1.ª 2.æ et alibi, ubi sermo est de auxilio gratiæ, ac de ejusdem necessitate ad recte operandum.

(2) S. Thom. 1. 2, q. 9, art. 6, ad 3.um.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac natura talis motionis. At motio gratiæ potest esse pure *sufficiens*, ut loquuntur Theologi, quæ licet *posset*, non tamen de facto habet effectum. Ipsa etiam gratia efficax habet quidem *infallibiliter* effectum, sed non est necesse, ut habeat illum ex interna natura talis gratiæ, quemadmodum et ex Angelico et aliis PP. et rationibus theologicis ostendunt Theologi nostri. At quoniam nobis non licet hanc quæstionem aggredi, utpote quæ superat institutum Philosophiæ, sufficit, ut provocemus adversarios ad producendum in medium aliquem locum S. Thomæ, in quo *vox movere* vel *motio* thomisticam præmotionem importet, nempe qualitatem aliquam causæ secundæ in ordine suo completæ impressam a Deo, ut eam operari actu faciat.

Prob. 2.ª eadem pars antecedentis. Etiamsi loca hæc vel alia similia per vocem *movere* significarent motionem aliquam ipsi causæ vel voluntati impressam ad hoc, ut ageret, non posset exinde illico inferri physica prædeterminatio, sed ad summum præmotio illa indifferens, quam quidam etiam ex nostratibus admiserunt, et superius exclusimus. Ergo frustra laborant Prædeterminantes, ut suum esse Aquinatem evincant.

Prob. antec. α) Quia nullibi reperitur apud S. Thomam indicium ullum motionis, quæ *ex natura sua intrinseca* connexa sit infallibiliter cum actu voluntatis.

β) Quia ipse Angelicus nihil antiquius habuisse videtur, quam ut omnibus persuaderet motionem divinam talem esse, quæ nullum inferat præjudicium libertati. Atqui libertas stare amice non posse videtur cum physica prædeterminatione. Ergo.... *Deus*, inquit Angelicus, *et homines movet et omnia, quæ agunt, ad actiones suas; sed aliter et aliter. Cum enim hujusmodi motus sit quoddam receptum in moto; oportet, quod hoc fiat secundum modum suæ naturæ, id est, rei motæ. Et ideo omnia movet secundum suas naturas. Ea ergo, quorum natura est, ut sint liberæ voluntatis, dominium suarum actionum habentia, movet libere ad operationes suas, sicut creaturas rationales et intellectuales: alia autem non libere, sed secundum modum suæ naturæ* (1). Et alibi: *Deus est prima causa movens*

(1) In epist. 2.am ad *Corinth.* cap. 3. sect. 1.

causas et naturales et voluntarias: et sicut naturalibus causis movendo eas non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus propietatem (1). Item: *In omnibus providentia divina infallibiliter operatur; et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingentes, in quantum Deus omnia movet proportionaliter unumquodque secundum suum modum* (2). Et alio in loco: *Non est contra arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis movet, sicut non est contra naturam, quod Deus in rebus naturalibus operetur: sed tam inclinatio naturalis, quam voluntatis, a Deo est, utraque proveniens secundum conditionem rei, cujus est. Sic enim Deus res movet, secundum quod competit earum naturæ* (3).

Verum necesse est expendere loca præcipua ab adversariis objici solita, ut ostendant S. Thomam, cum docet Deum causas secundas ad agendum movere, physicam omnino prædeterminationem intendere.

319. α) **Hæc est**, inquiunt, **S. Thomæ disertissima doctrina:** *Videmus in corporalibus, quod ad motum* (id est, operationem, ut patet ex contextu) *non solum requiritur ipsa forma, quæ est principium motus vel actionis, sed etiam requiritur motio primi moventis. Primum autem movens in ordine corporalium est corpus cæleste. Unde quantumcumque ignis habeat calorem perfectum, non alteraret nisi per motionem corporis cœlestis. Manifestum est autem, quod sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum movens corporale; ita omnes motus tam corporales, quam spirituales, reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo: quæ quidem motio est secundum suæ providentiæ rationem, non secundum necessitatem*

Loca S. Thomæ in speciem contrariæ: primus

(1) 1 p. quæst. 83, art. 1, ad 3.um.

(2) *De malo*, quæst. 6, ad 3.um Cfr. 1. 2.ª quæst. 109, art. 1 corp.; quæst. 51, art. 4, ad 2.um.

(3) *Compend. Theol.* cap. 129. Cfr. opusc. 2.um *Contra error. Græcor.*, cap. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturæ, sicut motio corporis cœlestis. Sic igitur actio intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo, quantum ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem et formam, per quam agit: alio modo, in quantum ab ipso moveatur *ad agendum. Unaquæque autem forma indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, ultra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam: sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire... Sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem cujuscumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus a Deo* moveatur ad suum actum... (1).

explicatur. Respondeo. In hoc loco S. Thomas, cum dicit nullam creaturam, quantumcumque perfectam, procedere in actum posse, nisi *moveatur* a Deo, significat ipsam cooperationem et concursum simultaneum ejus. Id quod probatur: 1.º) ex parallelismo doctrinæ cum illo quarto modo operandi, de quo luse disputavimus in præcedenti articulo. In utroque enim sermo est de absoluta impotentia cujuslibet creaturæ, utcumque perfectæ et completæ in suo ordine, ad agendum sine virtute et auxilio divino, et in utroque doctrina illustratur, et confirmatur eodem exemplo corporum cœlestium, quorum influxus necessarius dicitur sublunaribus corporibus ad agendum.

2.º) Mentem suam de hac re patefaciendi locus aptissimus erat, cum S. Doctor investigat, *utrum Deus moveat immediate intellectum creatum* (2). Respondet tamen sic: *Sicut in motibus corporalibus movens dicitur, quod dat formam, quæ est principium motus, ita dicitur movere intellectum, quod causat formam, quæ est principium intellectualis operationis, quæ dicitur motus intellectus. Operationis autem intellectus est duplex principium in intelligente: unum scilicet, quod est ipsa virtus*

(1) S. Thom. 1.ª 2.æ quæst. 109, art. 1 corp. Cfr. ibid., ad 1.um et 3.um.

(2) S. Thomas, 1 p. quæst. 105, art. 3.

intellectualis...; aliud autem est... similitudo rei intellectæ in intelligente (species intelligibilis)... *Sic igitur Deus movet intellectum creatum, in quantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem vel superadditam* (in actibus supernaturalibus, nempe auxilium gratiæ), *et in quantum imprimit ei species intelligibiles, et utrumque tenet et conservat in esse* (1).

Simili modo alibi respondet Deum movere voluntatem et per modum finis tamquam objectum summe amabile, et per modum efficientis dando virtutem volendi et imprimendo inclinationem in bonum (2). Et nullam aliam motionem requirit tamquam necessariam. Quomodo ergo in articulo, de quo nunc agimus, sæpe repetit necessitatem alterius adjumenti tum pro intellectu, tum generatim pro omni creata natura, ut moveatur a Deo ad suum actum? Apparens ista contradictio facile explicatur, dicendo motionem, quam in hoc loco requirit, esse ipsum actualem ac simultaneum concursum, motionem vero, de qua S. Doctor in aliis locis agebat, esse præparationem totius virtutis, qua creata causa in ordine suo completa constituitur in actu primo proximo ad operandum.

3.º) Et ita etiam motionem in objecto loco S. Thomæ contentam interpretatur Card. Cajetanus (3).

Jam si sermo est ibi de cooperatione ac simultaneo concursu Dei, ex dictis patet, motionem prædictam non importare physicam Thomistarum prædeterminationem, quandoquidem ostendimus Deum operari et concurrere cum causis secundis, non per virtutem aliquam creatam ipsis impressam de novo, sed applicando et conjungendo naturali virtuti creaturarum increatam virtutem omnipotentiæ suæ.

alius locus S. Thomæ

β) **Instant adversarii.** S. Thomas hæc habet alibi: *Verbum illud Apostoli* (4): **Non est volentis neque currentis**, *non sic est intelligendum, quasi homo non velit, et non curret libero arbitrio, sed quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens, nisi moveatur et juvetur a Deo* (5).

(1) 1 p. quæst. 105, art. 3.
(2) Ibid., art. 4. Cfr. 1.ª 2.æ quæst. 9, art. 6 in corpore et ad 2.um
(3) In 1.ª 2.æ quæst. 109, art. 1.
(4) *Rom.* cap. 9, vers. 16.
(5) S. Thom. 1 p. quæst. 83, art. 1, ad 2.um

exponitur. **Respondeo** primo, locum illum intelligi posse de actibus supernaturalibus et ordinatis ad æternam salutem, in quibus omnes catholici agnoscunt gratiæ necessitatem. Deinde, si sensus extendatur ad omnes actus liberi arbitrii, motionem illam intelligi posse de cooperatione Dei.

tertius locus γ) **Arguunt Thomistæ tertio loco.** *Deus secundum* **virtualem contactum** *tangit quidem* **movendo** *creaturas; sed non tangitur, quia nullius creaturæ virtus naturalis potest ad ipsum pertingere* (1), ut scribit Angelicus. Atqui nisi motionem aliquam causis secundis imprimat, certe non tangit illas virtualiter. Ergo...

declaratur. **Respondeo.** Ex istis verbis nihil elici posse in favorem præmotionis physicæ, constat ex contextu. Inquirit enim ibi S. Doctor, an Deus possit immediate movere aliquod corpus; et objicit sibi in contrarium illam rationem, quod ad movendum corpus requiratur contactus, Deus autem, utpote spiritus, tangere nequeat. Cui difficultati sic respondet: *Dicendum, quod duplex est tactus: scilicet corporalis, sicut duo corpora se tangunt* (2), *et virtualis, sicut dicitur, quod contristans tangit contristatum. Secundum igitur primum contactum Deus, cum sit incorporeus, non tangit, nec tangitur;* **secundum autem virtualem contactum tangit quidem movendo creaturas,** *sed non tangitur, quia nullius creaturæ virtus naturalis potest ad ipsum pertingere:* quæ sunt verba objectionis. Ubi vides non esse sermonem de motione, qua Deus moveat præcise causas ad agendum ex generali titulo concursus, sed universaliter de motione, qua agere in creaturas possit.

quartus locus δ) **Iterum objicitur.** S. Thomas duos modos assignat, secundum quos voluntas a Deo moveri potest, unum tamquam ab objecto, quia nempe est bonum amabile, et alterum tamquam a causa efficiente, inclinando eam, ut mox concludit. **Utroque** *modo proprium est Dei* **movere voluntatem,** *sed maxime* **secundo modo** *interius eam* **inclinando** (3).

(1) 1 p. quæst. 105, art. 2, ad 1.um

(2) Contactus hujusmodi vocari solet quantitativus, cujus discrimen a virtuali fuse describit S. Doctor 2.° *Contr. Gent.* cap. 56. Vide *Cosmolog.* n. 255, pag. 958.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 4.

Atqui hoc est proprium physicæ prædeterminationis, inclinare causas secundas ad actum.

Respondeo. Sufficit legere articulum illum, et alios parallelos partim citatos (1), partim citandos, ut pateat, ibi non agi nisi de inclinatione connaturali in bonum imbibita in ipsa virtute volendi. Et præterea undenam probant adversarii, sermonem hic esse de motione vel inclinatione, quam Deus adhibeat titulo generalis concursus, quotiescumque causæ secundæ operaturæ sunt? non est nobis contrarius.

quintus locus ε) **Insistunt adhuc adversarii.** Alibi sic loquitur S. Thomas: *De ratione voluntarii est, quod principium ejus sit intra, sed non oportet, quod hoc principium intrinsecum sit primum principium non motum ab alio. Unde motus voluntarius etsi habeat principium proximum intrinsecum, tamen principium primum est ab extra* (2). Et: *voluntas... ipsa est, quæ vult, ab alio tamen mota* (3). Ergo videtur Angelicus motionem aliquam præviam agnoscere, qua voluntas ad volendum impellatur.

expenditur. **Respondeo.** Profecto requirit aliquam prævium motionem, qua ab alio moveatur voluntas; non tamen ad omnes actus, sed ad primum. Audi ejus verba: *Eo modo, quo movetur* (voluntas) *quantum ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri. Omne enim, quod quandoque est agens in actu et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet. Necesse est ergo, quod ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem sicut dictum est* (art. præc.) *ipsa movet se ipsam, in quantum per hoc quod vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare, quomodo hoc consequi possit: et per talem cogitationem pervenit ad hoc, quod potest sanari per medium, et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit; necesse est, quod inceperit velle*

(1) V. g. 1 p. quæst. 60, art. 1, ad 2.um; 1. 2.æ, quæst. 9, art. 6, ad 3.um

(2) 1. 2.æ, quæst. 9, art. 4, ad 1.um

(3) Ibid., ad 2.um Cfr. *de Malo*, quæst. 6, art. unic., ad 4.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tanari, ab aliquo moveante. Et si quidem ipsa moveret se ad volendum, oportuisset, quod mediante consilio hoc ageret ex aliqua voluntate præsupposita. Non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis... (1).

Ex hac doctrina, quam alibi etiam repetit (2) Aquinas, plane vides illum motionem Dei moventis agnovisse tamquam necessariam ad *primum motum voluntatis*, non vero ad alios mox subsequentes, quippe qui procedere possunt vel ex consilio rationis, vel ex præviis actibus voluntatis (3). Quamquam et illud addendum est ex alibi probatis (4), hanc ipsam motionem ad primum voluntatis motum haberi posse a Deo sine ulla speciali motione, quam Thomistæ requirunt, per solam naturalem inclinationem divinitus impressam voluntati. Ab aliis id genus locis S. Thomæ adducendis supersedemus, quia nihil novi continent.

ARTICULUS IV

Utrum S. Thomas physicam præmotionem docuerit in causis ac potentiis necessariis.

320. Hactenus negative processimus, ostendendo nihil ex Aquinate afferri posse in favorem physicarum prædeterminationum. Nunc videndum est e converso, num aliquid apud S. Doctorem reperiatur, quod doctrinam illam evertat. Et quoniam uberrima in hac parte argumentorum seges suppetit, primum de potentiis necessariis agemus, deinde de liberis.

(1) 1. 2 quæst. 9, art. 4.

(2) Vide v. g. 1.ª 2.æ quæst. 109, art. 2, ad 1.um; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 89; *de malo*, quæst. 6, corp.

(3) Cfr. Cardin. Cajetan. in 1.am 2.æ, quæst. 9, art. 4; Ferrariens., in librum 3.um *Contr. Gent.* cap 89; Victoria, in 1.am 2.æ quæst. 9, art. 6, apud Schneemann, op. cit. pag. 110; Capreol. 1.ª dist. 45, quæst. 1, vers. fin., *Ad quartum, negatur Minor*, pag. 589, Venetiis 1589; et 2.ª dist. 25, quæst. 1, art. 1.

(4) Vide *Psycholog.* vol. 3.um n. 79, p. 195, 196 seqq.

PROPOSITIO. **S. Thomas nullam agnovit physicam præmotionem in sensu Thomistarum, ut causæ ac potentiæ necessariæ ad agendum impellantur.**

S. Thomas nullam agnovit præmotionem physicam in causis necessariis.

Prob. Nullam in causis necessariis requirit prædeterminationem, qui causas illas ex suis propriis formis naturalibus docet inclinari, et irresistibiliter agi ad suas operationes. Atqui hoc modo sentit Angelicus causas necessarias impelli natura sua ad agendum. Ergo.

Major per se patet.

Minor probatur 2). Et in primis vide, quam differentiam assignet cum Aristotele inter potentias *rationales* seu liberas et potentias *irrationales*, dicens, quod *in potentiis irrationalibus, necesse est, quando passivum* (id est objectum, circa quod agunt) *appropinquat activo, in illa dispositione, qua passivum potest pati, et activum potest agere, necesse est, quod unum patiatur, et alterum agat; ut patet, quum combustibile applicatur igni. In potentiis vero rationalibus, non est necessarium, non enim necesse est, ædificatorem ædificare, quantumcumque sibi materia appropinquaret...* (1).

Verba hæc per se clamant: causæ necessariæ, sufficienter applicatæ, nequeunt non agere. Et ne quis applicationem audiens, thomisticam aliquam præmotionem suspicaretur, exemplum proponitur in appositione combustibilis ad ignem, qui est purus motus localis non necessario recipiendus in ipsa causa agente, nec ex actione solius causæ primæ. At præmotio thomistica a Deo solo causæ secundæ, quæ agere debet, imprimitur.

3) Doctrina est S. Thomæ, naturales rerum inclinationes ad proprios fines et operationes esse *impressionem* quamdam primi moventis rebus inhærentem (2) tamdiu, quamdiu retinent suas virtutes operativas (3): quare prædictæ inclinationes comparantur impressioni, quam sagitta recipit a proficiente,

(1) S. Thom. Lib. 9 *Metaphys.* lect. 4, paragr. 8. Cfr. quæ ibid. sequuntur, et quæ in quæstione 1.ª *de virtutibus* dicuntur de potentiis pure activis ad distinctionem passivarum, et partim activarum, partim passivarum.

(2) 1 p. quæst. 103, art. 1, ad 3.um; art. 8 corp.

(3) *De potent.* quæst. 3, art. 11, ad 5.um

ut scopum attingat (1); et propterea docet causam, quæ rei alicui dat virtutem aliquam naturalem, dici quoque causam actionis illius rei, quæ fit, sicut percussio, quæ fit per sagittam, non tantum dicitur opus sagittæ, sed projicientis (2); quia dans semel virtutem naturalem perenniter manentem et inclinantem ad opus, tamdiu intelligitur movere ad illud, quamdiu virtus hujusmodi perdurat (3). Atqui, si hujusmodi inclinationes dantur a Deo causis necessariis, inutilis prorsus est quævis alia motio et inclinatio ad actum, quæ sit distincta ab ipsa formali operatione causæ secundæ. Ergo...

γ) Alibi sanctus Doctor notat in causis necessariis, supposito quod nullum adsit impedimentum, nihil aliud requiri ad agendum ex parte agentis præter potentiam seu virtutem suam completam (4). Hinc sæpenumero rationem, cur causæ quædam naturales, licet virtute completa et sufficientissima ad agendum instructæ, quandoque non proprios pariant effectus, non aliunde repetit, quam ex impedimento externo, nunquam vero ex defectu alicujus motionis, quæ a sola causa prima provenire debeat (5).

δ) In causis necessaris agentibus simili modo sequitur actio a principio agendi sicut naturalis proprietas sequitur substantiam rei. Atqui ut proprietas in natura aliqua resultet, nulla profecto requiritur præmotio superaddita supra ipsam rei essentiam, unde talis proprietas dimanat. Ergo... (6).

ε) Denique S. Thomas in prima *Summæ theologicæ* parte, quæstione centessima quinta, art. 3, investigat, *utrum Deus*

(1) 1 p. quæst. 103, art. 1, ad 3.um, et art. 8; *de potent.* quæst. 3, art. 11, ad 5.um; *de verit.*, quæst. 5, art. 2, quæst. 22, art. 1.

(2) *De verit.* quæst. 5, art. 2.

(3) *De potent.* quæst. 3, art. 11, ad 5.um

(4) Vide 1.° dist. 45, quæst. 1, art. 3; et 3.° dist. 14, quæst. 1, art. 1, solut. 2, ad 3.um Cfr. *de verit.* quæst. 20, art. 2, ad 6.um

(5) Vide S. Doctorem, in 1 p. quæst. 115, art. 6, 4, 2.m, quæst. 75, art. 1, ad 2.um; lib. 2.° *Contr. Gent.* cap. 23, initio; libr. 3.° cap. 86, *Hanc autem rationem...*; 2.° dist. 15, quæst. 1, art. 2, ad 3.um dist. 36, quæst. 1, a. 1, ad 2.um; *de malo*, quæst. 6, art. unic., ad 15.um et 21.um etc

(6) Vide S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 30 post med.

moveat immediate intellectum creatum, et sic resolvit: *Respondeo dicendum, quod sicut in motibus corporalibus movens dicitur, quod dat formam, quæ est principium motus; ita dicitur movere intellectum, quod causat formam, quæ est principium intellectualis operationis, quæ dicitur motus intellectus. Operationis autem intellectus est duplex principium in intelligente, unum scilicet, quod est ipsa virtus intellectualis, quod quidem principium est in intelligente in potentia; aliud autem est principium intelligendi in actu, scilicet similitudo rei intellectæ in intelligente* (species intelligibilis)... *Sic igitur Deus movet intellectum creatum, in quantum dat ei virtutem ad intelligendum, vel naturalem vel superadditam, et in quantum imprimit species intelligibiles, et utrumque tenet, et conservat in esse*».

Vides hic S. Thomam, dum enumerat modos, secundum quos *immediate* movet Deus intellectum, nullam facere mentionem physicæ præmotionis, quæ tamen ab adversariis immediate a sola causa prima procedere dicitur.

Dices. Sancti Thomæ quoque hæc est sententia: *Agens per necessitatem naturæ... determinatur ad actionem per illud, quod est in natura ejus. Unde impossibile est, quod incipiat agere, nisi per hoc quod educitur de potentia ad actum, vel essentiali vel accidentali* (1). Atqui quod educitur de potentia in actum, mutatur, et aliquem in se accipiat actum, quo prius carebat, necesse est. Ergo omnis causa secunda ex Angelico, ad hoc ut incipiat agere, præmoveri ad operationem debet.

Respondeo, *neg.* consequens, quod minime fluit nisi verba S. Thomæ perperam interpretando. Quia enim *agens... per necessitatem naturæ... determinatur ad actionem per illud, quod est in natura ejus*, plane consequitur, ut ipsemet S. Thomas in locis modo relatis intulit, ubicumque adest causa necessaria, ibi adesse debere *per se* operationem naturæ illius consentaneam. Unde si videamus causam aliquam necessariam incipere certum aliquem effectum edere, quem prius non edebat, id erit, vel quia causa illa non habebat virtutem, saltem completam ac sufficientem, vel quia obstabat

(1) 2.° dist. 1, quæst. 1, art. 5, ad 11.um

aliquod impedimentum. Si primum contingat, causa illa non est omnino in actu constituta, nec in actu constituetur sine aliqua sui mutatione, accipiendo nempe virtutem vel complementum virtutis, quo prius carebat. Et in hac suppositione loquitur S. Doctor in objecto loco, et verissime loquitur; siquidem supposita necessitate naturali agendi juxta suam naturam, et supposito quod nullum adsit impedimentum, si lignum v. g. non calefaciat, non poterit incipere calefacere, nisi mutetur vel substantialiter, nempe si ignescat, velaccidentaliter, nempe si tantum calefiat, in sua natura ligni remanens, et ita non incipit *agere nisi per hoc, quod educitur de potentia ad actum vel essentiali vel accidentali*. Si autem ratio, cur prius non agebat causa, non sit defectus virtutis, sed impedimentum aliquod, nulla indiget sui mutatione realive transitu de potentia in actum, quia re vera jam suponitur constituta in actu, quantum est de se, atque adeo sufficiet impedimentum illud removere, ut illico effectus naturalis consequatur. Enimvero quis sibi persuadeat, magnetem, qui prius non attrahebat ferrum nimis distans, non posse incipere illud attrahere, etiamsi ad justam distantiam sibi admoveatur, quin prius in se physicam mutationem experiatur? vel ignem non posse comburere paleam, quam prius habebat quidem virtutem comburendi, non tamen comburebat, vel quia palea nondum existebat, vel procul aberat, vel madefacta erat, ideoque minus disposita, ut ignis actionem reciperet?

ARTICULUS V

Utrum S. Thomas pro causis liberis physicam praedeterminationem necessariam duxerit.

321. Actus liberi naturalis ordinis, nam de his solis agimus, alii sunt boni, alii mali, et de utrisque singillatim agere placet, ut clarius ac distinctius pateat mens Angelici Doctoris circa liberas causas.

§ I.—AN S. THOMAS DOCEAT DEUM CAUSAS LIBERAS PRÆDETERMINARE AD ACTUS LIBEROS BONOS ORDINIS NATURALIS.

PROPOSITIO 1.ª **S. Thomas nunquam docuit necessariam esse physicam prædeterminationem sive generatim sive pro actionibus bonis naturalis ordinis in causis liberis.**

S. Thomas nunquam docuit physicam praedeterminationem esse necessariam ad actus bonos naturalis ordinis.

Prob. 1.ª negative. Si S. Thomas existimasset necessariam esse physicam prædeterminationem pro causis liberis, tum profecto debuisset illam docere, cum ex professo declarat modum, secundum quem Deus movet agentia libera, et modum, secundum quem indifferentia et indeterminatio eorumdem ad agendum aufertur, et actuatur, ut de facto operentur. Atqui nunquam docuit prædeterminationem, cum hæc ex professo declarare vellet. Ergo...

Major videtur negari non posse, quia tum præcipue se offerebat occasio doctrinam prædeterminationis tradendi; quam proinde si omisisset, cum tamen necessariam existimaret, incomplete minusque accurate mentem suam aperuisse dicendus foret.

Minor ergo probatur per partes.

a) *S. Thomas omisit penitus prædeterminationem, cum inquireret modum, quo Deus* **movet** *agentia libera.*

1.° S. Thomas in prima parte *Summæ Theologicæ* investigat, *utrum Deus possit movere voluntatem creatam;* et hoc modo quæstionem propositam resolvit: *Respondeo dicendum, quod sicut intellectus, ut dictum est* (art. præc.), *movetur ab objecto* (nempe ratione specierum intelligibilium) *et ab eo, qui virtutem dedit intelligendi; ita voluntas movetur ab objecto, quod est bonum, et ab eo, qui causat virtutem volendi. Potest autem voluntas moveri sicut ab objecto a quocumque bono, non autem sufficienter et efficaciter, nisi a Deo... Similiter autem et virtus volendi a Deo causatur. Velle enim nihil aliud est, quam inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod est bonum universale. Inclinare autem in bonum universale est primi moventis, cui proportionatur ultimus finis... Unde utroque modo*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprium est Dei movere voluntatem, sed maxime secundo modo, interius eam inclinando (1).

Alibi hæc habet: *Voluntas, sicut supra dictum est* (1. 2.æ quæst. 9, art. 3, 4, 6), *a duobus moveri potest, uno modo ab objecto, sicut dicitur, quod appetibile apprehensum movet appetitum; alio modo ab eo, qui interius inclinat voluntatem ad volendum, hoc autem non est nisi vel ipsa voluntas, vel Deus, ut supra ostensum est* (2).

Præterea, cum quæsivisset in alio loco S. Doctor, utrum voluntas *moveatur* ab aliquo exteriori principio (3); sic respondet: *Secundum quid voluntas movetur ab objecto, manifestum est, quod moveri potest ab aliquo exteriori. Sed eo modo, quo movetur quantum ad exercitium actus, adhuc necesse est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri. Omne enim, quod quandoque est agens in actu, et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet; necesse est ergo, quod ab aliquo moveatur ad volendum. Et quidem, sicut dictum est (art. præc.), ipsa movet se ipsam in quantum per hoc, quod vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem. Hoc autem non potest facere nisi consilio mediante. Cum enim aliquis vult sanari incipit cogitare, quamodo hoc consequi possit; et per talem cogitationem pervenit ad hoc, quod potest sanari per medicum, et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est, quod inceperit velle sanari ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret se ipsam ad volendum, oportuisset, quod mediante consilio hoc ageret ex aliquia voluntate præsupposita. Non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instincta alicujus exterioris moventis, ut Aristoteles concludit in quodam cap. Ethicæ Eudemicæ* (18. circ. princ.).

Equidem nescio, an unquam melior sese obtulerit occasio Aquinati, immo et necessitas, prædeterminationem tradendi,

(1) 1 p. quæst. 105, art. 4. Cfr. quæst. 111, art. 2.

(2) 1. 2.æ quæst. 80, art. 1. Cfr. 1. p. quæst. 106, art. 2; 1. 2.æ quæst. 9, art. 6, corp. et ad 3.um; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 88; *de Verit.* quæst. 22, art. 8.ª

(3) S. Thom. 1. 2.æ quæst. 9, art. 4. Cfr. etiam, art. 4.

si eam reapse tenuisset, et nihilominus jam vides, quid hic doceat, nempe voluntatem se ipsam movere, consilio proprio mediante; et solum ad *primum motum* voluntatis requiri instinctum vel motionem exterioris agentis, quod in alio articulo ejusdem quæstionis (1) declarat esse solum Deum. Cæterum jam alibi ostendimus, hanc motionem voluntatis ad primum actum fieri a Deo per naturalem inclinationem in bonum universale, impressam voluntati (2).

β) *S. Thomas omisit etiam prædeterminationem, cum loqueretur de indifferentia et indeterminatione causarum liberarum propria*, quam actuari et auferri oporteat, ut actio sequatur. Sane S. Thomas sæpe docet: 1.º voluntatem utcumque ad utrumlibet indifferentem ex sua natura, non egere, ut ab alio determinetur, sed *se ipsam* determinare consilio rationis et appetitu finis: 2.º immo vero ipsam remanere liberam non posse, si ab alio determinaretur. Ergo...

Antecedens probatur productis variis Aquinatis testimoniis. Et quod 1.um attinet, in quæstione tertia *de Malo* hanc sibi solvendam proposuit difficultatem. *Omne, quod se habet ad utrumlibet, indiget aliquo determinante ad hoc, quod exeat in actum. Sed liberum arbitrium hominis ad utrumlibet se habet, scilicet ad bonum et malum. Ergo ad hoc quod exeat in actum peccati, indiget, quod ab aliquo determinetur ad malum* (3). Sic autem respondet. *Ad quintum dicendum, quod voluntas, cum sit ad utrumlibet*, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis. Nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum. Quid clarius?

Et alibi: *Ostendit* (Aristoteles), *quid requiratur ad hoc, quod potentiæ rationales exeant in actum, ex quo non sufficit propinquitas passi, et circa hoc tria facit: primo ostendit, per quid potentia rationalis reducatur in actum, concludens ex dictis, quod cum potentia rationalis se habeat communiter* (indifferenter) *ad duo contraria, et ita cum a causa communi non procedat effectus determinatus, nisi sit aliquid proprium, quod causam communem ad hunc effectum magis determinet, quam*

(1) 1. 2.æ quæst. 9, art. 6.

(2) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 79, pag. 195, seqq.

(3) *De malo*, quæst. 3, art. 3.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE SALAMANCA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ad illum; sequitur, quod necesse est, præter motionem potentiæ rationalis, quæ est communis ad duo contraria, poni aliquid, quod exeat in actum. Hoc autem est appetitus aut proairesis, id est, electio...; quæ pertinet ad rationem (1).

Vides hic iterum nihil extrinsecum assignari, quod indifferentiam potentiæ liberæ determinet, sed solum appetitum finis aut electionem rationis.

Item: *Nihil agit, nisi secundum quod est in actu, et inde est, quod oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem; quod enim ad utrumlibet est æqualiter se habens, est quodammodo potentia respectu utriusque. Et inde est, ut dicit Commentator in 2.° Physicor.* (2), *ab eo, quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur. Determinatio autem agentis, oportet, quod* sit ab aliqua cognitione præstituente finem illi actioni. *Sed* cognitio determinans actionem et præstituens finem in quibusdam quidem conjuncta est, sicut homo præstituit sibi finem: in *quibusdam vero separata est, sicut in his, quæ aguntur per naturam... Et inde est, quod judicium de actione propria est solum in habentibus intellectum,* quasi in potestate ipsorum sit eligere hanc actionem vel illam: unde et dominium sui actus habere dicuntur, *et propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis principiis* (3).

Similia fuse prosequitur in quæstione prima *de Virtutibus* in communi (4).

Et alibi: *Si... agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quam illud. Ad hoc ergo quod determinetur ad aliquid certum, necesse est, quod determinetur ad aliquid fixum, quod habet rationem finis. Hæc autem* determinatio, sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas, *ita in aliis fit per inclinationem naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis,* etc. (5).

(1) Lib. 9 *Metaphys.* lect. 4, paragr. *e*. Cfr. ibid., lib. 6, lect. 2, paragr. *g*; 2.ª *Physicor.*, lect. 8, post initium.

(2) A text. 75 ad 87.

(3) 2.ª dist. 25, quæst. 1, art. 1.

(4) Art. 5.

(5) 1, 2.ª quæst. 1, art. 2 corp.

Hinc S. Thomas docet, voluntatem nostram determinatam quidem esse a Deo seu naturaliter inclinatam respectu finis ultimi vel boni in genere; at respectu bonorum particularium et mediorum ad finem negat voluntatem determinari ab alio, sed se ipsam determinare per consilium rationis et ex appetitu finis.

In voluntate inquit, *oportet invenire non solum id, quod voluntatis est, sed etiam quod naturæ est: hoc autem est cujuslibet naturæ creatæ, ut a Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Unde et voluntati ipsi inest naturalis quidam appetitus sibi convenientis boni. Et præter hoc habet appetere aliquid secundum propriam determinationem, non ex necessitate, quod ei competit, in quantum voluntas est. Sicut autem est ordo naturæ ad voluntatem, ita se habet ordo eorum, quæ naturaliter vult voluntas, ad ea, respectu quorum a se ipsa determinatur, non ex natura. Et ideo sicut natura est voluntatis fundamentum, ita appetibile, quod naturaliter appetitur, est aliorum appetibilium principium et fundamentum. In appetibilibus autem finis est fundamentum et principium eorum, quæ sunt ad finem, cum quæ sunt ad finem, non appetantur nisi ratione finis. Et ideo quod voluntas de necessitate vult quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est finis ultimus, ut beatitudo, et ea quæ in ipso includuntur, ut cognitio veritatis et alia hujusmodi. Ad alia vero non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed* propia dispositione (1).

Præterea: *Esse animæ non est determinatum a se ipsa, sed ab alio: sed* ipsa determinat sibi suum velle. *Et ideo quamvis esse sit immutabile, tamen* velle indeterminatum est, *ac per hoc in diversa flexibile* (2).

Quibus affinia sunt hæc: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed* homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. *Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad*

(1) *De verit.* quæst. 22, art. 5. Cfr. ibid. art. 6, ubi idem repetitur. Cfr. etiam ibid. art. 4.

(2) *De verit.* quæst. 22, art. 6, ad 1.um

aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam (1).

En ergo ex Aquinate Deus non semper, sed *interdum* movet ad aliquid determinate volendum; et exemplum ponit in actibus supernaturalibus.

Item: *Bonum, quod est objectum voluntatis, est in rebus..., et ideo oportet, quod motus voluntatis terminetur ad rem extra animam existentem. Quamvis autem res, prout est in anima, possit considerari secundum rationem communem, prætermissa ratione particulari, res tamen extra animam non potest esse secundum communem rationem nisi cum additione propiæ rationis. Et ideo oportet, quod quantumcumque voluntas ferlur in bonum, feratur in aliquod bonum determinatum. Et similiter, quantumcumque fertur in summum bonum, quod feratur in summum bonum hujus vel illius rationis. Quamvis autem ex* naturali inclinatione voluntas habet, *ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem; tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ, sed* per discrecionem rationis, quæ adinvenit in hoc vel illo summum bonum hominis constare... *Et ideo quandocumque aliquis appetit beatitudinem actualiter, conjungitur ibi naturalis appetitus et appetitus rationalis* (2).

Et paulo ante ita scripserat S. Doctor: *Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quæ ei subsunt, et hæc sunt illa, quæ per ipsam* determinantur, *non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ei ab alio determinata. Et ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur, scilicet* in oppositum finis ultimi; *potest autem in opposita eorum, quæ ipsa sibi determinet, sicut sunt ea, quæ ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet* (3).

Præterea: *Ratio culpæ*, inquit, *in actu deformi est ex hoc, quod procedit ab eo, qui habet dominium sui actus; hoc est autem in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet*

(1) 1, 2.æ quæst. 9, art. 6, ad 3.um

(2) 4.ª dist. 49, quæst. 1, art. 3, solut. 3.

(3) Ibid. quæst. 1, art. 3, solutio 2.ª ad 1.um Cfr. 2.ª dist. 25, quæst. 1, art. 2.

neque ad aliquid eorum determinatur nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati convenit (1).

Et in eadem quæstione: *Ipsa... potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura. Sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum,* non est ab alio determinante (plures Thomistæ volunt legi *determinate*), sed ab ipsa voluntate. *Sed in naturalibus actus progreditur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideo propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur* (2).

Quod vero quidam reponunt, cum S. Thomas voluntatem non *ab alio determinante* in hunc vel in illum actum exire scribit, noluisse Deum excludere, sed alias causas creatas; nimis frigidum est ac manifeste falsum ex allatis documentis, quæ non egent commentariis; cum præsertim S. Thomas generatim excludat *quamlibet aliam causam determinantem*, nec ullum suppetat indicium, ut suspicemur illum voluisse excipere Deum.

Quod vero 2.um attinet, tam constans fuit Angelicus in hac doctrina inculcanda, ut etiam negaverit voluntati libertatem ullam remanere, nisi ad eam spectat determinatio suæ operationis. *Non esset*, inquit, *homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc vel illud* (3).

Et alibi: *Proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus re ipsa unum recipere, alio recusato; quod est eligere. Et ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. Ad electionem autem concurrit aliquid ex parte cognitivæ virtutis, et aliquid ex parte appetitivæ. Ex parte quidem cognitivæ requiritur consilium, per quod dijudicatur, quod sit alteri præferendum. Ex parte autem appetitivæ requiritur, quod appetendo acceptetur quod per consilium dijudicatur. Et ideo Aristoteles in 6.º* Ethicor. (cap. 11.)

(1) 2.ª dist. 30, quæst. 1, art. 2. Cfr. 2.ª dist. 34, quæst. 1, art. 3, ad 4.

(2) 2.ª dist. 39, quæst. 1, corp. et ad 2.um

(3) 2.ª dist. 28, quæst. 1, art. 1 corp.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sub dubio relinquit, utrum principalius pertineat electio ad vim appetitivam, vel ad vim cognitivam... (1).

Et mox ibidem in responsione ad secundum: *Judicium*, inquit, *est quasi conclusio et determinatio consilii; determinatur autem consilium primo quidem per sententiam rationis, et secundo per acceptationem appetitus. Unde Philosophus dicit in* 3.° **Ethicor** (cap. III.) *quod ex consiliari judicantes desideramus secundum consilium* (2).

Hanc eamdem doctrinam exposuit S. Thomas sub aliis vocibus cum scribit non semel voluntatem se ipsam movere: *Sicut dictum est* (3) *hoc modo se habet finis in appetibilibus, sicut principium in intelligibilibus. Manifestum est autem, quod intellectus per hoc, quod cognoscit principium, reducit se ipsum de potentia in actum quantum ad cognitionem conclusionum, et hoc modo movet se ipsum. Et similiter* **voluntas per hoc, quod vult finem, movet se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem** (4), scilicet media.

Nec dicatur contra hanc assertionem, quod *omne.. movens, in quantum hujusmodi, est in actu, quod autem movetur, est in potentia, nam motus est actus existentis in potentia, in quantum hujusmodi. Cum ergo nihil possit esse simul in potentia et in actu respectu ejusdem, neque voluntas se ipsam movere potest* (5).—Nam *voluntas non secundum idem movet, et movetur; unde nec secundum idem est in actu et in potentia*. **Sed in quantum actu vult finem, reducti se de potentia in actum respectu eorum, quæ sunt ad finem, ut scilicet actu ea velit** (6).

Alibi diserte docet *solum ad primum actum* moveri debere voluntatem ab extrinseco quoad exercitium, ad reliquos vero ipsam movere sese consilio rationis, ut jam vidimus.

(1) 1. p. quæst. 83, art. 3.

(2) Ibid. art. 4, ad 2.um Cfr. 2.ª dist. 25 quæst. 1, art. ad 1.um et 3.um; 1. p. quæst. 82, art. 1, ad 3. um; Perihier lib. 1, lect. 14. paragr. 4; et *de verit.* quæst. 2, art. 4 ad 1.um

(3) 1, 2.æ quæst. 8, art. 2.

(4) 1. 2.æ quæst 9, art. 3. Cfr. *de verit.* quæst. 22, art. 9, ad 1.um et art. 5; 1. quæst. 3, art. 2.

(5) Ibid. arg 1.

(6) Ibid. ad 1.um Cfr. *de Malo*, quæst. 6, art. unic. corp. et ad 20.um.

Id ipsum fusius evolvitur alibi: *Ad ostendendum, quod voluntas non ex necessitate movetur, oportet considerare motum voluntatis et quantum ad exercitium actus et quantum ad determinationem actus, qui est ex objecto. Quantum ergo ad exercitium actus, primo quidem manifestum est, quod voluntas movetur a se ipsa. Sicut enim movet alias potentias, ita et se ipsam movet. Nec propter hoc sequitur, quod voluntas secundum idem sit in potentia et in actu. Sicut enim homo secundum intellectum in via inventionis movet se ipsum ad scientiam, in quantum ex uno noto in actu, venit in aliquid ignotum, quod erat in potentia motum; ita per hoc quod homo aliquid vult in actu, movet se ad volendum aliquid aliud in actu. Sicut per hoc quod vult sanitatem, movet se ad volendum sumere potionem. Ex hoc enim quod vult sanitatem incipit consiliari de his, quæ conferunt ad sanitatem, et tandem determinato consilio vult accipere potionem. Sic ergo voluntatem accipiendi potionem præcedit consilium, quod quidem procedit ex voluntate volentis consiliari. Cum ergo voluntas se consilio moveat, consilium autem est inquisitio quædam non demonstrativa, sed ad opposita viam habens, non ex necessitate voluntas se ipsam movet. Sed cum voluntas non semper voluerit consiliari, necesse est, quod ab aliquo moveatur ad hoc, quod velit consiliari; et si quidem a se ipsa, necesse est iterum, quod motum voluntatis præcedat consilium, et consilium præcedat actus voluntatis. Et cum hoc in infinitum procedere non possit, necesse est ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis moveatur voluntas cujuscumque non semper actu volentis, ab aliquo exteriori, cujus instinctu voluntas velle incipiat.* Et cum nullum aliud movens primo voluntatem apte asignari possit, ut ab Angelico exponitur, *relinquitur... sicut concludit Aristoteles in* cap. *de Bona fortuna* (1), quod *id quod primo movet voluntem et intellectum, sit aliquid supra voluntatem et intellectum*, scilicet *Deus...* (2).

Quam doctrinam alias etiam non semel repetit (3).

(1) Lib. 7. cap. 18 *Moralium Eudemiorum.*

(2) *De malo*, quæst. 6, art. unic. Cfr. *de verit.* quæst. 24. art. 1.

(3) 1. 2.æ quæst. 109, art. 2, ad 1.um; 3.ª *Contr. Gent.* cap. 89.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vides hinc apertissime S. Thomam non requisivisse specialem motionem Dei, qua voluntatas e potentia reduceretur in actum generatum pro omnibus actibus, sed solum pro primo illius motu.

Solum posset dubitari, quid intellexerit S. Thomas pro illo instinctu impressovoluntati a Deo, ut primum illum suum actum seu motum eliceret. Jamque suo loco ostendimus (1), illum instinctum a Deo voluntati impressum, non esse aliud, quam ipsam naturalem inclinationem per modum actus primi, seu pronitatem in bonum, prorsus identificatam cum ipsa virtute volendi. Quia S. Thomas generatim docet, ut superius etiam vidimus (2), Deum dedisse singulis rebus *naturales inclinationes*, quæ sunt *impressiones Dei* rebus inhærentes perenniter, ac speciatim inclinationem hanc voluntatis in bonum in genere comparat cum appetitu naturali (3) seu tendentia ad agendum, existente in naturis irrationalibus; iternque cum naturali gravitate, per quam corpus inclinatur deorsum (4). Verum quid egemus aliis rationibus, cum ipsemet Angelicus diserte mentem suam sit interpretatus? *Sicut ex ipsa natura*, inquit, *quam Deus voluntati dedit, inclinatur voluntas in aliquid volendum, ut ex dictis patet* (5), *ita ex aliquo superaddito, sicut est gratia vel virtus, inclinatur ulterius ad volendum aliquid aliud, ad quod prius non erat determinata naturali inclinatione. Sed hæc quidem inclinatio superaddita, quandoque est perfecta, quandoque imperfecta. Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat, sicut per naturam de necessitate inclinatur voluntas in appetendum finem...* (6). Præterea inclinatio hujusmodi ab Angelico dicitur *necessaria*. *Quod voluntas de necessitate vult quasi naturali inclinatione in ipsum determinata est finis ultimus, ut beatitudo et ea, quæ in*

(1) Vide *Psychelog.* vol. 3.um, num. 79, pag. 195 seqq.

(2) 1.a p. quæst. 103, art. 1, ad 3.um; et art. 8; 4.ª dist. 49, quæst. 1, art. 3, solut. 1.

(3) 3.ª *Contr. Gent.* cap. 88. *Adhuc, sicut in re.*

(4) Ibid., *Adhuc, violentum opponitur.*

(5) *De verit.* quæst. 22, art. 5, 7.

(6) *De verit.* quæst. 22, art. 8, corp. Cfr. 2.ª dist. 28, quæst. 1, art. 1 corp.

ipso includuntur, ut cognitio veritatis et alia hujusmodi (1). Jam vero non semel docet idem Aquinas, in hac vita voluntatem nullum habere actum simpliciter necessarium, siquidem a nullo objecto necessitatur quoad exercitium (2). Ergo illa inclinatio nequit esse necessaria nisi quoad specificationem. Inclinatio autem necessaria voluntatis quoad specificationem aliud non est, nisi ipsa ejus virtus naturalis tendens in bonum; namque ita est conformata, ut nequeat circa bonum sub ratione boni et circa beatitudinem exercere aliam speciem actus, nisi amoris vel prosecutionis. Ille ergo instinctus non est, nisi ipsa vis naturalis voluntatis urgens nos ad quærendum bonum, sicut virtus ignis urget illum ad comburendum, ita tamen ut actus secundus seu volitio actualis, naturalem illam vim et pronitatem consequens, nequeat exerceri nisi circa bona concreta et determinata, quæ per intellectum proponuntur et semper cum indifferentia et sine necessitate (3). Et sic explicat mentem S. Thomæ Cardin. Cajetanus his verbis: «Quamvis primus actus sit ex instinctu dato ab exteriori, non objecto, sed causa effectiva, Deo; ipsa tamen (voluntas) jam ex hac finis volitione se ipsam movet ad volendum alia propter finem, quod brutis non convenit, quoniam ad omnia moventur ab instinctu. *Est igitur Auctoris sententia, quod, sicut generans grave dat gravi naturalem appetitum motus et loci deorsum, et propterea, cessante impedimento, grave ex appetitu accepto movetur deorsum, et quiescit ibi; ita genitor voluntatis dat ei naturalem inclinationem in bonum, ita quod, proposito per intellectum bono absque impedimento, voluntas tendit in illud actu elicito, qui est volitio* (4). Unum tamen addo, etiamsi inclinatio illa naturalis foret vera motio per modum actus secundi a Deo solo procedens et voluntati impressa, solum sequeretur ex mente S. Thomæ necessariam esse præviam motionem *ad primum*

(1) Ibid. Cfr. 1.a p. quæst. 82, art. 1, 2; 1.ª 2.æ quæst. 10, art. 1.

(2) Vide 1.a p. quæst. 82, art 2; 1.ª 2.æ quæst. 10, art. 2; *de malo* quæst. 6, art. unic. in corp. et ad 7.um

(3) Videatur S. Thom. in 4.ª dist. 49, quæst. 1, art. 3, solut. 3, cujus verba supra dedimus.

(4) 1.ª *Cont. Gent.* cap. 67. *Item, contingens.* Cfr. ibi. lib. 2.ª, cap. 23; *de Verit.* quæst. 22, art. 6, et quæst. 6, art. 1 3, ad 8.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actum voluntatis, non vero ad omnes, multoque minus physicam prædeterminationem thomisticam.

Dices 1.°, hæc omnia intelligi non posse in eo sensu, ut excludatur etiam determinatio proveniens a Deo, sed solum determinatio, quæ ab aliis causis externis procedat. Et sane S. Thomas dicit etiam hæc: *Causa, quæ est ex se contingens, oportet, ut* determinetur ab aliquo exteriori ad effectum (1). Oportet ergo semper ponere aliquod determinativum extrinsecum voluntatis ex doctrina Aquinatis: cum ergo in locis citatis superius excluditur aliud voluntatem determinans, non debemus intelligere Deum quoque excludi, ne dicamus pugnare secum ipso S. Doctorem.

Respondeo, evidens esse ex contextu locorum illorum, quod etiam Deus excludatur, cum voluntas dicitur a nullo alio determinari, non solum quia dicitur universaliter voluntas *a nullo alio determinari, sed se ipsam determinare*, verum etiam quia sæpe fit comparatio inter determinationem voluntatis ad finem ultimum et ad media, ad bonum in genere et ad bona particularia. Et ad primum dicitur expresse determinata esse a Deo, et ad alterum *a nullo esse* determinata, sed *se ipsam* per *consilium rationis* aut etiam per *appetitum* finis *determinare*. Quæ vera esse non possunt secundum exceptionem atque interpretationem adversariorum. Neque vero est ulla pugna in doctrina S. Thomæ, tum quia causa *contingens*, quam docet determinandam esse ab aliquo exteriori, intelligi potest causa indifferens indifferentia pure passiva et proveniente ex incompleta virtute ad agendum; tum etiam quia licet intelligatur causa indifferens indifferentia activa, semper verificatur in aliquo vero sensu, quod ab aliquo exteriori determinetur in doctrina Aquinatis, secundum quem, ut vidimus, voluntas tandem nihil amplectitur, nec se determinat nisi per *consilium rationis*, quod aliquid extrinsecum et ipsi voluntati, vel per appetitum finis, qui etiam est quidam distinctum, ac proinde sibi in hoc sensu externum.

Dices 2.° S. Thomas videtur agnoscere duplicem determinationem, alteram *necessitantem*, alteram *non necessitantem*: et primam tantummodo exclusit a voluntate libera, non vero

(1) 1 p. quæst. 19, art. 3, ad 5.um

secundam. Et hæc est præcise determinatio, qua Deus voluntatem ad omnem actum determinat, siquidem proprium ejus est movere omnia agentia pro singulorum conditione; necessaria ut necessario, libera ut libere agant. Audiatur Angelicus: *Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur* (1). Et alibi: *Voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam, sed determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis* (2).

Respondeo 1.° Manifeste patet ex contextu locorum a nobis adductorum, excludi omnem determinationem, sive necessitantem, sive non necessitantem, ab extrinseco provenientem, cum expresse dicat sæpius S. Doctor, voluntatem *determinare se ipsam*, sive per *consilium rationis*, sive per *appetitum finis*, addens, quod interdum specialiter *Deus movet* aliquos *ad* aliquid *determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per* gratiam (3). Accedit, quod etiam docet S. Thomas, voluntatem solum ad primum actum moveri ab aliquo extrinseco principio, ad reliquos vero se ipsam movere.

Respondeo. 2.° Jam ostendimus fuse suo loco determinationem, qualem docent Thomistæ, re vera voluntatem necessitare ad actum, quippe quæ antecedenter et ex natura sua pugnat cum omissione actus, nec proinde relinquit voluntati *dominium* actus sui, nec potestatem agendi vel non agendi.

(1) 1. 2.æ quæst. 10, art. 4.
(2) *De Potent.* quæst. 3, art. 7, ad 13.um
(3) 1. 2.æ quæst. 9, art. 6, ad 3.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dices 3.° Quod voluntas moveatur a Deo, non impedit quominus se ipsam moveat. Ergo nihil evincitur his testimoniis, cum potissimum nulla causa secunda moveat nisi *mota a prima*, ut tenet communis Philosophorum sententia.

Respondeo. *Neg.* Conseq. Ratio a nobis facta valde est efficax. Quia ex altera parte in aliquo vero sensu etiam voluntas non movet se ipsam, nisi mota a causa prima; ex altera vero parte salvari debet differentia inter voluntatem et alias causas assignata ab Angelico, secundum quem *creaturam rationalem Deus ordinat ad agendum voluntarie et per se, sed aliæ creaturæ non agunt nisi motæ ex operatione divina* (1); *et illa, quæ rationem habent, se ipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium; illa vero, quæ ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a se ipsis* (2). Salvantur autem hæc duo optime, et simul ostenditur vis argumenti. Nam voluntas non movet se nisi mota a Deo, quia non movet se nisi per virtutem acceptam a Deo, et per inclinationem in bonum sibi naturaliter impressam. Movet autem *se*, quia, iis duobus suppositis, quod voluntas hoc particulare bonum vel aliud amplectatur, ipsa est in causa, secus atque fit in brutis, v. gr. Nam bruta ita sunt natura comparata, ut, quovis proposito objecto, quod sibi bonum sit, nequeant non appetere. Cum ergo aliunde ipsa cognitio prævia, per quam aliquid ut sibi conveniens apprehendunt, utpote particularis et sensibilis, necessaria sit et quasi extrinsecus sibi imposita; sequitur, bruta nihil appetere nisi ex instinctu et naturali inclinatione; adeoque non sunt causa suæ appetitionis, nisi quia illam eliciunt. At non sic voluntas. Quia enim nullum est objectum nullaque cognitio objecti in hac vita, a qua pertrahatur ad actum appetitionis, sed semper retinet nativam suam indifferentiam, ipsa debet consilio rationis (quod et ipsum ex suo arbitrio pendet, neque ab alio sibi imponitur) se ad actum inclinare vel ab eo retrahere, prout hic et nunc sibi libeat, adhuc retinens dominium sui actus et potestatem aliter agendi. Ergo hic et nunc ipsa est

(1) 1.ª p. quæst. 60, art. 1.2 ad 3.um.
(2) 1.ª 2.æ quæst. 1, art. 2.

causa, cur ad hoc objectum hic et nunc tendat, et a nullo alio sibi hoc imponitur; *quia circa objectum determinatum potest uti actu suo, cum voluerit, vel non uti, potest enim exire in actum volendi respectu cujuslibet, et non exire* (1) Et propterea S. Thomas agentia libera vocat *causas sibi agendi*, docetque eas *se* agere, *se* movere (2). Nunc ergo vides vim argumenti. Si repugnat S. Thomæ præmotio in iis, quæ non *se* movent, a fortiori et specialissime repugnabit in iis, quæ *se* movent.

Probatur jam 2.° propositio. S. Thomas hanc statuit differentiam inter id, quod sequitur necessario ab aliqua causa, et inter id, quod contingenter ac libere, quod *contingens...., sic in sua causa est, ut non esse ex ea possit, et esse; necessarium vero ex sua causa non potest non esse* (3). Atqui doctrina hæc stare nequit cum physica prædeterminatione.

Sane, admissa illa, nulla datur amplius causa in operando contingens, ac proinde nullus actus est effectus liber. Nam prædeterminatio se tenet ex parte causæ, et antecedit operationem ejus. Ergo causa considerari potest vel præcisa a præmotione, vel præmota, id est, in sensu diviso vel in sensu composito præmotionis. In primo casu, causa nequit agere omnino, siquidem sine præmotione agens creatum prodire in actum non valet; et sic effectus hujusmodi causæ *non potest esse*. In altero casu, agens, ex mente Prædeterminantium, non potest non agere, atque adeo effectus *non potest non esse*. Nempe effectus omnis causæ secundæ, si necessaria sit præmotio, aut erit *impossibilis*, aut *necessarius*, prout non adsit, vel adsit præmotio; nullus vero erit *contingens*.

Probatur 3.ª Sæpe docet S. Thomas diversimode movere Deum causas necessarias et liberas ad actus suos (4): unde etiam distinguit agentia creata in ea, quæ se agunt, et in ea

(1) *De Verit.*, quæst. 22, art. 6.
(2) *Cont. Gent.*, cap. 48; lib 3, cap 110.
(3) 1.ª *Contr. Gent.* cap. 67. *Item contingens.* Cfr. ibid., lib. 2, cap. 23; *de Verit.* quæst. 22, art. 6, et quæst. 6, art. 3, ad 8.um
(4) 1.ª p. quæst. 9, art. 12, ad 3.um; quæst. 83, art. 1, ad 3.um; 1.ª 2.æ quæst. 10, art. 4; quæst. 31, art. 4, ad 2.um; quæst. 109, art. 1; *de malo*, quæst. 6, art. unic. ad 2.um; 2.ª dist. 25, quæst. 1, art. 1, ad 3.um; In epist. 2.am *ad Corinth.* cap. 3, lect 1; *Quodlib.* 1, art. 7, ad 2.um

quæ aguntur (1). Atqui si etiam liberis causis necessaria est irresistibilis illa ex natura sua præmotio Thomistarum, omnia agentia revera agentur non solum ratione naturalis inclinationis in bonum, quo sensu concedit S. Doctor omnia agi a causa prima (2), sed etiam respectu omnium et singularum operationum; atque adeo nulla videtur assignari posse differentia inter modum motionis causarum liberarum et necessariarum. Omnes siquidem dicuntur pariter egere præmotione; et si præmoventur, simili modo repugnat, quod non agant.

Dices fortasse, motus potentiarum liberarum præsupponere indifferens judicium de objecto; secus vero motus potentiarum necessariarum.

Respondeo. Jam dudum præoccupaverat S. Thomas hanc difficultatem, dicens, differentiam potentiarum appetitivarum desumptam ex differentia apprehensionum præcedentium, esse differentiam accidentalem et ex consequenti, veram autem differentiam petendam esse ex modo tendendi potentiarum illarum ad sua objecta, ut nempe potentiæ liberæ tendant *non determinatæ ab alio, sed determinando sibi suas inclinationes*, secus vero potentiæ necessariæ (3).

Probatur 4.° Doctrina est S. Thomæ, voluntatem posse divinæ motioni resistere. Atqui impossibile est voluntatem physicæ prædeterminationi resistere. Ergo nunquam eam docuit Aquinas.

Major constat ex pluribus locis. En aliqua: *Omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ ejus. Modus autem naturalis intellectualis naturæ est, ut libere feratur in ea, quæ vult. Et ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti, et peccare* (4). Item: *Deus movet omnia secundum modum eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere* (1). Idem patet ex eo, quod voluntas, etiam prout a Deo mota, debet suam servare libertatem. Nam ad libertatem, docente Angelico, requiritur habere *dominium actus*, etiam dum adest divina motio, secus enim pro tempore, quo durat illa motio, non amplius foret voluntas libera. *Et ideo ex conditione sua sequitur, quod rectum ordinem tenere possit tendendo in finem, et etiam deficere.* Si autem inevitabiliter in finem tenderet per divinam providentiam, tolleretur sibi conditio suæ naturæ, *ut dicit Dionysius (cap. 4 de Divin. Nominib.) Et ideo taliter instituta est*, ut etiam deficere posset, ita tamen, quod in potestate ejus esset deficere vel non deficere; quod non erat in defectu naturalis principii (2).

Probatur 5.° Sententia est S. Thomæ quamlibet formam intrinsece ac physice inhærentem potentiæ, unde irresistibiliter sequatur actio, auferre libertatem illius, et inducere necessitatem. Atqui prædeterminatio est forma vel actus physice inhærens voluntati, si Thomistas audiamus, illaque dum adest, impediri nequit actio voluntatis. Ergo sine ingenti injuria imponi nequit præmotio physica Angelico Doctori.

Major probanda est tantummodo, quia **Minor** continet adversariorum doctrinam, et consequentia negari nequit, nisi supponendo, quod S. Thomas non admiserit voluntatis nostræ libertatem.

Itaque S. Thomas solvens hanc objectionem contra scientiam futurorum contingentium: *Omne scitum a Deo necesse est esse,... Sed nullum contingens futurum necesse est esse. Ergo nullum contingens futurum est scitum a Deo* (3); sic scribit: *Hæc propositio:* **Omne scitum a Deo necessarium est esse**, *consuevit distingui, quia potest esse de re, vel de dicto* (4). *Si intelligatur de re, est divisa et falsa; et est sensus:* **omnis res, quam Deus scit, est necessaria.** *Vel potest intelligi de dicto, et*

(1) 1 p. quæst. 22, art. 2, ad 4.um; 1. 2.æ quæst. 1, art. 2.
(2) 1 p. quæst. 60, art. 1, ad 2.um
(3) *De verit.*, quæst. 22, art. 4, ad 1.um et 2.um
(4) 1 p. quæst. 82, art. 3, ad 2.um

(1) Quodlib. 1, art. 7, ad 2.um. Cfr. 2.° dist. 28, quæst. 1, art. 2, ad 4.um; *de verit.* quæst. 22, art. 8 corp.
(2) 1.° dist. 30, quæst. 2, art. 2, corp. post med.
(3) 1 p. quæst. 14, art. 13, arg. 3.°
(4) Revoca in mentem quæ in *Dialectica* docuimus de propositionibus modalibus: num. 114, pag. 257.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sic est composita et vera; et *est sensus*: **Hoc dictum, scitum a Deo esse, est necessarium.** *Sed obstant quidam dicentes, quod ista distinctio habet locum in formis separabilibus a subjecto*; ut si dicam: **Album possibile est nigrum esse**, *quæ quidem de* dicto *est falsa, et de* re *est vera; res enim, quæ est alba, potest esse nigra; sed hoc dictum*: **Album esse nigrum**, *nunquam potest esse verum. In formis autem inseparabilibus a subjecto non habet locum prædicta distinctio; ut si dicam*: **Corvum nigrum possibile est esse album**; *quia in utroque sensu est falsa. Esse autem scitum a Deo est inseparabile a re, quia quod est scitum a Deo, non potest esse non scitum.* Cui objectioni sic respondet S. Doctor: *Hæc autem instantia locum haberet, si hoc quod dico,* **scitum**, *importaret aliquam dispositionem subjecto inhærentem; sed cum importet actum scientis, ipsi rei scitæ, licet semper sciatur, potest aliquid* **attribui secundum se**, *quod non* **attribuitur, in quantum stat sub actu sciendi**: *sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei, secundum quod est intelligibile* (1).

Aliis verbis dicitur, quod, si scientia divina aliquid physice inhærens rebus scitis importaret, certitudo et infallibilitas scientiæ rei scitæ in se ipsa necessitatem imponeret; quia vero scientia nihil ponit in rebus scitis, possunt hæ esse penitus contingentes et liberæ, quamvis habeant necessitatem, prout subjacent infallibili scientiæ. Idem docet S. Thomas in quæstione sexta *de Veritate* (2), exponens, quomodo certitudo et infallibilitas divinæ prædestinationis nullatenus auferat in prædestinato potentiam ac libertatem moriendi in peccato, prout absolute et in se consideretur, quia prædestinatio est actus divinæ mentis, qui nihil physice inhærens imprimit prædestinato nisi solam denominationem, ideoque prædestinatus in se retinet integram totam suam virtutem physicam bene vel male agendi, non obstante prædestinatione. Secus fieret, si prædestinatio aliquid physicum imprimeret prædestinato, quia sic suam infallibilitatem et impossibilitatem de oppósito (quia prædestinatio certissima et infallibilis est) imponeret prædestinato, qui proinde a se ipso impotens foret

(1) 1 p. quæst. 14, art. 13, ad 3.um.
(2) *De Verit.* quæst. 6, art. 1. ad 8.um.

moriendi in peccato (1). Et secundum hanc doctrinam alibi negat voluntatem, etiamsi sufficienter ab aliqua causa moveri ad actum ponatur, reapse necessitari, dummodo possit impedire effectum illius, apponendo aliquod impedimentum, sicut etiam *aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum a se repellere* (2). Unde concludit nunquam voluntatem in hac vita necessitari, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, quæ inducit eum ad volendum vel considerando oppositum, scilicet quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non bonum est (3).

Probatur 6.° Si S. Thomas physicam prædeterminationem Thomistarum docuisset, non negasset cognitionem futurorum liberorum in suis causis fore tantum conjecturalem. Nam præmotio est ultimum complementum causæ agentis, infallibiliter connexum cum actu secundo; unde asignatur a Thomistis tamquam medium infallibilis cognitionis. Atqui tamen S. Thomas cognitionem effectuum liberorum in suis causis solum conjecturalem esse, posse pro quocumque intellectu, etiam pro Deo, docuit (4); et ideo non aliter explicat certam cognitionem eorum in Deo, nisi quia Deus eos videt non

(1) Cfr. *Quodlib.* 12, art. 3, ad 2.um; 1 p. quæst. 23, art. 6, ad 2.um.
(2) *De Malo*, quæst. 6, art. unic., ad 7.um.
(3) Ibid. ad 15.um.
(4) Itaque quando scripsit Dominicus Bañez (In 1.am p. quæst. 14, art. 13 in principio, conclusio 4.ª), etiamsi Deus cognosceret futura libera solum in suis causis, scientiam illius fore certam et infallibilem; aperte contradixit Angelico Doctori, si: scribenti: *Contingens impediri potest, antequam sit in esse productum, quia tunc non est nisi in causis suis... Sed postquam jam contingens in esse productum est, jam non potest impediri. Et ideo de contingente, prout est in præsenti, potest esse judicium illius potentiæ vel habitus, in quo nunquam falsitas invenitur... Ex quo patet contingens, ut futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non possit; unde cum divinæ scientiæ non subeat falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt* (*De Verit.* quæst. 2, art. 12, corp.).

Idem repetit alias in locis citatis. Atque ideo tam sollicite semper notavit S. Doctor, Deum futura videre *in se ipsis*, ut sic infallibilitatem ac certitudinem divinæ scientiæ tueretur.

solum in causis suis; sed etiam *in se ipsis*, prout sunt ab æterno præsentes (1).

§ II.—AN S. THOMAS DOCUERIT PRÆDETERMINATIONEM AD ACTUS MALOS.

322. PROPOSITIO 2.ª **Ex doctrina S. Thom repugnat voluntatem ad malas actiones prædeterminari.**

Ex doctrina S. Thomæ repugnat voluntatem ad malas actiones prædeterminari.

Propositio hæc præcedentem confirmat, quia si ad actus malos voluntas prædeterminatione non eget ex mente S. Thomæ, jam certum erit generalem doctrinam adversariorum exceptionibus limitari a S. Doctore; ideoque conformem eidem non esse. Age vero, nihil facilius est, quam, quæ asserimus, probare.

1.º *Deus est universale principium omnis interioris motus humani; sed* **quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et diabolo per modum persuadentis vel appetibilia proponentis (2).**

Quo in loco duo evidentissime habentur, quorum utrumque rem nostram maxime attingit, quemadmodum concludebat P. Ferdinandus Bastida coram Paulo V disputans contra Thomistas in Congregationibus *de Auxiliis* (3). Alterum est, in via D. Thomæ nullam esse consequentiam, si ex eo quod Deus est universale principium omnis interioris motus humani, inferatur prædeterminari ab ipso voluntatem *ad omnes suos motus*, quicumque illi sint. Nam licet hic S. Thomas hoc principium assumat, nihilominus non propterea tribuit Deo prædeterminationem voluntatis ad malum consilium, sed voluntati et diabolo. Alterum est, Deum non prædeterminare

(1) 1 p., quæst. 14, art. 13, 1.º dist. 38, quæst. 1, art. 3, corp. et ad 2.um et 4.um in fine, et ad 5.um; 1.ª *Contr. Gent.* cap. 67 initio, *de Verit.* quæst 2, art. 12 corp. et ad 1.um, 2.um et 6.um Cfr. Cajetan. in 1.am p. quæst. 14, art. 13; Ferrariens. in lib. 1.mo *Contr. Gent.*, cap. 67.

(2) 1. 2.æ quæst. 80, art. 1, ad 3.um Cfr. ibid. in corp.

(3) Apud Livin. Meyer, *Historia Controvers.* lib. 6, cap. 18, pag. 679, col. 2.

physice voluntatem ad actus malos, nec proinde ad omnes actus; nam actus malus unus ex voluntatis actibus est. Quidquid ergo moderni Thomistæ moliantur, extorquere a D. Thoma non poterunt physicam omnium actuum nostrorum prædeterminationem.

2.º S. Thomas diserte docet, quod *Deus.., non potest esse* directe *causa peccati, vel sui vel alterius, quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem; Deus autem omnia inclinat, et convertit in se ipsum sicut in ultimum finem* (1). Atqui si Deus prædeterminaret, esset directe causa peccati. Nam peccatum causatur directe *inclinando... voluntatem suam vel alterius ad peccatum*, ut ibidem tradit Angelicus. Jam vero, qui prædeterminat, inclinat, et quidem indeclinabiliter, ad actum. Ergo.

3.º *Confirmatur*, quia non aliam inclinationem in peccatum causare Deus potest, docente D. Thoma, nisi pure negativam. *Deus*, inquit, *non eodem modo* inclinat *voluntatem in bonum et in malum. Inclinat siquidem voluntatem in bonum administrando virtutem agendi, et directe movendo in bonum; sed* **ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam non præbet, per quam quis a malore traheretur** (2), *vel in quantum non prohibet* (vel impedit) *hominem, quin faciat malum*, ut alibi scribit (3). Dicant, quæso, Prædeterminantes, num sit idem prædeterminare, ac non præbere gratiam, vel non impedire, seu permittere malum?

Idipsum adhuc expressius alibi docetur: *Deus dicitur tradere aliquos in reprobum sensum, vel inclinare voluntatem in malum, non* **quidem agendo vel movendo, sed potius deserendo et non impediendo. Sicut si aliquis non daret manum cadenti, diceretur esse causa casus illius** (4). An perinde est prædeterminare, ac non *dare manum cadenti*? Vel an dici potest prædeterminare ad actum, *qui non agit, nec movet* ad illum?

(1) 1. 2.æ quæst. 79, art. 1, corp.

(2) 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 1, ad 1.um Cfr. *de Verit.* quæst. 22, art. 8, fin.. *Et per hoc patet*..

(3) 1. 2.æ quæst. 79, art. 1, corp. et ad 1.um

(4) *De Malo*, quæst. 3, art. 1, ad 1.um et 3.um Cfr. lect. 7, in cap. 1.um *Ad Romanos*, post medium.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ne vero ulla relinqueretur nobis dubitatio de mente sua, fusius declaratos voluit Aquinas modos, secundum quos Deus intelligi potest esse causa peccati, mere negative se habendo. Etenim *inveniuntur*, inquit, *quædam in Scripturis, ex quibus videtur, quod Deus sit aliquibus causa peccandi. Dicitur enim:* **Ego induravi cor ejus** (Pharaonis) et servorum illius (Exod. cap. 10, vers. 1). *Et:* **Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava, et oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis..... et convertatur.** *et sanem eum* (*Isaiæ* cap. 6, vers. 10): **Errare nos fecisti de viis tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te** (*Isaiæ* cap. 63, vers. 17). *Et ad Romanos* (cap. 1, vers. 28), *dicitur:* **Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.** *Quæ omnia secundum hoc intelligenda sunt, quod,* **Deus aliquibus non confert auxilia ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert.** *Hoc autem auxilium est non solum infusio gratiæ, sed etiam exterior custodia, per quam occasiones peccandi hominis ex divina providentia tolluntur, et provocantia ad peccatum comprimuntur; adjuvat etiam Deus hominem contra peccatum, per naturale lumen rationis et alia naturalia bona, quæ homini confert. Cum ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit pro merito suæ actionis, secundum quod ejus justitia exigit, dicitur eos obdurare vel excæcare, vel aliquid eorum quæ dicta sunt* (1). Estne possibile, ut, si S. Thomas admittebat physicam præmotionem ad peccatum, non ejus meminisset inter eos modos, quibus Deus videri possit hominem inclinare in peccatum? An non magis ac verius inclinat in peccatum, qui in illum ipsum voluntatem intrinsecus instigat, ac physice impellit, quam qui negat auxilia, quibus voluntas roboretur ne sucumbat peccato?

4.° Et hinc urgetur argumentum. Nam si Deus prædeterminaret ad peccatum, ex doctrina Aquinatis esset causa illius directe et per modum *perficientis*. Atqui hoc et absurdissimum est, et aperte contra S. Thomam. Ergo...

Major patet. Nam, docente Angelico, *causa aliquid movens multipliciter dicitur, quandoque enim dicitur causa id, quod est* **disponens**, *vel quod est* **consilians**, *vel quod est* **præcipiens**: *quandoque vero dicitur causa id, quod est* **perficiens**, *et hæc proprie et vere causa dicitur; quia causa est, ad quam sequitur effectus, ad actionem autem* **perficientis** *statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis. Suasio enim non cogit intuitum, ut Augustinus dicit in libro Octogita Quæstionum* (Quæst. 4.ª a medio). Quid autem significet S. Thomas per *causam perficientem*, declarat ipsemet disertissime. *Sicut... in formis producendis*, inquit, *causa perficiens est, ex cujus actione directe consequitur forma, ita in actibus eliciendis causa perficiens est, ex cujus actione agens directe* **inclinatur ad agendum.** *Peccatum autem non est forma, sed actus; illud ergo per se potest esse causa peccati, quod* **potest directe movere voluntatem ad actum peccati** (1).

(1) 3.ª *Contr. Gent.* cap. 165 fin.

Jam quid est directe movere voluntatem ad actum peccati ex Aquinate? *Aliquis directe est causa alicujus actus non nisi per hoc, quod* **principium proprium illius actus movet ad agendum.** *Proprium autem principium actus peccati est voluntas, quia omne peccatum est voluntarium.* **Unde nihil potest esse directe causa peccati, nisi quod potest movere voluntatem ad agendum.** *Voluntas autem a duobus moveri potest: uno modo ab objecto, sicut dicitur quod appetibile apprehensum movet appetitum; alio modo ab eo, quod interius inclinat voluntatem ad volendum* (2).

Sequitur ergo, quod *causa perficiens et propria voluntarii actus sit solum id, quod operatur interius; hoc autem nihil aliud esse potest, quam ipsa voluntas sicut causa secunda, et Deus sicut causa prima* (3). Hinc non semel S. Thomas ideo negat diabolum posse directe inducere voluntatem, quia nihil intrinsecum operari per se atque immediate potest, quo illa in se ipsa inclinetur ad malum, sed solum inducit persuadendo vel aliis mediis pure moralibus alliciendo (4), ac proinde

(1) *De malo*, quæst. 3, art. 3.
(2) 1. 2.æ quæst. 80, art. 1.
(3) *De malo*, quæst. 3, art. 3 prop. fin. corp.
(4) Vide *de malo*, quæst. 3, art. 3, corp. et ad 2.um, 4.um, 13.um, et 15.um; 1. 2.æ quæst. 80, art. 1, corp. fin. et ad 3.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

solum extrinsecus movendo voluntatem (1). Atqui prædeterminatio est vera motio physica voluntati impressa, est verissime aliquid interius factum a Deo. Ergo si Deus prædeterminat ad malum actum, est causa peccati per *modum perficientis*. Ideoque ex doctrina Angelici, posita prædeterminatione, Deus foret *directe* causa peccati. Stat ergo Major argumenti nostri.

Probatur vero Minor facillime, tum quia movere directe ad peccatum est res per se repugnans Dei sanctitati, justitiæ ac veritati, siquidem multimodis per hortationes, per minas, per parata sonubus atrocissima supplicia, perque multiplicem gratiæ influxum deterret homines a peccato; tum quia secus Deus esset magis causa peccati, quam ipse diabolus, inimicus naturæ humanæ, cujus invidia *mors introivit in orbem* (2), quod horret mens christiana vel cogitare. Et ratio est, *quia diabolus humani peccati causa esse potest per modum disponentis, vel persuadentis, interius aut exterius, aut etiam per modum præcipientis, ut apparet in his, qui se manifeste diabolo subtiderunt; sed per modum perficientis causa esse non potest* (3).

Quod vero id sit contra S. Thomam probatur ex clarissima ejus doctrina. *Nihil*, inquit, *potest directe esse causa peccati, nisi quod potest movere voluntatem ad agendum, et quidem interius inclinando eam ad volendum*, sicut explicat S. Doctor (4). *Hoc autem*, pergit Aquinas, non est nisi vel ipsa voluntas, vel Deus, ut supra ostensum est (1. 2.ª quæst. 9, art. 3, 4 et 6). Deus autem non potest esse causa peccati, *ut dictum est supra* (1, 2.ª quæst. 79, art. 1, ubi ostenditur Deum *nullo modo*, neque indirecte, nedum directe, esse causam peccati). Relinquitur ergo, quod ex hac parte sola voluntas hominis sit directe causa peccati (5).

(1) *De malo*, quæst. 3, art. 3, ad 14.um; 1. 2.ª, quæst. 80, art. 2.
(2) *Sapient.* cap. 2, vers. 24.
(3) *De malo*, quæst. 3, art. 3.
(4) 1. 2.ª quæst. 80, art. 1.
(5) 1. 2.ª quæst. 80, art. 1. Cfr. *de malo*, quæst. 3, art. 3 fin., ubi idem diserte repetitur.

Dices forte 1.º Deum ex S. Thoma ideo non dici esse directe causam peccati, quia licet moveat ad actionem materialem, non tamen movet ad malitiam formalem ejus, quia intendere illam nequit ex sua sanctitate.

Respondeo, apertam esse mentem S. Thomæ in prædicto loco; ideo enim negat Deum esse directe causam peccati, quia non est *causa perficiens* illius; et ideo non est *causa perficiens illius*, quia *nequit inclinare* voluntatem ad actum peccati, non vero quia nequit intendere aut amare malitiam moralem, quamvis et hoc verum sit. Unde alibi etiam sic scripsit: *Illud dicitur in malum cooperari, quod* inclinat ad actionem, secundum quod actio deformitati substat, *unde mala est:* hoc autem Deo non convenit *et ideo non oportet, ut ad malum cooperari dicatur, quamvis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti esse, posse et agere, et quidquid perfectionis in agente est* (1).

Cæterum, ut qui alterum instigat ad peccandum, causa fiat peccati, necesse non est, ut malitiam ipsam formalem peccati indendat; sed sufficit, ut actum ipsum necessario ac per se connexum cum malitia velit, atque ad illum inducat, eo enim ipso consequenter ipsam malitiam velle censetur, atque adeo reus fit peccati.

Dices 2.º S. Thomas hoc videtur statuere discrimen inter hominem peccantem et Deum efficientem actum peccati, quod ille, *licet per se non velit deformitatem peccati, tamen deformitas peccati aliquo modo cadat sub voluntate peccantis, dum scilicet magis eligit deformitatem peccati incurrere, quam ab actu cessare*, deformitas vero peccati nullo modo cadit sub voluntatem divinam (2). Ergo non videtur esse contra mentem Angelici, quod Deus moveat voluntatem ad peccatum, dummodo solum intendat actum materialem, non vero deformitatem ejus.

Respondeo, *neg. conseq.* Doctrina antecedentis verissima est, et locum habet in concursu simultaneo. Si vero ponatur Deus prævia sua motione prædeterminante *inclinans*

(1) 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 2, ad 2.um.
(2) *De Malo*, quæst. 3, art. 2, ad 1.um Cfr. 1. 2.ª quæst. 79, art. 2, ad 2.um.

UNIVERSIDAD AVTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

voluntatem indeclinabiliter ad actum malum, non intelligitur, quomodo Deus causa foret tantum actus materialis, cui substat deformitas, et non etiam deformitatis ipsius, ut jam fusius alibi docuimus.

Cæterum si doctrina illius antecedentis applicari posset ad physicam præmotionem, cur S. Thomas negat Deum esse posse causam perficientem, id est, immediate inclinantem ad actum malum? Cur negat Deum posse *positive* inclinare voluntatem ad peccatum, et solum dicit inclinare *negative*, quatenus substrahit gratias et auxilia, quibus resistere valeret pravis suggestionibus? (1). Cur *ex professo* declarans modum diversum, quo Deus inclinat voluntatem in bonum et in malum, non aliam differentiam meminit, nisi quod in bonum quidem inclinat *administrando virtutem agendi, et directe movendo in illud, ad malum vero, in quantum gratiam non præbet, vel in quantum non impedit, quin faciat malum?* (2). Hæc certe explicatio in sententia Prædeterminantium ad malum non sufficeret, et ideo recurrunt ad motionem prædeterminantem in actum physicum et materialem peccati, quem tamen recursum non dixit esse necessarium Aquinas.

Quæ vero P. Didacus Alvarez urget (3) ex libr. 2, distinct. 37, quæst. 2, art. 2, in favorem prædeterminationis in malum, inania prorsus sunt, et facile solvuntur ex dictis; ibi enim S. Thomas solum intendit probare, Deum efficere actum ipsum peccati, qui est aliquid physicum, id autem verificatur per solum concursum simultaneum. Ex eo ergo quod S. Doctor dicat actionem peccati, in quantum actio est, esse a Deo, nequit inferri S. Thomam docuisse præmotionem (4).

§ III.—SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

323. Jam plurima argumenta ex S. Thoma in favorem prædeterminationis depromi solita præoccupata, et soluta

(1) Recole loca paulo superius citata.

(2) 2.ª dist. 37, quæst. 2, art. 1, ad 1.um; 1, 2.æ quæst. 79, art. 1, corp. et ad 1.um.

(3) Apud Suarez, libr. 3 *de Grat.* cap. 49, initio; et apud Ruiz de Montoya, *De voluntate Dei*, disp. 79, sect. 2, num. 17.

(4) Vide Suarez, et Ruiz, loc. cit.

manent ex hactenus dictis. Pauca, quæ supersunt, dissipanda sunt, ut ultimum hoc effugium præcludamus adversariis nostris (1).

Objic. 1.° *Operatio causæ secundæ*, testante D. Thoma, *semper fundatur super operationem causæ primæ, et præsupponit eam* (2). Atqui id verum esse nequit, nisi motio divinæ præcedat omnem quamcumque operationem causæ secundæ. Ergo.

Respondeo, *neg.* consequentiam. Ex eo enim loco solum infertur, quod *aliquo modo* moveri a prima debeat omnis causa secunda ad operandum, non vero quod moveri debeat physica prædeterminatione.

At jam vidimus plures modos, secundum quos Deus movere causas secundas dicitur ex Angelici doctrina. Itaque omnis operatio creaturæ semper fundatur super operatione causæ primæ, quia nequit agere sine virtute per operationem divinam accepta, et naturaliter inclinata in consentaneas operationes, atque ad eas applicata. Et hæc est mens Aquinatis in objecto loco, sic enim pergit post citata verba: *Et ideo oportet, quod omnis operatio animæ procedat ex suppositione ejus, quod inditum est animæ ex impressione primi agentis, Dei scilicet. Et ideo videmus ex parte intellectus, quod ad nihil intelligendum anima potest procedere, nisi ex suppositione illorum, quorum cognitio est ei innata. Et propter hoc non potest assentire alicui, quod sit contrarium his principiis, quæ naturaliter cognoscit. Et similiter oportet esse ex parte voluntatis. Unde cum ex impressione primæ causæ, Dei, hoc animæ insit, ut bonum velit, et perfectum bonum tamquam finem ultimum appetat, impossibile est, quod contrarium eius in appetitu illius cadat* (3). Vides hic perspicue, quam *operationem* Dei intelligat S. Thomas, cum scribit in illa fundari semper operationem creaturæ? Est nempe illa, qua a Deo imprimitur causæ naturali inclinatio ad operationes et fines, ad quos

(1) Quæ vero nostris diebus produxit in medium R. P. Dummermuth in laudato suo opere, singillatim soluta videri queunt apud cl. P. Victorem Frins, *de cooperatione Dei*, etc.

(2) 4.ª dist. 49, quæst. 1, art. 3, solutio 2.ª

(3) Loc. cit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

instituitur. Verum enimvero hujusmodi impressio non est physica prædeterminatio Thomistarum.

Objic. 2.ª *Animalia bruta*, inquit Angelicus, *moventur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum secundum modum formæ particularis, cujus conceptionem sequitur appetitus sensitivus. Sed Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingentes, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque secundum suum modum* (1). En aperte traditam physicam prædeterminationem cum sua infallibili et immutabili efficacia, quin voluntatis libertatem pessundet. His simillima habentur in *Prima Secundæ* (2).

Respondeo, *nego* illatum. Nam in primis S. Thomas in objectis locis non dicit Deum in *omnibus actibus immutabiliter* movere voluntatem; quin potius in eodem articulo fuse declarat voluntatem movere se ipsam, consilio rationis, dummodo ad *primum actum* moveatur ex instinctu sibi a causa prima impresso, quemadmodum ex hoc ipso loco superius exposuimus. At præmotio physica Thomistarum dari dicitur ad omnes et singulos actus. Deinde S. Thomas non dicit immutabiliter moveri voluntatem præcise ex naturali et intrinseca conditioni divinæ motionis; quod patet non solum ex apertis locis alibi adductis, in quibus dicitur voluntas posse *resistere divinæ motioni*, sed etiam ex hoc ipso, qui nobis objicitur, articulo. Nam ibi expresse notatur cum et sub illa immutabilitate motionis manere naturalem indifferentiam voluntatis, ex quo infert S. Thomas salvam eidem superesse libertatem (3). Præterea ibidem probat nunquam voluntatem ex necessitate agere, quia nihil est, quod eam ad actum necessitet sive ex parte objecti appetibilis sive

(1) *De Malo*, quæst. 6, art. unic. ad 1.um Cfr. 2. 2.æ, quæst. 24, art. 11 corp.

(2) Quæst. 10, art. 4, ad 3.um

(3) Cfr. etiam in corp. articuli.

ex parte dispositionum, quibus inclinatur ad agendum, quales sunt, v. gr., habitus vel passiones. Non ex parte objecti, quia etiamsi illud foret undequaque bonum, potest avertere cogitationem ab eo; non ex parte dispositionum et inclinationum subjecti, nisi sint omnino ingenitæ et naturales, quia subjacent voluntati (1). Nimirum ratio, cur voluntas nunquam necessitetur ad actum, ex eo tandem repetitur, quod voluntas potest resistere, atque impedimentum apponere objecto vel formæ, a qua inclinatur ad agendum. Est ergo impossibile, ut in eo ipso articulo immutabilem efficaciam virtutis divinæ, voluntatem moventis, ita intellexerit, ut huic, dum suam retinet libertatem, non remaneat potentia resistendi. Atqui prædeterminatio nullam relinquit voluntati hujusmodi potentiam resistendi, nec ullam indifferentiam, sed illam penitus determinat, atque alligat hic et nunc ad unum indeclinabiliter. Ergo S. Doctor in objecto loco non docuit physicam præmotionem Thomistarum. Idem confirmatur ex exemplo divinæ providentiæ *infallibiliter* operantis, quo S. Doctor utitur ad mentem suam declarandam. Passim enim repetit Angelicus ad providentiam divinam spectare, *non solum quod faciat hoc ens, sed quod det ei contingentiam vel necessitatem. Secundum enim quod unicuique dare voluit contingentiam vel necessitatem, præparavit ei causas medias, ex quibus de necessitate sequatur vel contingenter* (2). Vides ergo *immutabilitatem* motionis divinæ, ad hoc ut actus voluntatis liber esse possit, non debere destruere contingentiam et defectibilitatem voluntatis. Atqui si motio illa immutabilis consistat in prædeterminatione, dum hæc adest, voluntas jam non amplius suam contingentiam et defectibilitatem servat.

Itaque verum est, etiam in nostra sententia, Deum movere *voluntatem propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest;* verum est, *quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est hoc positionem, quod voluntas ad illud*

(1) Lege circa finem corporis. Cfr. ibid. ad 7.um, 15.um et 21.um

(2) *Metaphysic.* lib. 6. lect. 3, paragr. *c*, vers. fin. Cfr. *Periherm.* lib. 1, lect 14 paragr. *f*, post medium; *Quodlib.* 12, art. 3, ad 1.um; 1 p. quæst. 19, art. 8; quæst. 22, art. 4; 1.ª dist. 39, quæst. 2, art. 2, corp., etc., etc....

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non moveatur (1); *non tamen est impossibile simpliciter* (2), ut addit ipsemet S. Thomas. Ergo illa immutabilitas divinæ motionis non est repetenda ex eo, quo ex natura sua indeclinabiliter trahat consensum voluntatis, sicut trahit Thomistica prædeterminatio; secus, tali motione data, *impossibile foret simpliciter*, quod voluntas non moveretur, ac renueret; sed quia ex certitudine divinæ scientiæ et decreto divinæ voluntatis eligentis ea media et auxilia, quæ, licet ex sua quidem natura non infallibiliter connexa sint cum actu voluntatis, certissime tamen ab æterno prævisa sunt effectum esse habitura (3).

Objic. 3.° Ex S. Thoma. *Deus non tantum juvat nos ad bene agendum per habitum gratiæ, sed* et interius operando in ipsa voluntate, *sicut in qualibet re operatur, et exterius occasiones et auxilia præbendo ad bene agendum, et sine his omnibus nullus bene facere potest* (4).

Respondeo, *neg.* consequentiam. Nihil enim est in objectis verbis, quod præmotionem probet. Operatio, qua Deus interius operatur in ipsa voluntate, sicut in quælibet re, in modo loquendi S. Thomæ non est prævia aliqua motio, qua voluntas ad actum inclinetur; sed ipse simultaneus concursus divinus, identificatus cum operatione voluntatis, quemadmodum diximus, et probavimus, celebrem locum quæstionis tertiæ *de Potentia* exponentes.

Objic. 4.° Hoc est principium generale sæpius ab Angelico inculcatum cum Aristotele: *Quod indifferenter se habet ad multa, non magis unum operatur quam aliud; unde a contingente ad utrumque non sequitur aliquis effectus nisi per aliquid, per quod determinetur ad unum* (5). Atqui voluntas creata ex se est principium indeterminatum et indifferens ad utrumlibet, et ad multa indifferenter se habet. Ergo nunquam exibit in actum determinatum, nisi prius saltem

(1) Intellige, si motio sit efficax; secus enim foret, si motio non est efficax, ut accidit in gratia *pure sufficienti*.

(2) 1. 2.ª quæst. 10, art. 4, ad 3.um

(3) Cfr. 1.ª *Contr. Gent* cap. 85 fin.

(4) 2.ª dist. 28, quæst. 1, art. 1, ad 3.um

(5) 3.° *Contr. Gent.* cap. 2, *Item, si agens non tenderet.* Cfr 2.ª *Physicor.* lect. 8.

natura determinetur ab aliquo agente extraneo, scilicet Deo (1).

Respondeo, *neg.* consequentiam. Quisnam enim est nexus inter hæc: *Voluntas indiget determinari ab aliquo. Ergo determinatur a Deo solo per physicam præmotionem?* Certe S. Thomas non ita concludebat in pluribus locis, quos supra retulimus. Sed ex illo antecedente constanter intulit, quod voluntas se ipsam determinet *per consilium rationis vel per appetitum finis*, nunquam vero ad Deum confugit, nisi ad statuendam *determinationem* seu *inclinationem* in bonum in genere, quæ naturalis est, et inest perpetuo voluntati instar *impressionis ingenitæ ac necessariæ*, contra quam absolute impossibile est, ut agat (2). Immo vero perpetuo excludit generatim quodcumque extrinsecum determinans absque ulla limitatione, ut vidimus.

Cæterum in hoc ipso loco objecto a P. Gonet, S. Thomas non aliud concludit ex illo principio, nisi quod omne agens agere debet propter *finem*, siquidem finis est id, quod ad unum restringit, ac determinat nativam indifferentiam agentis ad plura.

P. Billuart post hæc aliaque loca D. Thomæ, quæ in antecessum præoccuppavimus, in favorem prædeterminationis physicæ alluta, prosequitur suam istius doctrinæ defensionem rationibus, ut ipse dicit ex D. Thomæ depromptis; quibus jam responsum a nobis est in capite præcedente.

Objic 5.° Hæc quoque S. Thomæ vox est: *Ipse solus* (Deus) *imprimere potest in voluntatem nostram*; et: *Ipse Deus, qui est simpliciter primus provideus, imprimit solum in voluntatem* (3).

Respondeo. Quis id in dubium revocet? Sed quæro, quomodo logice connectantur hæc: *Deus solus potest imprimere: ergo semper imprimit pro qualibet actione voluntatis?* Et hæc: *Deus imprimit solus in voluntatem: ergo imprimit physice prædeterminando?* Legatur itaque articulus integer, et patebit

(1) Ita P. Gonet in *Manuali Thomistarum*, tom. 1, tract. 4, cap. 4, paragr. III, pag. 206. Patavii, 1718.

(2) Vide 4.ª, dist. 49, quæst. 1, art. 3, solut. 2, corp. et. ad 1.um

(3) *De Verit.* quæst 5, art. 10. Cfr. quæst. 22, art. 9, ad 4.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ex contextu, nihil aliud voluisse S. Thomam docere, nisi quod solus Deus possit intrinsece mutare voluntatem, et ab una in aliam inclinationem convertere, secus atque angeli vel corpora cœlestia, quæ id non possunt (1). Deus autem per suam gratiam hujusmodi mutationes operatur suavissime absque ulla physica prædeterminatione, quemadmodum docent Theologi nostri, integra remanente libertate voluntatis. Immo concedunt etiam plures, quod Deus *posset* de absoluta potentia efficere hujusmodi mutationes, etiam necessitando voluntatem.

Objic. 6.° Plures e Societate Jesu Doctores, ac nominatim Molina (2), Conimbricenses (3), Suarez (4), Toletus (5), Pererius (6), Bellarminus (7) aliique fatentur S. Thomam præmotionem physicam docuisse.

Quin etiam libellus *de Ratione studiorum*, inquit P. Billuart, in ipso collegio Romano, anno 1586, compositus a sex Patribus Jesuitis a Reverendissimo P. Generali ad id deputatis, sic habet in regula quinta: *In Theologia doctrinam S. Thomæ, ut cavetur quarta parte Constitutionum, cap. 14. Nostri sequantur exceptis paucis.* Inter autem pauca illa excepta sic numero 6 legitur: *Causas secundas esse proprie et univoce instrumenta Dei: et cum operantur, Deum in illas primum influere aut eas movere.* Hunc libellum, pergit Billuart, Tolosæ in conventu D. Thomæ Aquinatis asservari testatur P. Antonius Massoulié, seque ipsum sæpe legisse, et quæ referimus, propria manu ex illo exscripsisse. Equidem alter fuit postea editus Antuerpiæ, in quo hæc desiderantur: qua mente vel causa, non inquiro. Sufficit nobis ita censuisse sex illos Patres prioris Auctores (8).

(1) Vide *Psycholog.* vol. 3.um, num. 76 et 77, pag. 187, seqq. et 191.

(2) In 1.am p. quæst. 14, art. 13, di1p. 6; et in *Concord.* quæst. 14, art. 13, disp. 25.

(3) Lib. 2.° *Physicor.* cap. 7, quæs 13, art. 1 et 2.

(4) *Metaphys.* disp. 22, sect. 2, num. 52.

(5) In 1.am p. quæst. 8, art., 1, post. 2.am conclus.; quæst. 14, art. 13, quæst. 1.°

(6) *De Communibus*, etc., lib. 8, cap. 7.

(7) *De Grat.* et *lib. arbitr.* lib. 1, cap. 15.

(8) Billuart, *Summa S. Thomæ, De Gratia*, dissert. 5, art. 7, paragr. III.

Simili modo rem referunt R. P. Joann. Bapt. Gonet (2) et R. P. Antonius Goudin (1), nisi quod ille addit libellum illum tradi «pro regula Lectoribus omnibus Societatis»; monetque citatam ex illo sententiam se de verbo ad verbum transcripsisse ex exemplari Tolosano, de quo loquitur Billuartius; ac tandem concludit sic: *Unde mirum est, quod aliqui Patres Societatis hæc in tali libro haberi negare ausi fuerint».*

Denique P. Antonius Massoulié præ gaudio gestiens, quod, divina providentia disponente, unicum exemplar hujus libelli, ut ipse arbitrabatur, superstes, in manus PP. Prædicatorum Conventus Tolosani incideret, non dubitavit, si fidem habeamus Domino Debure (3), hanc notam appingere in capite ejusdem exemplaris: *Hic liber Romanis Jesuitarum typis, anno 1586 editus, sententias de Prædeterminatione physica, seu de Physico Dei in causas secundas influxu, nec non de gratuita ad gloriam prædestinatione; insuper et alias bene multas similis ponderis conclusiones, tamquam a sanctis Augustino et Thoma propugnatas agnoscens, felicem apud Tolosanos Dominicanos asylum sub multiplici cera obsignatum obtinuit, nec sine efficacissima omnipotentis numinis dispensatione dici potuit* liber singularis. *Quippe in orbe literario relictus est solus, sæculentius progenitorimus contra cætera omnia exemplaria, quibus postmodum, nempe anno 1660, aliud supposuere volumen, quidem ejusdem officinæ nominis, sed longe disparis rationis, utpote multiplici arte interpolatum, nec hactenus resarcitum, immo nusquam, ut suspicari fas est, resarciendum. Ideoque majori in dies sedulitate custodiendus liber iste perenniter illæsus, qui cœlitus ad nos venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, multiplicem veritatem confirmante, et Societatis alumnos provocante ad thomistica vestigia sectanda, exemplis Dominicani Ordinis, tantam inde haurientis eximiæ eruditionis*

(1) *Manuale Thomistarum*, tom. 1, tract. 4, cap. 4, paragr. 303. Patavii, 1718.

(2) *Philosoph. juxta inconcussa*, etc., tom. 4, Tert. Pars, quæst. 4, art. 4, paragr. VII.

(3) *Bibliographie instructive*, num. 1008, apud Bacquer, *Bibliothèque des crivains de la Comp ... de Jesus...* Quatrième série, art. Aquaviva, pag. 17. Liége 1858.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ubertatem, tantam theologicæ gloriæ celebritatem, tamque illibati systematis firmitatem (1).

Respondeo. Quod ad primum attinet, fateor quosdam scriptores nostros existimasse, S. Thomam motionem aliquam prævíam in ipsis causis receptam, qua hæ ad agendum applicarentur, agnovisse: ita nominatim Toletus et Conimbrecenses (2), qui tamen prædictam sententiam impugnant.

Idem videtur putasse P. Molina, quamvis non omnino liquet. Nam recitata doctrina Primæ Partis *Summæ theologicæ* in quæstione 105, art. 5, secundum quam Deus dicitur applicare virtutes causarum secundarum ad operationem; ingenue aperit valde difficilem sibi esse *said intelligendum motionem et applicationem hanc, quam S. Thomas in causis secundis exigit*, ob duas rationes, quas ibidem exponit. Mox proponit suam sententiam concursus simultanei excludentem influxum Dei receptum prævie in ipsam causam secundam, additque: *Quidquid autem sit de loco illo paulo ante citato* (ex parte 1.ª quæst. 105, art. 5.), *forte neque D. Thomas a nobis dissentit*. Cajetanus namque, qui modum loquendi D. Thomæ servat, ita ad hunc decimum tertium articulum (1. p., quæst. 14.) suam ac D. Thomæ sententiam interpretatur, ut prorsus nobiscum consentiat, ut disputatione undecima videbimus (3).

Bellarminus et Pererius solum dixerunt, quod attinet ad hanc rem, ex S. Thoma Deum non solum causis secundis dare et conservare virtutes operatrices, sed etiam eas movere

(1) Tantopere exarsit P. Massoulié studio conservandi illius libelli, immo et ad normam ipsius corrigendi authenticam *Rationem studiorum*, auctoritate Societatis postmodum evulgatam, quantam ostendunt hæc verba ejusdem Domini Debure nuper citati: «Il a mis à la tête de son livre (*Divus Thomas suis Interpres*) une préface qui contient un éloge singulier de la rareté et du mérite de l'exemplaire des Dominicains de Toulouse, qu'il regarde comme le seul qui existe, et il rapporte à ce sujet *la plus grande partie des passages retranchés dans les éditions postérieures*, à fin de pouvoir, au moyen de ce secours, compléter les exemplaires des autres éditions en y ajoutant à la main ce qui en a été retranché.

(2) In locis nuper citatis.

(3) Loc cit in 1. p., quæst. 14. *Item in Concordia.*

et applicare ad opus, non autem dixerunt in his modis operationis divinæ contineri physicam præmotionem. Nos etiam fatemur D. Thomam illos modos operationis docuisse, non tamen arbitramur prædeterminationes physicas amasse, quin potius contrarium conati sumus demonstrare.

Denique Doctor Eximius, in prioribus quidem operibus (1) fassus fuit, S. Thomam in quæstione tertia *de Potentia* admisisse prævíam motionem, addens tamen non fuisse constantem in ea doctrina, sed eam tacite retractasse in aliis locis. Verum in alio opere posteriore, re melius considerata, mutavit mentem ipse, quantum attinet ad retractationem sententiæ factam ab Angelico, probans fuse Aquinatem nec in eo ipso loco quæstionis tertiæ *de Potentia* physicam ullam præmotionem docuisse (2).

Venio jam ad libellum de *Ratione studiorum* nostrorum anno 1586 Romæ compositum, in quo unice exultant, ac delectantur adversarii nostri. Nam divina Providentia disposuit, ut præter Tolosanum exemplar celeberrimi hujus opusculi, alia quoque alibi extarent, unde facile erit nobis tenebras adversariarum assertionum dissipare. Itaque ex exemplari, quod in urbe Florentiæ asservatur (3), hæc observo:

1. Et primo quidem, qualisnam sit indoles et quanta auctoritas istius opusculi ex voluntate ipsius P. Claudii Aquaviva, Præpositi Generalis Societatis Jesu, apparet ex Prologo ejusdem, qui sic ex orditur: *Lectori S.—De omni studiorum ratione disseruere sex Deputati Patres* (4), *quæ ad eam rem*

(1) Vide opusc. *de vera intellig. auxilii efficacis*, cap. 40, et alia loca citata.

(2) Vide omnino libr. 3 *de Gratia*, cap. 38, num. 11, et num. 18 et seqq.

(3) Titulus hic est: *Ratio atque Institutio studiorum per sex Patres ad id jussu R. P. Præpositi Generalis deputatos conscripta. Romæ in Collegio Societatis Jesu, anno Domini MDLXXXVI. Cum facultate Superiorum. Ad calcem vero totius libelli hæc habetur clausula: Laus Deo et B. Mariæ V.—Romæ, Excudebat Franciscus Zanettus*, MDLXXXVI.

(4) Quinam fuerint illis ex Patres, docet nos idem libellus pag. 4: *Ex Hispania venit P. Joannes Azor, ex Lusitania P. Gaspar Gonzalez, ex Gallia P. Jacobus Tyrius; ex Austria P. Petrus Busæus; ex Germania Superiore P. Antonius Guisanus. Romæ commorabatur P. Stephanus Tuccius.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

maxime facere arbitrati sunt. Visum est tamen R. P. Præposito Gen., cum hoc opus arduum sit, et in publicam totius Societatis utilitatem instituatur, quo et æquioribus animis excipiatur, et perpetua sedulitate conservetur, nihil firmiter definire priusquam omnium Provinciarum Doctores nostri, quid de tota re arbitrentur, exponant. *Hoc itaque volumen Deputatorum Patrum opera confectum, typis jussit excudi, non ut* tamquam plane constituta jam res induceretur in mores, sed quo expeditius multa suppeterent, quæ in omnem Societatem dimissa, *sicut a Romano Collegio jam dijudicata sunt, ita et a Provinciarum Doctoribus recognoscantur.* Qui postquam perscripserint, quæcumque de re tota senserint, tandem a R. P. Præposito Gen., auditis Provinciarum sententiis, quid optimum factu sit, decerneretur.

2.° Ex quibus verbis habetur expresse, libellum istum nullatenus exhibere normam stabilem ac definitivam studiorum nostrorum, sed normam hujusmodi ex voluntate supremi Moderatoris nostris proponendam esse, auditis Provinciarum de hoc primo tentamine sententiis. Norma porro hujusmodi prodiit serius ex præscripto legitimæ auctoritatis. Itaque verum omnino non est, quod P. Gonetum scripsisse diximus, libellum illum tradi «pro Regula Lectoribus omnibus Societatis»; nec mirari debuerunt adversarii nostri, si in posterioribus editionibus aliquantulum emendata et mutata apparuit *Ratio studiorum nostrorum*, multoque minus postulare potuerunt authenticas hasce editiones corrigendas esse ad formam prioris illius, quippe quæ non veram *studiorum Rationem* normamve, sed solum schema quoddam continebat, ex quo, accedentibus Provinciarum judiciis et observationibus, conficeretur tandem vera *Ratio*, ac per legitimam auctoritatem Universæ Societati Jesu præscriberetur.

3.° Verum, ut directe respondeamus, addo non integre referri ab adversariis verba nobis objecta. Sic enim habet regula 5.ª, unde illi argumentum suum pellerunt: *In Theologia doctrinam S. Thomæ, ut cavetur quarta parte Constitutionum, cap. 14, Nostri sequantur, exceptis paucis, quæ licet* sint, aut videri possint esse S. Thomæ, *quia tamen contraria et sine periculo et valde probabiliter defendi possunt, si quis hæc docere velit, conniveant Superiores ad ingeniorum exercitationem*

majorem et accuratius veritatis examen. Nostri itaque non cogantur defendere, quæ sequuntur.... (sexto loco) secundas causas esse proprie et univoce instrumenta Dei, et cum operantur, Deum in eas primum influere, aut eas movere.

Jam qui scribit propositionem aliquam *esse, aut videri posse S. Thomæ*, nequit profecto dici absolute, quod fateatur illam esse S. Thomæ. Ergo R. P. Gonetus, qui, prout ipse profitetur, de verbo ad verbum sententiam illam ex Tolosano exemplari transcripsit, rem minus fideliter narravit, supressis paucis vocabulis, quæ sensum mutant. Pater vero Massoulié qui, ex narratione D. Debure, eo audaciæ progressus est, ut authenticas editiones *Rationis studiorum*, quia a primo schemate discrepabant, *suppositionis atque interpolationis* accusarit, mutilando verum sensum; R. Patrem Billuart aliosque in errorem induxit.

4.° Sed quamvis in eo schemate absolute diceretur, propositionem illam esse S. Thomæ, id unum sequeretur, sex illos Patres, qui libellum confecerant, ita sensisse, quemadmodum Conimbricenses etiam ac Toletum opinatos fuisse fatemur, aliis tamen pluribus contradicentibus. Quin potius exinde argumentum retorqueretur contra præmotionem physicam. Si enim homines optime erga S. Thomam animati, in eo ipso loco, in quo tanti Doctoris studium et sequelam gravissime commendant, excipiunt nihilominus physicam prædeterminationem, quid inde, quæso, inferendum est, nisi quod doctrina hujusmodi in opinione illorum tam levibus innitatur fundamentis, quæ, vel accedente ipsius Aquinatis auctoritate, non valeant sat firmam gignere mentis adhæsionem? Simili modo se gessere Patres quintæ Congregationes Generalis, sub eodem Claudio Aquaviva, cum in decreto quadragesimo primo, in quo severissimis verbis præceperunt nostris, ut in scholastica Theologia sequerentur doctrinam S. Thomæ, exceptam voluere sententiam de Immaculato Deiparæ Conceptu ac de votorum solemnitate (1). Quod consilium quam non fuerit imprudens, probavit postea eventus.

(1) Primum vero punctum decreti illius, unde mox confectæ fuere regula secunda et tertia *Rationis studiorum*, sic sonat: *Sequantur Nostri Doctores in scholastica Theologia doctrinam S. Thomæ, neque deinceps ad cathedras theologicas promoveantur, nisi qui*

quando præstantissimum illud privilegium infallibili Pontificis oraculo B. Virgini Mariæ assertum est.

5.° Denique optandum fuisset, ut nec R. P. Massoulié, nec quivis alius Societati Jesu exprobrasset, quod proponendo suis filiis normam ac rationem studiorum diversam a primo illo sex Patrum Deputatorum schemate, a suo officio sequendi doctrinam S. Thomæ defecisset. Semper enim hac in re Societas Jesu similis fuit sibi ipsi, ex quo a sanctissimo suo Fundatore mandatum illud accepit, multoque luculentiora venerationis ac sincerissimi studii erga S. Doctorem testimonia resplendent in Congregationibus Generalibus ac *Ratione studiorum*, quæ in hac parte nunquam mutata fuit, quam in primo illo schemate, quod nobis passim objiciunt adversarii, quasi aliquid contineret posteris scriptoribus nostris contrarium.

Solet quoque nostris Auctoribus objici decretum a R. P. Claudio Aquaviva, Præposito Generali Societatis Jesu, circa gratiam efficacem ejusque a sufficienti discrimen editum. Verum res hac ad Theologos spectat; qui autem verum decreti sensum agnoscere velint, adeant passim Theologos nostros (1).

S. Thomæ bene affecti fuerint, qui vero ejusdem auctoris parum studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, a docendi munere repellantur. De Conceptione autem B. Mariæ ac de solemnitate votorum sequantur sententiam, quæ magis hac tempore communis magisque recepta apud Theologos est. Congreg. V. decret. 41.

(1) Cfr. P. Livinus Meyer, *Histor. Controvers.* tom. 1, lib. 6, cap. 31; Schneemann, *Controversiæ de div. grat.*, etc., paragr. 16.

DISPUTATIO OCTAVA

DE PROVIDENTIA DEI ET RERUM OMNIUM GUBERNATIONE AC DOMINIO.

Accedimus jam ad postremam de Deo O. M. tractandam disputationem eorum, quæ lumine naturæ cognosci aliquo modo possunt. Tria vero hic ideo in unum conjungimus, providentiam, et rerum gubernationem ac dominium, quia duo priora, providentia et gubernatio, ita sunt intime conserta, ut unum sine altero plene cognosci non possit, est enim gubernatio exsecutio providentiæ: quare gubernatio providentiam subaudit, providentia vero in mente residens, per gubernationem extrinsecus patescit. Quamquam si gubernatio sumatur pro ipsa arte gubernandi, a providentia non distinguitur, nam docente S. Thoma, *ratio gubernationis... est ipsa providentia* (1). Dominium autem ex hactenus dictis sponte efflorescit instar manifestissimi corollarii.

CAPUT I

DE PROVIDENTIA DEI.

324. Providentia statuitur a S. Thoma inter partes quasi integrales prudentiæ (2), inter eas videlicet, *quas necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius:* quæ fuit etiam opinio Ciceronis (3) et Macrobii (4). Ratio autem est, quia *prudentia proprie est circa ea, quæ sunt ad finem, et hoc ad ejus officium proprie pertinet, ut ad finem debite ordinentur.* Qualia sunt fere contingentia, quæ diversimode ordinari possunt, et quidem futura, nam præterita jam necessitatem habent

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 6.
(2) S. Tom. 2.ª 2.æ quæst. 48, art. unic.
(3) *De invent.* lib. 2.
(4) *In somn. Scipion.* 1, cap. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suppositionis, nec aliter ordinari queunt, et similiter præsentia, quamquam et memoria præteritorum et præsentium intelligentia valde juvat ad recte ordinanda futura.

Unde consequens est, quod contingentia futura, secundum quod sunt per hominem in finem humanæ vitæ ordinabilia (et similiter per Deum), *pertinent ad providentiam. Utrumque autem horum importatur in nomine providentiæ; importat enim providentia respectum quemdam alicujus distantis* (quasi porrovidentia), *ad quod ea, quæ in præsenti occurrunt, ordinanda sunt. Unde providentia est pars prudentiæ* (1). Quandoquidem *prudentiæ.... proprium est*, ut idem Aquinas docet cum Philosopho (2), *ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens, qui bene ordinat actus suos ad finem vitæ suæ* (prudentia monastica), *sive respectu aliorum sibi subjectorum in familia* (prudentia œconomica), *vel in civitate* (prudentia politica), *vel regno* (prudentia regnativa); *secundum quem modum dicitur* (Matth. cap. 24. vers. 45): *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* (3). Et prudentia hujusmodi respectu actuum aliorum est providentia Dei; nam in Deo respectu actuum suorum nihil est ordinabile in finem, cum ipse *sit finis ultimus*. De providentia itaque plura nobis inquirenda sunt, primo ejus notio, deinde existentia et ambitus modusque.

ARTICULUS I

Quid sit providentia.

Circa rationem providentiæ duo possunt occurrere dubia: primum, solutu facillimum, est, quænam sit notio ac descriptio illius, alterum, valde controversum, est, in quo actu sita sit formalis ratio providentiæ.

(1) S. Thom. 2.ª 2.æ quæst. 49, art. 6. Cfr. 1 p. quæst. 22, art. 1.
(2) In 6.º *Ethicor.*
(3) S. Thom. 1 p. quæst 22, art. 1. Cfr. 2.ª 2.æ quæst. 50.

§ I.—DESCRIPTIO PROVIDENTIÆ.

Quid sit providentia.

325. *Ratio ordinis rerum in finem* providentia *in Deo nuncupatur*, vel, si mavis, *ratio ordinandorum in finem* (1). Quæ descriptio desumpta est ex Boetio, secundum quem providentia est *ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit* (2), nempe in fines suos. Est ratio, id est, cognitio, et quidem practica rerum ordinandarum in finem; Deus enim perspectas habet naturas omnes earumque fines et proximos et remotos, et media modosque, quibus unaquæque promoveri valeat ad fines, ac potissimum ultimum, assequendos, et horum ratio providentiam constituit. Sicut enim Deus per exemplares ideas dirigit effectionem rerum omnium, ita per providentiam novit, quo pacto res semel constitutæ ordinandæ ac dirigendæ sint ad fines, vel gubernandæ. Quamobrem est providentia Dei attributum solatio plenum et summis celebrandum laudibus, nihil enim est aliud, quam cura, qua Deus cunctis rebus creatis prospicit, ut finem assequantur suum. Nam Deus res a se conditas et creatas nullatenus negligit, vel derelinquit, sed continuam earum *curam* gerit, ad quam duo *pertinet, scilicet* ratio ordinis, *quæ dicitur, providentia et dispositio, et* exsecutio ordinis, *quæ dicitur gubernatio* (3).

Providentia sit æterna, gubernatio temporalis.

Ex quo etiam vides providentiam esse æternam, gubernationem autem temporaneam. Deus enim per providentiam ab æterno excogitavit rationem ac dispositionem ordinandorum omnium in fines suos, quam tamen non a tota æternitate, sed in tempore per gubernationem exsecutioni mandavit.

Providentia duplex: physica

326. Providentia duplex distingui potest, vel quasi ex duabus partibus integratur, altera *physica*, altera *moralis*. Prior generalis est rebus omnibus, tam inanimatis, quam animatis, atque etiam hominibus et angelis, quatenus cum aliis commune habent esse et operari. Posterior est propria hominum et angelorum, quia illi soli sunt capaces moralium

et moralis.

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 22, art. 1.
(2) Boetius, *De consolat. Philos.*, lib. 4, pros. 6.
(3) S. Thom. 1. p. quæst. 22, art. 1, ad 2.um

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

actionum et finis, quia per illas comparatur, quia illi soli habent arbitrii libertatem» (1). Providentia vero hæc moralis mox dividi potest in naturalem et supernaturalem, prout spectetur respectu eorum quæ rationalibus substantiis conveniunt secundum naturam ejus, vel respectu eorum quæ illis disponuntur a Deo secundum altiorem ordinem, ad quem ultro debitum per largissimam Conditoris bonitatem evectæ sunt: quo spectat prædestinatio et voluntas salvandi omnes homines, de quibus nobis agendum non est, quia superant lumen naturale, ideoque Theologis relinqui debent.

quæ mox in naturalem et supernaturalem dispescitur.

327. Jam si quæras, quænam actiones ad providentiam Dei pertineant, respondendum videtur, si sermo sit de generali ac naturali providentia, omnes fere revocari posse ad conservationem rerum et concursum. Providentia enim supponit creationem rerum, et mox addit eas actiones, quæ necessariæ sunt ad illarum ordinationem et finem. At inter ejusmodi actiones prima est conservatio rerum in *esse*, ut illæ in suis naturis subsistant, postea vero succedit concursus et cooperatio divina ad omnes actiones, per quas creaturæ tendunt ad proprios fines. Addendæ sunt præterea omnes, quas Deus ipse solus et immediate efficere velit ad bonum et perfectionem rerum creatarum et ordinis universalis conservationem. Quo etiam spectare postest ipsa apta dispositio rerum creatarum suis locis ac temporibus, prout Deus melius convenire videt secundum æternum sapientiæ suæ consilium (2). Cæterum quamvis prima rei existentia vel creatio non spectet ad providentiam, quam Deus habeat respectu illius ipsius rei, tamen respectu mundi et aliarum rerum potest, opinor, esse actus providentiæ. Sic ad providentiam, quam Deus habet, v. gr. Ecclesiæ, spectare omnino videtur existentia et creatio quorumdam hominum, quos ideo *providentiales* dicimus. Simili modo novi effectus, qui in horas producuntur, quatenus sunt terminus concursus Dei cum causis secundis operantis, sunt actus providentiæ: quamvis repectu ipsarum rerum, quæ fiunt non sunt actus providentiæ, quia particularis providentia Dei circa singulas res, earum

Quænam sint actiones, circa quas versetur divina providentia, sive in ordine naturali.

(1) Suarez, *De Deo et attribut. Dei post.* lib. 3, cap. 10, num. 2.
(2) Cfr. inferius dicenda cap. 2, art. 3 *de Gubernat.*, initio.

creationem vel primam existentiam subaudit. Quare creatio rerum non absolute et universaliter videtur excludenda ab actibus divinæ providentiæ.

Denique quod attinet providentiam moralem considerari possunt ante omnia leges et præcepta, consilia et promissiones, comminationes et præmia ac supplicia multiplicia-que dona gratiæ, itemque miracula et opera a solo Deo patrata præter ac supra vires et ordinem naturæ, ac demum reliqua charismata ordinis supernaturalis, quæ uberrima copia largissime a Deo parata sunt ad moralem rationalium creaturarum gubernationem, ut sic illæ per tot tantaque media finem suum assequi valerent; quæ omnia Theologis enucleanda relinquantur. Ut ergo summatim præcipua colligamus, nobis innuere sufficiat providentiam respicere actus illos, qui ad actualem mundi gubernationem pertinent, nempe generatim conservationem et cooperationem, apta dispositionem omnium ad fines proprios assequendos, et speciatim pro creatura rationali elevationem ad ordinem supernaturalem, redemptionem, justificationem, prædefinitiones bonorum actuum, permissionem peccati, auxilia gratiæ, remunerationem, punitionem...

sive in morali.

328. Quæri porro hic posset, utrum de intrinseca ratione providentiæ sit non solum ordinatio mediorum in finem, sed etiam infallibilis assecutio finis a Deo intenti. Responderi autem potest distinguendo duplicem in Deo providentiæ partem ac duplicem intentionem finis. Nam de providentia loqui possumus, sicut de divina voluntate. Quemadmodum enim alia est voluntas Dei antecedens, conditionata nec semper efficax, alia consequens, absoluta et efficax (1); ita etiam distingui potest duplex providentia et intentio, altera antecedens, conditionata et inefficax vel non semper efficax, altera consequens, absoluta et efficax. Postrema ergo hæc providentia postulat non solum præparationem atque ordinationem mediorum, sed etiam infallibilem assecutionem finis, et patet in prædestinatione electorum ad gloriam, quæ certissime finem attingit suum. Altera

Utrum unde providentiæ requirat non solum ordinationem mediorum ad finem, sed ejus etiam infallibilem assecutionem.

(1) Vide supra istas voluntatis divisiones, num. 127 seqq., et pag. 452 seqq.

vero providentia et intentio finis solum requirit præparationem mediorum, et manifesta redditur in voluntate salvifica Dei ac reprobatione damnatorum: quamquam enim Deus velit antecedenter salutem æternam omnium hominum, mediaque sufficientissima ad illam obtinendam præparaverit, multi tamen ab illa excidunt, et reprobi fiunt, atque ad inferos detruduntur. Unde absolute et absque ulla distinctione loquendo, non est de intrinseca ratione providentiæ Dei generatim sumptæ, ut finem assequatur, sed solum ut apta ad illum media ordinet.

Potest etiam dici, providentiam Dei respectu finis supremi rerum cunctarum, qui est gloria Dei, semper impleri, ac postulare finis assecutionem, respectu vero finis proximioris, qualis est, v. gr. in homine beatitudo, non postulare absolutam finis assecutionem, sed tantum mediorum præparationem. Unde plena propositæ quæstionis solutio utrumque complectitur; et sic interroganti, utrum de intrinseca ratione providentiæ sit non solum mediorum ordinatio, sed etiam infallibilis assecutio finis, sub hac distinctione respondendum est: De intrinseca ratione providentiæ divinæ est infallibilis assecutio finis, si sermo sit de supremo vel simpliciter ultimo fine rerum omnium, nempe gloria Dei, quam Deus absoluta et efficacissima intentione sibi proponit, *concedo*, quia sive homo salutem adipiscatur, sive damnetur ex sua culpa, Deus semper obtinet gloriam suam in eo ipso gradu et modo, quem absolute intendit, sive per ostensionem bonitatis ac misericordiæ suæ in cœlis, sive per ostensionem justitiæ in inferis. De intrinseca ratione providentiæ divinæ est infallibilis assecutio finis, si sermo sit de fine non simpliciter ultimo seu supremo, *subdistinguo*; assecutio finis est de intrinseca ratione providentiæ consequentis et absolutæ, quæ implicat efficacem finis intentionem, iterum *concedo*; de intrinseca ratione providentiæ antecedentis et conditionatæ, quæ non importat efficacem intentionem finis, *nego* (1).

(1) Cfr. P. Didacus Ruiz de Montoya (*de voluntate Dei*, disp. 50, sect. 10, num. 6), Valentia (In 1.am part. disp. V, quæst. 22, punct. 1), Gonet (*Clypeus*, tom 1, disp. 8, art. 2, paragr 3, *Quærunt hic aliqui*), Gotti (*Theolog. scholast. dogmat.* tom. 1, tract. 6, quæst. 1, dub. 1, paragr. 2).

Ex qua doctrina egregie conciliantur loca S. Thomæ in speciem contraria. Interdum enim docet nihil posse effugere divinam voluntatem ordinemque providentiæ: *Cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium; sicut peccator, qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur* (1). Quæ verba verissimam doctrinam continent relate ad providentiam absolutam et universalissimam, quam Deus habet respectu finis supremi cunctarum rerum mundanarum. Et alibi probat Aquinas divinæ providentiæ exsecutionem impediri non posse (2): quæ pariter verissima sunt, si de absoluta providentia intelligantur, quæ sequitur intentionem finis efficacem. E converso alibi docet aliquid posse exire ab ordine divinæ providentiæ, quantum ad id, quod intentum est, videlicet providentia et voluntate antecedente et non absoluta, sed conditionata, nihil autem posse exire ex ordine prædestinationis, utpote quæ voluntatem et providentiam continet absolutam et efficacem (3). Unde etiam sæpenumero docet prædestinationem ita esse certam atque infallibilem, ut semper consequatur effectum seu finem (4). Audiatur Angelicus: *In qualibet ordinatione ad finem est duo considerare, scilicet ipsum ordinem et exitum vel eventum ordinis;* **non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia** *ergo ordinem in* **finem respicit tantum:** *unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur. Sed* **prædestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis: unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur** (5). Cum ergo doctrina S. Thomæ facillime concilietur, falso scripsit Cajetanus (6), S. Doctorem in *Summa Theologica*

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 19, art. 6.
(2) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 94.
(3) Vide S. Thom. 1.ª dist. 40, quæst. 1, art. 2; dist. 47, art. 4.
(4) S. Thom. 1 p. quæst. 23, art. 6.ª; 1.ª dist. 40, quæst. 3, art. unic., etc.
(5) S. Thom. de verit. quæst. 6, art. 1.
(6) In 1.am part., quæst. 22, art. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

retractasse, quæ olim docuerat in libro 1.º Sententiarum, distinctione 40.

Quo pacto comparatur providentia scientiæ ac potentiæ.

Quæ cum ita sint, hoc cum S. Thoma concludere licet corollarium circa modum, quo providentia comparatur ad alia attributa cognata Dei: *Ex dictis..., patet, quomodo providentia se habet ad alia, quæ de Deo dicuntur. Scientia enim communiter se habet ad cognitionem finis et eorum, quæ sunt ad finem: per scientiam enim Deus scit se et creaturas; sed providentia pertinet tantum ad cognitionem eorum, quæ sunt ad finem, secundum quod ordinantur in finem; et ideo providentia includit et scientiam et voluntatem; sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica. Potentia autem exsecutiva est providentiæ, unde actus potentiæ præsupponit actum providentiæ sicut dirigentis; unde in providentia non includitur potentia sicut voluntas* (1).

§II.—In quo actu formaliter sita sit providentia.

Ad providentiam concurrit intellectus et voluntas.

329. Imprimis certum est apud omnes compertumque, ad providentiam concurrere et actum intellectus et actum voluntatis: quod novum non est, nam etiam in aliis virtutibus solent admisceri actus utriusque facultatis, ut v. gr. in prudentia, ad quam spectat etiam *eligere*, quod aptius est ad finem, qui actus est appetitus: et fides etiam divina, quamvis sit virtus intellectualis, requirit tamen piam affectionem, quæ actus est voluntatis. Ita ergo providentia vindicat ante omnia cognitionem finis et mediorum, per quæ assequendus ille sit a rebus, ac deinde intentionem finis et electionem aliorum mediorum præ aliis.

Variæ sententiæ.

At controvertitur, in cujusnam præcise potentiæ actu stet formaliter providentia, intellectusne, an voluntatis, an vero utriusque. Prima sententia tenet providentiam complete sumptam in utriusque istius potentiæ actu sitam esse: quæ est opinio P. Thomæ Carleton Compton (2) et quorundam aliorum, quibus favere videtur S. Joannes Damascenus, cum scripsit, *providentiam esse* voluntatem Dei, *per quam omnia,*

(1) *De verit.* quæst. 5, art. 1.
(2) *De Deo*, disp. 37, sect. 1.ª.

quæ sunt, convenientem gubernationem accipiunt (1). Alii plures contendunt providentiam formaliter esse actum voluntatis intendentis finem et eligentis media: in quibus numerantur S. Bonaventura (2), Scotus (3), Aureolus (4), Gregorius (5), Gabriel (6), Eckius (7) aliique: et ipsemet Eximius Doctor, quamquam moneat, controversiam esse potius de voce, et problematice controversiam tractet, videtur tamen ad hanc tandem sententiam propendere (8). Denique alii malunt providentiam in actu intellectus reponere: ita plures e nostratibus, ut Molina (9), Lessius (10), Arrubal (11), Valentia (12), Bellarminus (13), etc., et communiter Thomistæ. Non convenit autem inter hos auctores, in quonam ex actibus intellectus consistat providentia. Nam hic ordo actuum secundum nostrum modum concipiendi potest in Deo distingui: primus, actus præscientiæ omnium creaturarum possibilium cum eorum finibus et mediis, per quæ illi obtineri possunt; secundus, decretum creandi et electio horum mediorum præ aliis, ut sufficienter, immo et copiose, omnibus creaturis provideatur ad attingendum eum gradum gloriæ suæ, quem Deus libere intendit. Præter hos actus Thomistæ novum actum intellectus subsequentem electionem inducunt, imperii nempe statuentis, ut totum hoc fiat, prout a voluntate electum est. Et in hoc actu imperii consistere formaliter providentiam contendunt Thomistæ (14), quibus adstipulatur

Ordo actuum in Deo relate ad hanc materiam

(1) *De fid. orthodox.* lib. 2, cap. 29.
(2) 1.ª dist. 40, art. 1.º, quæst. 1.
(3) 1.ª dist. 40, quæst. 1.ª.
(4) Ibid., quæst. 4.
(5) Ibid., quæst. 1.
(6) Ibid., quæst. 1, art. 4.ª.
(7) *De prædestin.*, centur. 1.ª, num. 17.
(8) *De prædestin.* lib. 1, cap. 17.
(9) In 1.ª[m] part. quæst. 22, artic. disp. 1; et quæst. 23, art. 1, disp. 2.
(10) *De perfection. divin.*, lib. 11, cap. 1, num. 2.
(11) In 1.ª[m] part. quæst. 22, art. 1, cap. 3.
(12) 1.ª[m] part. disp. 1, quæst. 22, punct. 1; et quæst. 23 punct. 2.
(13) *De grat. et libert. arbitr.* lib. 2, cap. 9.
(14) Vide v. gr. Gonet (*Clypeus...* tom. 1, tract. 4, disp. 8, art. 2), Cardin Gotti (*Theol. Scholast. dogmat.* tom. 1, tract. 6).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

hac in re noster P. Jacobus Granado (1). Simili modo vidimus superius Thomistas intellectum et scientiam practicam reponere in imperio intellectus subsequente voluntatis actum (2). Nostri vero scriptores negant existere aut necessarium esse hujuscemodi actum imperii, ac proinde docent providentiam reponendam esse in actu intellectus ordinantis media ad finis assecutionem.

Judicium Auctoris

330. Hæ sunt de natura providentia sapientium opiniones, et facile constat vel ex ipsa eorum expositione, inter secundam ac tertiam esse fere totum controversiam de nomine. Cum enim omnes agnoscant in providentia Dei utrumque actum intervenire, et intellectus excogitantis et ordinantis ac præparantis apta media, et voluntatis omnia amantis ac volentis ad fines suos promovere, mediaque idonea allegentis; huc tandem fere tota lis revocatur, uter ex illis actibus providentiæ nomine præcise ac formaliter designetur, nam convenit longe communius non æque utrumque actum ea voce significari. Et quoniam in quæstionibus de voce præcipue valet auctoritas, negari nequit utramque sententiam probabilem esse, quia pro utraque militant auctores graves et antiqui. Accedit, quod ex communi sensu vulgi providentia potissimum videatur significare curam et sollicitudinem eorum, quibus providendum est. Ejusmodi autem cura ad voluntatem pertinet. Ergo ea videtur præcipue indigitari nomine providentiæ. Probabilior tamen videtur sententia, providentiam formaliter reponens in actu intellectus. Eum significavit S. Dionysius, cum scripsit: *Deitas* prospicit *cuncta providentia mirabili* (3), ubi vides vocem *prospicit* significare actum intellectus. Et S. Augustinus prædestinationem, quæ pars est providentiæ, sic definivit. *Est* prescientia *et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur* (4). Et in eodem opere pergit scribens in eumdem sensum, ex eoque probat prædestinationem esse, quia est in Deo præscientia beneficiorum, quæ

et solutio quæstionis.

(1) In 1.am part., controvers. general 4, disp. 2.
(2) Vide supra num. 24, pag. 64 seqq.
(3) *De divin. nomin.* cap. 2.
(4) *De Bono perseverant.* cap. 14. Vide etiam in libro *Octoginta trium quæstionum*, quæst. 3.

conferenda sunt iis, qui æternam assequuntur salutem. Et simili modo procedit S. Fulgentius (1). Et Boetius: *Modus*, inquit, *rerum, cum ipsa divinæ* intelligentiæ *puritate* conspicitur, *providentia nominatur* (2). Et paulo inferius: *Providentia est ipsa divina* ratio *in Summo Principe constituta, quæ omnia disponit.* S. Thomas etiam simili modo definit providentiam, ut vidimus (3). Eo ibidem hæc diserte habet: *Providentia* est in intellectu, *sed præsupponit voluntatem finis; nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem* (4). Illa vero adhuc clariora sunt: *Providentia includit et scientiam et voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet, non quidem speculativa, sed practica* (5). Denique non aliud videtur intendisse sacer Scriptor, cum eam protulit sententiam: *Crediderunt, quotquot* præordinati *sunt in vitam æternam* (6); nam *ordinare* ac *præordinare* actus intellectus est, verbis autem illis prædestinatio divina, ideoque providentia, significatur. Quamquam alibi sacræ Litteræ de prædestinatione loquentes, actum voluntatis exprimunt, ut v. gr. Elegit nos *in ipso ante mundi constitutionem* (7) et: *Prædestinati secundum propositum ejus* (8), etc. Ex quibus verius concludere liceat in sacrorum Librorum testimoniis doceri quidem perspicue, quod utriusque potentiæ actus intervenit in providentia, non tamen potest exinde satis probari, utrius actus prævaleat.

probaturque verisimiliter opinio.

Quidquid vero de hoc sit, negari nequit frequentiorem esse inter principes scriptores eum loquendi modum, qui providentiam in actu intellectus reponit, idemque probat vocis etymon, ut per se patet. Demum communissime docetur cum S. Thoma providentiam esse partem quamdam præcipuam quasi integralem, quæ prudentiam complet; prudentia vero virtus intellectualis est. Quamquam ergo reluceat

(1) Ad Monim. lib. 1, cap. 8, et 12.
(2) *De consolat. Philos.* lib. 4, prosa. 6.
(3) 1 part. quæst. 22, artic. 1.
(4) 1 p. quæst. 23, art. 1, ad 1.um
(5) S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 1.
(6) Act. cap. 13, vers. 48.
(7) *Ephes.* cap. 1, vers. 4.
(8) Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in divina providentia cura rerum omnium amabilissima et plusquam materno amore plenissima, magis tamen videtur voce illa formaliter significari actus intellectus.

331. Si jam quæras, in quonam actu intellectus consistat providentia; negandum in primis videtur, eam sitam esse in imperio, quale nobis Thomistæ obtrudere conantur, quod iisdem fere argumentis hic excludi posset, quibus fuse a nobis in hoc eodem volumine rejectum est (1). Sed planius et commodius reponitur in judicio practico de mediis, per quæ finis a Deo intentus obtinendus est, vel potest obtineri. Quæ res, si sermo sit de providentia physica et generali, difficultate vacat, si vero de morali, ac potissimum de supernaturali, controversiis multis obnoxia est.

Primum enim statim se offert illa gravissima quæstio, quo pacto quave voluntate Deus intendat salutem hominum æternam, voluntate meritorum prævisionem antecedente, an vero consequente. Quod vero attinet mediorum ordinationem, disputatur utrum prædefiniat Deus actus bonos omnes, et quo pacto, et cujus generis auxilia excogitet, utrum efficacia ex natura sua, annon, ac proinde utrum Deus prædeterminet actiones humanas in ordine ad finem ponendas. Ex quibus controversiis primam, quæ respicit modum divinæ prædestinationis ad gloriam, integram Theologis relinquimus: alteram de prædefinitionibus leviter superius tetigimus, vel potius inuimus (2). Tertiam de prædeterminationibus tractavimus, quantum Philosopho licet, rejiciendo pro virili prædeterminationes physicas, et quidquid lædere humanam libertatem potest (3).

An media scientia necessaria sit ad divinam providentiam.

332. Denique controvertitur, utrum ut actibus intellectus ad providentiam spectantibus numeranda sit media scientia. Et quidquid contra obnitantur adversarii nostri, communis est Nostratum persuasio, mediam scientiam prorsus esse necessariam, ut suavis juxta et efficax, sapiens ac digna Deo esse valeat providentia. Et hæc nobis summatim

(1) Vide supra, num. 26, pag. 73 seqq. Cfr. num. 236, pag. 669 seqq.

(2) Vide supra, num. 80, pag. 273 seqq.

(3) Vide totum cap. 2.um disputationis septimæ, et præterea caput tertium.

dicenda esse visa sunt de natura divinæ providentiæ: ea vero multis per singulas partes argumentis probanda esse non existimamus, cum sermo sit de re non parum obscura, eaque non magni momenti. Qui plura cupiat, adeat laudatos scriptores, vel alios veteres passim.

ARTICULUS II

An sit in Deo providentia, et quisnam sit ejus attributus.

Scriptores ecclesiastici providentiæ divinæ assertores et propugnatores.

333. Præclare providentiam Dei commendarunt, et ab omnibus impiorum cavillationibus propugnarunt SS. Patres et scriptores Ecclesiæ, ac præsertim Clemens Alexandrinus (1), Lactantius (2), Ambrosius (3), Gregorius Nazianzenus (4), Nemesius (5), Joannes Chrysostomus (6), Augustinus (7), Theodoretus (8), Boëtius (9), Damascenus (10), Salvianus massiliensis (11) aliique. Quorum vestigia sectati sunt Scholastici passim, ac præsertim S. Thomas multis in locis (12).

Existentiam porro providentiæ ideo tractandam suscepimus simul cum ejus amplitudine, quia utraque controversia tam intime conserta est, ut nequeas plane Deum providum esse cognoscere, donec noveris, quousque sese porrigat illius

(1) *Stromat.*, lib. 5, sub init.

(2) *De ira Dei*, lib. 5, præsertim cap. 4, 9 et 10.

(3) *Officior.* lib. 1, cap. 12.

(4) In duplici carmine *de providentia*.

(5) *De Philosoph.* lib. 8.

(6) In libris tribus *de Providentia* et in sermonibus de eodem argumento; atque in homilia 9.ª ad populum.

(7) *De civit. Dei*, lib. 5, cap. 4, 9 et 10. Cfr. *de Ordine* lib. 1 et 2.

(8) In sermonibus 10 *de Providentia*; et in libr. 6 *de curandis græcar. affection.*

(9) Libr. 5 *de consolat. philos.*

(10) *De orthodox. fide*, libr. 1, cap. 27, 30.

(11) In libris 8 *de providentia et judicio Dei*.

(12) Vide 1 p. quæst. 22, 1.ª dist. 39; *Cont. Gent.* lib. 3, cap 71 seqq.; *de verit.* quæst. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in divina providentia cura rerum omnium amabilissima et plusquam materno amore plenissima, magis tamen videtur voce illa formaliter significari actus intellectus.

331. Si jam quæras, in quonam actu intellectus consistat providentia; negandum in primis videtur, eam sitam esse in imperio, quale nobis Thomistæ obtrudere conantur, quod iisdem fere argumentis hic excludi posset, quibus fuse a nobis in hoc eodem volumine rejectum est (1). Sed planius et commodius reponitur in judicio practico de mediis, per quæ finis a Deo intentus obtinendus est, vel potest obtineri. Quæ res, si sermo sit de providentia physica et generali, difficultate vacat, si vero de morali, ac potissimum de supernaturali, controversiis multis obnoxia est.

Primum enim statim se offert illa gravissima quæstio, quo pacto quave voluntate Deus intendat salutem hominum æternam, voluntate meritorum prævisionem antecedente, an vero consequente. Quod vero attinet mediorum ordinationem, disputatur utrum prædefiniat Deus actus bonos omnes, et quo pacto, et cujus generis auxilia excogitet, utrum efficacia ex natura sua, annon, ac proinde utrum Deus prædeterminet actiones humanas in ordine ad finem ponendas. Ex quibus controversiis primam, quæ respicit modum divinæ prædestinationis ad gloriam, integram Theologis relinquimus: alteram de prædefinitionibus leviter superius tetigimus, vel potius inuimus (2). Tertiam de prædeterminationibus tractavimus, quantum Philosopho licet, rejiciendo pro virili prædeterminationes physicas, et quidquid lædere humanam libertatem potest (3).

An media scientia necessaria sit ad divinam providentiam.

332. Denique controvertitur, utrum ut actibus intellectus ad providentiam spectantibus numeranda sit media scientia. Et quidquid contra obnitantur adversarii nostri, communis est Nostratum persuasio, mediam scientiam prorsus esse necessariam, ut suavis juxta et efficax, sapiens ac digna Deo esse valeat providentia. Et hæc nobis summatim

(1) Vide supra, num. 26, pag. 73 seqq. Cfr. num. 236, pag. 669 seqq.

(2) Vide supra, num. 80, pag. 273 seqq.

(3) Vide totum cap. 2.um disputationis septimæ, et præterea caput tertium.

dicenda esse visa sunt de natura divinæ providentiæ: ea vero multis per singulas partes argumentis probanda esse non existimamus, cum sermo sit de re non parum obscura, eaque non magni momenti. Qui plura cupiat, adeat laudatos scriptores, vel alios veteres passim.

ARTICULUS II

An sit in Deo providentia, et quisnam sit ejus attributus.

Scriptores ecclesiastici providentiæ divinæ assertores et propugnatores.

333. Præclare providentiam Dei commendarunt, et ab omnibus impiorum cavillationibus propugnarunt SS. Patres et scriptores Ecclesiæ, ac præsertim Clemens Alexandrinus (1), Lactantius (2), Ambrosius (3), Gregorius Nazianzenus (4), Nemesius (5), Joannes Chrysostomus (6), Augustinus (7), Theodoretus (8), Boëtius (9), Damascenus (10), Salvianus massiliensis (11) aliique. Quorum vestigia sectati sunt Scholastici passim, ac præsertim S. Thomas multis in locis (12).

Existentiam porro providentiæ ideo tractandam suscepimus simul cum ejus amplitudine, quia utraque controversia tam intime conserta est, ut nequeas plane Deum providum esse cognoscere, donec noveris, quousque sese porrigat illius

(1) *Stromat.*, lib. 5, sub init.

(2) *De ira Dei*, lib. 5, præsertim cap. 4, 9 et 10.

(3) *Officior.* lib. 1, cap. 12.

(4) In duplici carmine *de providentia*.

(5) *De Philosoph.* lib. 8.

(6) In libris tribus *de Providentia* et in sermonibus de eodem argumento; atque in homilia 9.ª ad populum.

(7) *De civit. Dei*, lib. 5, cap. 4, 9 et 10. Cfr. *de Ordine* lib. 1 et 2.

(8) In sermonibus 10 *de Providentia*; et in libr. 6 *de curandis græcar. affection.*

(9) Libr. 5 *de consolat. philos.*

(10) *De orthodox. fide*, libr. 1, cap. 27, 30.

(11) In libris 8 *de providentia et judicio Dei*.

(12) Vide 1 p. quæst. 22, 1.ª dist. 39; *Cont. Gent.* lib. 3, cap 71 seqq.; *de verit.* quæst. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Errores divinæ providentiæ.

providentia. Negant providentiam Deistæ ac fatalistæ, Democritum et Epicurum secuti, qui cum omnia putasset casu fieri atque ex fortuito atomorum concursu, providentiam de medio sustulerunt, immo et insane deriserunt, illam per ludibrium vocantes *unum fatidicam* quemadmodum refert Tullius (1). De hujuscemodi insipientissimorum hominum philosophia interpretatur Clemens Alexandrinus (2), locutum esse S. Paulum, cum scripsit: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam* (3). In hoc errore versatum quoque esse Aristotelem putarunt nonnulli (4). Et quamquam alii Philosophum hac in re defenderint, potuit tamen ut homo ethnicus diminute ac timide loqui (5). Certum enim esse videtur plures priscos philosophos lumine fidei et catholicæ doctrinæ traditione destitutos errasse circa providentiæ amplitudinem. *Nam quidam..... posuerunt incorruptibilia tantum providentiæ subjacere, corruptibilia vero non secundum individua, sed secundum species; sic enim incorruptibilia sunt. Ex quorum persona dicitur* (Job. XXII, 14): **Nubes latibulum ejus, et circa cardines cœli perambulat**, neque nostra considerat. *A corruptibilium autem generalitate excepit Rabbi Moyses homines propter splendorem intellectus, quem participant; in aliis autem individuis corruptibilibus aliorum opinionem est secutus* (6). Ipse quoque Cicero, prout de illo refert S. Augustinus (7), ne libertatem hominis denegaret, cognitionem futurorum liberorum, atque adeo providentiam, Deo eripuit.

Errores circa providentiæ amplitudinem.

(1) *De natur. deorum.*, lib. 2, circa med.
(2) *Stromat.* lib. 1, ante med.
(3) *Coloss.* cap. 2 vers. 8.
(4) Vide P. Vazquez, In 1.am part. disp. 64 et 87.
(5) Cfr. S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 75; et vide Suarez, *De Deo* lib. 3, cap. 10, num. 7; et *Metaphys.* disp. 30, sect. 15, num. 40.
(6) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 2; et *de verit.* quæst. 5, art. 3, 9. Cfr. Clemens Alexandrinus (*Stromat.* libr. 5 post. med.), et S. Ambros. (*de offic.* lib. 1, cap. 13), Nemes. (*de Philos.* lib. 8) Theodoret. (*de curandi. græcor. affect.* lib. 6, init., apud P. Valentia, In 1.am part., tom. 1, disp. 1, quæst. 22, punct. 2 initio). Adde Eusebium Cæsar. (*de præpar. evangel.* lib. 15, cap. 4), S. Gregor. Nazianz., orat. 1 de *Theolog.*), et S. Epiphan. (hæres. ultim.).
(7) *De civit. Dei*, lib. 5, cap. 10.

Veritas catholica.

Veritas autem catholica est, Deum omnium rerum providentiam habere, quemadmodum Vaticanum concilium nos docet: *Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur, atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt* (1). Id vero jam probandum est.

§ I.—VINDICATUR GENERATIM PROVIDENTIA DEI.

In hoc primo paragrapho solum intendimus asserere providentiam Deo, ejus autem ambitum et extensionem in sequentibus ostendemus.

334. PROPOSITIO 1.ª **Negari non potest Deo rerum a se creatarum providentia.**

Asserenda Deo est rerum a se conditarum providentia.

Prob: 1.° Ex ordine mundano, sapientissimo, universali et constante, unde existentiam supremi ordinatoris Dei, conclusimus in primo *Theodicæ* volumine (2). Quandoquidem ex præjacta in præcedenti articulo notione providentiæ, demonstrare hujuscemodi ordinatorem mundi perinde est, ac demonstrare providum gubernatorem. Quare merito Lactantius irridet Epicurum, quod Deum esse agnoverit, providum negaverit (3).

Quod argumentum potes, si mavis, in hunc modum conformare: Datur excellens quædam gubernatio in hoc mundo, qualem ordo, præstantissimus demonstrat non solum rerum omnium inter se, verum etiam respectu earum in finem. Ergo datur gubernator egregia præditus providentia. Quæ est ratio S. Thomæ. *Omne bonum*, inquit, *quod est in rebus, a Deo creatum est, ut supra ostensum est* (quæst. 6, art. 4). *In rebus autem creatis invenitur bonum, non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, et præcipue in finem ultimum, qui est bonitas*

(1) Concil. Vatic., *Constit. de fide cathol.*, cap. 1. Vide apud Denzinger, op. cit. num. 1633.
(2) Num. 37, pag. 125 seqq.
(3) Lege Lactant., *De ira Dei*, lib. 5, cap. 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

divina, ut supra habitum est (quæst. præc. art. 4); *hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens a Deo creatum est. Cum autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, et sic cujuslibet sui effectus oportet rationem in ipso præexistere, ut ex superioribus patet* (quæst. XIX, art. 4), *necesse est, quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexistat. Ratio autem ordinandorum in finem proprie providentia est* (1).

Prob. 2.° propositio a priori. Quia providentia, ut apparet ex dictis, est maxima perfectio et dignissima Deo, cujus bonitas et sapientia proprio jure postulat, ut quæcumque creat, ad finem aliquem dirigat, ac mediis ad illum assequendum idoneis instruat, curamque illorum consentaneam gerat. Ergo abesse nequit a Deo providentia.

Prob. 3.° Eatenus esset neganda Deo providentia, quatenus ea in sua ratione contineat aliquid Deo non conveniens. Atqui nihil hujusmodi potest dici. Nam non continet aliquid, quod α) Deus non potest, vel β) non scit, quia Deus omnipotens est ac omniscius; nec γ) quod Deo indecens est, quia si non est indecens creare, nec esse potest indecens prospicere creatis; immo in ipsis regibus et magistratibus hujus mundi magna laus est, ut non negligant res populi, sed omnibus necessitatibus pro viribi provideant. Egregie S. Ambrosius: *Quis negligat operis sui curam? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse? Cum aliquid non fecisse, nulla injuria sit; non curare autem, quod feceris, summa inclementia* (2). δ) Nec vero timendum est, fore, ut Deus defatigetur, aut felicitatem amittat providendis rebus; nam infinitus intellectus omnia media purissimo et simplicissimo intuitu perspicit, nec eget consilio, aut deliberatione, ut quod oportet, eligat absque ulla mentis anxietate vel defatigatione. Quare nihil apparet, quod obstare queat divinæ providentiæ.

Prob. 4.° Ex traditis in præcedenti articulo, tota fere providentiæ saltem naturalis quasi materia, circa quam versatur, revocatur ad rerum conservationem et concursum ad earum operationes. Atqui certum est, et fuse probatum

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art 1.

(2) *De officiis*, lib. 1, cap. 13. Lege S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 76, *Adhuc, si Deus per se ipsum.*

manet, Deum omnia in esse conservare, omnibus consentaneas virtutes viresque suppeditare, atque ad earum actiones concurrere, præparato a tota æternitate influxu omnipotentiæ per decretum suæ voluntatis. Ergo ambigi nequit de veritate divinæ providentiæ, quæ tanto fulget evidentiæ fulgore, ut Clemens Alexandrinus pœnis cœrcendos esse putaverit eos, qui hujus assertionis demonstrationem requirerent. *Sunt quæstiones quædam*, inquit, *dignæ, quæ puniantur, cujusmodi est, quærere probationes, an sit providentia*, etc., *cum sit manifesta divina providentia ex aspectu omnium, quæ videntur effectorum, quæ arte et sapientia constant* (1). Quare ipsis ethnicis adeo visa est evidens providentia numinis, ut vix unam totius mundi partem vel genus officiorum actionumve humanarum reliquerint, cui non aliquem deum præfecerint, et sic Cereri curam gubernationemque segetum, Marti præliorum, maris Neptuno, Junoni æeris, inferorum Plutoni, etc., etc., commissam somniarunt.

Ipsis ethnicis comperta Dei providentia.

Quod vero præcipuum est, sacræ Litteræ providentiam Dei passim nobis commendatam voluere. *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (2). Et alibi: *Tua autem, Pater, providentia gubernat* (3); Idem: *Æqualiter est illi cura de omnibus* (4). Et: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus* (5), id est, exsequuntur præceptum atque ordinationem sapientissimæ providentiæ. Consonat Patrum traditio, ex quibus plures superius laudavimus, alios, si necesse foret, multo plures possemus laudare. Cui doctrinæ sigillum imposuit nostris diebus concilium Vaticanum verbis superius relatis.

335. **Objicies 1.°** Providentia, utpote pars prudentiæ, quæ est secundum Philosophum (6) bene consiliativa, consilium importat. Atqui consilium Deo repugnat, quia supponit dubium, aut etiam inquisitionem ac discursum continet. Ergo Deo, saltem proprie, non est asserenda providentia.

Objectiones refutat.

(1) Clemens Alexandr., *Stromat.* lib. 5, sub. init.

(2) *Sapient.* cap. 8, vers. 1.

(3) *Sapient.* cap. 14, vers. 3.

(4) *Sapient.* cap. 6, vers. 8.

(5) *Psalm.* 148, vers. 8.

(6) In lib. 6.° *Ethicor.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Respondeo, *transeat* Major; quamvis posset dici, providentiam non formaliter importare consilium, quia, docente Aristotele (1), *prudentia proprie est præceptiva eorum, de quibus* eubulia *recte consiliatur, et* synesis *recte judicat.*

Distinguo Minor. Deo repugnat consilium formale, quale convenit intellectui nostro, cum dubio et inquisitione, *conc.*; consilium virtuale, nimirum actus simplicissimus intuitionis in se habens quidquid perfectionis est in formali consilio, *nego*. Tum *nego* conseq. Itaque dici potest, *quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perveniunt. Unde dicitur* (2): *Qui operatur omnia secundum* consilium *voluntatis suæ* (3).

Objic. 2.º Quidquid est in Deo, æternum est. Sed providentia non est æterna, siquidem est circa existentia, quæ temporanea sunt. Ergo.

Respondeo, *dist.* Minor. Providentia non est æterna, quantum attinet ad exsecutionem ordinis, *conc.*; quantum ad rationem ipsam ordinis, *nego*. Quia quamvis res ipsæ, circa quas exercetur providentia, sint temporaneæ, ac temporanea pariter sit actualis earum gubernatio vel exsecutio ordinis a Deo stabiliti; tamen ipsa ratio hujusmodi ordinis, quæ venit nomine providentiæ, æterna est (4).

Objic. 3.º Nihil compositum tribui Deo potest. Sed providentia est aliquid compositum, quandoquidem includit in se et voluntatem et intellectum. Ergo non est in Deo providentia.

Respondeo, *nego* Minor., tum quia jam diximus providentiam, quamvis includat etiam voluntatem, formaliter tamen sitam esse in intellectu, tum quia etiamsi utramque potentiam ex æquo includeret, adhuc nullam importaret compositionem, cum intellectus et voluntas in Deo sit una simplicissima res (5). Plura reperies contra providentiam

(1) 6.º *Ethicor.* cap. 9.
(2) *Ephes.* cap. 1, vers. 11.
(3) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 1, ad 1.um
(4) S. Thom. ibid., ad 2.um
(5) Lege S. Thom., loc. nuper citat., ad 3.um

argumenta soluta apud S. Thomam, quæ facile ex dictis solvi queunt (1).

§ II.—UTRUM PROVIDENTIA DIVINA OMNIA PRORSUS REGAT CREATA.

Dubium circa providentiæ amplitudinem, et extensa.

336. Hic jam quæstionem aggredimur de amplitudine divinæ providentiæ: quamvis enim ex agnoscatur, dubitari potest, num ad omnia prorsus mundana se porrigat. Et ita reapse fuisse dicuntur, qui, ut superius retulimus ex S. Thoma, providentiam ad sola incorruptibilia extenderunt (2), ab eaque excepta voluere corruptibilia, saltem secundum individuam et singularem naturam: quo pacto quidam dixerunt, quod *animalia bruta non gubernantur providentia, nisi in quantum participant naturam speciei, quæ est a Deo provisa et ordinata* (3). Nec vero solum de rebus subsistentibus, sed de ipsis quoque illarum motibus et operationibus dubitatio esse potest: quare Angelicus Doctor disputat, utrum motus et actiones sublunarium corporum (4), itemque actus et electiones humanæ divina providentia regantur (5). Doctrina vero certa est, omnia prorsus entia creata, incorruptibilia et corruptibilia, necessaria et libera, eorumque motus et actiones quaslibet, nec solum genera vel species, sed omnia quoque individua et singularia, a maximis usque ad minima, divinæ subjacere providentiæ, quod jam demonstrandum assumpsimus; postea vero in sequenti paragrapho videndum

(1) Vide S. Thom., de *veritat.* quæst. 5, art. 2.
(2) Quæ procul dubio respexit S. Cyrillus Hierosolymitanus in illis verbis *Catechesis* 8.ª: *Quidam illo dicto abuteules:* **Veritas tua usque ad nubes**, *auxi sunt Dei providentiam nubibus et cœlo circumscribere, et terram* (ubi sunt corpora corruptibilia) *ab illa alienare, obliti psalmi, qui dicit:* **Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.** *Si enim nihil sit cœlo excelsius, nihil inferno profundius, qui dominatur extremis, attingit et terram mediam.*
(3) S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 6. Cfr. *Contra Gent.* lib. 3, cap. 76.
(4) *De verit.* quæst. 5, art. 4.
(5) *De verit.* quæst. 5, art. 5; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 89 et 90.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

erit peculiarem Deo inesse curam hominis ratione suæ dignitatis libertatisque.

337. PROPOSITIO 2.ª **Quæcumque a Deo creata sunt, sive corruptibilia, sive incorruptibilia, sive magna sive minima et vilissima, nec solum genera vel species, sed individua omnia cum suis motibus et operationibus absque ulla prorsus exceptione divinæ subjacent providentiæ.**

Omnia creata, sive corruptibilia, sive incorruptibilia, sive magna sive vilia, sive species sive individua divinæ providentiæ subjacent.

Prob. 1.° Non minus se extendit providentia, quam causalitas divina. Atqui causalitas divina se porrigit ad omnia prorsus creata sine ulla exceptione. Ergo et divina providentia.

Minor constat ex superius probatis; siquidem quidquid præter Deum existit, vel est a solo Deo, vel ab aliis causis creatis cum concursu divino essentialiter requisito, ut quidpiam esse possit.

Major etiam patet, quia cum Deus sit agens perfectissimum, omnia agit propter finem, ac proinde omnia ordinat in finem. Ergo impossibile est, ut non sit in Deo ratio omnium ordinandorum in finem, quæ providentia dicitur.

Prob. 2.° Rationes, quibus ostendimus in præcedenti paragrapho esse in Deo providentiam, æque demonstrant nihil non eidem subjacere.

Confirmatur, quia *quæ sunt, a Deo ordinata sunt*, docente Apostolo (1). Atqui providentia nihil est aliud, quam ratio ordinis rerum ad finem. Ergo omnia quæcumque sunt, necesse est, ut divinæ providentiæ subdantur.

Prob. 3.° Providentia Dei debet esse perfectissima omnium, quæ excogitari queunt. Atqui providentia, quæ solum genera et species respicit, non est perfecta, nec potest esse satis distincta, sed tantum confusa: itemque providentia, quæ solum attenderet ad magna vel præcipua entia, diminuta est ac restricta. Ergo necesse est, ut ad prorsus creata sese porrigat providentia Dei (2).

(1) *Roman.* cap. 13, vers. 1.

(2) S. Thomas sic demonstrationem stabilitæ propositionis breviter instituit: *Sed necesse est dicere omnia divinæ providentiæ subjacere non in universali tantum, sed etiam in singulari, quod sic patet. Cum enim omne agens agat propter finem, tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas primi agentis: ex hoc enim contingit in operibus alicujus agentis aliquid provenire non ordinatum ad finem, quia effectus ille consequitur ex alia causa præter intentionem agentis. Causalitas autem Dei, qui est primum agens, se extendit usque ad omnia entia, non solum quantum ad principia speciei, sed etiam quantum ad individualia principia, non solum incorruptibilium, sed etiam corruptibilium. Unde necesse est omnia, quæ habent quocumque modo esse, ordinata esse a Deo in finem, secundum illud Apostoli ad Rom. XIII, 1: **Quæ a Deo sunt, ordinata sunt.** Cum ergo nihil aliud sit Dei providentia, quam ratio ordinis rerum in finem, ut dictum est, necesse est, omnia, in quantum participant esse, in tantum subdi divinæ providentiæ. Similiter etiam supra ostensum est* (quæst. XIV), *quod Deus omnia cognoscit, et universalia et particularia. Et cum cognitio ejus comparetur ad res, sicut cognitio artis ad subjectata, ut supra dictum est* (quæst. XIV, cit.), *necesse est, quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis.* S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 2. Cfr. P. Gregorius de Valentia. In 1.um part. tom. 1, disp. 1, quæst. 22, punct. 2.

Quæ probationes, ut vides, evincunt providentiam Dei erga omnia prorsus creata, homine ipso non excluso. Verum de providentia Dei erga hominem mox in sequenti paragrapho instituetur specialis disputatio.

Cæterum hanc veritatem luculentissime testantur sacræ Litteræ: Deus, *omnia in mensura, numero et pondere disposuisti* (1). Et alibi: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis plures estis illis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent... Si autem fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei?* (2). Ubi aperte asseritur Deo cura providentiaque passerum, volatilium, liliorum, fœni, verbo, rerum vilium, unde probatur majorem Deo inesse providentiam hominis. Eadem repetuntur apud S. Lucam (3). Et alibi capillorum ipsorum (quibus quid vilius?) tanta tribuitur Deo cura, ut

(1) *Sapient.* cap. 11, vers. 21.

(2) *Matth.* cap. 6, vers. 26.

(3) *Luc.* cap. 12, vers. 22.

ne unus quidem sit non numeratus, quive sine Patris nutu decidat in terram (1).

Quam doctrinam egregie confirmarunt Ecclesiæ Patres: *Quod ore suo Salvator dicit*, inquit S. Augustinus, *unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, et quod fœnum agri, post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat, nonne confirmat non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus et corruptibilibus deputatam, verum etiam vilissimas eius abjectissimasque particulas divina providentia regi?* (2). Et alibi: *Omne tempus et quid et quando faceret, vel fieri sineret, ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent* (3). Et S. Hieronymus: *Sunt, qui providentiam Creatoris usque ad rationalia confiteantur, bruta autem fortuitis casibus asserant vel perire, vel vivere. Propheticus sermo declarat, nihil esse, quod fugitet providentiam et scientiam Dei, quia alia propter se, alia in usum hominum sunt creata* (4). Similia docent alii Pates, quos passim videre potes apud Theologos (5).

Mala quoque providentiæ Dei subjiciuntur, eaque in ultimum bonum ordinantur.

Bona possunt tum ordinari in finem, tum facendi et finis aliorum, mala vero nequeunt intendi et finis.

338. **Scholion 1.um** Rationes istæ probant etiam ipsa mala, quæ in rerum natura contingunt, providentiæ subjacere, quia prævidentur a Deo, et permittuntur, et ad majus bonum ordinantur, secundum traditam superius doctrinam de modo, quo Deus vult mala (6). Idem S. Thomas dicit mala subesse providentiæ, tamquam ea quæ tantum ordinantur ad finem, seu ad quæ alia non possunt ordinari, ad differentiam bonorum, quæ subsunt providentiæ non solum tamquam ea, quæ ad finem aliquem ordinantur, sed etiam ad quæ possunt alia quoque ordinari. Quare etiam

(1) *Matth.* cap. 10, vers. 29 et seqq. Cfr. *Luc.* cap. 12, vers. 7.

(2) S. August. *de Genes. ad litter.* lib. 5, cap. 21. Cfr. ibid. cap. 20, et 22; lib. 1, *Retract.* cap. 1, et 2; lib. 5 *de civit. Dei*, cap. 9, 10 et 11, ubi egregie, et libr. 7, cap. 29 et 30; libr. 19, cap. 12; libr. 10, cap. 14.

(3) S. August. Tract. 102 *in Joann.*

(4) In cap. 32 *Hierem.* Cfr. in cap. 10 *Matthæi.*

(5) Vide v. gr. P. Valentia loc. cit.; et fuse scribentem Petavium, in suo tract. *De Deo.*

(6) Vide supra num. 162, pag. 512 seqq.

providentiam bonorum vocat cum Damasceno providentiam *approbationis*, providentiam vero malorum providentiam *concessionis* vel *permissionis*. Audiatur Angelicus (1): *Dupliciter... aliquid subest ordini providentiæ: uno modo sicut ad quod aliquid ordinatur; alio modo sicut aliquid, quod ad aliud ordinatur. In ordine autem eorum, quæ sunt ad finem, omnia intermedia sunt finis et ad finem, sicut dicitur* in II Metaph. (com. VI et VII); *et ideo quidquid est in recto ordine providentiæ, cadit sub providentia, non solum sicut ordinatum ad aliud, sed sicut ad quod aliud ordinatur; sed illud, quod ex ita recto ordine cadit sub providentia, solum secundum quod ordinatur ad aliud, non secundum quod aliquid ordinatur ad ipsum, sicut actus virtutis generativæ, qua homo generat hominem perfectum in natura, est ordinatus a Deo ad aliquid, scilicet ad formam humanam, et ad ipsum ordinatur aliquid, scilicet vis generantis; sed actus deficiens, quo interdum monstra generantur in natura, ordinatur quidem a Deo ad aliquam utilitatem, sed ad hunc nihil aliud ordinatur; incidit enim ex defectu alicujus causæ; et respectu primi est providentia* approbationis, *respectu secundi autem est providentia* concessionis, *quos duos modos providentiæ Damascenus ponit in* II lib. (cap. XXXIX).

Providentia approbationis et providentia concessionis vel permissionis.

339. **Scholion 2.um** *Quamvis omnia sunt a Dei providentia prædeterminata et ordinata* (2), non tamen omnia eodem modo providentur, sed *alia propter se*, alia solum *propter aliud*. Rem egregie declarat S. Thomas: *Sciendum.... quod aliquid provideri dicitur dupliciter: uno modo propter se, alio modo propter alia; sicut in domo propter se providentur ea, in quibus essentialiter consistit bonum domus, sicut filii, possessiones et hujusmodi: alia vero providentur ad horum utilitatem, ut vasa, animalia, et hujusmodi. Et similiter in universo illa propter se providentur, in quibus essentialiter consistit perfectio universi, et hoc perpetuitatem habent, sicut et universum perpetuum est. Quæ vero perpetua non sunt, non providentur nisi propter alium; et ideo substantiæ spirituales et corpora*

Alia Deus providet propter se, alia propter aliud.

(1) *De verit.* quæst. 5, art. 4 corp.

(2) *Quodlib.* 12, art. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cœlestia, quæ sunt perpetua et secundum speciem et secundum individuum, sunt provisa propter se et in specie, et in individuo; sed corruptibilia perpetuitatem non possunt habere nisi in specie, unde species ipsæ sunt provisæ propter se, sed individua eorum non sunt provisa nisi propter perpetuum esse speciei conservandum.

Et secundum hoc salvatur opinio illorum, qui dicunt, quod ad hujusmodi corruptibilia non se extendit divina providentia, nisi secundum quod participant naturam speciei: hoc enim verum est, si intelligatur de providentia sua, qua aliqua propter se providentur (1).

Secundum quam doctrinam Angelicus alibi concedit quidem, *quod bruta et omnes eorum actus cadunt etiam in singulari sub divina providentia, non tamen eo modo, quo homines et eorum actus: quia de hominibus etiam in singulari est providentia propter se; sed singularia brutorum non providentur nisi propter aliud; sicut et de aliis creaturis corruptibilibus dictum est. Et ideo malum, quod in bruto accidit, non ordinatur in bonum ejus, sed in bonum alterius; sicut mors asini ordinatur in bonum leonis vel lupi. Sed occisio hominis, qui a leone occiditur, non solum ad hoc ordinatur; sed principalius ad pœnam ejus, vel augmentum meriti, quod per patientiam crescit* (2). Ex quibus etiam vides ad providentiam non requiri, ut omnes prorsus actus humani a Deo prædefiniantur; immo vero sunt nonnulli, videlicet, inhonesti, qui quamvis cadant sub providentiam, nequeunt omnino prædefiniri.

Non omnes actus humani prædefiniuntur a divina providentia, cum aliqui mali sequantur prædefiniri.

340. Objic. 1.° «Quod est determinatum ad unum, non indiget aliquo regente: quia ad hoc regimen adhibetur, ne in contrarium dilabatur. Res autem naturales per propriam naturam sunt determinatæ ad unum. Ergo non indigent providentia gubernantes (3).

Objectionis dissipatio.

Respond. *dist.* Major.; non indigent aliquo regente humano vel naturali, *trans.*; aliquo regente superiori, qui sit auctor et institutor naturæ, *nego*. Nam ista determinatio, qua res naturalis determinatur ad unum, non est ex se ipsa, sed

(1) S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 2.
(2) S. Thom. loc. sup. cit. art. 6. Cfr. 1 p. quæst. 22, art. 7.
(3) Apud S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 2, argum. 5.°; 1 p. quæst. 22, art. 2, arg. 3.°

ex alio: et ideo ipsa determinatio ad effectum convenientem providentiam demonstrat (1). Sane, probavimus suo loco omnia tendere in finem; naturæ autem ratione carentes, quæque necessitate gaudent in operando, tendere in finem non possunt, quasi se agendo ad illum, sed quasi ab alio actæ ac motæ, nempe ab earum auctore Deo (2). *Id quod intellectu caret vel cognitione, non potest directe in finem tendere, nisi per aliquam cognitionem ei præstitutus finis, et dirigatur in ipsum; unde oportet, cum res naturales cognitione careant, quod præexistat aliquis intellectus, qui res naturales in finem ordinet, ad modum quo sagittator dat sagittæ certum motum, ut tendat ad determinatum finem; unde, sicut percussio, quæ fit per sagittam, non tantum dicitur opus sagittæ, sed projectionis; ita etiam omne opus naturæ dicitur a philosophis opus intelligentiæ* (3). Illud quoque addi potest, entia etiam necessaria, si non jam seorsim in se considerentur, sed quatenus sunt partes universi, egere providentia et cura alicujus, a quo in eo situ, loco ac dispositione constituantur, quam postulat bonum universalis ordinis.

Objic. 2.° Casus et fortuna providentiam excludunt. Si ergo omnia a Deo sunt provisa, nihil erit fortuitum et casuale in universo mundo. Atqui multa profecto casu ocurrunt passim, prout ipsæ sacræ Litteræ testantur (4). Ergo...

Respondeo, *dist.* conseq. Nihil erit in mundo fortuitum vel casuale respectu Dei, causæ universalis, *conc.*; respectu hominis vel causarum particularium, *neg.* Et *contradistincta* Minore subsumpta, *neg.* conseq.

Audiatur Angelicus: *Aliter est de causa universali, et de causa particulari: ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causæ universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem, sicut lignum impeditur a combustione per actionem aquæ: unde cum omnes*

(1) S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 2, ad 5.um. Cfr. 1 p. quæst. 22, art. 2, ad 3.um.
(2) Vide Cosmolog. num. 88, pag. 304 seqq.
(3) S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 2.
(4) *Eccles.* cap. 9, vers. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causæ particulares concludantur sub universali causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere. In quantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse casuale vel fortuitum respectu causæ particularis; sed respectu causæ universalis, a cujus ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum. Sicut et concursus duorum servorum, licet sit casualis, in quantum ad eos, est tamen provisus a domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unum de alio nesciat (1).

Objic. 3.° Omnis sapiens provisor excludit defectum et malum, quantum potest, ab his, quorum curam gerit. Videmus autem multa mala in rebus esse, videlicet multas rerum corruptiones ac destructiones, quas profecto nullus artifex dici potest intendere vel ordinare in suis effectibus. Aut igitur Deus non potest ea impedire, et sic non est omnipotens, aut non de omnibus curam habet (2).

Respond. *dist.* Major. Provisor particularis, *transeat*; universalis, *nego. Concedo* Minor., et *nego* conseq., cujus distributio non est adæquata, quandoquidem datur medium inter membra disjunctionis. Deus enim est providus et omnipotens, non tamen vult omnia mala impedire, sed permittere quædam ad bonum totius universi.

Re sane vera, *sapiens provisor* (universalis) *non solum attendit, quid expediat uni eorum, quæ suæ providentiæ subduntur, sed magis quid competat omnibus. Quamvis ergo corruptio alicujus rei in universo non sit ei* (rei particulari) *conveniens, competit tamen perfectioni universi, quia per continuam generationem et corruptionem individuorum conservatur esse perfectum in speciebus, in quibus per se consistit perfectio universi* (3). Rem præclare illustrat Aquinas exemplo. *Nam*

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 2, ad 2.um Cfr. *de verit.* quæst. 5, art. 5, ad 5.um

(2) Apud S. Thom. loc. mox. cit. art. 2, argum. 3.°, et *de verit.* quæst. 5, art. 2, argum. 2.

(3) S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 3, ad 2.um

Alibi eamdem doctrinam sic evolvit egregie: *Aliter de eo est, qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali; quia provisor particularis excludi defectum ab eo, quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius.*

providentia Dei, qua res gubernat, est similis.... providentiæ, qua paterfamilias gubernat domum, aut rex civitatem aut regnum: in quibus gubernationibus hoc est commune, quod bonum commune est eminentius, quam bonum singulare sicut bonum gentis est eminentius, quam bonum civitatis vel familiæ vel personæ, ut habetur in principio Ethicor. (cap. 2 in fin.). *Unde quilibet provisor plus attendit, quid communitati conveniat, si sapienter gubernat, quam quid conveniat uni tantum* (1).

Instabis 1.° Corruptio, cum sit defectus, non est provisa a Deo, utpote qui non potest esse causa alicujus defectus. Ergo creaturæ corruptibiles non sunt provisæ a Deo. **2.°** Providentiæ non est naturam perdere, sed servare. Ergo providentiæ Dei omnipotentis esse debet res perpetuo servare. Atqui corruptibilia non perpetuo servantur. Ergo non subjacent divinæ providentiæ nisi sola incorruptibilia (2).

Respondeo ad 1.um, *dist.* anteced.: positive ac directe, *conc.*; negative atque indirecte, *nego*. Etenim *sicut tenebræ sunt a sole, non ex hoc quod aliquid agat, sed ex hoc quod aliquid non emittit; ita corruptio est a Deo, non quasi aliquid agente, sed non tribuente permanentiam* (3).

Respond. ad 2.um, *dist.* anteced. Providentiæ est naturam non perdere, sed servare in iis, quæ propter se atque ex

Unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi: nam **corruptio unius est generatio alterius**, *per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo: non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium, nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit Augustinus in Enchir.* (cap. 11): **Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo.** 1 p. quæst. 22, art. 2, ad 2.um

(1) S. Thom. *de verit.* loc. cit. art. 3 corp.

(2) Apud S. Thom., *de verit.*, quæst. 5, art. 3, argum. 4.° et 5.°

(3) S. Thom. *de verit.*, loc. cit., ad 4.um

primaria intentione providentur. *conc.*; in aliis, quæ solum propter aliud et secundario providentur *nego*. Et similiter *distinguo* primum consequens.

Contradist. Minor. Corruptibilia non perpetuo conservantur secundum speciem, quæ propter se ac primarie intenditur, *nego*, secundum individua, quæ non propter se intenduntur ac primarie, *conc.* Tum *nego* conseq. *Illa*, inquit S. Thomas, *quæ propter se providentur a Deo, perpetuo manent, non autem hoc oportet de illis, quæ propter se non providentur, sed oportet ea tantum manere, quantum necessarium est illis, propter quæ providentur. Et ideo particularia quædam, quia propter se non providentur, vel non sunt provisa, corrumpuntur, ut patet ex dictis in corpore articuli* (1).

Objic. 4.° *Numquid de bobus cura est Deo?* (2), sciscitatur Apostolus. Ergo non videtur Deo tribuenda esse minimarum rerum cura. Cum potissimum dedeceat divinam majestatem ad vilia quæque descendere, secundum illam S. Hieronymi super cap. 1.um *Habacuc* sententiam. *Absurdum est ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quæ cymicum et pulicum et muscarum sit in terra multitudo, qui pisces in aqua natent, et quid de minoribus majorum prædæ cedere debeat.* Ut omittam nunc timorem Velleji apud Tullium Ciceronem (3), ne rerum mundanarum cura divinæ detraheret beatitudini.

Respondeo, *dist.* antec. Non est Deo de bobus aliisque minimis rebus specialis cura, quæ de homine, *conc.*; nulla est cura, *nego*.

Hæc est vera Paulini textus interpretatio. Eamdemque fuisse mentem S. Hieronymi, jam alibi exposuimus (4); solum enim vult S. Doctor res minutas rationisque expertes non pari sollicitudine intelligi et cogitari a Deo, atque creaturas

(1) S. Thom. *de verit.*, loc. cit., ad 3.um
(2) 1 *Corinth.* cap. 11, vers. 9.
(3) *De natur. deor.* lib. 1, num. 17.
(4) Vide supra, num. 38, pag. 126, in respons. ad object. 14.um

rationales (1). Timor autem Velleji inanissimus est, et jam a nobis præoccupatus in probationibus præcedentis propositionis et paragraphi.

Objic. 5.° Nihil regitur Dei providentia, nisi quod ordinatur ad finem, quem ipse Deus intendit. Atqui Deus non alium finem intendit præter se ipsum. Ergo Deus nihil providentia sua regit, nisi quod ad ipsum tamquam ad finem ultimum ordinatur. Atqui nec bruta nec res ullæ ratione carentes possunt pervenire ad participationem Dei, finis ultimi, cum non sint capacia beatitudinis. Ergo solus homo divina providentia regitur (2).

Respondeo, *conc.* Major. et Minor. et primum conseq.

Minorem subsumptam *distinguo*: res ratione carentes non possunt pertingere ad participationem Dei, finis ultimi ullo prorsus modo, ne per similitudinem quidem Dei, quam referunt in se, sic illum pro modulo suo glorificando, *nego*; ad participationem Dei per cognitionem et amorem illius, *conc.* Tum *nego* ultimum conseq. Præclare Aquinas: *Omnium creaturarum ipse Deus est finis, sed diversimode: quarumdam enim creaturarum dicitur esse finis, in quantum participant aliquid de Dei similitudine; et hoc est commune omnibus creaturis. Quarumdam vero est finis Deus hoc modo, quod ipsæ creaturæ pertingunt ad ipsum Deum per suam operationem, et hoc est solum creaturarum rationalium, quæ possunt ipsum Deum cognoscere, et amare, in quo earum beatitudo consistit* (3).

Objic. 6.° Quicumque dimittitur sibi, non subest providentiæ alicujus gubernantis. Sed homines sibi ipsis dimittuntur a Deo secundum illud: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui* (4): et specialiter

(1) Audiatur Angelicus: *Quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium suæ actus, ut dictum est* (quæst. XIX, art. 10), *speciali quodam modo subditur divinæ providentiæ, ut scilicet ei imputetur aliquid ad culpam vel ad meritum, et reddatur ei aliquid ut pœna vel præmium. Et quantum ad hoc, curam Dei Apostolus a bobus removet, non tamen ita, quod individua irrationalium creaturarum ad Dei providentiam non pertineant, ut Rabbi Moyses existimavit.* S. Thom. 1 p., quæst. 22, art. 2.° ad 5.um
(2) Cfr. apud. S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 6, argum. 4.°.
(3) S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 6, ad 4.um
(4) *Eccles.* cap. 15, vers. 14.

mali, secundum illud: *Dimisi illos secundum desideria cordis eorum* (1). Non igitur omnia divinæ providentiæ subsunt (2).

Respondeo, *conc.* Major., *disting.* Minor. Homines sibi ipsis dimittuntur a Deo, ita ut non determinentur ad unum, sed ipsis libera relinquatur determinatio suarum actionum, *conc.*; ita ut excludantur a divina providentia, *nego*. Nec contrarium probatur per adducta sacrarum Litterarum testimonia, quemadmodum recte interpretatur Angelicus, et passim Theologi: *In hoc quod dicitur, Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo a divina providentia, sed ostenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum, quasi ab altero directæ in finem, non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, et eligunt; unde signanter dicit:* **In manu consilii sui.** *Sed quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, necesse est, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiæ subdantur: providentia enim hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universali. Hominum autem justorum quodam excellentiori modo Deus habet providentiam, quam impiorum, in quantum non permittit contra eos evenire aliquid, quod finaliter impediat salutem eorum:* **nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum**, *ut dicitur* (Rom. VIII, 28). *Sed ex hoc ipso quod impios non retrahit a malo culpæ, dicitur eos dimittere, non tamen ita quod totaliter ab ejus providentia excludantur; alioquin in nihilum deciderent, nisi per ejus providentiam conservarentur. Et ex hac ratione videtur motus fuisse Tullius, qui res humanas, de quibus consiliamur, divinæ providentiæ subtrahit* (3).

Objic. 7.° Motus et actiones causarum inferiorum non possunt cadere sub providentiam Dei. Nam α) contrarii motus non videntur esse ejusdem ordinis. Sed in istis inferioribus dantur motus et actiones contrariæ. Ergo... β) Nihil cadit sub

(1) *Psalm.* 80, vers. 13.
(2) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 2, argum. 4.°
(3) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 2 ad 4.um. Cfr. *de Verit.* quæst. 5, art. 5 ad 4.um; et art. 7 ad 1.um.

providentiam, quod non sit, Deo auctore, factum, quodque non ordinetur in finem. Atqui malum non fit, Deo auctore, nec ordinatur in finem, cum e converso sit privatio ordinis in finem. Ergo... γ) Non est prudens, qui cum posset impedire malum, permittit illud in illis, quorum actus suæ subsunt providentiæ. Atqui mala multa contingunt in his inferioribus. Cum ergo Deus sit prudentissimus, dicendus est non habere providentiam horum motuum et actionum (1).

Respondeo, *neg.* asert. **Ad probation.** α), *dist.* Major.: contrarii motus non sunt ejusdem ordinis particularis, *transeat.*; non sunt ejusdem ordinis generalis, plura membra diversa complexi, *nego*.

Ad probation. β) *dist.* primum membrum Majoris. Nihil cadit sub providentiam, quod non sit, Deo auctore, id est, Deo aliquo modo operante factum, *conc.*; quod non sit, Deo auctore, id est, Deo per se et approbative operante, factum, *subdist.*; non cadit sub providentiam directe intendente, *conc.*; non cadit sub providentiam permittentem, *nego*.

Et *contradistinguo* Minoris primum membrum. *Distingmo* etiam alterum membrum Majoris. Nihil cadit sub providentiam, quod a nullo ordinatur in finem, *conc.*; quod non ordinatur in finem ab ipsa causa secunda, *nego*.

Contradistinguo pariter secundum membrum Minoris. Malum non ordinatur in finem a causa particulari, a qua procedit, *conc.*; ab auctore naturæ, Deo, *nego*.

Et *nego* consequens et consequentiam. *Quamvis enim malum, secundum quod exit ab agente proprio, sit inordinatum, et ex hac per privationem ordinis definatur, tamen nihil prohibet, quin a superiore agente ordinetur: et sic sub providentia cadit* (2).

Ad probation. γ) *dist.* Major. Non est prudens, qui cum posset impedire minus malum, permittit illud, si obtinendum sit majus bonum, *nego*; secus, *transeat*. Et *contradistincta* Minore, *nego conseq. Nam quilibet prudens sustinet*

(1) Apud S. Thom., *de verit.*, quæst. 5, art. 4, argum. 1.°, 2.°, 3.° et 4.°.
(2) S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 4 ad 1.um

aliquod parvum malum, ne impediatur magnum bonum; quodlibet autem particulare bonum est parvum respectu boni alicujus naturæ universalis. Non posset autem impediri malum, quod ex aliquibus rebus provenit, nisi natura eorum tolleretur, quæ talis est, ut possit deficere, vel non deficere, et quæ alicui particulari nocumentum infert, et tamen universo quamdam pulchritudinem addit. Et ideo Deus, cum sit prudentissimus, sua providentia non prohibet mala, sed permittit unumquodque agere, secundum quod natura ejus requirit. Ut enim dicit Dionysius (4 cap. de divinis nominibus) *providentiæ non est naturas perdere, sed salvare* (1).

Instabis 1.° Bonum potentius est, quam malum. Ergo magis potest ex bono elici bonum, quam ex malo. Ergo non est necesse, quod Deus mala permittat fieri, ut ex eo eliciat bona. 2.° nullus prudens permittit bonum, ut veniat malum. Ergo e converso nullus prudens permittere debet malum, ut eveniat bonum. 3.° quod est reprehensibile in homine, non est tribuendum Deo. Sed in homine juste reprehenditur, quod faciat mala ad consequendum bonum. Ergo... (2).

Respondeo ad 1.um, *conc.* Major., et *distinq.* Minor.: et quodlibet bonum elicitur ex bono, *nego*; et sunt bona, quæ non possunt elici, nisi ex mali permissione, *conc. Nam bonum patientiæ nonnisi ex malo persecutionis elicitur, et bonum pœnitentiæ ex malo culpæ, quin tamen ex hoc sequatur malum esse potentius ad bonum consequendum, quam bonum. Nam ejusmodi bona non eliciuntur ex malo, quasi ex causa per se, sed quasi per accidens et materialiter* (3).

Respondeo ad 2.um, *conc.* anteced., *neg.* conseq., quia bonum permittere ad malum, esset bonum ordinare ad malum, quod deordinatio est; sed malum permittere, ut veniat bonum, est malum ordinare ab bonum, quod quidem ordinatum est, quamdiu malum non directe ac per se adhibeatur ut medium ad bonum.

(1) S. Thom. de *verit.* quæst. 5, art. 4, ad 4.um
(2) Apud S. Thom., ibid., argum. 5.°, 9.° et 10.°
(3) S. Thom. ibid., ad 5.um

Respondeo ad 3.um, *negando* consequentiam, quia non est perinde *facere* malum, et *permittere* malum. Unde facere *malum propter bonum, in homine reprehensibile est, nec Deo potest attribui, sed ordinare malum,* (quod profecto non approbetur) *in bonum, hoc non contrariatur bonitati, et ideo permittere malum propter bonum inde eliciendum Deo attribuitur* (1).

Objic. 8.° Saltem non potest dari in Deo providentia circa hominem. Nam α) Deus supervacanea non facit. Sed homo ipse potest suas res curare, sibiqüe providere. Ergo... Quare etiam scripsit S. Joannes Damascenus: *Quæ in nobis sunt, non providentiæ sunt, sed sunt nostri liberi arbitrii* (2). β) Quæ nobiliora sunt, digniori modo provideri debent. Atqui si providentia divina se extenderet ad hominem, dicendum foret, illius actiones minus provideri, quam rerum insensibilium actiones. Nam insensibilia raro, homo autem sæpissime deviat a recto ordine, quod profecto non accideret, si divinæ providentiæ subjiceretur ille. γ) Malum culpæ est maxime odibile Deo. Sed nullus providens illud, quod maxime ei displicet, permittit propter aliquid aliud; quia sic absentia illius alterius ei magis displiceret. Ergo cum Deus permittat in humanis actibus mala culpæ accidere, videtur, quod humani actus providentia ejus non regantur (3). δ) Providentia Dei est æterna et antecedens ad omne opus humanum. Ergo quidquid providentia divina decernat de humanis actibus, ab æterno et antecedenter ad eorum positionem est determinatum, ut ita sit, et aliter esse non possit: quod profecto humanam evertit libertatem.

Respondeo, *neg.* assert. **Ad probation.** α), *conc.* Major., *distinq.* Minor.: sufficienter, *nego.*; insufficientissime, *transeat. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ* (4). Quod vero ex S. Damasceno relatum est, *non est intelligendum hoc modo, quod omnia ea, quæ sunt in*

(1) S. Thom. ibid., ad 10.um, ubi plura alia argumenta soluta videri queunt.
(2) *De orthodox. fid.* lib. 2, cap. 26, 28, 29.
(3) Vide apud S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 9, argum. 1.°, 2.° et 3.°
(4) *Sapient* cap. 9, vers. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nobis, id est, in electione nostra, a divina providentia excludantur; sed quia non sunt per divinam providentiam ita determinata ad unum, sicut ea, quæ libertatem arbitrii non habent (1).

Respondeo ad β), *neg.* Minor. **Ad probationem**, *dist.* Major. Et quod homo deviet a recto ordine provenit ex defectu providentiæ in Deo, *nego*; provenit ex libertate ipsius hominis, *conc.* Et *neg.* conseq. Apposite Aquinas. *Res naturales insensibiles providentur solum a Deo: et ideo ibi non potest accidere defectus ex parte providentis, sed solum modo ex parte provisorum; humani autem actus possunt habere defectum ex parte providentiæ humanæ; et ideo plures defectus et inordinationes inveniuntur in humanis actibus, quam in naturalibus actibus. Et tamen hoc quod homo habet providentiam suorum actuum, ad nobilitatem ejus pertinet: unde multiplicitas defectuum non impedit, quin homo nobiliorem gradum sub divina providentia teneat* (2).

Respondeo ad γ), *dist.* Minor. Si illud, propter quod permittit rem sibi maxime displicentem, non sit majus bonum, *transeat*; si sit majus bonum, *nego*. Et *nego* conseq. *Nam Deus plus amat, quod est magis bonum; et ideo magis vult præsentiam boni, quam absentiam minus mali, quia et absentia mali quoddam bonum est. Ideo ad hoc quod aliqua bona majora eliciantur, permittit aliquos in mala culpæ cadere, quæ maxime secundum genus sunt odibilia, quamvis unum sit ei magis odibile alio: unde ad medicinam unius permittit quandoque cadere in aliud* (3).

Respondeo ad ζ), *dist.* Major. Providentia Dei est æterna et antecedens tempore ad omne opus bonum, *conc.*; natura et causalitate, *subdist.*; ita ut præsupponat consensum libere futurum prævisum per scientiam mediam, *conc.*; secus, *nego*. Et similiter *dist.* conseq. Quidquid providentia decernit decreto prorsus absoluto, jam ab æterno et antecedenter ad positionem actus humani determinatum est, ut ita sit, et non possit aliter esse, *transeat*. Quidquid providentia decernit decreto virtualiter conditionato et attemperato humanæ libertati, prout suo loco explicatum est, *nego* (1).

(1) S. Thom. *de verit.*, quæst. 5, art. 5, ad 1.um
(2) *De verit.* quæst. 5, art. 5, ad 2.um
(3) S. Thom ibid ad 3.um

Objic. 9.° Dantur interdum eventus contrarii ordini rerum consueto et naturali, nempe facta miraculosa. Atqui perturbationes ordinis consueti nequeunt tribui ipsi ordinis auctori, quia secus ordinis auctor vel inconstantiam voluntatis et mutabilitatem præ se ferret, vel certe ignorantiam et imprævisionem destruendo ordinem, qui corrigendus sit in aliquo casu: quorum utrumque Deum maximopere dedecet. Ergo saltem opera hujusmodi miraculosa omnino effugiunt providentiam Dei.

Respondeo, *conc.* Major., *dist.* Minorem; si nulla sit causa justa et sapiens ordinem momento temporis perturbandi, seu potius suspendendi, *conc.*; si sit causa justa, *nego*. Non enim est contra constantiam ac sapientiam Dei, ut et ordinem constantem mundi et simul suspensionem illius propter causas speciales gloriæ suæ ab æterno decreverit patrando miracula, quibus finem obtineret aliquem altiorem, quemadmodum suo loco declaratum reliquimus (2). Unde miracula providentiam Dei maxime commendant, nedum infirmant, quandoquidem ostendunt potentiam et sapientiam Dei tantam esse, cui perinde sit ordinem coptum suspendere ac continuare, suspensumque iterum redintegrare absque ullo universalis ordinis præjudicio. Reliqua, quæ hominem respiciunt, in sequenti paragrapho expedientur.

§ III.—UTRUM DEUS HOMINEM SPECIALI PROVIDENTIA REGAT.

Status quæstionis.

341. Penitior rei declaratio et gravissimum momentum adigit nos hanc disputationem instituere. In qua non est sermo præcise de ordine supernaturali, ad quem homo divina munificentia et misericordia elevatus est: in eo enim splendent signa specialissimæ providentiæ in mysteriis prædestinationis, in institutione Ecclesiæ, in tota gratiæ œconomia; quæ

(1) Vide superius scripta super natura divini decreti, quo concursus causis naturalibus ab æterno decernitur, num. 364 seqq., pag. 924 seqq.; et super divinis prædefinitionibus, num. 80 seqq., pag. 278 seqq.
(2) Vide *Cosmolog.*, num. 119, 120 pag. 422 seqq. et 431.

ad hominis sanctitatem æternamque beatitudinem dirigitur; sed agitur potissimum de naturali ordine, quem solum attingit Philosophia in naturali rationis lumine innixa. Sit ergo communi christianorum scriptorum calculo probata.

PROPOSITIO 3.ª **Deus creaturæ rationalis peculiarem curam et providentiam gerit.**

Deus creaturæ rationalis peculiarem curam et providentiam gerit.

Prob. 1.ª Ex dignitate rationalium creaturarum, in quibus homo numeratur ratione animæ spiritualis. *Quanto est aliquid propinquius primo principio, tanto nobilius sub ordine providentiæ collocatur. Inter omnia vero alia spirituales substantiæ*, vel rationales creaturæ, *magis primo principio appropinquant: unde ei ejus imagines insignitæ dicuntur.* Ergo....

Et ideo a divina providentia non solum consequuntur, quod sint provisa, sed etiam quod provideant. Et hæc est causa, quare prædictæ substantiæ habent suorum actuum electionem, non autem cæteræ creaturæ, quæ sunt provisæ tantum, et non sunt providentes (1).

Major hujus probationis patet, quia providentia est cura, qua res prospicitur, ut bene conserventur, et ad fines suos promoveantur. Planum est autem, quod omnis prudens provisor debet res curare pro ipsarum dignitate ac nobilitate, ut passim videmus inter ipsos homines in rebus eorum providentiæ commissis. Idque evidentius confirmatur sequente argumento.

Prob. 2.ª Providentia consequitur amorem, ita ut quo magis res ametur, eo exquisitiori providentia custodiatur. Atqui Deus inter omnes res creatas præcipuo amore diligit creaturas rationales, et hominem, quem, ut superius docuimus, amore prosequitur benevolentiæ amicitiaque (2), et propter quem tamquam propter finem proximum hic mundus visibilis conditus est (3). Ergo... Hoc argumentum sic exposuit S. Thomas: *Gubernatio providentiæ ex amore divino procedit, quo Deus res a se creatas amat; in hoc enim præcipue consistit amor, quod amans amato bonum velit. Quanto*

(1) S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 5.
(2) Vide supra, num. 170, pag. 536.
(3) Vide *Cosmolog.* num. 112, pag. 322 seqq.

ergo Deus aliqua magis amat, tanto magis sub ejus providentia cadunt. Hoc autem etiam sacra Scriptura docet in Psalmo (1) *dicens:* **Custodit Dominus omnes diligentes se.** *Et etiam Philosophus tradit* (2) *dicens, quod Deus maxime curat de his, qui diligunt intellectum, tamquam de suis amicis: ex quo etiam habetur, quod maxime substantias intellectuales amat. Sub ejus igitur providentia cadunt eorum voluntates et operationes* (3).

Prob. 3.ª Eorum Deus potiorem providentiam habeat, necesse est, qui, pro sua libertate ac potestate peccandi, ex altera parte non debent regi, sicut entia ratione carentia, ex altera vero parte possent, nisi sibi prospiceretur, vel ipsum providentiæ ordinem a Deo stabilitum perturbare. Atqui talis est homo. Ergo.... Quare Deus legem naturalem hominis animo insculpsit, religionem cultumque tradidit, instinctum ab bonum tribuit, conscientiæ stimulum male agentibus addidit, in societate illum constituit, præmia bonis, supplicia proposuit, cæteraque addidit præsidia, quibus suaviter juxta et efficaciter posset homo ad finis sui assecutionem perduci.

Prob. 4.ª experientia ipsa. Quod enim in primo *Theodicææ* volumine adversus atheos ursimus, id præcipue valet in defensionem divinæ providentiæ peculiaris erga humanum genus, qua non admissa, vere ænigma est inextricabile socialis ordinis catholicæque Ecclesiæ conservatio, qualem oculis nostris perspicimus, atque in præteritorum temporum annalibus consignatum legimus. Quod argumentum quia suo loco evolutum reliquimus, necesse non est iterum enucleatius pertractare (4). Huc spectat etiam, quod S. Thomas notaverat circa ea, quæ sæpe reperimus in historicis accidisse præter omnem expectationem. *Hoc etiam*, inquit, *quod tam multa in humanis actibus accidunt, quorum contraria deberent accidere, ut videtur, consideratis inferioribus causis; ostendit, quod humani actus divina providentia gubernantur, ex qua contingit, quod frequenter potentiores*

(1) *Psalm.* 144, vers. 20.
(2) *Aristot.* lib. 10 *Ethicor.* cap. 10.
(3) S. Thom., *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 90, *Adhuc, gubernatio...*
(4) Vide *Theodic.* vol. 1.um num. 51, pag. 105-191, paragr. 5.º paragr. *Inexplicatum.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

succumbunt. Ostenditur enim per hoc, quod victor magis est ex divina providentia, quam ex humana virtute, et similiter de aliis (1).

Cæterum ad hanc peculiarem providentiam pertinet, quod Deus singularibus et individuis rationalibus provideat *propter se ipsa*, quin ea ordinet in bonum alterius, secus atque individuis corruptibilibus naturæ irrationalis, quibus *propter aliud* providetur, ut superius innuimus. Unde in individuis rationalibus ipsi defectus et mala non ordinantur in bonum alterius, sicut v. g. mors agni ordinatur in bonum lupi vel hominis, sed in bonum, vel malum proprium, puta per præmium, si peccator resipiscat, vel in pœnam et punitionem, si nolit pœnitentiam agere: quæ ratio præmii ac pœnæ locum non habet in creaturis irrationalibus, sicut nec ratio culpæ (2).

Inter ipsos homines.

Quod si Deus specialem providentiam habet hominis, congruum omnino videtur, ut inter ipsos homines peculiari

(1) S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 5, ad 5.um

(2) Audistur Angelicus Doctor: *Secundum... quod aliqua creatura magis inhæret regulæ primi providentis, secundum hoc firmiorem rectitudinem habet ordo providentialis ipsius. Quod ergo hujusmodi creaturæ deficere possunt in suis actibus, et ipsæ sunt causæ suorum actuum, inde est, quod eorum defectus rationem culpæ habent, quod non erat de defectibus aliarum creaturarum. Quia vero hujusmodi spirituales creaturæ incorruptibiles sunt et secundum individua, etiam eorum individua sunt propter se provisa: et ideo defectus, qui in eis contingunt, ordinantur in pœnam vel præmium, secundum quod eis competit, non autem solum secundum quod ad alia ordinantur; et inter has creaturas est homo, quia ejus forma, scilicet anima, est spiritualis creatura, a qua est ratio humanorum actuum, et a qua corpus hominis ordinem ad immortalitatem habet. Et ideo humani actus sub divina providentia cadunt hoc modo, quod ipsi provisores sunt suorum actuum; et eorum defectus ordinantur secundum quod competit eisdem, non solum secundum quod competit aliis; sicut peccatum hominis ordinatur a Deo in bonum ejus, ut dum post peccatum resurgens humilior redditur, vel saltem in bonum quod in ipso fit per divinam justitiam, dum pro peccato punitur; sed defectus in aliis creaturis contingentes ordinantur solum in id, quod competit aliis; sicut corruptio hujus ignis in generationem illius aeris. Et ideo ad designandum hunc specialem providentiæ modum, quo Deus actus humanos gubernat, dicitur* **Sapientiæ**, XII, *18:* **Cum reverentia disponis nos**. S. Thom. *de verit.* quæst. 5, art. 5. Cfr. ibid. art. 6.

cura prosequatur probos, docente Aquinate (1). *Hominum... justorum quodam excellentiori modo Deus habet providentiam, quam impiorum, in quantum non permittit contra eos evenire aliquid, quod finaliter impediat salutem eorum; nam* **diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum** (2). Unde etiam docent Theologi prædestinationem esse certissimam atque infallibilem (3). Quare in hoc reponit S. Thomas discrimen divinæ providentiæ respectu bonorum et malorum, ut illos quidem, quia recte ordinant actiones suas providendo illas secundum placitum divinæ voluntatis, Deus ita regat, ut nihil eis noceat, sed omnia, etiam adversa in bonum eorum cedant; malos vero e converso, quia ordinant actiones suas more brutorum animalium, Deus quoque gubernet quodammodo sicut bruta animantia, ut scilicet *dum ab uno ordine providentiæ exeunt nolentes facere voluntatem Dei, in alium ordinem dilabantur, in quo de eis divina voluntas fiat* per ostensionem justitiæ in infligendis promeritis pœnis (4).

Bonorum specialissima cura habet Deus.

Difficultatis solutæ.

342. Objic. 1.° Hæc habet *Sapiens* disertissima contra statutam a nobis propositionem: *Aequaliter est illi* (Deo)

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 2, ad 4.um Cfr. *de verital.* quæst. 5, art. 7.

(2) *Roman.* cap. 8, vers. 28.

(3) S. Thom. 1 p. quæst. 23, art. 6 et 7.

(4) Ita iterum S. Thomas: *Divina providentia se extendit ad homines dupliciter: uno modo in quantum ipsi providentur; alio modo in quantum ipsi providentes fiunt. Ex hoc autem quod providendo deficiunt, vel rectitudinem servant, boni vel mali dicuntur: ex hoc autem quod providentur a Deo, eis bona vel mala præstantur, et secundum quod ipsi diversimode se habent in providenda, diversimode providetur eis a Deo. Si autem rectum ordinem in providendo servant, et in eis divina providentia ordinem servat congruum humanæ dignitati, ut scilicet nihil eis eveniat, quod in eorum bonum non cedat: et quod omnia, quæ eis proveniunt, eos in bonum promoveant; secundum illud quod dicitur Rom., VIII, 28:* **Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum**. *Si autem providendo ordinem non servant, quod congruit creaturæ rationali, sed provideant secundum modum brutorum animalium, et divina providentia de eis ordinabit secundum ordinem qui brutis competit, ut scilicet ea, quæ in eis vel bona vel mala sunt, non*

cura de omnibus. (1). Ergo non regit homines speciali providentia.

Respond., *dist.* sensum sacrorum verborum; *æqualiter* est cura Deo de omnibus, id est, de omnibus, nullo excepto, inest Deo providentia, *conc.*; eadem est ratio curæ ac providentiæ, quam Deus de omnibus habet, *nego.* Tum *neg.* conseq.

Objic. 2.° Si hominis Deus peculiarem curam gereret, supervacanea esset humana cura et sollicitudo circa felicem negotiorum exitum. Atqui contrarium patet experientia ipsa quotidiana. Ergo signum est omnia pendere potissimum ex humana industria, ideoque non dari reapse in Deo peculiarem rerum nostrarum providentiam.

Respondeo, *dist.* Major. Supervacanea esset nimia sollicitudo, quasi rerum successus penderent ex hominis duntaxat industria, *conc.*; sollicitudo moderata, *nego*, quia providentia divina non excludit humanam, sed includit, immo et quodammodo requirit. Cum enim Deus homini dederit rationem, qua rebus suis prospiceret, et utramque vitam, physicam et moralem, recte institueret observando divinam legem ad assecutionem finis sui ultimi; vult omnino, ac præcipit, ut homo ratione sua utatur, atque industriam omnem adhibeat rebus suis providendo, quantum oportet secundum regulam prudentiæ, ac mox filialem fiduciam in Dei providentia collocando. Qua in re illud fertur fuisse S. Ignatii, Patris nostri, præclarum consilium, ita homini esse laborandum in suis negotiis recte ordinandis, quasi lætus exitus ex sola ipsius penderet industria; postea vero ita soli fidendum esse Dei providentiæ, quasi homo ipse nihil fecisset, nec quidquam omnes ejus conatus profuturi essent.

ordinentur in eorum bonum proprium, sed in bonum aliorum; secundum quod in Psalm. XLVIII, 13, dicitur: **Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.** *Ex hoc patet, quod altiori modo divina providentia gubernat bonos, quam malos: malí enim dum ab uno ordine providentiæ exeunt, ut scilicet voluntatem non faciant, in alium ordinem dilabuntur, ut scilicet de eis divina voluntas fiat; sed boni quantum ad utrumque sunt in recto ordine providentiæ. De veritate*, quæst. 5, art. 7.

(1) *Sapient.* cap. 6, vers. 8.

Objic. 3.° Deus saltem hominum peccatorum non videtur peculiarem habere providentiam, tum quia specialis cura solis bonis in præmium promittitur in sacris Litteris, ut probant illa verba: *Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum* (1); tum quia angeli ex providentia speciali deputati sunt in hominum custodiam, et nihilominus illi videntur hominem peccatorem derelinquere, quemadmodum significatur a propheta Hieremia: *Curavimus Babylonem, et non est sanata: derelinquamus eam* (2).

Respondeo, *nego*, vel potius *distinguo* assertum; Deus peccatoris non habet potiorem curam, quam rerum ratione carentium, *nego*: quam justorum, *conc.* Deus enim omnium prorsus hominum peculiarem curam gerit, inter ipsos autem homines magis bonis prospicit, quam sceleratis. Et hoc nobis significat primum testimonium. Alterum vero non ista intelligendum est, ut Deus malos vel angelorum custodia vel aliis etiam præsidiis gratiæ omnino destitutos abjiciat, sed tantum ab illis in pœnam suæ proteviæ uberiora auxilia retrahat. Et hoc sensu etiam *dicitur Deus derelinquere malos, non quod omnino sint ab ejus providentia alieni, sed quia eorum actus non ordinet in eorum promotionem; et præcipue contra reprobos* (3). Et ita etiam *angeli, qui sunt deputati hominibus ad custodiam, nunquam totaliter hominem dimittunt, sed dicuntur dimittere, in quantum ex justo Dei judicio permittunt eum cadere in culpam vel pœnam* (4).

Instabis. Nonnulli Patres antiqui, præsertim græci (5), negant actus malos esse ex providentia.—**Respondeo**, ideo Patres illos negare, quod actus mali sunt *ex providentia*, aquia per illam vocem peculiariter intelligunt illam absolutam dispositionem, qua Deus non solum permittit, sed vult absolute, ut aliquid sit. Vel, ut illa particula *ex providentia*

(1) *Psalm.* 30, vers. 16.
(2) *Hierem.* cap. 51, vers. 9.
(3) S. Thom., *de verit.* quæst. 5, art. 7, ad 1.um
(4) S. Thom., ibid., ad 2.um
(5) Vide Origen. (*Periarch.* lib. 2, cap. 12), S. Justin. (quæst. 8 ad *orthodoxos*), Chrysost. (homil. 11), Theodoret. (libr. 5 divin. decr. cap. *de provident.*), Damasc. (*de orthodoxa fide*, lib. 2, c. 29, 30).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

satis indicat, solum intendunt, radicem et originem horum actuum malorum non esse ex divina providentia, neque illi esse tribuendos tales actus, ut proprie causæ (1). Hoc enim probe notandum est, quod etiam supra innuimus, licet de omnibus disponat divina providentia, non tamen de omnibus eodem modo, sed accommodate ad naturam cujusque. Quare actus bonus disponit approbando, ac decernendo simpliciter ut sint, malos vero tantum permittendo, ut sint, nullatenus approbando. Quod si interdum similem loquendi formam adhibent, etiam loquendo de actibus bonis, interpretandi sunt exclusam voluisse duntaxat efficacem prædeterminationem Dei, quatenus inferat necessitatem voluntati creatæ, ut interpretatur S. Thomas (2).

An mala, quibus boni afflictantur, et bona, quibus mali affluunt quibusdam videantur esse contra Dei providentiam.

Objic. 4.ª In hoc mundo passim cernimus non æquam bonorum malorumque distributionem, sed sæpe frugi honestique homines miseriis atque ærumnis aflictantur; flagitiosis autem omnia prospere feliciterque succedunt. Atqui hoc pugnat cum recta providentia, cujus est præmia vel pœnas pro meritis rependere. Ergo neganda est peculiaris erga homines Dei providentia, multoque magis erga probos, quandoquidem recta ratio postulare videtur, ut vel miracula Deus faceret, vel aliter rerum ordinem permutaret, ne virtus misere opprimeretur, et vitium ubique triumphum ageret.

Respondeo. Vetus hæc est contra providentiam divinam difficultas, quam Sancti Patres et scriptores ecclesiastici omnium temporum præclaris argumentis declaravertunt penitusque dissiparunt. Non enim uno ex capite nutat. *Transmissa* enim Majore, *negatur* propositæ objectionis Minor cum consequentia.

Sane 1.º Verum non est semper bonos ærumnas pati, flagitiosos divitiis honoribusque affluere, non enim raro contraria omnia eveniunt quare *transmissa* est major propositio objecti syllogismi. Ratio vero negatæ Minoris est multiplex. Nam

(1) Suarez, *Metaphys.* disput. 22, sect. 4, num. 33.
(2) 1.p. quæst. 23, art. 1, ad 1.um Cfr. Suarez, loc. cit.

2.º Sæpe boni Deum saltem leviter offendunt, *in multis enim offendimus omnes* (1), *et septies cadet justus, et resurget* (2); *quod si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (3); mali vero non in cunctis actibus peccant, sed interdum etiam bene operantur. Quare sicut adest causa justa, cur honesti homines puniantur a Deo temporalibus miseriis, quæ minora mala sunt minima Domini nostri offensa; ita non deest causa, ob quam et mali qualiumcumque bonarum operationum suarum præmium aliquod acciplant in hac vita a liberalissimo remuneratore. Itaque culpanda nullatenus est divina providentia, quantumvis frugi homines ærumnis oppressos, sceleratos vero bonis abundantes videamus.

3.º Accedit, quod rectitudo divinæ providentiæ potissimum dimitienda est ex ordine ad ultimum finem, non autem in ordine ad temporaneam fluxamque vitæ hujus mortalis felicitatem. Atqui distributio ista bonorum et malorum, quam objectio meminit, aptissima esse potest in ordine ad ultimum finem hominis, ut per se patet.

4.º Sane in mediis malis elucet melius virtus bonorum hominum ejusque veritas et sinceritas; nam *virtus in infirmitate perficitur* (4), sicut *in igne probatur aurum* (5). Hoc pacto a sanctis exercentur patientia, fortitudo, contemptus mundi, cœlestium contemplatio, purus Dei amor, ac cæteræ virtutes christiano dignissimæ. Unde vere mirabilis commendatur providentia in eo, quod talibus Deus instrumentis ac præsidiis confirmet, tantaque infirmam et fragilem hominis naturam fortitudine armet, ut in difficillimis temporibus atque adjunctis stare possit contra omnia adversa sereno vultu animoque nullis fracto laboribus. E converso perversi homines, si velint resipiscere, juvari egregie possunt rebus prosperis, sicut solent sæpe discoli filii blanditiis demulceri, ut ad patris amorem obedientiamque redeant.

(1) *Jacob.* cap. 3, vers. 2.
(2) *Proverb.* cap. 24, vers. 16.
(3) 1 *Joann.* cap. 1, vers. 8. Cfr. *Proverb.* cap. 20, vers. 9; 3 *Reg.* cap. 8, vers. 46; 2 *Paralip.* c. 6, v. 36; *Eccles.* cap. 7, vers. 21.
(4) 2 *Corinth.* cap. 12, vers. 9.
(5) *Eccli.* cap. 2, vers. 6.

5.° Quæ cum ita sint, non debuit Deus presentem providentiæ ordinem abjicere vel mutare, nec ad illius emolliendam asperitatem miracula patrare, utpote qui tot capitibus excellentissimus apparet: in quo et flagitiosi suavissimum incitamentum habere possunt ad pœnitentiam, et boni ad quærendum unice Deum impelluntur, ejemplo suo demonstrantes nullis se malorum terroribus ad virtutem cogi, sed liberrime illam ex sincero Dei cœlestiumque bonorum amore exercere.

ARTICULUS III

Qualis sit providentia Dei

343. Verum jam opere pretium est modum explicare divinæ providentiæ, circa quem varia occurrunt dubia. Et primo quidem

§ 1.—UTRUM DEUS IMMEDIATE OMNIBUS PROVIDEAT, AN VERO MEDIATE.

Opinio Platonis.

Scribit Nemesius (1) triplicem providentiam posuisse Platonem, *quarum prima est summi Dei, qui primo et principaliter providet rebus spiritualibus, et consequenter toti mundo quantum ad genera, species, et causas universales. Secunda vero providentia est, qua providetur singularibus generabilium et corruptibilium. Et hanc attribuit diis, qui circumeunt cœlos, id est, substantiis separatis, quæ movent corpora cœlestia circulariter. Tertia vero providentia est rerum humanarum, quam attribuebat dæmonibus, quos Plato ponebat medios inter nos et Deos, ut narrat Augustinus* (9 *de Civit. Dei*, c. 1 et 2, et lib. 8, c. 14) (2). *Cæterum secundum Platonem secunda et tertia providentia a prima dependent, nam Deus summus secundos et tertios statuit provisores* (3). Quæ doctrina eodem Aquinate docente, *catholicæ fidei consonat quantum ad hoc, quod omnium providentiam reducit in Deum, sicut in primum auctorem; videtur autem sententiæ fidei repugnare quantum ad hoc, quod non omnia particularia divinæ providentiæ immediate dicit esse subjecta* (1).

(1) *Philosoph.* lib. 8, cap. 3.
(2) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 3 corp.
(3) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 76 initio.

vera doctrina.

Num communis, eaque verissima, persuasio catholicorum scriptorum tenet Deum per se atque immediate providentia sua regere, quamvis non omnia immediate gubernet, prout suo loco probandum erit. Probe enim distinguendæ sunt providentia Dei et gubernatio, quamvis intime connectantur: prima est ratio ordinis vel ordinandarum rerum in divina mente existens, altera est exsecutio illius, quemadmodum initio notatum reliquimus: et nunc de sola prima disputamus in præsenti capite, de altera in proximo capite disputabimus.

344. PROPOSITIO 1.ª **Quamquam Deus non omnia immediate gubernet, immediate tamen ac per se cunctis rebus providet: seu providentia Dei est immediata et personalis, ut ita dicam.**

Deus omnibus immediate ac per se providet.

Probatur 1.° Deus habet *immediatam singularium cognitionem, non quasi ea in suis causis cognoscens tantum, sed etiam in se ipsis...* Atqui nequit existimari, quod Deus, *singularia cognoscens, eorum ordinem non velit, in quo bonum præcipuum eorum constat, cum voluntas sua sit totius bonitatis principium. Oportet ergo, quod sicut immediate singularia cognoscit, ita etiam immediate eorum ordinem statuat* (2), videlicet providentiam eorum habeat.

Prob. 2.° Cum in humanis provisor supremus adhibet inferiores provisores, ipse saltem præcipua et majora statuit, atque ordinat; cætera vero ideo fere aliis statuenda et ordinanda committit, quia vel nescit tam bene per se ordinare, vel non potest sive propter defectum temporis sive propter defatigationem, vel quia non decet majestatem illius minimis ac vilioribus distineri. Huc enim revocari possunt omnes causæ, propter quas solent supremi magistratus administros adhibere in recte ordinanda atque ad finem proprium

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, ibid.
(2) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, c. 76. Cfr. 1 p. quæst. 22, art. 3.

dirigenda republica. Atqui nihil horum obstare potest, ut Deo asseratur immediata omnium rerum providentia, quemadmodum paulo superius probavimus (1); nec est facile aliud impedimentorum caput excogitare. Ergo.....

Hæc quoque probatio est Angelici Doctoris: *In his, quæ humana providentia reguntur, invenitur, quod aliquis superior provisor circa quædam magna universalia per se ipsum excogitat, qualiter sint ordinanda; minorum vero ordinem ipse non excogitat, sed aliis inferioribus excogitandum relinquit; et hoc quidem contingit propter ejus defectum, in quantum vel singularium minorum conditiones ignorat, vel non sufficit ad omnium ordinem excogitandum, propter laborem et temporis prolixitatem, quæ requireretur. Hujusmodi autem defectus longe sunt a Deo, nam ipse omnia singularia cognoscit, nec in intelligendo ea laborat, aut tempus requirit, cum intelligendo se ipsum omnia alia cognoscat, sicut supra (L. 1, c. 49) ostensum est, ipse igitur omnium singularium ordinem excogitat; ejus igitur omnium singularium est providentia immediate* (2). Plura, si cupis, adi S. Thomam in laudato loco *Contra Gentiles*.

Objecta dissipantur

345. Objic. 1.° «Ad dignitatem alicujus regis pertinet, quod habeat ministros, quibus mediantibus, subditis provideat. Ergo multo magis Deus non immediate omnibus providet (3).

Respond., *dist.* antec.: quoad exsecutionem ordinis, *conc.*; quoad ipsam rationem ordinis, in qua proprie sita est providentia, *nego*.

Et *neg.* conseq. Sane *habere ministros executores suæ providentiæ pertinet ad dignitatem regis. Sed, quod non habeat rationem eorum, quæ per eos agenda sunt, est ex defectu ipsius. Omnis enim scientia operativa tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus* (4).

Objic. 2.° Finis cujuslibet rei, ad quem debet providentia illam ordinare, est perfectio ac bonum ejusdem. Atqui cujuslibet causæ proprium est effectum suum perducere ad bonum. Ergo quælibet causa efficiens tendit ad idem ipsum, ad quod

(1) Vide supra num. 334, pag. 1054, in probat. 3.ª propositionis primæ articuli 2.di

(2) S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 76.

(3) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 3, arg. 1.°

(4) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 3, ad 1.um.

tendit providentia. Ergo vel neganda est Deo immediata providentia in omnes res, vel supervacaneæ sunt causæ secundæ (1).

Respondeo, dist. Minor. Cujuslibet causæ proprium est, effectum suum perducere ad bonum, tamquam exsequens ordinem a Deo excogitatum aut præscriptum, *conc.*; tamquam rationem ipsam ordinis excogitans aut præscribens, *nego*. Et *neg.* conseq., quia immediata Dei providentia non excludit causas secundas ab ejusdem exsecutione (2).

Objic. 3.° Docente S. Augustino, *melius est quædam nescire, quam scire* (3), qualia sunt vitia et mala. Atqui Deo tribuendum est semper, quod melius est. Ergo Deus saltem vitiorum immediatam providentiam non habet, quandoquidem et ignorare illa dicendus est.

Respond. Melius est vitia vel etiam mala nescire, si eorum cognitio impediat meliorum considerationem, vel si periculum sit ne malorum cogitatio pertrahat voluntatem ad malum, *conc.*; secus, *nego*. Et *concessa* Minore, *neg.* consequens. Solutio est S. Thomæ, qui: *Nobis*, inquit, *melius est non cognoscere mala et vitia, in quantum per ea impedimur a consideratione aliquorum meliorum, quia non possumus simul multa intelligere, et in quantum cogitatio malorum pervertit interdum voluntatem in malum. Sed hoc non habet locum in Deo, qui a simul omnia uno intuitu videt, et cujus voluntas ad malum flecti non potest* (4).

§ II.—UTRUM PROVIDENTIA DEI REBUS NECESSITATEM IMPONAT.

346. Affirmarunt illi, qui fatum invexerunt, et humanos actus siderum influxibus subjecerunt, itemque illi, qui nescientes divinam futurorum contingentium notitiam certam cum hominis libertate componere, hanc potius, quam illam

(1) Apud S. Thom. loc. nup. cit. argum. 2.°

(2) Cfr. S. Thom., ibid., ad 2.um.

(3) *Enchirid.* cap. 17. Cfr. Philosophus, l. 6 12 *Metaphys.* text. 52.

(4) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 3, ad 3.um. Cfr. supra num. 37, 38, pag. 117, 120.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

maluerunt inficiari. Sed catholica veritas, quæ liberum hominis arbitrium proclamat, consequenter docet etiam æternam Dei providentiam causis liberis necessitatem non imponere.

PROPOSITIO. 2.ª **Providentia divina quibusdam, nempe causis necessariis, necessitatem imponit, quibusdam vero, liberis videlicet, nullam imponit.**

Providentia Dei causis naturalibus necessitatem imponit, non vero liberis.

Prob. 1.º *Corrumpere naturam non est divinæ providentiæ*, scribente S. Dionysio (1). Sed corrumperet profecto naturam causarum liberarum, si necessitatem illis imponeret. Ergo divina providentia non omnibus necessitatem imponit, sed tantum causis natura sua necessariis.

Prob. 2.º simili ratione, quæ potius est precedentis major declaratio. Ad perfectionem divinæ providentiæ pertinet res ad fines suos non quomodocumque dirigere, sed prout et perfectio universi et natura uniuscujusque causæ requirit. Atqui et universi perfectio et indoles causarum postulat, ut causæ necessariæ necessario, liberæ autem libere promoveantur ad fines suos. Ergo.... (2).

Confirmatur, quia Deus ita prospexit cunctis rebus, ut ratio suæ providentiæ esset exsequenda convenienter ab ipsis rebus pro earumdem varietate cum divino concursu. Atqui providentia divina non convenienter mandaretur executioni secundum rerum varietatem, si necessitatem cunctis imponeret.

Prob. 3.º Ostendimus supra nec æternam futurorum præscientiam, nec divinæ voluntatis decreta contingentiam tollere liberorum effectuum (3). Ergo nec providentia tollere potest hujusmodi contingentiam, nec proinde rebus eunctis necessitatem, quandoquidem in providentia divina nihil continetur distinctum ab æterna præscientia et æternis decretis, quemadmodum, in primo articulo declaravimus. Lege S. Thomam (4).

(1) *De divin. nomin.* cap. 4.
(2) Vide S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 71, initio.
(3) Vide supra, num. 64, 65, pag. 205 et 212 seqq.
(4) 1 p. quæst. 22, art. 4; *Quodlib.* 12, art. 3 et 4; *Contr. Gent.* lib. 3, cap 72, 73.

Difficultates expediuntur.

347. **Objic. 1.º** Quidquid ita sequitur ex aliqua causa per se, ut non possit non sequi, necessarium prorsus dicendum est. Atqui tota rerum mundanarum series hoc pacto sequitur ex divina providentia, quippe quæ profecto est causa per se atque æterna et infrustrabilis in suis dispositionibus. Ergo divina providentia rebus omnibus necessitatem imponit (1).

Respond. *dist.* Major. Quidquid ita sequitur ex aliqua causa per se, ut non posssit non sequi necessitate absoluta et antecedente, necessarium prorsus dicendum est, *conc.*; si non possit non sequi necessitate solum consequente et conditionata, *subdist.*; dicendum est necessarium absolute et antecedenter, *nego*, conditionate et consequenter, *conc.*

Distinguo Minor. Tota series rerum mundanarum ita sequitur ex divina providentia, ut non possit non sequi respectu causarum necessariarum, *conc.*; respectu causarum liberarum, *subdist.*; ut non possit non sequi necessitate antecedente, *nego*; necessitate consequente, *conc.* Et eodem modo *distinguo* rationem additam respectu infrustrabilitatis (2).

Instabis. Necessitas, ut eventus quoque liberi contingant sic, enascitur ex providentia Dei, quæ ab eterno prædefinit, ac prædeterminat, ut ita sint in tempore. Ergo necessitas illa est omnino antecedens.

Respondeo, *dist.* antecedens. Necessitas illa procedit ex æterna Dei prædefinitione ac prædeterminatione respectu actuum malorum, *nego.*; respectu actuum bonorum, *subdist:* procedit ex prædefinitione aut prædeterminatione thomistica, antecedente atque independente a scientia media, *nego*; consequente ac supponente mediam scientiam actus, quem causa libera in his vel illis adjunctis pro suo arbitrio poneret, si daretur congruum auxilium et concursus, *conc.*

Distingue etiam conseq. Necessitas illa est antecedens tempore, *conc.*; natura et causalitate, *subdist.*: si provenial ex prædefinitione ac prædeterminatione physica, *conc.*; si

(1) Cfr. apud S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 4.
(2) Cfr. S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 4, ad 1.um.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proveniat ex prædefinitione directa per scientiam mediam, *nego*, prout jam suis locis declaratum est (1).

Objic. 2.° «Unusquisque provisor stabilit opus suum, quantum potest, ne deficiat. Sed Deus est summe potens. Ergo necessitatis firmitatem rebus a se provisis tribuit» (2).

Respondeo, *dist.* Major. Secundum ea, quæ omnino vult obtinere, *conc.*; secundum alia, quæ non vult omnino obtinere, *nego*.

Et *concessa* Minore, *distinguo* eodem modo conseq. Nam *in hoc est immobilis et certus divinæ providentiæ ordo, quod ea, quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo, quo ipse providet, sive necessario, sive contingenter* (3). Jam autem supra ostendimus non pertinere ad providentiam Dei, ut omnia præcise suos proximiores fines de facto assequantur, sed tantum ut supremum finem attingant secundum gradum gloriæ suæ a Deo stabilitum (4).

Instabis. Ergo incerta et inefficax erit tunc ordo divinæ providentiæ, si non omnia ad suos fines perveniant.

Respondeo, *nego* prorsus. Deus enim certissime videt, quænam causæ suos fines sint obtenturæ, quænam non, et quamobrem. Quare nihil est in divinæ providentiæ non metaphysice certum atque infallibile. Neque vero est quidpiam inefficax in illa; si quæ enim causæ non attingant finem aliquem, non est ex defectu potentiæ vel scientiæ in Deo, sed ex altissimo consilio suæ voluntatis, quæ gradum gloriæ divinæ obtinendum statuit, illumque, nullo prorsus obtante impedimento, assequitur (5).

Objic. 3.° Fatum, quale somniarunt fatalistæ, e medio tollebat humanarum actionum libertatem. Ergo etiam divina providentia; nam, posito decreto divinæ providentiæ, non minus impossibile est rem aliter esse, quam admisso fato. Quare scripsit Boëtius: *Fatum ab immobilibus providentiæ*

(1) Cfr. supra num. 390, pag. 1092, in responsione ad Objec. 8.am, ad 2.
(2) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 4, argum. 2.°
(3) S. Thom. ibid, ad 2.um.
(4) Vide supra num. 728 pag. 1043 seqq.
(5) Vide S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 94.

projiciens exordiis, actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione astringit (1).

Respondeo, *neg.* conseq. ex modo dictis, quia providentia divina non ordinat res, nulla habita ratione naturæ causarum, ideoque necessitas exinde proveniens ut res ita sit, et impossibilitas ut aliter sit, in causis liberis non est antecedens nec absoluta, sed consequens. Cæterum *indissolubilitas illa et immutabilitas, quam Boëtius tangit, pertinet ad certitudinem providentiæ, quæ non deficit a suo effectu, neque a modo eveniendi, quem providit, non autem pertinet ad necessitatem effectuum. Et considerandum est, quod necessarium et contingens proprie consequuntur ens, in quantum hujusmodi. Unde modus contingentiæ et necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis; non autem sub provisione aliquorum particularium provisorum* (2).

§ III.—UTRUM PROVIDENTIA SIT NECESSARIA DEO, AN LIBERA.

Status quæstionis.

348. Nimirum quæritur, utrum Deus, posito quod libere mundum condere decrevit, necessario debeat curam illius gerere. Non ergo quæstio est de necessitate absoluta pro quavis hypothesi, nam sic providentia dicenda est libera, ut per se patet, quia versatur circa effectum libere productum a Deo; sed quæstio est tantum de necessitate divinæ providentiæ, posita creatione hujus mundi, qualis est hic noster ex hisce corporibus simplicibus et compositis et homine compositus.

Qua in re, quod naturalem rebusque omnibus communem controversiam attinet, dubium esse non potest. «Nam si Deus voluit non solum fieri, sed etiam conservari mundum, per rerum generationes et corruptiones et alias operationes, non potuit illud destituere sua providentia, quia sine ipsius immediato influxu nihil esse, vel operari potest». De morali vero, atque adeo speciali providentia Dei erga rationales creaturas, potest esse aliqua difficultas. «Cur enim non potuit Deus homines condere, et de illis non amplius curare, quam de

(1) Boet., *de consolat. philos.* lib. 4
(2) S. Thom. 1 p. quæst. 22, art. 4, ad 3.um

aliis animantibus, nec pœnas, aut præmia reddere, nec præcepta imponere. Quia Deus in his omnibus actionibus liber est, et non habet actus ille intrinsecam connexionem cum opere creationis vel conservationis humanæ naturæ, nam ad hoc sufficiebat generalis concursus in ordine physico. In contrarium vero est, quia si talis providentia necessaria non est etiam supposita creatione et conservatione humanæ naturæ; ergo non possumus ratione naturali convincere, Deum habere hanc providentiam humanarum rerum, quod videtur a mente Sanctorum Patrum alienum.»

Solvitur proposita quæstionis.

349. «Ad hoc breviter dicendum est primum, non potuisse Deum nullam omnino providentiam de humanis actionibus habere, supposita voluntate creandi, et conservandi homines, ita ut humano modo operari possint. Quia in primis non potuit non illuminare illos saltem mediante lumine naturali concurrendo ad recta dictamina legis naturalis, et ita non potuit eos omnino sine lege relinquere, quæ re vera divina est, licet fortasse ipsi homines id non agnoscerent, nisi divinitus et altiori modo illuminarentur. Deinde non potuit non præscire, quid ipsi homines essent operaturi, et per suam voluntatem velle singula opera vel impedire, vel permittere, aut promovere. Et quoad hunc gradum est simpliciter necessaria hæc providentia. Ulterius vero est valde consentaneum divinæ bonitati, ut majorem providentiam cum hominibus habuerit. Nam, ut recte dixit S. Ambrosius (1): *Quis operator negligat operis sui curam? Cum aliquid non fecisse nulla injuria sit, non curare quod feceris, summa inclementia.* Quapropter, licet Deus libere hæc omnia beneficia conferat, tamen quia bonus, et sapiens est, semper operatur consentanee ad sapientiam et bonitatem suam, et secundum hunc modum non potuit separari providentia consentanea naturæ rationali ab illius creatione et conservatione, saltem secundum debitam providentiam ex ordinaria lege et quasi connaturali tam rebus ipsis, quam divinæ bonitati, et hæc necessitas sufficiens est ad naturalem demonstrationem talis providentiæ» (2).

(1) *De offic.* lib. 1, cap. 12.

(2) Suarez, *De Deo et attribut. divin.* lib. 3, cap. 10, num. 1, 11, 12.

Cæterum si catholicæ Ecclesiæ disciplinam, ut par est, amplectamur, Deo non satis fuit dare creaturis intellectualibus providentiam naturalem et moralem prædictam ordinis naturalis; sed addidit supernaturalem, ordinando prorsus gratis hujuscemodi creaturas ad finem supernaturalem, ad quem assequendum necesse fuit media quoque disponere et eligere ad eumdem ordinem pertinentia. Quæ omnia cum omnibus suis mysteriis et cum infinito propemodum excellentissimorum donorum thesauro Theologis explicanda disputandaque relinquimus.

CAPUT II

DE DIVINA GUBERNATIONE.

Gubernatio nihil est aliud, quemadmodum superius vidimus, quam exsecutio divinæ providentiæ, cujus ante omnia in tuto collocanda est existentia, quamvis ex disputatis in præcedenti capite, vix jam de hac re superesse valeat dubitatio.

ARTICULUS I

An et a quo mundus gubernetur.

350. Tria hic breviter discutienda suscipimus, veritatem ipsam gubernationis, causam efficientem et finem (1).

§ I.—AN MUNDUS GUBERNETUR.

Negarunt mundum reapse gubernari omnes, illi qui cuncta casu et fortuito accidere. Verum sit

PROPOSITIO 1.ª **De mundi gubernatione ambigi nequit.**

De mundi gubernatione ambigi nequit.

Id in primis asserunt dissertissime sacræ Litteræ: *Cum invocasset* (Esther) *omnium* **rectorem** *et salvatorem Deum* (2).

(1) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 1, 2, 3; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 64; *de verit.* quæst. 5, art. 2 et 3; 1.ª dist. 3, quæst. 1 art. 2.

(2) *Esther* cap. 15, vers. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliis animantibus, nec pœnas, aut præmia reddere, nec præcepta imponere. Quia Deus in his omnibus actionibus liber est, et non habet actus ille intrinsecam connexionem cum opere creationis vel conservationis humanæ naturæ, nam ad hoc sufficiebat generalis concursus in ordine physico. In contrarium vero est, quia si talis providentia necessaria non est etiam supposita creatione et conservatione humanæ naturæ; ergo non possumus ratione naturali convincere, Deum habere hanc providentiam humanarum rerum, quod videtur a mente Sanctorum Patrum alienum.»

Solvitur proposita quæstionis.

349. «Ad hoc breviter dicendum est primum, non potuisse Deum nullam omnino providentiam de humanis actionibus habere, supposita voluntate creandi, et conservandi homines, ita ut humano modo operari possint. Quia in primis non potuit non illuminare illos saltem mediante lumine naturali concurrendo ad recta dictamina legis naturalis, et ita non potuit eos omnino sine lege relinquere, quæ re vera divina est, licet fortasse ipsi homines id non agnoscerent, nisi divinitus et altiori modo illuminarentur. Deinde non potuit non præscire, quid ipsi homines essent operaturi, et per suam voluntatem velle singula opera vel impedire, vel permittere, aut promovere. Et quoad hunc gradum est simpliciter necessaria hæc providentia. Ulterius vero est valde consentaneum divinæ bonitati, ut majorem providentiam cum hominibus habuerit. Nam, ut recte dixit S. Ambrosius (1): *Quis operator negligat operis sui curam? Cum aliquid non fecisse nulla injuria sit, non curare quod feceris, summa inclementia.* Quapropter, licet Deus libere hæc omnia beneficia conferat, tamen quia bonus, et sapiens est, semper operatur consentanee ad sapientiam et bonitatem suam, et secundum hunc modum non potuit separari providentia consentanea naturæ rationali ab illius creatione et conservatione, saltem secundum debitam providentiam ex ordinaria lege et quasi connaturali tam rebus ipsis, quam divinæ bonitati, et hæc necessitas sufficiens est ad naturalem demonstrationem talis providentiæ» (2).

(1) *De offic.* lib. 1, cap. 12.

(2) Suarez, *De Deo et attribut. divin.* lib. 3, cap. 10, num. 1, 11, 12.

Cæterum si catholicæ Ecclesiæ disciplinam, ut par est, amplectamur, Deo non satis fuit dare creaturis intellectualibus providentiam naturalem et moralem prædictam ordinis naturalis; sed addidit supernaturalem, ordinando prorsus gratis hujuscemodi creaturas ad finem supernaturalem, ad quem assequendum necesse fuit media quoque disponere et eligere ad eumdem ordinem pertinentia. Quæ omnia cum omnibus suis mysteriis et cum infinito propemodum excellentissimorum donorum thesauro Theologis explicanda disputandaque relinquimus.

CAPUT II

DE DIVINA GUBERNATIONE.

Gubernatio nihil est aliud, quemadmodum superius vidimus, quam exsecutio divinæ providentiæ, cujus ante omnia in tuto collocanda est existentia, quamvis ex disputatis in præcedenti capite, vix jam de hac re superesse valeat dubitatio.

ARTICULUS I

An et a quo mundus gubernetur.

350. Tria hic breviter discutienda suscipimus, veritatem ipsam gubernationis, causam efficientem et finem (1).

§ I.—AN MUNDUS GUBERNETUR.

Negarunt mundum reapse gubernari omnes, illi qui cuncta casu et fortuito accidere. Verum sit

PROPOSITIO 1.ª **De mundi gubernatione ambigi nequit.**

De mundi gubernatione ambigi nequit.

Id in primis asserunt dissertissime sacræ Litteræ: *Cum invocasset* (Esther) *omnium* **rectorem** *et salvatorem Deum* (2).

(1) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 1, 2, 3; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 64; *de verit.* quæst. 5, art. 2 et 3; 1.ª dist. 3, quæst. 1 art. 2.

(2) *Esther* cap. 15, vers. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Et: *Tua autem, Pater, providentia cuncta* **gubernat** (1) Item: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (2). Denique: *Unus passer non cadit super terram si ne Patre vestro* (3).

Ex ecclesiasticis scriptoribus unum laudasse sufficiat severinum Boëtium, cujus ea est præclara sententia,

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique Sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri!

Et mox:

Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras (4).

Probatur. 1.° Ratio vero probationis desumitur in primis ex ordine mundi perfectissimo, constante, perpetuo, quem executiat prorsus, necesse est, qui non cernat, quemadmodum in altero præcedentis capitis articulo innuimus, et suo loco fusius declaravimus. Atqui, ut *scite* notat Aquinas (5), *ipse ordo certus rerum manifeste demonstrat gubernationem mundi, sicut si quis intraret domum bene ordinatam, ex ipsa domus ordinationem ordinatoris rationem perpenderet, ut ab Aristotele dictum Tullius introducit in libro de* **Natura deorum** (lib. II).

Probatur 2.° a priori. Nam apparet *idem ex consideratione divinæ bonitatis, per quam res in esse producta sunt, ut ex supra dictis patet* (quæst. XIX, art. 4, et XLIV, art. 1 et 2). *Cum enim optimi sit optima producere, non convenit summæ Dei bonitati, quod res productas ad perfectum non perducat. Ultima autem perfectio uniuscujusque est in consecutione finis: unde ad divinam bonitatem pertinet, ut sicut produxit res in esse, ita etiam eas ad finem perducat: quod est gubernare* (6).

Objecta dissipata. 351. **Nec dicas 1.°** «Illorum est gubernari, quæ moventur, vel operantur propter finem. Sed res naturales, quæ

(1) *Sapient*, cap. 14, vers. 3.
(2) *Sapient*. cap. 8, vers. 1.
(3) *Matth*. cap. 10, vers. 20.
(4) Boët., *De consolat. philos*. libr. 3, metr. 9.
(5) 1 p. quæst. 103, art. 1.
(6) S. Thom. ibid.

sunt magna pars mundi, non moventur, aut operantur propter finem, quia non cognoscunt finem. Ergo mundus non gubernatur (1).

Respondeo, *conc*. Major., *dist*. Minor. Res naturales non moventur, aut operantur propter finem tamquam agentes vel moventes *se ipsas* ad finem, *conc*.; tamquam ab alio actæ ac directæ ad finem, *nego*.

Rationem adjunctam similiter *distinguo*. Cognoscere finem necesse est, ut aliquid tendat ad finem quasi *se* movens et dirigens, *conc*.; ut tendat ad finem quasi ab alio motum et directum, *nego*. Præclare S. Thomas: *Aliquid movetur, vel operatur propter finem dupliciter: uno modo sicut agens se ipsum in finem, ut homo et aliæ creaturæ rationales, et talium est cognoscere rationem finis et eorum, quæ sunt ad finem; alio modo aliquid dicitur operari, vel moveri propter finem, quasi ab aliquo actum, vel directum in finem, sicut sagitta movetur directa ad signum a sagittante, qui cognoscit finem, non autem sagitta. Unde sicut motus sagittæ ad determinatum finem demonstrat aperte, quod sagitta dirigitur ab aliquo cognoscente; ita certus cursus naturalium rerum cognitione carentium manifeste declarat mundum ratione aliqua gubernari* (2).

Nec dicas 2.° Eorum est proprie gubernari, quæ ad aliquid moventur. Sed mundus non videtur ad aliquid moveri. Ergo non gubernatur (3).

Respondeo, *negando*. Major. et Minorem. Majorem quidem, quia gubernari egent non solum quæ moventur, vel operantur, sed etiam quæcumque stant. Unus enim ex effectibus gubernationis, ex superius dictis de ratione providentiæ, est conservatio rerum in *esse*, quæ profecto non est solum eorum, quæ actu operantur, sed prorsus omnium, quæ quomodolibet sunt. Audi Angelicum: *In omnibus rebus creatis est aliquid stabile, ad minus prima materia, et aliquid ad motum pertinens, ut sub motu etiam operationem comprehendamus. Et quantum ad utramque res indiget gubernatione;*

(1) Apud S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 1, argum. 1.°
(2) S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 1, ad 1.um Cfr. *Cosmolog.* num. 88, pag. 304.
(3) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 1, argum. 2.°

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia hoc ipsum, quod in rebus est stabile, in nihilum decideret, quia ex nihilo est, nisi manu gubernatoris servaretur, ut infra patebit (quæst. CIV, art. 1) (1). Minor vero absurda ostenditur experientia perpetuæ motus et operationis rerum mundanarum.

Nec dicas 3.° Ea, quæ necessaria sunt et ad unum determinata, non indigent exteriori gubernatione. Sed principaliores mundi partes ad unum determinatæ sunt in suis motibus et operationibus. Ergo mundus gubernatione non eget (2).

Respondeo, *nego* Majorem, tum quia ipsæ causæ necessariæ apte disponi et collocari, atque adeo regi debent, ut simul cum aliis ad communem finem universalis ordinis conspirent; tunc quia ipsa naturalis necessitas atque ordinatio ad unum est signum divinæ gubernationis. *Sane necessitas naturalis inhærens rebus, quæ determinatur ad unum, est impressio quædam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas, qua sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, et non sagittæ. Sed in hoc differt, quia id, quod creaturæ a Deo recipiunt, est earum natura; quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur præter earum naturam, ad violentiam pertinet. Unde sicut necessitas violentiæ in motu sagittæ demonstrat sagittantis directionem, ita necessitas naturalis creaturarum demonstrat divinæ providentiæ gubernationem* (3).

Neque objicias 4.° mala et monstra hujus mundi, de quibus suo loco dictum est. Hæc enim nullatenus probant mundum nullatenus gubernari, sed tantum ad ejus administrationem concurrere causas multas, quæ cum sæpe contrariis polleant viribus, nec semper apte dispositæ sint ad operandum, locum dare possunt malis et corruptionibus monstrisque.—**Verum** hæc alibi explicata manent (4).

(1) Loc. cit., ad 2.um
(2) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 1, argum. 3.°
(3) S. Thom. ibid., ad 3.um
(4) Vide *Cosmolog.* num. 26, pag. 61, *Ontolog.* num. 172 pag. 493 seqq.; *Theodic.* num. 114, pag. 374 seqq.

§ II.—UTRUM MUNDUS AB UNO DEO GUBERNETUR.

Status quæstionis.

Non agitur hic de causa vel causis, quæ utcumque concurrunt ad mundi gubernationem, qua de re inferius agendum erit, sed tantum de supremo gubernatore. Cum vero ad Deum aliquo modo pertineat mundi gubernatio, bifariam, opinor, negari posset unitas summi gubernatoris: primum admisso errore polytheismi, si nimirum diversis diis mundi partes diversæ committerentur administrandæ; secundo si Deus se parte gubernationis eximeret, ut eam in aliquam excellentiorem creaturam transferret. Cæterum certa prorsus veritas est, unum esse summum totius mundi administratorem.

352. PROPOSITIO 2.ª **Mundus ab uno summo gubernatore regitur.**

Mundus ab uno summo gubernatore regitur.

Prob. 1.° Mundus procul dubio a Deo gubernatur, et quidem quoad omnes suas partes. Atqui Deus unus est et summum ens. Ergo unus est summus mundi gubernator, Deus.

Minor probata est in primo Theodiceæ volumine. **Major** vero demonstratur α), quia gubernatio importat perfectionem nulli admixtam imperfectioni, ut constat ex dictis de providentia, cujus exsecutio est gubernatio, quandoquidem Deus et infinite sapiens est et omnipotens ad rectissime gubernandum, nec deprimit majestatem suam gerendo rerum curam, sicut non deprimit creando et agendo ad extra. β) Præcipuæ partes gubernationis sunt conservare res mundanas, et cum illis ad earum operationes concurrere. Atqui id totum est negotium Deo ita proprium, ut non possit illud a se abjicere. Ergo quidquid sit, utrum Deus ad mundi gubernationem alias quoque causas administras adhibeat, de quo in sequenti articulo disputandum est, negari nequit; quod ipse semper et ubique gubernet omnia.

Prob. 2.° A posteriori ex perfectissima veritate ordinis, quæ in tanta rerum varietate in admirationem rapit omnes intuentes, et præcipue scientiarum naturalium peritos, qui mundanorum phænomenorum causas, leges, modosque

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

melius habent perspecta. Atqui unitas ordinis in infinita entium diversorum multitudine unitatem rectoris vel ordinatoris saltem supremi evidenter demonstrat.

Quam ad rem recolenda et huc accommodanda est ratio, qua in primo Theodiceæ volumine ostendimus unitatem Dei ex impossibilitate creationis et gubernationis in hypothesi plurium summorum entium (1).

Prob. 3.° cum S. Thoma: Mundi gubernatio est optima. Atqui gubernatio optima per se est ea, quæ fit per unum. Ergo...

Major constat, *cum enim finis gubernationis mundi sit, quod est essentialiter bonum, nempe Deus, necesse est, quod mundi gubernatio sit optima* (2).

Minor etiam patet. Nam finis intentus per gubernationem est unitas quædam, nempe ordo, concordia, pax multitudinis. Multa vero non non possunt concordare, nisi aliquo modo uniantur, nec possunt per se convenientius uniri, quam per unum. *Per se*, inquam, nam per accidens possunt quoque uniri per plures melius, quam per unum, si nempe unus non sit satis aptus sive propter defectum sapientiæ ac potentiæ ex parte regentis, sive propter aliqua impedimenta ex parte regendorum, quibus incommodis interdum facilius occurri possit a pluribus rectoribus. Quibus de causis dici solet præstare inter homines regimen monarchicum temperatum consilio optimatum. Si quis autem in se uno habeat, quidquid adjumenti accedere queat ex aliorum consilio et officiis, planum est, quod præferendus sit multis. Lege S. Thomam in laudato loco.

Prob. 4.° Denique confirmatur hæc assertio ex doctrina Fidei divinæ, secundum quam *unum Deum et Dominum confitemur, secundum illud Apostoli* (1. Cor. VIII, 6): **Nobis est unus Deus Pater... et Dominus unus**, *quorum utrumque ad gubernationem pertinet: nam ad dominium pertinet gubernatio subditorum, et Dei nomen ex providentia sumitur, ut supra dictum est* (q. XIII, art. 8). *Ergo mundus gubernatur ab uno* (3).

(1) Vide *Theodic.* vol. 1.um num. 111, pag. 355.
(2) S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 3.
(3) S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 3. *Sed contra est...*

Objectiones solvuntur.

353. **Nec dicas 1.°** De causa judicandum est per effectus. Atqui effectus mundani non probant unitatem rectoris; manifestum quippe est multa esse contraria in hac rerum universitate, videlicet alia necessaria, alia contingentia; alia bona, alia mala; alia utilia alia inutilia et supervacanea: unde etiam cernuntur perpetui conflictus virium et actionum, quibus alia de novo gignuntur, alia intereunt.

Respondeo, *nego*. Minor, et consequentiam probationis. Nam multitudo et inæqualitas rerum in mundo nullatenus probat multitudinem rectorum. Multitudo enim et rerum varietas ab uno Deo primitus ducit originem, qui cum omnia creet ad communicandam creaturis suam infinitam perfectionem, ac per eas repræsentandam (1), necesse est ut varia efficiat, per quæ repræsentetur pelagus illud immensum bonitatis, quod uno rerum genere nullatenus expremi potest (2). Ex quo etiam sequitur, res hujuscemodi diversis instructas esse debere viribus ac potentiis, unde in mutua causarum actione ac reactione nova entia enascantur, aliis intereuntibus: hinc mala (3). Quemadmodum ergo potest esse, ac reapse est, rerum multitudo et inæqualitas ab uno summo ente, ita etiam potest esse gubernatio, cum potissimum ex hac tanta varietate causarum et effectuum, actionum et passionum, efflorescat mirificus concentus atque unitas ordinis mundani.

Nec dicas 2.° Quæ ab uno gubernantur, nisi sit ille insipiens, imperitus aut impotens, non dissentiunt, nec pugnant inter se. Atqui res mundanæ invicem pugnant, et dissentiunt, ut *cernere* est in contrariis viribus et actionibus. Ergo necesse est diversos mundi summos rectores agnoscere.

Respondeo, *dist.* Major.: non pugnant inter se respectu finis et ordinis universalis, *conc.*; respectu finium particularium, *nego*, nam hæc pugna potest conferre ad pulchritudinem ac varietatem ordinis. Et *contradistincta* Minore, *nego*

(1) Vide *Cosmolog.* num. 94, pag. 329.
(2) Vide S. Thom. 1 p. quæst. 47, art. 1 et 2.
(3) Vide de causis mali *Ontolog.* num. 172, pag. 493 seqq.; *Theod.* num. 114, pag. 394 seqq.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consequentiam. Nam *contraria*, quæ in hoc mundo cernimus, *etsi dissentiant quantum ad fines proximos, conveniunt tamen quantum ad finem ultimum, prout concludunter sub uno ordine universi* (1).

Oportet etiam hic præ oculis habere quædam ex argumentis, quæ adversus Dei unitatem et in favorem polytheismi fieri solent, et suo loco dissipata sunt.

§ III.—UTRUM FINIS ULTIMUS GUBERNATIONIS SIT IPSE DEUS

Dubium est, utrum gubernatio mundi sistat in bono ipsius, an vero ad aliquem finem extrinsecum dirigatur, et quisnam sit ille.

Quibus omnibus dubiis respondet sequens

354. PROPOSITIO 3.ª **Deus est ultimus finis gubernationis mundi.**

Deus est finis ultimus gubernationis mundi.

Probatur 1.º Finis ultimus cunctorum operum respondere debet primo principio. Atqui primum mundi principium est aliquid extra mundum positum, nimirum Deus. Ergo et ultimus finis.

Prob. 2.º Finis gubernationis mundi est bonum non particulare alicujus entis mundani, sed bonum universale omnium. Atqui bonum universale est extra mundum, nempe Deus. Ergo,

Probatur Major, quia finis omnium est bonum, nihil enim tendere potest in malum tamquam in finem. Ergo sicut proximus et particularis finis uniuscujusque causæ est bonum particulare, ita finis ultimus atque universalis omnium, ac proinde gubernationis eorumdem, debet esse bonum universale.

Minor etiam probatur, quia bonum universale omnium est bonum per essentiam, nullum autem bonum est in mundanis entibus, quod sit tale, sed omnia sunt bona per participationem ab infinita bonitate. Ergo bonum universale est extra mundum, videlicet Deus (2).

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 1, ad 2.um

(2) *Bonum habet rationem finis*, inquit S. Thomas: *unde finis particularis alicujus rei est quoddam bonum particulare, finis autem universalis rerum omnium est quoddam bonum universale. Bonum autem universale est, quod est per se et per suam essentiam bonum, quod est ipsa essentia bonitatis; bonum autem particulare est, quod est participative bonum. Manifestum est autem, quod in tota universitate creaturarum nullum est bonum, quod non sit participative bonum: unde illud bonum, quod est finis totius universi, oportet, quod sit extrinsecum a toto universo*, 1 p. quæst. 103, art. 2.

Cæterum veritas hæc in sacris Litteris continetur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (1). Et: *Ego sum* A et Ω, *primus et novissimus, principium et finis* (2).

Plura dabit S. Thomas (3). Et lege quæ alibi fuse scripsimus de ultimo fine mundi (4).

355. **Nec dicas 1.º** Illud est finis gubernationis, ad quod res gubernata perducitur. Sed illud, ad quod res aliqua perducitur, est aliquod bonum in ipsa re; sicut infirmus perducitur ad sanitatem, quæ est aliquod bonum in ipso. Ergo finis gubernationis rerum non est aliquod bonum extrinsecum, sed aliquod bonum in ipsis rebus existens» (5). Objectiones solutæ.

Respondeo, *conc.* Major., et *disting.* Minor.: aliquando *conc.*; semper et in re nostra, *nego*.

Et *nego* conseq. Etenim *bonum aliquod consequimur multipliciter; uno modo sicut formam in nobis existentem, ut sanitatem, aut scientiam; alio modo ut aliquid per nos operatum, sicut ædificator consequitur finem faciendo bonum; alio modo sicut aliquod bonum habitum vel possessum, ut ille qui emit, consequitur finem possidendo agrum. Unde nihil prohibet, illud, ad quod perducitur universum, esse quoddam bonum extrinsecum* (6), nempe distinctum omnino ab ipso mundo.

Nec dicas 2.º Ex Philosopho (7) *finium quidam sunt operationes, quidam opera*, id est operata seu operationum effectus. Sed nihil extrinsecum a tota rerum creatarum universitate potest esse operatum, siquidem præter totam rerum creatarum universitatem non est nisi Deus; operatio autem

(1) *Proverb.* cap. 16, vers. 4.

(2) *Apocal.* cap. 1, vers. 8.

(3) *Contra Gent.* lib. cap. 17.

(4) Vide *Cosmolog.* num. 94 seqq., pag. 329 seqq.

(5) Apud S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 2. argum. 1.º

(6) S. Thom., ibidem, ad 4.um

(7) *Ethicor.* lib. 1, cap. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est in ipso operante. Ergo nihil extrinsecum præter mundum potest esse finis gubernationis (1).

Respondeo, dist. Major. Et illa divisio Aristotelica finium habet locum in artibus, *conc.*; est generalis finium divisio, *neg.*

Et *concesa* Minore, *nego* consequentiam. Apposite S. Thomas: *Philosophus loquitur de finibus artium, quarum quædam habent pro finibus operationes ipsas, sicut citharistæ finis est citharizare; quædam vero habent pro fine quoddam operatum, sicut ædificatoris finis non est ædificare, sed domus. Contingit autem aliquod extrinsecum esse finem non solum sicut operatum, sed etiam sicut possessum seu habitum, vel etiam sicut repræsentatum; sicut si dicamus, quod Hercules est finis imaginis, quæ fit ad eum repræsentandum. Sic igitur potest dici, quod bonum extrinsecum a toto universo est finis gubernationis rerum sicut habitum et repræsentatum; quia ad hoc unaquæque res tendit, ut participet ipsum, et assimiletur ei quantum potest* (2).

Nec dicas 3.° Bonum multitudinis, videtur esse ordo et pax, quæ, docente S. Augustino, est tranquillitas ordinis (3). Sed mundus in quadam rerum multitudine consistit. Ergo finis gubernationis mundi est pacificus ordo, qui profecto est in ipsis rebus; ac proinde finis gubernationis non est bonum quoddam extrinsecum (4).

Respondeo, *dist.* Major. Bonum multitudinis, tamquam finis proxime assequendum, est ordo et pax, *conc.*; tamquam ultimus finis, *nego*.

Et *concessa* Minore, *nego* conseq.

(1) Apud S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 2.° argum. 2.°
(1a) S. Thom. loc. cit. ad 2.um.
(2) *De Civit. Dei*, lib. 19, cap. 13.
(4) Apud S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 2.°, arg. 3.°

ARTICULUS II

Utrum omnia ita subdantur divinæ gubernationi, ut nihil præter ipsam contingere valeat (1).

Duo hic quærentur ad materiæ complementum, quamvis jam satis ex dictis expedita censeri debent. Primum, quod attinet amplitudinem divinæ gubernationis, non est iterum tractandum, quia et argumenta, quibus existentiam gubernationis in præcedenti articulo evicimus, et alia, quibus in priori capite amplitudinem providentiæ divinæ demostravimus, nos dubitare non sinunt, quominus Deus in omnes generatim res mundanas suam gubernationem extendat (2). Solum itaque breviter quærimus, utrum saltem per accidens effugere aliquid possit ordinem divinæ gubernationis.

756. PROPOSITIO. **Nihil potest accidere in tota rerum creatarum universitate præter ordinem gubernationis.**

Nihil potest accidere in mundo præter ordinem divinæ gubernationis.

Prob. 1.° Eatenus se extendit gubernatio, quatenus se extendit finis gubernationis. Atqui finis gubernationis se extendit ad omnia prorsus entia creata, quandoquidem omnia prorsus ordinantur ad divinam gloriam et bonitatem, quæ est finis ultimus omnium. Ergo.

Prob. 2.° Præcipua opera, ad quæ revocari potest quidquid gubernatio rei alicujus amplectitur, sunt conservatio in esse ac cooperatio ad illius actiones, nam per conservationem perdurat res in esse et per cooperationem divinam potest illa suas actiones peragere, quibus ad finem promovetur. Atqui nihil est, quod non conservetur a Deo in esse, nihil quod agat sine concursu Dei. Ergo nihil est, quod possit quomodolibet effugere gubernationem Dei.

Addiatur S. Thomas: *Præter ordinem alicujus particularis causæ aliquis effectus evenire potest, non autem præter ordinem*

(1) Vide S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 5 et 7. Cfr. 1. p. quæst. 22, art 2; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 64; *de verit.* quæst. 5, art. 3, 5eqq.
(2) Vide S. Thom. 1. p. quæst. 103, art. 5, et superiùs in præcedente capite disputata circa divinæ providentiæ ambitum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

causæ universalis. Cujus ratio est, quia præter ordinem particularis causæ nihil provenit, nisi ex aliqua alia causa impediente, quam quidem causam necesse est reducere in primam causam universalem; sicut indigestio contingit præter ordinem virtutis nutritivæ ex aliquo impedimento, puta ex grossitie cibi, quam necesse est reducere in aliam causam, et sic usque ad causam primam universalem. Cum igitur Deus sit prima causa universalis non unius generis tantum, sed universaliter totius entis, impossibile est quod aliquid contingat præter ordinem divinæ gubernationis; sed ex hoc ipso quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine divinæ providentiæ, qui consideratur secundum aliquam particularem causam, necesse est, quod in eumdem ordinem relabatur secundum aliam causam (1).

Prob. 3.° Ideo posset aliquid contingere præter gubernationem Dei, quia vel effugeret cognitionem et intentionem divinam, vel obsisteret voluntati atque omnipotentiæ. Atqui Deus omnia perfectissime cognoscit, et cognoscendo operatur, nec potest voluntati efficaci omnipotentiæque obsistere ut omnia eo modo, quo Deus libere decrevit, contingant. Ergo impossibile est, ut quidpiam accidat præter ordinem gubernationis Dei (2).

Ad rem Aquinas: *Ordo divinæ sapientiæ dupliciter potest considerari. Uno modo in generali, secundum scilicet quod progreditur a causa gubernativa totius; alio modo in speciali, secundum quod progreditur a causa particulari, quæ est executiva divinæ gubernationis. Primo igitur modo nihil contrarietur ordini divinæ gubernationis, quod ex duobus patet. Primo quidem ex hoc, quod ordo divinæ gubernationis totaliter in bonum tendit; et unaquæque res in sua operatione et conatu non tendit nisi ad bonum. Nullus enim respiciens ad malum operatur, ut Dionysius dicit* (cap. 4 de Div. Nom.) *Alio modo apparet idem ex hoc, quod sicut supra dictum est* (art. 1), *omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis, vel voluntaria, nihil est aliud, quam quædam impressio a primo movente, sicut inclinatio sagittæ ad signum determinatum nihil aliud est, quam quædam impressio a sagittante. Unde omnia, quæ aguntur vel naturaliter vel voluntarie, quasi propria sponte perveniunt in id, ad quod divinitus ordinantur. Et ideo dicitur Deus omnia disponere suaviter* (1).

(1) S. Thom. 1 p., quæst. 103, art. 7.
(2) Vide S. Thom. 1 p., quæst. 103, art. 8.

Quæ cum ita sint, nec miracula sunt præter ordinem divinæ gubernationis, nec casus, nec fortuna, nec mala.

357. **Nec dicas 1.°** Secundum Boëtium Deus per bonum cuncta disponit (2). Si ergo nihil est in rebus præter ordinem divinæ gubernationis, nullum malum esse poterit in mundo (3). Dilucidatio expeditur.

Respondeo, *nego*. conseq. Nam etiamsi Deus bonus cuncta efficiat, possunt mala esse in rebus, ut constat ex alibi traditis circa mali originem (4). *Nihil inventur in mundo*, inquit S. Thomas, *quod sit totaliter malum, quia malum semper fundatur in bono, ut supra ostensum est* (quæst. XLVIII, art. 3.° et XLIX, art. 3): *et ideo res aliqua dicitur mala per hoc, quod exit ab ordine alicujus particularis boni. Si autem totaliter exiret ab ordine gubernationis divinæ, totaliter nihil esset* (5).

Nec dicas 2.° Ordo divinæ gubernationis est certus et immutabilis, quia est secundum rationem æternam. Si igitur nihil possit contingere in rebus præter ordinem divinæ gubernationis, sequitur quod omnia ex necessitate eveniant, et nihil sit in rebus contingens. Atqui hoc repugnat. Ergo dicendum est posse in rebus aliquid contingere præter ordinem gubernationis divinæ (6).

Respondeo, *conc.* anteced., *nego* conseq. Quia Deus ita ab æterno providet cunctis, prout natura uniuscujusque requirit, ideoque causis liberis decrevit ea media eumque modum concursus, qui nativam illarum indifferentiam ad utrumlibet extremum non tollat, prout jam sæpius explicatum est (7).

(1) S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 8.
(2) *De consolat. philos.* lib. 3, prosa 12.
(3) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 7, argum. 1.°
(4) *Ontolog.* num. 172, pag. 407, seqq.; *Theodic.* num. 114, pag. 374 seqq.
(5) S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 7. ad 1.um
(6) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 7.°, argum. 3.°
(7) Cfr. S. Thom. loc. sup. cit., ad 3.um

Difficultas petita ex fortuitis eventibus jam superius soluta est in præcedenti capite.

Nec dicas 3.° Nullus rex juste punit eos, qui suam ordinationem non transgrediuntur. Si ergo nihil contra divinam ordinationem ageret, nullus juste puniretur a Deo (1), ac proinde necesse est dicere quædam gubernationis ordinem effugere.

Respondeo, *contr.* anteced. et primum consequentis membrum, alterum *nego*. Quia non solum approbatio actuum bonorum, sed etiam permissio malorum pertinet ad gubernationem Dei, et priores quidem ordinantur ad præmium, posteriores vero vel ad pœnitentiam vel ad pœnam; et sic nihil evadit ordinem divinæ gubernationis (2).

Nec dicas 4.° Res mundanæ pugnant sæpe aliæ cum aliis. Atqui si omnes divinæ gubernationi subjicerentur, id fieri non posset. Ergo aut non omnia subsunt divinæ gubernationi, aut certe quædam eamdem transgrediuntur (3).

Respondeo, *nego*. Min. et conseq. *Ex hoc enim quod una res alteri contrapugnat, ostenditur, quod aliquid remoti potest ordini, qui est ex aliqua causa particulari, non autem ordini, qui dependet a causa universali totius* (4).

ARTICULUS III

Utrum Deus omnia immediate gubernet.

358. Postrema jam instituenda est controversia circa divinam gubernationem, utrum nempe illam Deus immediate ac per se solum exerceat erga omnia, sicut diximus de providentia, an vero quædam regat adhibitis etiam administris.

Aliam prius tractat Agellcus quæstionem de divinæ gubernationis effectibus; ea vero jam expedita videri debet ex dictis in primo articulo præcedentis capitis super actibus

(1) Apud S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 8, argum. 2.°
(2) Cfr. S. Thom. loc. cit., ad 1.um
(3) Cfr. apud S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 8, argum. 3.°
(4) S. Thom. ibid., ad 3.um.

circa quos versatur Dei providentia; nam opinor utrumque eodem respicere. Summa hæc est. Effectus gubernationis potest considerari sive ex parte finis ultimi, sive ex parte mediorum, per quæ res ad hujusmodi finem perducuntur. Ratione habita finis, unus est effectus *assimilari Deo*, nam eo tandem omnia tendunt sub regimine Dei, qui non potest alium finem operum suorum ultimum intendere præter gloriam suam extrinsecam, quatenus omnia *repræsentant* divinam perfectionem, ac proinde illi assimilantur. Si vero considerentur media, per quæ ad finem hunc perducuntur a Deo res creatæ, duo sunt quasi generalia capita effectuum divinæ gubernationis, nimirum conservatio rerum en *esse* (1) et motio earum in bonum, sive per operationem aliquam, quam Deus solus efficiat in illis ad earum perfectionem modumve convenientem (2), sive per concursum et cooperationem ad actiones creaturarum, quibus hæ bonum suum quærunt. Quod si effectus divinæ gubernationis considerentur in particulari, sunt innumeri pro multitudine ac varietate rerum ipsarum gubernandarum ac phænomenorum, quibus illæ sunt obnoxiæ sub manu et regimine Dei. Lege S. Thomam (3).

Communis sententia circa Dei gubernationem immediatam.

Jam quod ad propositum dubium pertinet, communis est sententia, aliter sentiendum esse de ratione ipsa providentiæ, quam superius docuimus immediate per se ipsum exercere a Deo erga omnes prorsus res creatas, et aliter de providentiæ exsecutione vel gubernatione, quam omnes tenent Deum exercere in multis mediate, non quidem ita ut ipse Deus in illis gubernandis personaliter et immediatione supposite nihil efficiat, sed quia non ipse *solus* agit ea gubernando, verum simul cum causis secundis; omnino sicut Deus dicitur operari mediis causis secundis, quando simul cum illis operatur concursum præbendo ad earum actiones et effectus. Qua in re singularis fuit Cudworthi opinio, qui arbitratus est mundanum ordinem, ac viventium

Error Cudworthi.

(1) Qua de re lege S. Thom. 1 p. quæst. 104.
(2) Quæ huc pertinent, tractata videre potes a S. Thoma 1 p. quæst. 105.
(3) 1 p. quæst. 103, art. 4. Cfr. superius scripta num. 127, pag. 1042.

præsertim originem, explicari non posse, nisi ponatur, esse præter Deum naturam quamdam genitricem, divinæ providentiæ subjectam illiusque administram. Quam ipse arbitratur esse substantiam incorpoream et viventem quidem, sed infimo vitæ genere, videlicet vita vegetativa, quamquam aliquem ei sensum et perceptionem tribuere videatur. Ea tamen consilio ac ratione non pollet, et licet ordine ac ratione agat, ignorat tamen suorum operum fines, nec suarum actionum conscientiam habet. Hæc itaque rebus omnibus conjuncta vis omnia fingit ac format, in quibus artis vestigium aliquod aspicimus; divina vero providentia errores, quos illa admittit, emendat, eamque perpetuo moderatur (1).

359. PROPOSITIO. **Quod attinet exsecutionem providentiæ, Deus quædam immediate, quædam mediantibus aliis causis gubernat.**

Deus mundum gubernat mediantibus causis secundis.

Probatur. Quia Deo tribuendum est quidquid perfectionem importat puram seu nulli admixtam imperfectioni. Atqui puram perfectionem importat, quod rationem quidem ipsam providentiæ totam ipse excogitet, exsecutionem vero ejusdem aliis quoque causis committat modo declarato. Ergo...

Minor quoad priorem partem superius probatam reliquimus (2).

Quoad alteram vero partem probatur. Etenim *cum per gubernationem res, quæ gubernantur, sint ad perfectionem perducendæ, tanto erit melior gubernatio, quanto major perfectio a gubernante rebus gubernatis communicatur. Major autem*

(1) Vide P. Salvatorem Tongiorgi, *Cosmolog.*, num. 405.

(2) Audi Aquinatem: *Quantum ad rationem gubernationis pertinet, Deus immediate omnia gubernat; quantum autem pertinet ad exsecutionem gubernationis, Deus gubernat quædam mediantibus aliis. Cujus ratio est, quia cum Deus sit ipsa essentia bonitatis, unumquodque attribuendum est Deo secundum sui optimum. Optimum autem in omni genere vel ratione et cognitione practica (qualis est ratio gubernationis), in hoc consistit, quod particularia cognoscantur, in quibus est actus: sicut optimus medicus est, qui non considerat sola universalia, sed qui potest etiam considerare minima particularia: et idem patet in cæteris. Unde oportet dicere, quod Deus omnium etiam minimorum particularium rationem gubernationis habeat.* S. Thom. 1 p. quæst. 103, art. 6.

perfectio est, quod aliquid in se sit bonum, et etiam sit aliis causa bonitatis, quam si esset solummodo in se bonum: et ideo sic Deus gubernat res, ut quasdam aliarum in gubernando causas instituat, sicut si aliquis magister discipulos suos non solum scientes faceret, sed etiam aliorum doctores (1). Verum hæc nobis in re satis perspicua sufficiant, quæ fusius, et quidem egregie, evoluta leges cum fructu apud Aquinatem (2).

Quo pacto Deus gubernet mundum per creaturas rationales, angelicas.

Quam doctrinam dudum tradiderant Patres Ecclesiæ, ac nominatim S. Augustinus: *Quemadmodum*, inquit, *corpora grossiora et inferiora per subtiliora quodam ordine reguntur, ita omnia corpora per spiritum vitæ rationalem; et spiritus vitæ rationalis desertor atque peccator, per spiritum vitæ rationalem pium et justum: et ille per ipsum Deum* (3).

360. Secundum hanc veritatem docet S. Thomas, et cum eo communiter Theologi, mediantibus creaturis intellectualibus alias ratione carentes regi a Deo (4); ex ipsis vero intellectualibus inferiores per superiores gubernari (5). Ideo angeli in plures ordinantur hierarchias et ordines (6); et angeli superiores illuminant, et movent inferiores (7), itemque homines (8); et angeli pariter in custodiam hominum rerumque humanarum curam deputantur (9), quæ omnia relinquenda sunt Theologis.

et humanam:

Inter creaturas intellectuales infimum locum tenet homo, cui subjicitur reliqua creatura corporea ad nostrum planetam spectantia, ut norunt omnes, inque ea multiplicem providentiam gubernationemque exercet, ut oculis ipsi nostris perspicimus. Et sicut inter angelos est ordo, ita etiam inter ipsos homines adest multiplex ordo et subjectio, qualem

(1) 1 p., quæst. 103, art. 6.

(2) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 77.

(3) S. August., *De Trinit.* libr. 3.º cap. 4.º

(4) S. Thom. 3.º *Cont. Gent.* cap. 78; et 1 p. quæst. 119; de verit. quæst. 5, art. 8.

(5) *Cont. Gent.* lib. 3, cap. 79.

(6) 1 p. quæst. 108 et 109; *Cont. Gent.* lib. 3, cap. 80.

(7) 1 p. quæst. 106.

(8) 1 p. quæst. 111.

(9) 1 p. quæst. 112 et 113 et 114; *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 80 Infimi.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ac per causas causas.

videmus in regimine societatis humanæ (1). Denique in ipsis creaturis ratione carentibus sunt aliæ aliis perfectiores, aliæ aliis potentiores efficaciaresque, ut sic divinæ gubernationis exsecutio aliis in alias causas corporeas committatur (2), ut ita pulcherrimus concentus paulo attentius mundum contemplanti appareat ex tot tamque variis rebus, quasi ex totidem harmonicis vocibus compositus in laudem et gloriam divinæ providentiæ. Quæ omnia paucis innuisse satis sit, et brevi epilogo comprehensa dabit S. Thomas (3).

Caput Cudworthi.

361. Hæc est verissima christianæ Philosophiæ doctrina, quam si bene perpendisset Cudworthus, nunquam in scenam produxisset commentitiam illam *naturam genitricem*, cujus nulla prorsus est necessitas ad mundani ordinis phænomena explicanda. Deinde quid sibi vult substantia illa *incorporea* et vivens infimo vitæ genere, et simul aliquo sensu et perceptione prædita. Vel enim est spiritualis seu immaterialis, vel materialis. Si immaterialis, quomodo vita vegetativa vivit, quæ propria est substantiarum corporearum? et quomodo consilio et ratione caret et conscientia suorum actuum? nam forma spiritualis ratione pollet, ac proinde etiam consilio et conscientia suorum actuum, quemadmodum patet ex dictis de anima humana in tertio *Psychologiæ* volumine. Si autem materialis, quomodo postea dicitur ordine ac ratione agere? Et cur vocatur incorporea? An quia non est affixa corpori? At tum vere forma subsistens est, similis angelicæ substantiæ, quæ profecto spiritualis est. An quia quamvis sit forma quædam materiam actuans, in se simplex est atque incomposita saltem substantialiter? Verum tum nihil continet præter formam plantæ cujusdam vel animalis, ideoque definiendum erit Cudwortho, ad quod vegetatilium vel animantium genus spectet ridicula ista sua et vere pugnantibus constans notis *natura genitrix*, quam Deus adhibeat, si superis placet, administram gubernationis mundi.

(1) Cfr. S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 81.
(2) Cfr. S. Thom. 1. p. quæst. 115; *Contr. Gent.* lib 3, cap. 82.
(3) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 81.

CAPUT III
DE DOMINIO DEI.

362. Verum jam necesse est huic operi finem imponere tractatione non minus jucunda, quam honorica nobis. Nec enim esse potest, quod magis delectet, majoremve creaturis gloriam afferat, quam habere Dominum tam magnum, sanctum, sapientissimum, optimum, omnipotentem; ejusque penitus dominio subjici. Rem vero brevissime tractabimus, nec necesse est in diversos articulos dividere.

ARTICULUS UNICUS
An et quale Deo dominium competat.

Quid dominium.

Dominus philosophice dicitur a dominio, quasi dominio pollens. Dominium autem generatim includit potestatem quamdam et auctoritatem in rem vel personam, cui respondet ex parte rei vel personæ subjectio talis, ex qua dicatur *alterius*: quare dominium in genere dici potest jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tamquam *sua*. In qua descriptione, ut vides, duplex indigitatur dominium, *jurisdictionis et proprietatis*.

dominium jurisdictionis et proprietatis

Dominium jurisdictionis est jus gubernandi suos subditos; ejusque actus præcipui sunt *præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, præmiare*. Dominium proprietatis est jus disponendi de re aliqua tamquam sua in quoslibet usus, nisi ex alio capite prohibeatur: unde dominus potest rem suam destruere vel conservare, donare vel alienare, etc., sine cujusquam injuria. Quæ notiones probandæ nunc non sunt, sed ex juris prudentia et Theologia mutuandæ (1).

(1) Vide cardin. Lugo, *de Justitia et Jure*, disp. 2; Leonard. Lessium, *de Justitia*, lib. 2, cap. 3, dubit. 1.ª; Molina, *de Justit. et Jure* tom. 1, tract. 2, disp. 3, et alios passim.

ac per causas causas.

videmus in regimine societatis humanæ (1). Denique in ipsis creaturis ratione carentibus sunt aliæ aliis perfectiores, aliæ aliis potentiores efficaciaresque, ut sic divinæ gubernationis exsecutio aliis in alias causas corporeas committatur (2), ut ita pulcherrimus concentus paulo attentius mundum contemplanti appareat ex tot tamque variis rebus, quasi ex totidem harmonicis vocibus compositus in laudem et gloriam divinæ providentiæ. Quæ omnia paucis innuisse satis sit, et brevi epilogo comprehensa dabit S. Thomas (3).

Caput Cudworthi.

361. Hæc est verissima christianæ Philosophiæ doctrina, quam si bene perpendisset Cudworthus, nunquam in scenam produxisset commentitiam illam *naturam genitricem*, cujus nulla prorsus est necessitas ad mundani ordinis phænomena explicanda. Deinde quid sibi vult substantia illa *incorporea* et vivens infimo vitæ genere, et simul aliquo sensu et perceptione prædita. Vel enim est spiritualis seu immaterialis, vel materialis. Si immaterialis, quomodo vita vegetativa vivit, quæ propria est substantiarum corporearum? et quomodo consilio et ratione caret et conscientia suorum actuum? nam forma spiritualis ratione pollet, ac proinde etiam consilio et conscientia suorum actuum, quemadmodum patet ex dictis de anima humana in tertio *Psychologiæ* volumine. Si autem materialis, quomodo postea dicitur ordine ac ratione agere? Et cur vocatur incorporea? An quia non est affixa corpori? At tum vere forma subsistens est, similis angelicæ substantiæ, quæ profecto spiritualis est. An quia quamvis sit forma quædam materiam actuans, in se simplex est atque incomposita saltem substantialiter? Verum tum nihil continet præter formam plantæ cujusdam vel animalis, ideoque definiendum erit Cudwortho, ad quod vegetatilium vel animantium genus spectet ridicula ista sua et vere pugnantibus constans notis *natura genitrix*, quam Deus adhibeat, si superis placet, administram gubernationis mundi.

(1) Cfr. S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 81.
(2) Cfr. S. Thom. 1. p. quæst. 115; *Contr. Gent.* lib 3, cap. 82.
(3) *Contr. Gent.* lib. 3, cap. 81.

CAPUT III
DE DOMINIO DEI.

362. Verum jam necesse est huic operi finem imponere tractatione non minus jucunda, quam honorica nobis. Nec enim esse potest, quod magis delectet, majoremve creaturis gloriam afferat, quam habere Dominum tam magnum, sanctum, sapientissimum, optimum, omnipotentem; ejusque penitus dominio subjici. Rem vero brevissime tractabimus, nec necesse est in diversos articulos dividere.

ARTICULUS UNICUS
An et quale Deo dominium competat.

Quid dominium.

Dominus philosophice dicitur a dominio, quasi dominio pollens. Dominium autem generatim includit potestatem quamdam et auctoritatem in rem vel personam, cui respondet ex parte rei vel personæ subjectio talis, ex qua dicatur *alterius*: quare dominium in genere dici potest jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tamquam *sua*. In qua descriptione, ut vides, duplex indigitatur dominium, *jurisdictionis et proprietatis*.

dominium jurisdictionis et proprietatis

Dominium jurisdictionis est jus gubernandi suos subditos; ejusque actus præcipui sunt *præcipere, vetare, permittere, judicare, punire, præmiare*. Dominium proprietatis est jus disponendi de re aliqua tamquam sua in quoslibet usus, nisi ex alio capite prohibeatur: unde dominus potest rem suam destruere vel conservare, donare vel alienare, etc., sine cujusquam injuria. Quæ notiones probandæ nunc non sunt, sed ex juris prudentia et Theologia mutuandæ (1).

(1) Vide cardin. Lugo, *de Justitia et Jure*, disp. 2; Leonard. Lessium, *de Justitia*, lib. 2, cap. 3, dubit. 1.ª; Molina, *de Justit. et Jure* tom. 1, tract. 2, disp. 3, et alios passim.

Dominium proprietatis Deo convenit.

363. Jam quod Deo competat dominium, et primo quidem proprietatis, ambigi nequit, nom constat ex communi omnium sensu et innumeris sacrarum Litterarum testimoniis, in quibus nescio an ullum Deo tribuatur frequentius nomen, quam *Domini* aliorumque similium. Nec solum Deus vocatur hoc nomine simul cum aliis, sed sæpe absolute ac simpliciter per excellentiam Dominus: *Ego sum, ego sum* **Dominus**, *et non est absque me* (1); et: *Vere* **Dominus** *est in loco isto, et ego nesciebam* (2); item: *Tu es* **Dominus** *solus* (3). Alias dicitur *Dominus omnium* (4), ut v. gr.: *Ob hoc quod* **Dominus omnium** *es, omnibus te parcere facis* (5); et *Dominus exercituum* (6); et *Dominus terræ* (7); et *Rex regum et Dominus dominantium* (8), *Rex seculorum* (9), etc., etc. Unde alias scribitur: *Tui sunt cœli, et* **tua** *est terra; orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti* (10). Item: *Reges Tharsis et insulæ offerent, reges Arabum et Saba dona adducent* (tamquam Domino), *et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei* (11), etc.

Tituli dominii divini.

364. Nec vero dominium Dei ducit originem ex accidentalibus illis atque adventitiis titulis, ex quibus solet acquiri inter homines, ut sunt occupatio, donatio, successio, emptio.... sed ex aliis longe altioribus, qui Deum reddunt *essentialiter Dominum*, quin possit se dominio exuere super omnem rem creatam. Tales sunt in primis creatio et conservatio. Nihil enim est, nec esse potest, quod non sit factum et creatum, sive ex nihilo producatur, quod a solo Deo fieri potest, sive ex prævie creata materia efficiatur a causis

creatio.

(1) *Isaiæ* cap. 47, vers. 11.
(2) *Genes.* cap. 28, vers. 16.
(3) *Isaiæ* cap. 37, vers. 20.
(4) *Roman.* cap. 10, vers. 12.
(5) *Sapient.* cap. 12, vers. 10.
(6) *Hierem.* cap. 7, vers. 3; *Ezech.* cap. 23, vers. 20; *Reg.* cap. 15, vers. 2.
(7) *Deuter.* cap. 29, vers. 24.
(8) 1 *Timoth.* cap. 6, 15; *Apoc.* cap. 19, vers. 16; *Deuteron.* cap. 10, vers. 17.
(9) 1 *Timoth.* cap. 1, vers. 17.
(10) *Psalm.* 88, vers. 12.
(11) *Psalm.* 71, vers. 10, 11. Cfr. *Psalm* 85, vers. 9, etc., etc.

secundis, quod etiam nullatenus evenire potest nisi cooperante Deo. Et sic quidquid est, a Deo est, et quidem quoad omnes partes et quoad totam omnino realitatem, ita ut essentialiter dependeat a Deo, sitque ex virtute atque actione illius. Hic titulus est præstantissimus omnium, ut per se patet. Nam in cæteris fere omnibus titulis, qui jus tribuunt dominii inter homines, res ipsa, quæ est objectum dominii, jam supponitur existens, ac proinde actio tribuens jus in illam, puta occupatio, emptio, etc., est valde extrinseca et accidentalis; at vero creatio et productio est actio intrinsece tangens et afficiens rem, cui *esse* ipsum largitur: quare res a Deo accipiens *esse* longe intimius et essentialius fit proprietas Dei, quam fiant res accidentalibus titulis acquisitæ, aut etiam quæ propria actione sua efficiuntur ab homine, ideoque intimius ejus esse dicuntur. Sane, quemadmodum scribit P. Leonardus Lessius, «non potest esse majus jus aut diminium, quam illud, quod competit ratione dependentiæ et subjectionis essentialis. Nam quo magis est quid alicui subjectum et ab eo dependens, eo majus jus et dominium hoc in illud habet. Sic homo majus dominium habet in actiones internas, quam externas, quia internæ sunt ei magis subjectæ, et majorem a voluntate ejus dependentiam habent, quam externæ, cum hæ etiam a membris corporis et rebus externis pendeant. Et in actiones externas sensuum et membrorum majus habet dominium, quam in fortunas et opes, quas possidet, quia illæ majorem dependentium habent, ut quæ ab intrinseco proveniant, hæ vero ab extrinseco. Unde et actionum dominium non habetur successione, emptione vel occupatione, sed ab intrinseco manat; opum vero dominium ab extrinseco, titulo aliquo jure civili aut gentium recepto, obtinetur, ac proinde modo imperfectiore. Quare cum dependentia creaturæ a Deo per creationem sit essentialis et summa, summum dominium et jus Deo tribuit» (1), nempe essentiale, universale supra omnem creaturam, quoad totam ejus realitatem, virtutem et operationes, ac proinde cuivis alterius domini juri præferendum, quia nihil prorsus est in nobis, quod non sit Dei

(1) Lessius, *De perfection. divinis*, lib. 10, cap. 3, num. 18, ubi plura utiliter leges.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tamquam ex eo totaliter acceptum et essentialiter acceptum. Si enim nostræ actiones dicuntur *nostra proprietas*, quia fiunt a nobis, multo magis et *esse* et actiones nostræ sunt Dei, quia Deus fecit esse et ipsas actiones, quippe quæ non solum a nobis factæ sunt virtute ex Deo accepta et conservata, sed ex cooperatione Dei, quæ multo virtuosior est, multoque magis, nempe absolute atque essentialiter, necessaria, ut quidpiam vel a nobis vel ab ulla causa secunda produci valeat.

conservatio. Alter titulus divini dominii, isque non minus efficax, est conservatio. Adeo enim est fluxa de se omnis res creata, ut sicut in prima sui productione pendet essentialiter a Deo, ita etiam pendeat eodem modo, quamdiu est, ex perenni Conditoris sui actione, qua conservatur in *esse*, et, qua subtracta, illico abiret in nihilum. Sicut enim, ut mundus illustretur, non sufficit solem semel ex se lumen fudisse, sed necesse est, ut illud assidue emittat, continuando primum influxum; et sicut pondus in aere pendulum, non sufficit, ut primo instanti sustineatur, ne ruat; ita etiam *esse* a creaturis ex Deo receptum eget jugi conservatione, ut subsistat. Et sic omnis res creata, quamdiu durat in *esse*, tamdiu pergit esse Dei, ita ut singulis instantibus quasi duplicetur titulus subjectionis ac dependentiæ suæ a Deo, et consequenter titulus divini dominii in illam.

ratio finis ultimi. Hi sunt præcipui tituli, propter quos Deo competit dominium in res omnes creatas. Tertius addi potest cum P. Leonardo Lessio, ex eo desumptus, quod Deus sit finis ultimus omnium rerum creatarum (1), quæ proinde Dei gratia sunt, et fiunt, nempe propter gloriam ejus, nec alium ex natura sua usum aliudve officium majoris momenti habent in mundo, quam ut gloriæ honorique illius deserviant. Hinc licet «fingeremus creaturam non pendere a Deo tamquam a causa efficiente aut conservante; tamen si ponamus ipsum esse ultimum finem illius, summam in illam auctoritatem et potestatem habebit. Auctoritas enim finis quodammodo major est, quam auctoritas causæ effectricis, cum hæc a fine ad operandum moveatur, et omnem rationem operandi

(1) Vide *Cosmolog* num. 93, pag. 72.

omnemque modum et mensuram a fine accipiat. Unde finis est causarum prima, cujus gratia omnia fiunt, et cæteræ causæ ad operis productionem applicantur. Sicut ergo homo potest uti rebus inferioribus, quæ ad ipsius commodum creatæ sunt, pro suo arbitratu, ut pecunia, frugibus terræ, pecoribus, quia est finis earum, et ipsius gratia factæ sunt, quamvis ipse earum non sit auctor; ita Deus potest uti universa creatura pro suo arbitrio, nec quisquam potest queri de injuria, cum omnia sint ipsius gratia» (1).

Immo vero jus Dei in universam creaturam vel ex hoc solo titulo multo excellentius est jure hominis in pecus aut rem quamvis, sive naturalem sive arte factam. «Primo, quia Deus est ultimus finis omnium, cujus gratia sunt omnia, non solum quoad usum, sed etiam quoad substantiam et rerum elementa; homo vero non est finis ultimus rerum inferiorum, cum et ipsemet cum omnibus suis bonis sit propter universi integritatem, sicut pars propter totum; et universi integritas sit propter Deum. Neque tam ipsa rerum substantia, quam usus homini est concessus, ut earum adminiculo vitam temporalem sustentet. Deinde esse propter hominem et hominis gratia, non est conditio intrinseca et essentialis rerum, sed extrinseca ex benigna Dei ordinatione, qui ad solatium hominum ista destinavit. At esse propter Deum, et ordinari ad ejus gloriam, est conditio intrinseca et essentialis omnium creaturarum. Sicut enim omnia creata habent respectum et dependentiam essentialem a Deo, ut a causa effectrice et conservante; ita etiam habent essentialem respectum ad illum, ut ad ultimum finem, et dependentiam in ratione causæ finalis» (2).

redemptio. Quartus restat divini dominii titulus, qui solum hominem respicit, nempe *redemptio*. Homo enim per peccatum in triplicem conjectus est servitutem, *peccati* nimirum, *diaboli* et *mortis*, ex qua sanguine ac morte Christi Domini redemptus est ubique illo suo merito. Verum hic quartus titulus, qui totus ad ordinem supernaturalem spectat, Theologis evolvendus relinquatur (3).

(1) Lessius, op. et loc. cit., cap. 5, num. 55.
(2) Lessius, loc. sup. citat. cap. 5, num. 56 et 57.
(3) Cfr. Lessius, loc. cit., cap. 5, num. 59 sequ.

Deus nequit se dominio abdicare

Maneat ergo Deum esse Dominum omnium perfectissimo dominio proprietatis, nempe dominio essentiali, quod, posita rerum creatione, non potest Deus a se abdicare, sicut possunt homines. Neque enim pertinet ad perfectionem dominii, posse illud a se penitus in alium transferre, sed potius ad imperfectionem; id enim ostendit, rem cujus dominus transfert dominium in alium, non esse essentialiter suam, vel non essentialiter a se pendere. Cæterum Deus potest de quavis re absque illius injuria omnino disponere in quoslibet usus *possibiles*, seu qui non implicant contradictionem, quemadmodum implicat contradictionem, ut Deus se dominio rei existentis exuat, quia id perinde foret, ac Deum facere non essentialiter Dominum. Quamquam potest in aliquo sensu dici Deum a se dominium rei abjicere valere, nempe quatenus destruat, vel in nihilum redigat illam; tum enim desineret illius esse *actu* Dominus, quandoquidem actuale dominium existentiam rei subaudit.

Dominium divinum hoc est omnis realis dominii.

365. Nec solum est Deus perfectissime atque essentialiter Dominus, sed etiam omne legitimum dominium proprietatis inter homines in supremo Dei dominio fundatur, atque ab eodem ducit originem; tum quia omne jus reale non potest enasci nec esse nisi ex fonte primo omnis realitatis; tum quia eatenus potest homo dominium possidere, quatenus id sibi permittitur a eo, qui omnium est essentialiter Dominus, et voluit res creatas in usus legitimos utendas fruendasque homini tradere. Quapropter quamvis homo, dominium habens, nulli alteri homini injuriam inferat disponendo de re sua pro arbitrio, potest tamen inferre injuriam supremo Domino, si contra leges illius agat, ideoque Deus solus est absolutus Dominus, homines sunt inferiores et *relativi* domini, nempe relate tantum ad res, quæ non habent alium dominum humanum, relate autem ad Deum sunt potius quasi administri et villici, qui Deo tenentur reddere, ac parro reddent in morte *rationem villicationis suæ*.

Deo asserendum quoque est dominium jurisdictionis.

366. Verum Deo non solum asserendum est dominium proprietatis, sed etiam dominium jurisdictionis. Id sequitur manifeste ex supremo et essentiali dominio divino proprietatis. Qui enim potest omnino disponere de creaturis rationalibus, etiam in nihilum redigendo illas, a fortiori potest illas

regere ac gubernare, qui est *solus Altissimus in omni terra* (1), *ac Deus solus omnium regum terræ* (2), *solus potens, Rex regum et Dominus dominantium* (3), *dux et legifer noster* (4), *judex vivorum et mortuorum* (5).

Et quia potestas hæc jurisdictionis in Deo essentialis est, posita rerum existentia; ideo etiam est universalis tum ratione subditorum, quia se extendit et ad omnem prorsus naturam rationalem, sive humanam sive angelicam, et ad totam naturam insensibilem, quandoquidem *et mare et venti obediunt ei* (6); tum ratione locorum et temporum, est enim Deus *Rex sæculorum* (7) et *Dominus terræ* (8), etc.: unde S. Joannes in Apocalypsi scribit: *Omnem creaturam, quæ in cœlo est, et super terram, et sub terra, et quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes:* **Sedenti in throno et Agno benedictio et honor, et gloria, et potestas** (græce κράτος, *imperium*) **in sæcula sæculorum** (9): et in *nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (10); tum ratione amplitudinis et illimitatæ facultatis præcipiendi et vetandi, potest enim Deus præcipere omnia bona possibilia, etiam summe arcta, etiam interna et prorsus intima...; tum potestate puniendi quovis supplicio et remunerandi, ita ut ad ipsum pertineat taxam definire sive pœnarum sive præmiorum.

367. Quamobrem est potestas Dei summa, quæ potest esse, atque eminens, immo et fons omnis potestatis. Nam: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt* (11), neque enim *est potestas nisi a Deo* (12): unde etiam *qui potestati*

(1) *Psalm.* 82, vers. 19.
(2) 1. *Reg.* cap. 10, vers. 5.
(3) 1. *Timoth.* cap. 6, vers. 15.
(4) *Isaiæ* cap. 33, vers. 22.
(5) *Act.* cap. 10, vers. 42.
(6) *Matth.* cap. 8, vers. 27.
(7) 1 *Timoth.*, cap. 1, vers. 17.
(8) *Deuteron.* cap. 29, vers. 24.
(9) *Apoc.* cap. 5, vers. 13.
(10) *Philipp.* cap. 2, vers. 10. Cfr. *Isaiæ* cap. 45, vers. 24; *Rom.* cap. 11, vers. 11.
(11) *Proverb.* cap. 8, vers. 15.
(12) *Roman.* cap. 13, vers. Cfr. *Joann.* cap. 19, vers. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

resistit Dei, ordinationi resistit (1). Quæ omnia ex prædictis innotescunt, et verissima sunt non solum in ordine naturali, sed etiam in spirituali et in regimine Ecclesiæ. Nam in ordine naturali omnis auctoritas manat a Deo in societatem ac summum magistratum, quocumque tandem ille nomine vocetur, ac per illum in reliquos omnes administros ac rectores inferiores. In ordine autem supernaturali, *data est omnis potestas* Christo Domino ut homini *in cœlo et in terra* (2) (quamquam Jesus Christus Dominus noster etiam polleat eadem suprema potestate in ordine naturali), ab eoque confertur Vicario ejus in terris, Pontifici Romano, et per ipsum cæteris Episcopis, Presbyteris ac Ministris Ecclesiæ, prout docent Theologi.

Ratio Domini ac denominatio radicaliter ab æterno competit Deo, formaliter vero et actu in tempore.

368. Jam quod nomen attinet Domini ac dominii, est denominatio temporalis, non æterna; quia quamquam Deus radicaliter et in acto primo sit Dominus ex sua propria essentia et natura tamen exercere dominium non potest, nec nomen accipit Domini in actu secundo, nisi adsit subjectum dominii et jurisdictionis, nempe posita mundi creatione. Ideo etiam ratio dominii relationem importat in Deo, utique rationis, sed prædicamentalem duntaxat, accidentalem ac temporaneam, quæ certe abfuisset, si Deus pro sua libertate noluisset mundum creare.

Et jam finis sit longissimi hujus operis. Duplex me ratio impulit ad illud suscipiendum et persequendum: primo, desiderium connectendi Philosophiam cum naturalibus scientiis, quarum dux esse debet ceu magistra humanarum disciplinarum, summa principia docens supremasque rationes; et cum sacra Theologia, cui servire et ancillari debet infallibilem ejus vocem audiens, et præsidia naturalia ministrare, quibus eget illa ad veritates divinas exponendas ac pro virili propugnandas. Ea quoque me ratio ad scribendum maximopere movit, ut opera sapientissimorum scriptorum thesaurosque doctrinæ in iisdem contentos recluderem, quos equidem initio meorum studiorum ignoraveram, et nonnisi usu et labore discendi detexeram. Si quid boni est in tot indigestis

(1) *Roman.* cap. 13, vers. 2.
(2) *Matth.* cap. 28, vers. 18.

voluminibus, totum Deo tribuatur, a quo *est omne datum optimum et omne donum perfectum, descendens a Patre luminum* (1). Quidquid vero falsum, inconcinnum, non probatum minusve prudenter dictum reperiatur, totum debetur imbecillitati hominis, qui opus viribus superius aggredi ausus est improvido consilio, atque ad finem perducere. Cæterum *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos* (2), ac doceat nos facere voluntatem suam, *ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*, cujos tandem aspectu jucundissimo perfruamur in æterna beatitate.

(1) *Jacob.* cap. 1, vers. 17.
(2) *Psalm.* 62, vers. 2.

A. M. D. G.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX RERUM

(NUMERUS PAGINAM DESIGNAT).

Absoluta potentia Dei quid 660 seqq.

Abstractiva et intuitiva scientia Dei 44 et 45.

Academiæ vel Universitates veteres utrum physicas Thomistarum prædeterminationes, an simultaneum concursum docuerint 808 seqq.

Actio Dei. Utrum actio, qua Deus agit ad extra, sit ipsa ejus essentia 681 seqq. Actio divina secundum totam realitatem, quam importare quoad ex parte agentis, est ipsa Dei essentia 684; cum autem probabile sit, actionem eductivam transeuntem, formaliter qua talem, esse in passo, eadem probabilitate dici potest actionem eductivam, etiam in Deo, esse aliquid ab ejus essentia distinctum 685 seqq. Actio et effectus causæ creatæ indivisibiliter procedit a concursu Dei 758 seqq. 767 seqq. Actio creaturæ sic a Deo simul procedens quo pacto concipienda sit 762.

Actus circa quos versatur divina providentia 1032, ordo actuum divinæ providentiæ secundum modum nostrum concipiendi 1047.

Æternitas est simplex, sed in sua simplicitate æquivalet infinitis partibus temporis 310, unde est mensura excedens omnem creatam durationem 311; et sic aliud est coexistere alicui toti æternitati, et aliud coexistere toti æternitati, *totaliter* seu secundum totam suam virtualitatem sumptæ 311.

Agens primum an possit esse Deus, si non præderminet causas secundas ad suas actiones 851.

Amor utrum Deo conveniat 529. Datur in Deo verus ac proprius amor, et quidem distinctus a gaudio, tum erga se 530, tum erga res creatas 532, qui amor diversimode se habet, ac amor creaturæ, nec est æqualis erga omnia 533, estque necessarius erga ipsum Deum, liber erga creaturas 533. Amor, quo Deus se ipsum prosequitur, non est concupiscentia, sed benevolentia et charitas 534, et utrum dicenda sit etiam amicitia 535; amor vero, quo Deus amat creaturas, respectu quidem rationalium est amicitia 536 et charitas 537, respectu autem irrationalium concupiscentia vel quasi concupiscentia 537.

Angelis mediantibus Deus gubernat hunc mundum 1107.

Annihilatio quid, ejusque discrimen a corruptione ac destitione vel interitu 736; est propria duntaxat subsistentium, nec importat positivam actionem 736. Deus potest de absolu-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ta potentia res annihilare 737, et quidem solus, de facto tamen nihil annihilat 738 seqq.

Appetitus et appetere. Appetitus innatus utrum Deo asserendus 447 seqq., sive respectu boni proprii interni 448, sive respectu bonorum externorum 450. Quo sensu dicantur res appetere esse 721.

Applicatio tituli applicationis causarum secundarum ad agendum non requiritur physica prædeterminatio 795 et 836. Utrum S. Thomas, cum docet Deum causas omnes secundas applicare ad agendum, significet prædeterminationem 964 seqq.

Approbationis et simplicis notitiæ scientia in Deo 43, 44 et 52 seqq. Utrum scientia approbationis identificetur cum scientia visionis 54; quænam comprehendantur sub scientia approbationis 54 seqq.

Attemperativum dici solet decretum divinum concurrendi simultaneo concursu, itemque *relictivum* et *commissivum* 926.

Audacia rerum possit Deo asseri 567.

Aureoli error circa divinam creaturarum cognitionem rejicitur 115 seqq. et 147.

Averrois error, Deo tribuentis solum universalem rerum creatarum notitiam 95, profligatur 96 seqq. Ejusdem circa divinam singularium cognitionem commentum rejicitur 115 seqq.

Azor (Joannes S. J.) an et qualem admiscrit præmotionem physicam 824.

Bayle (Petri) sententia circa naturam conservationis et absurda illatio 720.

Bellarminus (Robertus, cardinalis S. J.) an prædeterminationem physicam docuerit 876 seqq.; ejusdem censura de prædeterminatione 886 et 881 in notis.

Beneplaciti voluntas divina et sensi 432.

Benignitas Deo tribuenda 487.

Bona quo pacto cadant sub providentiam Dei 1080. An male, quibus boni afflictantur, et bona, quibus affluunt mali, quidpiam probent adversus Dei providentiam 1080.

Bonitas Dei differt a misericordia 636. An possit habere rationem causæ finalis pro se 465, vel saltem respectu effectuum creatorum 469. Bonitas divina, aliis communicanda, est ratio formalis suprema et formale motivum divinæ voluntatis 485, 491.

Causa. Quænam scientia Dei sit causa rerum 64 seqq. Vide vocem *Scientia Dei quoad.* Causa omnis creata, quantumvis completa in ordine suo, absolute loquendo, est essentialiter insufficiens ad agendum, nisi a Deo adjuvetur suo concursu 761. Causa creata nequit agere sine immediato Dei concursu 745 seqq. Vide vocem *Concursus.* Quid sit effectum pendere a causa in *esse* et in *fieri* 711. Causa prima et secunda quo pacto coniungantur ad simul agendum 904. Cfr. 775. **Causa** partialis utrum dici Deus possit 769, et an esset reapse, nisi a decretur prædeterminatio physica 856. Causæ secundæ comparantur ad primam quodammodo ut instrumentum ad causam principalem 764, non tamen sunt proprie instrumenta 765 seqq. Causa secunda quo sensu agere non possit nisi mota a prima 833 seqq., vel applicata a prima 836, nec nisi in virtute illius 837, et annon possit esse subordinata Deo, nisi physice prædeterminetur 856 et 793. Causa secunda non potest esse in actu primo plene constituta, nisi adsit ab æterno in Deo voluntas vel decretum concurrendi 905 seqq. Causa finalis utrum possit esse bonitas divina respectu sui 465, vel saltem respectu effectuum creatorum 469.

Chimæras an et quo pacto Deus cognoscat 113, 134.

Clementia Deo convenit 573.

Coëxistentia futurorum in æternitate an sit medium cognoscendi ea 304 seqq.; non datur realis hujusmodi coëxistentia 313, 342 seqq. Mens S. Thomæ circa coëxistentiam rerum in æternitate 329 seqq. Vide vocem *Præsentia.*

Commutativa justitia 628 seqq. Vide vocem *Justitia commutativa.*

Cogitatio nequit proprie cadere in Deum 20.

Cognitio Dei. Vide vocem *Scientia Dei.* Cognitio rerum aliarum non dedecet Deum ex earum vilitate 168.

Concurrere. Concurrendi decretum utrum possit Deo esse medium cognoscendi futura contingentia 211 seqq.

Concursus divinus cum causis secundis 741 seqq. Quid concursus et quotuplex 741; quinam negaverint necessitatem divini concursus immediati 741, 742; probatur necessitas ejusmodi concursus 745 seqq. et 749 seqq. Modus concursus declaratur 757 seqq. In actione et effectu creaturæ nihil est, quod non sit totaliter a Deo immediate; unde actio causæ creatæ eadem numero indivisibiliter procedit a concursu Dei 758 seqq. et 767 seqq. Quare causa omnis creata, quantumvis completa in ordine suo, absolute loquendo est essentialiter insufficiens de se ad quidpiam agendum 761. Quo pacto concipienda sit actio creaturæ simul a Deo procedens 762. Omnis operatio causæ secundæ fundatur in operatione causæ primæ 763; unde effectus creatus magis pendet a causa prima, quam a secunda 764. Causæ secundæ omnes comparantur ad primam quodammodo ut instrumenta ad causam principalem 764, non sunt tamen proprie instrumenta 765 seqq. Utrum Deus concurrens cum causis secundis ad earum actiones possit dici causa partialis 770, et utrum influxus, quem præstat concurrens, tantus sit, ut sufficeret ad res producendas etiam sine causis secundis actione 772 seqq. Utrum Deus concurrens dicendus sit agere immediatione suppositi et virtutis 776 seqq. et 780. Varia systemata circa divinum concursum 781 seqq. Prædeterminatio physica 783. Vide vocem hanc. Prædeterminatio externa 790 excluditur 802 seqq. Præmotio indifferens 804 pariter rejicitur 806 seqq. Vera sententia simultanei concursus statuitur 901 seqq.

Concursus simultaneus declaratur 902; concursus in actu primo et in actu secundo 902. Concursus hujusmodi licet non sit prior tempore nec natura, quam influxus creaturæ, est tamen prior nobilitate, universalitate, necessitate ac in subsistendi consequentia 903. Deus ab æterno omnipotentiam suam ad concurrendum cum causis secundis in tempore applicare decrevit 904; virtusque divina sic parata ad concurrendum haud incongrue dicitur concursus in actu primo 905, decretum vero hujusmodi omnipotentiam applicans ad concurrendum absolute liberum est 905 et sine illo nulla creatura potest esse in actu primo plene ac proxime constituta 905. Decretum porro istud non determinat causam secundam quoad speciem actus neque quoad exercitium ipsum 909, sed potius determinatur quodammodo objective ab ipsa causa secunda 910 seqq. et 915 seqq.; ipsum autem determinat cau-

sam creatum quoad hanc potius quam aliam individuam actionem et effectum 913 et 919 seqq. Quid sibi velit concursum esse indifferentem et ad rationes tantum generales ex mente quorundam scriptorum nostrorum 911. Divinum decretum concurrendi quale debeat esse secundum nostram sententiam 922 seqq.; licet decretum concurrendi cum causis naturalibus sit absolutum et metaphysice connexum cum effectu, at decretum concurrendi cum causis liberis non potest esse tale, quod solum cum uno extremo conjungi valeat 924, unde efficax quidem est, sed indifferens 925, quod dicitur etiam *attemperativum, relictivum* et *commissivum* 926, nec est simpliciter antecedens 926 nec omnino absolutum, sed virtualiter, illative et æquivalenter conditionatum 927 et 932 seqq.; quapropter Deus dici solet *quodammodo* expectare influxum voluntatis creatæ 927, et non ledit libertatem 928. Causa secunda non ita intelligenda est ut determinare, ut determinationem ejus non efficiat causa prima, sed in alio sensu, qui declaratur 929; et an exinde sequatur, Deum nobis subjicere et utendam donare suam omnipotentiam 937, agere ut causam subordinatum, vel exuere se dominio, ac participem esse nostrorum peccatorum 937, vel expectare propriæ determinationem creatæ voluntatis 930. Mens S. Thomæ circa divinum concursum 939 seqq. Vide *S. Thomas*.

Concursus divinus ad peccatum. Quale sit divinum decretum concurrendi ad peccatum 942 seqq. Physice quidem Deus concurrit ad actum peccati 943, voluntate tamen solum permissiva 944 et 948 seqq.; unde Deus non est causa per se 945, nec proinde auctor peccati 946. Decretum permissivum peccati importat positivum actum volitionis divinæ applicantis omnipotentiam ad operationem, quam Deus reprobat quidem, sed non vult impedire 948 seqq.

Condeterminantia decreta 266 an possint esse media, in quo Deus futura contingentia cognoscat 282. Condeterminatio excluditur 790 et 892.

Conditionate futurorum cognitio vel scientia 346 seqq. Quid conditionate futura 346, eorum diversa genera 347, et quam late pateant 348. Nonnulli negarunt Deum conditionate futura certo cognoscere 350 seqq.; sed datur in Deo cognitio certa et infallibilis contingentium conditionate futurorum 359 seqq. et 369 seqq. In quo medio Deus cognoscat conditionate futura 377 seqq., sententiæ variæ 378 seqq. Deus conditionate futura non videt in thomistico decreto subjective absoluto et objective conditionato 382, sed tantum in se ipsis 384 seqq. et 389 seqq.

Connexio essentialis et intrinseca Dei cum intrinseca rerum possibilitate in quo sita sit 182, non repugnat 184 seqq., immo asserenda est 188 seqq.

Conservatio passiva et activa, directa et per se atque indirecta et per accidens 707, 708. Omnia entia creata Deus positive conservat in esse 709 et 713 seqq., et quo pacto conservet 717 seqq. Si sermo sit de conservatione per accidens, certum est res corporeas posse ab aliis causis creatis conservari 720, nulla vero res se ipsam directe conservat ac positive 720; at Deus omnia per se atque immediate conservat, quædam quidem solus 723, quædam alia mediis causis secundis 724 seqq. Utrum substantiæ corporeæ partialiter ab aliis conserventur 725 seqq. Materia concurrit ad conservationem formæ, et vicissim forma ad conservationem materiæ quodammodo 726, 727. An et quo sensu conservatio dicatur continuata rei creatio vel effectio 729. Quando effectus conservatur ab eadem vel iisdem causis, a quibus productus est, productio et conservatio re non distinguuntur 730 seqq., sed tantum ratione, et quo pacto 733; quando autem res non conservatur per easdem causas, per quas producta fuit, productio et conservatio re distinguuntur 731; unde substantiæ generatæ actione diversa conservantur 734, itemque substantiæ corporeæ per accidens et non per se creatæ 734, et quantitas panis et vini miraculose conservata in sacrosancta Eucharistia 734; distinctio tamen ejusmodi non est formalis et per se, sed materialis ac per accidens 735.

Consilium proprie dictum Deo convenire non potest 568.

Constantiæ virtus Deo asserenda 636.

Contingens. Contingentia futura 202 in duplici sunt differentia, secundum quid vel per accidens et proprie vel simpliciter talia seu libera 202, et de quibusnam sit sermo, cum agitur de cognitione futurorum contingentium 203. Errores circa divinam futurorum contingentium cognitionem 204. Contingentia absolute et conditionate futura 346.

Contingentium absolute futurorum scientia vel cognitio. Deus ab æterno certissime cognoscit omnia contingentia absolute futura 205 seqq., quin ejusmodi cognitio ullum inferat creatæ libertati præjudicium 212 seqq., 218 seqq. Contingentia ista utrum habeant determinatam veritatem 225 seqq.; variæ sententiæ 227 seqq. Confusio apud auctores reperta in hac pertractanda quæstione 230. Negari nequit propositionibus de futuro contingente inesse determinatam veritatem 232 seqq., ita tamen ut futura contingentia prout contenta in suis causis seu secundum causalem futuritionem nondum sint determinate vera, sed solum secundum formalem futuritionem, seu prout jam erunt in se ipsis certo aliquo tempore 238 seqq. et 241, 243, 257 seqq. Veritas hujusmodi determinata, quæ propositionibus de futuro contingenti asseritur, non potest illis convenire antecedenter vel independenter ab aliquo decreto Dei 245 seqq., prout nostris scriptoribus imputatum a quibusdam est 246 seqq.

Contingentium absolute futurorum cognoscendorum medium 261 seqq.; variæ sententiæ 264 seqq. An et quo sensu possit Deus dici videre futura contingentia in ideis suis 267, 268 seqq. et 271 seqq. Utrum Deus cognoscat futura contingentia in æternis decretis suæ voluntatis 271 seqq., sive prædeterminantibus 278, sive prædefinientibus 278 seqq., sive in decretis concurrendi cum creatura ad ejus actionem 281 seqq., sive etiam in decretis condeterminantibus 266, 282. An videat ea in coæxistentia suæ æternitatis 307 seqq. An et quatenus dici possit Deus illa videre in se ipso 285 seqq. Utrum futura contingentia cognosci a Deo possint in causis eorum proximis 287 seqq., sed omnino cognoscenda sint in se ipsis 289 seqq. Deus futura contingentia cognoscit in se ipsis 299 seqq. et 303 seqq., ita tamen ut videat etiam ipsam eorumdem a suis causis emanationem 302.

Contingentiæ ac necessitatis radix in rebus 478 seqq.

Cooperatio Dei. Vide vocem *Concursus*.

Corruptibilia et incorruptibilia cadunt sub providentiam Dei 1058.

Corruptio quid, et quo pacto discriminetur ab annihilatione 736.
Creatio errores circa illam 689 et Henrici Gandavensis 630 ac Rosmini commentum 691 rejicitur 698 et 699. Catholica veritas, et quid disputetur inter catholicos circa mundi creationem 691. Deus creavit mundum 692, et quidem solus 695, 699. Nulla creatura potest creare ut causa principalis 694 seqq., 700 seqq., et utrum creare saltem ut instrumentum 703, sive connaturale 704, sive obedientiale aut elevatum 705 seqq. An creatio sit opus trium Personarum divinarum 698. Quænam dicantur creari per se, et quænam per accidens 717.
Cudworthi error circa mundi gubernationem 1105 rejicitur 1108.
Culpæ malum vel peccatum non potest Deus velle, sed tantum permittit 515, 517 seqq.

Debitum an inducatur ex promissione divina 504, 505, et quænam sit hujusmodi debiti radix 507, et quinam Deus debitor dicendus sit, sibine, an homini 509.
Decreta divina 264 sive prædeterminantia et prædefinientia 265 et 271, sive condeterminantia 266. Decreta thomistica subjective absoluta et objective conditionata 379 excluduntur 382 seqq. Necessario ponendum est ab æterno in Deo decretum omnipotentiam suam applicandi ad concurrendum in tempore cum causis secundis ad eorum actiones 904, et sine hujusmodi decreto nulla creatura potest esse in actu primo plane constituta ad agendum 905. Quale debeat esse hujusmodi decretum sive respectu causarum naturalium, sive liberarum. Vide in voce *Concursus simultaneus*. Decretum concurrendi ad peccatum qualenam esse debeat 942. Cf. vocem *Peccatum*, decretum *altemperativum*, *relictivum* vel *commissivum* 926.
Defectus naturalis potest Deus velle per accidens 523.
Delectatio quid differat a gaudio 538.
Deliberatio non potest esse proprie in Deo 20.
Desiderium an Deo convenint 538 seqq.: rationes sententiæ affirmantis 540 seqq., rationes sententiæ negantis 543, judicium Auctoris de re 544.
Desperatio an possit Deo tribui 562.
Determinare se licet dicatur causa secunda, id tamen non ita intelligendum est, ut determinationem non efficiat Deus, sed alio modo 929 seqq. Decretum divinum non determinat causam secundam quoad speciem et exercitium actionis 903, sed tantum quoad individuum 910. Causæ naturales dici possunt quodammodo determinare concursum Dei specificum 805. An possit Deus dici primum determinans, nisi physice prædeterminet causas secundas 853.
Determinatio. Ex titulo determinationis causæ creatæ ad agendum non requiritur physica prædeterminatio 804.
Deus sola virtute sua potest quidquid possunt causæ secundæ 650: maxima laus Dei, qui sine alterius causæ juvamine potest facere quidlibet 698. Deus cum cooperatur causis secundis, utrum dici possit causa partialis 770: an et quo sensu videat futura contingentia in se ipso 285, et utrum intrinsece atque essentialiter connectatur cum rerum possibilitate 181 seqq. Utrum Deus, nisi physice prædeterminet causas secundas ad agendum dici valeat primum agens 851, perfectus Dominus 854, causa totius entis 853, primum movens 853, primum determinans 853. Dei actio, amor, cognitio, intellectio et intellectus, volitio et voluntas, potentia, creatio, conservatio, gubernatio, providentia, dominium. Vide has voces.
Distributiva justitia 617 seqq. Vide *Justitia distributiva*.
Dolor non convenit Deo 559.
Dominium Dei quid et quotuplex 1109. Dominium Dei salvari potest, etiamsi physice non prædeterminet 703, nec omnino verum est Deum se suo exuere dominio in sententia Societatis Jesu circa divinum concursum 917. Dominium proprietatis Deo convenit 1110, et quidem essentialiter, ita ut eo se abdicare nequeat 1114: tituli hujusmodi dominii, creatio 1110, conservatio in *esse*, ratio ultimi finis 1112, redemptio 1113. Dominium divinum proprietatis est fons omnis creati dominii 1114. Competit etiam Deo dominium perfectissimum jurisdictionis 1114, ex quo manat omnis potestas creata 1115.
Dominus est Deus et quidem supremus et perfectissimus 1110. Ratio ac denominatio Domini Deo radicaliter competit ab æterno, formaliter autem et actu solum in tempore, quæ proinde relationem prædicamentorum importat 1116.
Dubium cadere in Deum nequit 18.
Durandi sententia circa objectum primarium divinæ cognitionis 1031, ejusdem error, negantis necessitatem divini concursus immediati, ut secundæ causæ agant 744, profligatur 744 seqq. et 749 seqq.

Effectus causæ creatæ indivisibiliter præcedit a concursu et influxu Dei 758 et 767 seqq. Effectus creatus magis dependet a causa prima, quam a secunda 764. Quid sit effectum pendere a causa in *esse* et in *fieri* 711.
Enuntiabilia omnia Deus cognoscit 142.
Error fatalistarum negantium, Deum posse facere plura, quam faciat 648 profligatur 649 seqq. Error hæreticorum et philosophorum, qui negarunt res a Deo esse creatas 689. Errores circa divinam providentiam ejusque amplitudinem 1052, 1057. Error Cudworthi circa gubernationem mundi 1005 refutatur 1108.
Esse quo sensu dicatur per se convenire substantiis immaterialibus 713, et quo sensu omnia dicantur appetere *esse* 721.
Essentia Dei est instar speciei intelligibilis respectu cognitionis divinæ 91 seqq., 98 seqq., et se habet, non instar formæ universalis, sed instar causæ universalis 98, 99. Essentia Dei utrum intrinsece atque essentialiter connectatur cum possibilibus 182, 188 seqq.
Ethnici providentiam Dei ac gubernationem agnoscunt 1055.
Excitatio prædeterminatio physica non est necessaria ex titulo excitationis 802.
Exemplar quid differat ab idea et ratione 418. Exemplar internum et externum 417. Exemplarus ideæ Dei. Vide vocem *Idea*.
Existentia omnia Deus certissime cognoscit 201 seqq., et amat 497.
Expectare: an ex Societatis Jesu circa divinum concursum sententia sequatur, quod Deus reapse expectet determinationem voluntatis 941: quandonus tamen id dici potest, et quo sensu expectet Deus influxum ac determinationem creaturæ 927, 928.

Falsitatem propositionum cognoscit Deus 138.
Fatalistarum error, negantium posse Deum facere plura, quam faciat 648.

Fidelitas Deo tribuenda 588.
Fides cadere in Deum nequit 18.
Finalis causa utrum possit esse bonitas divina respectu sui 465.
Fœdus divinum 592.
Forma quodammodo concurrit ad materiæ conservationem 727.
Formale objectum divinæ voluntatis 488 seqq. Vide *Voluntatis divinæ objectum*. Formale quasi principium vel objectum scientiæ Dei 91 seqq. Vide *Scientiæ divinæ quasi principium formale*.
Fortitudo an et quo facto conveniat Deo 572, 571.
Fuga utrum Deo possit attribui 561.
Futuritio duplex, causalis et formalis 230 seqq., omnino asserenda 234 seqq. et 238 seqq. et 250 seqq.
Futura necessaria et contingentia 201, 202; futura contingentia absoluta et conditionata 140. Futura contingentia vel libera utrum et quomodo Deus cognoscat 201 seqq. Vide *Contingentium absolute futurorum scientia*. Futura utrum ita sint Deo in æternitate præsentia, ut illi ab æterno coexistant 204 seqq.; sententiæ variæ ac resolutio quæstionis 710 seqq., 342 seqq.

Gabrielis Bielis opinio circa divinam rerum aliarum cognitionem 115.
Gaudium quo pacto discriminatur a delectatione 538. Deo proprie convenit 538, et quidem distinctum ab amore 531.
Genera et species cadunt sub providentiam Dei 1058.
Gratitudo utrum et quo pacto conveniat Deo 584.
Gubernatio quid 1041 et 1091, est temporanea, non æterna, sicut providentia 1041. Asserenda Deo gubernatio mundi 1091 ita universalis, ut in tota rerum universitate nihil possit accidere præter ordinem divinæ gubernationis 1101 seqq. Mundus ab uno summo gubernatore regitur 1093; finis ultimus gubernationis mundi est Deus 1098 seqq. Utrum Deus omnia immediata gubernet 1104; Deus mediis causis secundis regit mundum 1106 seqq.
Gubernativa vel legalis justitia 610 utrum Deo asserenda. Vide *Justitia legalis*.

Henrici Gandavensis error circa creationem 630 refutatur 638.

Ideæ divinæ exemplares. Discrimen inter ideam et scientiam operum faciendorum 73, et inter ideam, rationem atque exemplar 418. Idea divina an et quo sensu possit esse medium, in quo Deus futura contingentia cognoscat 267, 268 seqq. et 271 seqq. Idea exemplaris 417 seqq. Dantur in Deo ideæ exemplares 419 seqq., ideæ vero hujusmodi operum divinorum directrices non sunt extra Deum 421, sed sunt ipsa Dei substantia, nec ullum præsupponunt externum exemplar præter divinam essentiam 422, 423 seqq. An sit una vel plures ideæ in Deo 425; ideæ quidem divinæ sunt una simplex res in Deo, sed tamen recte dicuntur plures pro diversis gradibus et modis, quibus res creatæ Dei essentiam imitantur 426 seqq., 430 seqq. Quod spectat ad res, quarum Deus habet ideas; si idea sumatur pro cognitione, quatenus pertinet ad scientiam speculativam, dantur rerum omnium ideæ in Deo; si autem hæc vox sumatur prout pertinet ad cognitionem practicam, non sunt in Deo, proprie ac simpliciter ideæ nisi earum rerum, quæ in aliqua differentia temporis existentiam sortiuntur 432 seqq. Utrum Deus habeat ideas singularium 435, et rationum universalium, generum et specierum et substantiarum completarum 436, itemque materiæ primæ 437, accidentium 438 et mali 439.
Immateriale. Immaterialibus substantiis quo sensu dicatur esse competere per se 713.
Immediatio virtutis et suppositi varie explicata 776, 777; utrum Deus concurrens ad causarum secundarum actiones agat immediatione suppositi, an vero solum immediatione virtutis 780.
Immutabilitas et **invariabilitas** scientiæ Dei 58 seqq.
Impossibilia utrum et quo pacto Deus cognoscat 133, 134. Utrum circa impossibilia versetur voluntas Dei 510.
Indifferens. Quid sibi velit, concursum divinum esse indifferentem et ad rationes duntaxat generales, ex mente quorumdam scripturum 911.
Indifferentia causæ liberæ ut actuetur, seu transeat ad actum secundum non est necessaria physica prædeterminatio 811 et 844 seqq.
Individua utrum cadant sub providentiam Dei 1058.
Influxus Dei cum causis secundis concurrentis. Vide vocem *Concursus*. Influxus causæ primæ cooperantis longe præstantior est ac vehementior influxu causæ secundæ 762, et licet non sit prior tempore vel etiam natura aut causalitate, sed simul cum influxu causæ secundæ, est tamen prior nobilitate, universalitate, necessitate atque in subsistendi consequentia 903.
Instrumentum. Causæ secundæ comparantur ad Deum quadammodo ut instrumentum ad causam principalem 764, non tamen sunt proprie dicta instrumenta 765 seqq. Et an ex eo quod causæ secundæ sint quodammodo instrumenta primæ, requirant physicam prædeterminationem 841.
Intellectio et **intellectus** Dei 9 seqq. Quinam de intellectu divino minus recte existimaverint 9. Asseritur Deo intellectus et intellectio 10, eaque propria et veri nominis 13 ac perfectissima 14 seqq. Vide *Scientia Dei*. Generalis regula ad dignoscendum, quinam actus et habitus intellectuales Deo conveniant 20. Intellectus an et quo pacto sit in Deo sub ratione actus primi ac potentiæ 28, 29 seqq. Admittendus est in Deo intellectus per modum virtutis aut potentiæ metaphysicæ 37 seqq.
Intuitiva et abstractiva scientia Dei 41, 43.
Invidia a Deo removenda est 561.
Ira utrum proprie, an metaphorice de Deo prædicanda 561 seqq. Ira videtur in suo conceptu adjunctam essentialiter habere imperfectionem 564, ideoque non potest Deo proprie asseri 566.

Judicium, in nobis electionem præcedens, non reperitur in Deo 568.
Juramentum an et quo pacto Deo conveniat 589.
Jurisdictionis dominium 1109 Deo competit 1113. Vide *Dominium*.
Jus quid 602.
Justitia Dei 577 et 601 seqq. Justitiæ partes potentiales Deo asserendæ 577 seqq. Justitiæ variæ acceptiones 601, definitio communis ejusdem ac divisio quadrimembris 602. Aliqua justitia Deo asserenda 603 seqq. In omnibus operibus Dei justitia et misericordia semper admiscentur, et quo sensu 638; utra prior 641, utra excellentior 603 seqq.
Justitia legalis describitur 606, disputant auctores, utrum ea sit Deo

tribuenda 606, quid pertinet ad ejus proprium conceptum 607, 608. Proprie sumpta Deo non convenit 608, et quo pacto conceptus illius præscindi valeat ab imperfectionibus 608. et sic ab omni imperfectione purgata potest de Deo prædicari 610. Vocari potest justitia providentialis vel gubernativa 610, cujus exempla prostant in divina mundi gubernatione 611.

Justitia vindicativa quid 612, utrum Deo conveniat, et importet speciem ab aliis distinctam 612 seqq. Speciem quandam præ se fert commutativæ, a qua tamen deficit 614, itemque sectatur proportionalitatem, cujus ratione similis est distributivæ 615. ac denique affinitatem aliquam servat cum legali 616, ad quam potius videtur esse revocanda 616.

Justitia distributiva quid 617; quidque sit Fide divina certum, et quid in controversiam adducatur circa præmiorum distributionem a Deo faciendam 618. Sententia negans Deum exercere distributivam justitiam proprie dictam 618, 619. sententia contraria Deo asserens justitiam distributivam proprie dictam, supposita Dei promissione 620, quæ probatur 624 seqq.

Justitia commutativa quid 628, et multiplex illius discrimen a distributiva 629. utrum Deo conveniat, disputatur 632, sed probabilius negandum esse videtur 633 seqq.

Legalis justitia. Vide *Justitia legalis*.

Liberalitas de Deo prædicanda 587 seqq.; discrimen ejus a magnificentia 578.

Liberum primum an possit esse Deus, nisi physice prædeterminet 853.

Libera futura an et quomodo Deus cognoscat 201 seqq. Vide *Contingentium absolute futurorum scientia* et *eorumdem cognoscendorum medium*, itemque *Conditionate futurorum cognitio vel scientia*.

Longanimitas Deo tribuenda est 579.

Magnanimitas in Deo agnoscenda 574.

Magnificentia quoque Deo asserenda 576, et quid differat a liberalitate 578.

Mala utrum Deus cognoscat, et quo pacto 133 seqq. Mala utrum velit Deus 541 seqq. malum, qua tale, formaliter ac per se non potest velle 542, potest vero mala pœnæ ac defectus naturales velle per accidens 543, non tamen malum culpæ vel peccatum, quod tantum permittit 515, 517 seqq. Mala fieri aut esse in mundo utrum possit Deus velle 522 seqq. Mala quoque subjiciuntur divinæ providentiæ, a qua in ultimum finem ordinantur 1060, non tamen intendi possunt ut fines 1060. An mala, quibus afflictantur boni, et bona, quibus affluunt mali, quidpiam evincant contra Dei providentiam 1080.

Mariana (Joannes) an prædeterminationi faverit 887.

Materia concurrit ad conservationem formarum in esse in genere causæ non quidem efficientis, scil materialis 726, 727.

Medium cognitionis multiplex 143, *quo* et *in quo*, in se et in alio 143 et ex alio 146 quid requiratur ad rem cognoscendam per medium in *quo* 146 seqq. Quando aliquid cognoscitur in alio ut in medio in *quo*, non duo, sed unus tantum elicitur actus cognitionis ad diversa objecta terminatus 157. varii modi rem cognoscendi in alio 263. Medium quo divinæ cognitionis. Vide *Scientiæ divinæ principium quasi formale*.

Media scientia 546 seqq. Vide *Conditionate futurorum cognitio vel scientia*. Scientiæ modus amplitudo 228. Datur scientia media 47, 385 seqq., 389 seqq.

Misericordia quid sive latius, sive stricte, sive strictissime sumpta 636: est virtus specialis a bonitate distincta 636, quamvis sæpe illius opera externa procedant a virtute charitatis 637. Misericordia Deo certissime tribuenda 637, disputatur autem, utrum proprie, an metaphorice 637, licet probabilior est sententia tenens illam de Deo proprie prædicari 638. In omnibus operibus Dei quo pacto misericordia et justitia relucent 638. utra sit prior 641, utra excellentior 642. Misericordia est attributum maxime proprium Dei 642.

Motio. Motum et Movens prædeterminatio non est necessaria ex titulo motionis, qua virtus naturalis ex potentia perducenda sit ad actum 862. Quo sensu causa secunda moveant agere nisi mota a prima 852 seqq. et 842. Movens primum an possit esse Deus, nisi prædeterminet causas secundas ad agendum 851.

Motivum vel formale objectum divinæ voluntatis 488 seqq. Vide *Voluntas divina. objectum formale*.

Mundi creatio, conservatio, gubernatio, providentia. Vide has voces.

Necessitas intrinseca et extrinseca 101. Posita æterna Dei præscientia, effectus futurus est non necessitate consequentiæ seu absoluta, sed necessitate consequente vel suppositionis 213. quare necessitas hujusmodi non est antecedens 218. Necessitatis et contingentiæ radix 478 seqq.

Negationes an et quo pacto Deus cognoscat 133, 134, et an esse velit 511.

Nihilum in nihilum redigere vel vertere. Vide vocem *Annihilatio*.

Objectum multiplex 103: divinæ scientiæ objectum sive primarium sive adæquatum. Vide *Scientiæ divinæ objectum*.

Obligatio vel debitum an inducatur ex divina promissione 504 seqq. radix hujus obligationis 505, et quinam Deus obligetur, sibine, an homini 509.

Ockami opinio falsa circa divinam rerum aliarum cognitionem 115.

Odium abominationis et inimicitiæ 536: utrum possit Deo tribui odium, varie disputatur 546 seqq. Deus nihil odio habet eorum, quæ sunt, in quantum sunt 549. peccatum autem odio abominationis proprie prosequitur 550, ac proinde ipsum peccatorem, qua talem 551, quem tamen non potest odisse proprie odio inimicitiæ 564 seqq.

Omnipotentia Dei 646 seqq. Quid sit omnipotentia 646, et quatenus ac potrigat objectum ejus 648. Datur in Deo omnipotentia 648, 650 seqq. Omnipotentiæ divinæ opera 688. Utrum intrinsece atque essentialiter connectatur cum possibilibus 680, 682 et 688 seqq. An in sententia Societatis Jesu circa divinum concursum Deus homini subjiciat atque utendam donet suam omnipotentiam 678. Omnipotentia Dei sufficit ex se absque alterius causæ juvamine ad quidpiam efficiendum 668.

Opera et scripta varia circa controversias de divino concursu 858 in nota.

Operatio omnis causæ secundæ fundatur in operatione causæ primæ 763.

Opinio cadere in Deum nequit 18.
Ordinaria vel **ordinata** et absoluta potentia 660 seqq.

Pactum divinum 592.
Partialis causa utrum possit esse Deus 570, et an reapse foret, nisi daretur physica prædeterminatio 856.
Patientia utrum Deo tribuenda 575.
Peccatum: an peccata sub ordinem providentiæ cadere valeant 521. Peccatum utrum possit velle Deus. Vide vocem *Mala*. Peccati permissio. Vide vocem *Permissio*. Qualenam sit divinum decretum concurrendi ad peccatum 942 seqq. Physice quidem Deus concurrat ad actum peccati 941, voluntate tamen solum permissiva 944 et 948 seqq., unde Deus non est causa per se 945, nec proinde auctor peccati 946. Decretum permissivum peccati importat positivum actum volitionis divinæ applicantis omnipotentiam ad actionem, quam Deus reprobat quidem, non tamen vult impedire 948 seqq.
Pererius (Benedictus Pereira S. J.) an faverit physicæ prædeterminationi 882.
Permissio peccati 515 cur Deo licest 517; quænam importentur in peccati permissione 517 et 948.
Perrone (Cardinalis Du Perron) quid senserit de physicis Thomistarum prædeterminationibus 862, 867 in nota.
Perseverantiæ virtus Deo asserenda 576.
Platonis opinio circa triplicem Dei providentiam vel gubernationem 1082.
Pœnæ malum potest Deus velle per accidens 513, 517 seqq.
Pœnitentia utrum possit Deo proprie convenire 560.
Pollicitationes divinæ 592.
Possibilia. Divina possibilium cognitio 140 seqq. Deus possibilia cuncta cognoscit 140 et 142 seqq. Quo medio Deus cognoscat possibilia 145 seqq.: opiniones circa medium, in quo Deus possibilia cognoscit 148 seqq. Deus possibilia omnia in se ipso cognoscit 152 seqq. et 160 seqq., nempe in sua essentia tamquam in exemplari, tamquam in virtute vel causa efficiente ac tamquam in verbo 156 et 157; cognitio tamen possibilium in verbo est quasi reflexa et secundaria 157. Deus non cognoscit possibilia in se tamquam in speculo 157 seqq. Utrum Deus cognoscat possibilia etiam in se ipsis 165 seqq.: affirmativa sententia defenditur 166 seqq. et 170 seqq. Possibilia utrum Deus amet 499. Amat quidem, sed amore duntaxat inefficaci et simplicis complacentiæ 501 seqq., 506 seqq., eoque necessario 504. Utrum possibilia intrinsece connectantur cum divina essentia 182, 188 seqq. et 680.
Possibilitas intrinseca rerum utrum essentialiter connectatur cum Deo 181 seqq., et quid importet ista connexio 182. Quamvis non idem omnes sentiant de hac re 182, probabilius tamen dicendum est non repugnare hujusmodi connexionem essentiæ divinæ cum possibilibus 184 seqq., immo vero reapse agnoscendam esse 188 seqq.
Potentia activa est in Deo 646, eaque identificata cum essentia et infinita 647 intensive et extensive 659, ac vere omnipotens 648, 650 seqq., quæ per se sola potest quidquid possunt causæ secundæ 650. Cfr. vox *Omnipotentia*. Potentia ordinaria vel ordinata et absoluta 660, et quænam opera cadant sub potentiam Dei ordinariam 662. Utrum activa Dei potentia distinguatur a scientia vel intellectu et voluntate 663 seqq., qua de re variæ circumferuntur sententiæ 664 seqq. Potentia Dei ratione distinguitur ab essentia 669, et ab intellectu 669 seqq. et 677, non tamen videtur distingui adæquate a voluntate 674 seqq. et 679 seqq.: quo pacto ac habeat respectu voluntatis 676. Potentia intellectionis et voluntatis physica, metaphysica et logica 28, et quinam ex illis admitti valeant in Deo 29 seqq. et 446.
Practica scientia et speculativa in Deo 45 et 46, ubi an dari queat scientia practica in Deo respectu suorum actuum 47 seqq. Utrum practica esse possit scientia tum simplicis intelligentiæ, tum visionis 50 seqq.
Prædefinitio et **Prædefinire**. Quid prædefinitio 271, formalis et virtualis 275; varii modi, quibus prædefinitiones concipi possunt 275 et 276. Prædefinitiones scientiæ mediæ antecedentes communiter a nostris rejiciuntur, ac rejici debent 277. Prædefiniri non possunt omnia per divinam providentiam 1062.
Prædeterminatio quo sensu adhibeatur vox hæc a S. Thoma 959 nota. Prædeterminatio duplex, altera æterna, quæ est divinum decretum physice prædeterminandi 265 et 271, altera temporanea, quæ vocatur etiam prætmotio, quamquam hæ voces non sunt penitus synonymæ 781. Prædeterminatio extrinseca 700, quæ nihil physicum ponit in causa secunda, excluditur 893: prædeterminatio physica vel prætmotio indifferens pariter rejicitur 894. Prædeterminatio physica Thomistarum fuse describitur 684 seqq. et 789; quid differat a morali motione itemque a simultaneo concursu 785, ac declaratur exemplis 785: non est virtus aliqua nova, sed applicatio, motio, excitatio virtutis activæ 786, et confertur a Deo solum titulo essentialis dependentiæ creaturæ in operando a causa prima 787.

Concursus divinus secundum Prædeterminantes complectitur et prævium istam motionem et influxum simultaneum 787. Utrum admittenda sit prædeterminatio physica ad actiones causarum naturalium 791 seqq.: prædeterminatio physica in causis necessario operantibus seu inutilis rejicienda est 792 seqq., neque enim requiritur ad salvandum dominium Dei essentialemve causarum creaturarum subordinationem 794, nec necessaria est titulo applicationis illarum ad agendum 795 seqq., nec titulo motionis nec complementi virtutis excitationisve 801; nec titulo determinationis 804 seqq. An admittenda sit prædeterminatio physica in causis liberis 810 seqq.: prædeterminatio physica neque in causis liberis necessaria est 810 seqq., immo vero pessumdaret libertatem 814 seqq., 816 seqq., 822 seqq. Prædeterminatio demum ad actus peccaminosos multo est intolerabilior 825, 827 seqq. Argumenta intrinseca in favorem physicæ prædeterminationis soluta 833 seqq. An sine prædeterminatione possit Deus esse primum agens 851, primum motor, primum liberum, primum determinans et causa totius entis 853 et perfectus Dominus creaturæ 854. An nisi Deus prædeterminet, causæ primæ et secundæ ferent duæ causæ partiales unam adæquatam complentes 856. Argumenta extrinseca pro vel contra physicam prædeterminationem 858. Quid dicendum de veteribus Scholasticis 860 seqq., quid de academiis vel Universitatibus 868 seqq., de Ordinibus religiosis 872 seqq. An et quinam scriptores Societatis physicis prædeterminationibus faverint 871 seqq.; et an in ejusdem *Ratione studiorum* aliquid contineatur eis favens 1032. Mens S. Thomæ circa physicas

prædeterminationes. Vide vocem *S. Thomas*.

Præmotio physica quid differat a prædeterminatione 783, quamvis passim pro eodem sumatur 784. Vide vocem *Prædeterminatio* physica.

Præsentes Deo recte dicuntur a Patribus res cunctæ a tota æternitate 228.

Præsentia rerum objectiva in æternitate 312; præter illam aliqua alia præsentia est agnoscenda 312, non quidem sita in reali earum coexistentia 313 seqq., 342 seqq., sed tantum in aptitudine terminandi æternam Dei cognitionem 325 seqq., quæ nihil est reale in æternitate 327, sed dici potest præsentia intentionalis vel objectiva in actu primo 328. Mens S. Thomæ circa præsentiam rerum in æternitate 329 seqq.

Principium quasi formale divinæ cognitionis. Vide *Scientiæ divinæ principium formale*.

Privationes an et quo pacto Deus cognoscat 133, 134; et an easdem velit 511.

Promissio dari potest in Deo 501, 502; divinarum promissionum varia nomina, nempe *pollicitationis, pacti, fœderis, testamenti*, et quid inter hæc differat 502. An promissio divina aliquid addat supra simplicem assertionem 503, et an veri nominis debitum vel obligationem inducat in Deo 504 seqq., et quænam sit radix hujusmodi debiti 507. Cuinam sit Deus debitor ex promissione sua, sibimet, an homini 509. Promissio requiritur ex parte Dei, ut possit ab eo exerceri distributiva justitia, et cur 620.

Providentia Dei 1019 seqq.; quid sit 1040 seqq.; est æterna aeeus, atque gubernatio, quæ temporalis est 1041; providentia physica et moralis 1041, naturalis et supernaturalis 1042. Circa quos actus versetur providentia divina 1042, 1043. Cfr. 1101, ubi de gubernatione. An providentia essentialiter exigat infallibilem finis assecutionem, et non solum mediorum sufficientium atque idoneorum ordinationem 1043 seqq. Providentia quo pacto comparetur ad gubernationem 1041, ad scientiam et potentiam Dei 1046. In quo actu sita sit formaliter providentia 1046 seqq.; ordo actuum in providentia divina secundum modum nostrum concipiendi 1047. Utrum scientia media necessaria sit ad divinam providentiam 367 et 1056. Providentiæ divinæ propugnatores 1051 et osores 1052, vel ejus ambitum restringentes 1057. Negari nequit Deo providentia 1053 seqq. et 1055 seqq., ipsis quoque ethnicis nota et comperta 1055; ea vero sese porrigit ad omnia, sive corruptibilia sive incorruptibilia, sive magna sive parva et vilia, sive genera et species sive individua 1058 et 1062 seqq. Mala quoque divinæ providentiæ subjacent, a qua in ultimum finem sapientissime ordinantur 1060. Bona possunt a divina providentia tum ad finem ordinari, tum ut finis aliorum intendi; mala vero nequeunt intendi ut finis, sed ad finem ordinari 1060. Providentia *approbationis* et *concessionis* vel *permissionis* 1062. Non omnes actus humani prædefiniuntur a providentia Dei, nam saltem mala nequeunt prædefiniri 1062. Deus aliis rebus providet propter se, aliis propter aliud 1064. Providentiam peculiarem habet Deus creaturæ rationalis 1074 seqq. et 1077 seqq., atque inter ipsos homines specialissimam gerit curam bonorum ac prædestinatorum 1076 seqq. Utrum mala, quibus afflictantur boni, bona, quibus affluunt mali, quidpiam valeant adversus Dei providentiam 1080 seqq.

Qualis sit providentia divina 1082 seqq.; Deus omnibus immediate providet ac per se 1083 seqq., nec imponit necessitatem causis liberis sed tantum necessariis 1086 seqq. Utrum Deus necessario debeat haliere providentiam, an libere 1089 seqq.

Prudentia inter cæteras intellectuales virtutes Deo asserenda 18.

Ratio, idea et exemplar quid differant 418. *Signa* quæ dicuntur rationis in actibus divinis 569. Rationes proximæ divinorum operum ad extra possunt esse plures ac diversos et ratio ultima est bonitas Dei aliis communicanda 491. Ratio studiorum Societatis Jesu an aliquid contineat, quod physicarum prædeterminationum patronis faveat 1072 seqq.

Recordatio nequit Deo convenire 20.

Rosminii (Antonii) error circa creationem 601 refutatus 609 in nota.

Salmero (P. Alphonsus S. F.) an prædeterminationem docuerit 874.

Scholastici veteres utrum doctrinam de prædeterminatione tenuerint 800 seqq.; eorumdem sententia circa divinam condionate futurorum cognitionem 376.

Scientia divina 9 seqq.; quinam minus recte de illa senserit 9. Asseritur Deo scientia 10 seqq. et 21 seqq.; eaque propriæ sumpta 13 et nobilissima tum in genere entis 14, tum in linea cognitionis 15, sive extensive sive intensive ratione suarum propietatum 15, 16; quæ non est simpliciter apprehensiva, sed perfectissime judicativa sine discursu et compositione 16, et comprehendit omnem perfectionem in quolibet genere actus et virtutis intellectualis, seclusis imperfectionibus 17. Cognitio proinde divina est intellectus principiorum, sapientia, scientia 17, ars et prudentia 18; in quam cadere non valet dubium, opino, fides, 18, nec scientia *quia*, sed solum *propter quid* 19, nec cogitatio nec consilium nec deliberatio nec recordatio 20. Utrum scientia, quam Deus habet suorum attributorum, dici possit *propter quid* 20. Generalis regula ad dijudicandum, quinam actus vel habitus intellectuales Deo competant 20. Discrimen inter ideam et scientiam operum faciendorum 71.

Scientia Dei quotuplex: necessaria et libera vel contingens 42, simplicis intelligentiæ, visionis ac media 42, 43; scientia simplicis intelligentiæ vel notitiæ opposita scientiæ approbationis 43, 44; abstractiva et intuitiva 44, 45; speculativa et practica 45 et 46, ubi an dari possit in Deo scientia practica respectu suorum actuum 47 seqq., et an practica esse possit tum scientia simplicis intelligentiæ tum visionis 50 seqq.; scientia approbationis et simplicis notitiæ 52 seqq. Vide *Approbationis* scientia.

Scientiæ divinæ propietates 57 seqq.; est entitative prorsus invariabilis atque immutabilis 58 seqq. et distinctissima 96 seqq. Et quænam scientia sit causa rerum, utrum visionis, an simplicis intelligentiæ 63 seqq. Scientia Dei est causa rerum 68, sed prout habet adjunctum decretum voluntatis 69 seqq. Scientia Dei, quæ est causa rerum, non est scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ 71 seqq. et 86 seqq. Utrum scientia Dei possit dici etiam causa malorum culpæ, quæ Deus permittit 71.

Scientiæ divinæ quasi formale principium 91 seqq. Non datur in Deo propria species intelligibilis, quæ per modum actus primi supplcat

concursum objectivum ad intellectionem necessarium, sed ipsa divina essentia se habet loco speciei intelligibilis, quatenus ex se determinata est ad actu representandum quidquid cognoscibile est 91 seqq. et 98 seqq.; neque id officit distinctioni et perspicuitati divinæ cognitionis 96 seqq. Utrum acta essentia divina, an vero etiam attributa se habeant instar speciei ad cognitionem per agendam 95.

Scientiæ divinæ objectum 101, primarium, vel formale 104 seqq. Deus se ipsum perfectissime intelligit 105, et comprehendit ceu objectum primarium 106 seqq. 110 seqq. Sub qua ratione sit Deus objectum primarium, utrum sub ratione essentiæ præcise sumptæ, an sub ratione includentis attributa 108. Objectum adæquatum divinæ scientiæ 115 seqq. et 118 seqq. Deus omnia alia a se cognoscit perfectissime 125 seqq. tamquam objectum secundarium 118: unde objectum adæquatum scientiæ divinæ est omne intelligibile 118, nec rerum cognitio Deum dedecet ex earum vilitate 108. Singularia utrum Deus cognoscat, et quidem distincte secundum propriam et individuam cujusque naturam 109 seqq. An et quomodo cognoscat mala et negationes, privationes, chimæras et impossibilia 124 seqq., falsitatem 138, secreta cordium et peccata resque ipsas vilissimas 117. Utrum Deus cognoscat malitiam rei immediate, suam ipsius bonitatem cognoscendo, an potius mediate, cognoscendo bonitatem actus vel formæ creatæ oppositæ 136. An et quo pacto Deus videat infinita 139.

Scientia simplicis intelligentiæ 130 seqq. Vide *Possibilium cognitio*.

Scientia visionis 201 seqq. Deus omnia existentia, sive præsentia, sive præterita, sive futura cognoscit 201. Et an etiam et quomodo videat contingentia vel libera absolute futura 201. Vide *Contingentium absolute futurorum scientia*.

Sciencia media 346. Vide *Conditionate futurorum scientia*. Scientia media an sit necessaria ad divinam providentiam 367, 1050.

Scriptores ecclesiastici providentiam Dei propugnantes 1051.

Secreta cordis Deus videt 117.

Sensus compositus et sensus divisus Thomistarum 816.

Signa rationis diversa in actibus voluntatis 569. Voluntas signi et beneplaciti, et quot signa distinguantur divinæ voluntatis 452.

Simultaneus concursus. Vide vocem *Concursus simultaneus*.

Singularia utrum Deus cognoscat 129.

Species intelligibilis respectu divinæ cognitionis. Videparagraphum *Scientiæ divinæ quasi formale principium*. Species et genera divinæ providentiæ subjiciuntur 1058.

Speculum. Deus non cognoscit possibilia in se tamquam in speculo 137 seqq.

Spes utrum Deo conveniat 544.

Subjicere. Utrum ex nostra circa divinum concursum sententia sequatur, Deum subjicere atque utendam donare nobis suam omnipotentiam 937.

Subordinatio et **Subordinatum**. Subordinatio causæ secundæ ad primam stare potest sine physica Thomistarum prædeterminatione 793. An ex Societatis doctrina super divino concursu sequatur, quod Deus agat nobiscum ut causa subordinata 937.

Supercomprehensio creatæ voluntatis utrum possit esse pro Deo medium cognoscendi futura contingentia 289.

Sylvius (Franciscus) carpitur 890.

Temperantia ne improprie quidem quadrat in Deum 572.

Testamentum divinum 592.

Thomas (S.). Mens S. Thomæ circa scientiam Dei, quæ sit causa rerum 80 seqq.; circa duplicem futuritionem, causalem et formalem 234 seqq. 238 seqq.; circa determinatam futurorum contingentium veritatem 239; circa cognitionem futurorum contingentium in ideis divinis 260, et in causis eorum proximis 290; circa coexistentiam et præsentiam rerum in æternitate 329 seqq.; circa cognitionem conditionate futurorum 375 seqq.; circa justitiam distributivam Deo asserendam 622 et negandam commutativam 623; circa naturam potentiæ 667 atque actionis divinæ ad extra 682 seqq.

Thomæ (S.) doctrina circa modum, quo Deus cum causis secundis concurrit ad earum operationes 650 seqq. Quot modis Deus operetur in rebus ex doctrina S. Thomæ 960 seqq., et laudatur acuta hinc atque accurata enumeratio 985. S. Thomas, cum docet Deum applicare causas secundas ad agendum, non intendit physicam prædeterminationem 764 seqq., sicut nec quando docet causam primam secundæ communicare transeunter virtutem, in qua hæc agat 670 seqq., nec cum sæpe alias docet Deum movere omnia ad agendum 987 seqq. et 991 seqq. Utrum S. Thomas prædeterminationem duxerit in causis necessariis 660 seqq., vel saltem in liberis 1000, sive ad actus bonos 1001 seqq. et 1027 seqq., sive ad pravos 1020 seqq.

Timor an Deo ullatenus tribuendus 561.

Tiphanius (Claudius S. J.) an prædeterminationes sectatus sit 889.

Toletus (Cardinalis Franciscus S. J.) an Prædeterminantibus faverit 875.

Tristitia utrum Deo conveniat 559.

Ulpiani celebris definitio justitiæ 602.

Universitates catholicæ utrum physicam prædeterminationem, an vero simultaneum concursum docuerint 868 seqq.

Verbum. Deus possibilia cognoscit in sua essentia tamquam in verbo 156, 157, quæ cognitio est quasi secundaria et reflexa 157.

Veritas determinata utrum insit propositionibus de futuro contingenti 225 seqq. Veritas moralis vel veracitas Deo asserenda 587.

Vilia quoque cadunt sub divinam providentiam 1038.

Vindicativa justitia 612 seqq. Vide *Justitia vindicativa*.

Virtus. Quo sensu causa secunda nequeat agere nisi in virtute causæ primæ 847. Virtutes divinæ voluntatis 571 seqq. Vide *Voluntatis divinæ virtutes*.

Visionis scientia in Deo 41. Vide *Scientia visionis*.

Vita divina 1. Deus vita gaudet 2, eaque intentionalis 5 et nobilissima 6, 7, 8. Omnia sunt in Deo vita 7.

Voluntas Deo asseritur ab omnibus, paucis exceptis 440, et est respectu asserenda Deo voluntas et velle perfectissimum 441 seqq., quæ non est recidens nec essentiæ divinæ constitutivum 444 seqq. Adetur in Deo voluntas per modum potentiæ vel actus primi 446, et appetitus innatus 447 seqq.

Voluntas Dei quotuplex 451: beneplaciti et signi, efficax atque inefficax, absoluta et conditionata 452,

necessaria et libera, antecedens et consequens 453, quæ postrema divisio diversimode solet explicari 451 seqq.

Voluntatis divinæ proprietates 455 seqq.; immutabilitas et libertas 459; voluntas divina est causa rerum 460, et an propinquior intellectu 461. An voluntatis divinæ dari valeat causa vel ratio 462; ratio quidem datur 463, non tamen causa 465 et 468; utrum finalis 466 seqq., saltem respectu effectuum creatorum 469. Utrum voluntas divina potuerit ab æterno manere suspensa sine ullo actu 470 seqq. An voluntas Dei semper impleatur 476 seqq., vel necessitatem rebus imponat 478.

Voluntatis divinæ objectum 1) *materiale* 480 seqq. Deus non solum vult se; verum etiam alia multa 481, et quidem non secundum esse eminentiale, sed secundum esse formale proprium eorum 482 seqq.; se tamen amat necessario 483, alia libere 486, quin teneatur vel moraliter ad optimum 489 seqq. 2) *Objectum formale* divinæ voluntatis est solus Deus vel infinita eius bonitas, cætera sunt objecta secundaria 492. 3) *Objectum secundarium* 497 seqq. Deus amat actu existentia omnia 497 seqq.; an etiam amet possibilia 500 seqq.; sententiæ variæ 500, sed probabilius videtur dicendum. Deum amare creaturas possibiles amore dumtaxat inefficaci simplicis complacentiæ 501 seqq. et 506 seqq., eoque necessario 504. An voluntas Dei versetur circa impossibilia 510; et an velit mala, negationes et privationes 511, 512. Voluntas divina non potest velle malum, qua tale, per se ac formaliter 512, potest vero malum pœnæ ac naturalem defectus per accidens 513, non tamen malum culpæ vel peccatum, quod tantum permittit 515, 517 seqq. Mala fieri vel esse utrum possit velle Deus 522 seqq. *Objectum formale* vel motivum divinæ voluntatis est ipsa Dei bonitas 480 seqq., nam quamvis possint assignari diversæ rationes proximæ divinorum operum, at ultima ratio latens in omnibus est ipsa Dei bonitas aliis communicanda 491, 493 seqq. Cfr. 462.

Voluntatis divinæ actus 527 seqq. Actus respondentes passionibus ibid. Amor 528. Vide hanc vocem. Gaudium 538, desiderium 538 seqq. Vide vocem *Desiderium*. Spes an possit Deo convenire 543, et utrum odium 540. Vide hanc vocem. Quid dicendum de tristitia et dolore 550, ac pœnitentia 560, invidia 561, fuga et timore 561, desperatione 562 atque ira 563 seqq. et audacia 567. Actus divinæ voluntatis respectu finis 567 seqq.: intentio, electio et usus proprie Deo conveniunt, ita tamen ut electio non requirat proximum consilium et judicium, sicut in nobis 568.

Voluntatis divinæ virtutes 571 seqq. Regula tenenda in asserendis vel negandis Deo virtutibus 571. Temperantia ne impropriæ quidem Deo concedi potest 572; utrum et quo pacto certitudo 572, 575, clementia 573, magnanimitas 574, patientia et longanimitas 575, perseverantia et constantia, magnificentia 576, liberalitas 578 seqq., gratitudo 584 seqq., benignitas 587, veritas moralis seu veracitas 587, fidelitas 588, jeramentum 589, promissio 591 seqq., justitia 597 et 601. Vide vocem *justitia*. Denique misericordia divina 606. Vide hanc vocem.

Pag.	Lin.	ERRATA GRAVIORA	CORRIGE
36	23	objectum	subjectum
60	23	distincta	indistincta
66	25	sortitur ipsa	sortitur, ipsa
72	2	potentia rationem	potentia importat rationem
85	28	futuræ	futuros
90	8 y 9	potentia. Ideo	potentia; ideo
114	1	infinitum	finitum
127	17	ita,	its, ut
128	9	esse	esset
128	20	et	est
157	10	exigentiæ	exigentia
160	15	hujusce quæstionis	hujusce quæstionis
162	21	effectus: est	effectus est
178	ult. text.	ante	ante supposita
188	11	illa	illa
195	22	dominans	denominans
196	25	dominante	denominante
196	31	modum	modum
197	1	defecere	deficere
231	20	incidere	incedere
280	16	quædam	quænam
284	12	notio	motio
308	19	reclutantem	reluctantem
336	in nota	adæquare	adæquari
337	18	non erat	erat
440	11	et objecto	et propriatibus
470	6	intrinsecis	extrinsecis
589	19	Permittere	promittere
594	20	debite	debiti
605	10	procedit imperfectionem	procedit, imperfectionem
614	6 marg.	vindicativæ	commutativæ
616	2	cognitionem	cognationem
618	24	potentiam bonis	patientium boni
687	17	quæ	qua
742	15	infinitatum	infinitatem
776	7	distraxisse	distraxit
804	8	suum	unum
808	18	nun	non
809	18	sit	sic
837	25	nisi in agit	agit nisi in
841	28	ut	sit
848	25	utiliter	utitur
881	17 in not.	scaues	scuus
907	16	hocei	hoc ordine et eum
908	13	actu	ex actu
909	24	notio	motio
1008	24	reducti	reducit
1010	3	generatum	generatim

A. M. D. G.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

B103
I5
v.8 46172

AUTOR

TITULO
Institutiones

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS